FORUM. BENEFICIALE,

SIVE

QUÆSTIONES & RESPONSA CANONICA,

MATERIAM DE BENEFICIIS UNIVERSAM

EX

Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia.

Opus methodo novâ & clarâ in TRES digestum PARTES, quarum singulæ binis Indicibus; uno Sectionum, Capitum, Paragraphorum, & Quæstionum; altero rerum, & materiarum in iis contentarum accuratè ac copiosè instructæ.

PARS ALTERA,



DE

PROVISIONE ET OBTENTIONE BENEFICIORUM,

Ubi de

Jurepatronatûs, Præsentatione, Institutione, Postulatione, Electione, Confirmatione, Collatione, Reservationibus Apostolicis, & Possessione Beneficiorum.

AUCTORE

P. PETRO LEURENIO,

Societatis JESU, SS. Theologiæ Doctore, & SS. Canonum Professore.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Hæredes PETRI PüTZ, & JOANNEM PüTZ, Bibliopol. unter fetten Hennen, neben dem Rosenkrantz.

Anno M.DCC.XXXVI.

Cum speciali Privilegio Sac. Cæsareæ Majestatis, & permissu Superiorum.

SYLLABUS
SECTIONUM, CAPITUM, PARAGRAPHORUM, & QUÆSTIONUM,
In hac Altera Parte contentarum.

PARS ALTERA.
De Proviſione & Acquiſitione Beneficiorum.

CAPUT PRÆAMBULUM.
De modis providendi, & acquirendi Beneficia in genere.

SECTIO PRIMA.
De proviſione beneficiorum, & acquiſitione per præſentationem & inſtitutionem.

CAPUT PRIMUM.
De Jurepatronatûs.

PARAGRAPHUS I.
De natura & diviſione Juriſpatronatûs.

PARAGRAPHUS II.
De Juriſpatronatûs efformatione, ſeu prima acquiſitione.

jurisp. ad sui favorem, reservando illud sibi, an adhuc opus alterius quàm Episcopi fundantis consensu.

39. *Ex qua fundatione acquiratur juspatronatus.*

40. *Qualiter acquiratur juspatron. ex ædificatione.*

41. *An, dum quis construxit Ecclesiam in fundo alieno, invito vel inscio Domino, constructori acquiratur juspatron. an Domino.*

42. *Qualiter acquiratur juspat. dotatione.*

43. *An etiam in dotatione facta Ecclesiæ jam constructa & consecrata, dum esset sine dote, acquiratur juspatron.*

44. *An, & qualiter ex augmento dotis acquiratur juspatron.*

45. *An, & qualiter juspatron. acquiratur ex privilegio.*

46. *An ex privilegio concedi possit juspat. ab Episcopo.*

47. *An & qualiter jusp. acquiri possit per præscriptionem.*

PARAGRAPHUS III.

De jurispatron. jam constituti in alios translatione.

48 *QUot modis juspat. ab uno in alium transferri possit.*

49. *juspat. hæreditarium ad quos hæredes, & qualiter transeat.*

50. *An juspat. hæreditarium transeat ad fideicommissarium, vel usufructuarium universalem.*

51. *An juspat. transeat ad creditorem, cui datum sit pignus universitatis bonorum, in qua existit jusp.*

52. *An jusp. transeat ad conductorem castri, cui annexum.*

53. *An castro, aut bonis sequestratis, quibus annexum jusp. illud transeat ad sequestrum, ita ut is, si durante sequestro vacaverit beneficium, cujus præsentatio ad sequestrata bona pertinebat, possit præsentare.*

54. *An jusp. transeat in feudatarium vel Emphyteutam, dum castrum, cui annexum, infeudatur, vel datur in emphyteusin.*

55. *An publicatis & fisco addictis omnibus bonis patroni ob crimen, jusp. transeat ad fiscum, an maneat apud filium illius, aut hæredes.*

56. *An & qualiter jusp. hæreditarium per hæreditariam successionem transire possit ad monasterium seu religionem.*

57. *An jusp. transferatur cum hæreditate sine consensu Episcopi*

58. *An quasi possessio jurisp. seu præsentandi, qualem habet patronus putativus, & qualis acquiri potest ex unica præsentatione, transeat ad hæredes absque nova approbatione.*

59. *Qualiter descendentia à patrono deducatur in patronatu tam gentilitio simplici, quàm mixto.*

60. *Jusp. gentilitium qualiter deferatur gentilibus.*

61. *An, & qualiter in jurep. gentilitio admittantur, & succedant illegitimi.*

62. *Qualiter jusp. transferatur donatione.*

63. *Qualiter præsumatur, & qualiter, & à quo præstari queat consensus Episcopi ad donationem jurisp. requisitus.*

64. *An patronus donare vel legare possit jusp. cui ei placuerit.*

65. *An dum patronus donat jusp extraneo, censeatur illi donasse cumulativè, an verò privativè.*

66. *Qualiter transferatur jusp. per permutationem.*

67. *Qualiter transferatur jusp. per venditionem.*

68. *An, si contra juris prohibitionem vendatur ipsum jusp. talis venditio sit valida.*

PARAGRAPHUS IV.

De subjecto jurisp. & de iis, qui præsentare possunt.

69. *AN pagano & Judæo ædificanti v.g. Ecclesiam, vel emendi castrum, cui jusp. annexum est, competere possit jusp.*

70. *An hæreticus capax sit jurisp.*

71. *An jusp. competere possit infanti & pupillo.*

72. *Quid hac in parte dicendum de impubere, minore, filio-familias.*

73. *An, & qualiter patronatus competens uxori, & hinc potestas præsentandi transeat in maritum, seu ab eo participetur.*

74. *An illegitimo, & maximè spurio, aut etiam irregulari competere possit jusp. & præsentare.*

75. *An & qualiter excommunicatus sit capax jurisp. & præsentandi.*

76. *An possessor jurisp. cui verè dominium illius non competit, obtineat jura patronatus, etiam post contestatam litem super proprietate jurisp.*

77. *An & qualiter jus præsentandi ad Prælaturas Ecclesiarum conventualium aut Collegiatarum haberi possit per laicos.*

PARAGRAPHUS V.

Qualiter juspatron. probari debeat, & de eo constare, ut admittatur quis ad præsentandum?

78. *QUotuplex sit probatio jurisp. tam ex privilegio, quam ex jure communi habiti.*

79. *Quot modis probandum sit jure novo Tridentini jusp. quò ad proprietatem.*

80. *Qualiter probetur jusp. privatorum per authenticum documentum.*

81. *Qualiter jusp. privatorum ex fundatione vel dotatione probetur, ex præsentationibus multiplicatis per antiquissimum cursum temporis.*

82. *Qualiter præterea probari possit jusp. privatorum ex fundatione vel dotatione.*

83. *Quandonam necessaria probatio jurisp. plena, & quando sufficiat semiplena.*

84. *Quo ad probationem jurisp. illorum, in quibus plerumque præsumitur usurpatio, in quo fundetur illa præsumptio, & quinam tales censeantur.*

85. *Quis modus probandi jusp. ex fundatione, dotatione dictarum personarum, in quibus est præsumptio usurpationis.*

86. *An in ullo casu admitti, & sufficere possit dictarum præsentationum continuatarum probatio per testes.*

87. *An facta probatione jurisp. juxta decretum Trid. & præsentato per patronum admisso ab Ordinario, si in sequentibus vacationibus dubitetur de validitate jurisp. patronus possit repelli à sua quasi possessione & præsentatione, teneatúrque ante præsentationem de novo probare titulum.*

88. *An opus istis rigorosis probationibus, & intret dispositio Concilii, dum jusp. non adversus Ecclesiam, sed adversus alium patronum probandum.*

89. *An opus rigorosis illis probationibus requisitis ad probandum jusp. personarum, in quibus præsumitur usurpatio, dum cum tali persona concurrit alia persona, in quam non cadit præsumptio talis.*

90. *An rigorosa illa forma conciliaris probandi necessaria quoque sit ad effectum etiam juris honorifici.*

91. *Qualiter doceatur, acquiratur, conservetur, & operetur possessio præsentandi, de qua non secus ac de existentia jurispatronatûs docendum est, ad effectum obtinendi institutionem præsentati.*

92. *Quid probare debeat prætendens jusp. hæreditarium, quid mixtum, quid prætendens gentilitium.*

93. *Quæ prætendens jusp. in augmento dotis justificare teneatur in ordine ad evitandam reservationem, & derogationem apostolicam.*

PARAGRAPHUS VI.

Quid possit, vel non possit Patronus.

94. *AN patronus possit beneficii leges alterare, vel novas inducere.*

95. *Quid juris & potestatis habeat patronus circa res temporales Ecclesiæ usurpandas & curandas.*

96. *Quid possit patronus circa ponendum custodem, instituendum vel destituendum Rectorem, & circa præcipiendum Rectori.*

97. *Quid possit patronus circa electionem prælati in Ecclesia collegiata vel conventuali.*

98. *An, & qualiter patronus præsentare possit, dum beneficium adhuc est plenum, seu ad vacaturum.*

99. *Quid possit patronus quò ad constituendum procuratorem in ordine ad præsentandum.*

PARAGRAPHUS VII.

De commodis & prærogativis patronatûs.

100. *AN & quæ temporalia ratione jurisp. sibi competentis exigere possit patronus ab Ecclesiis, vel etiam præsentatis.*

101. *An & qualiter Patronus circa commoda temporalia, quæ justè percipere potest, possit disponere.*

102. *Quæ sint commoda Patroni ordinaria.*

103. *In quo consistat debita Patrono honorificentia.*

104. *An illa honoris prærogativa extendat se ad jus sepulturæ.*

105. *Qualiter alimenta præstanda Patrono.*

106. *Quæ conditiones requirantur & justificentur in & à Patrono, ut alimenta petere & percipere possit.*

107. *An, & quæ actio competat inopi patrono ad petenda alimenta.*

108. *Ad quæ requirendus & obtinendus consensus patroni.*

109. *Qualiter vacante beneficio jurisp. patronus vocandus, ejúsque voluntas exquirenda.*

110. *Quæ pœna statuta gravantibus patronos ob certam personam non præsentatam.*

111. *Quid possit patronus quo ad constituendum procuratorem in ordine ad præsentandum.*

PARAGRAPHUS VIII.

De derogatione & amissione jurispatr.

112. *AN Papa derogare possit jurispatr. cuicunque, & disponere pro libitu suo de beneficiis jurisp.*

113. *An nuncius Apostolicus, vel etiam Episcopus, derogare possit jurip.*

114. *Qualiter, & quando Papa consueverit absolutè derogare jurip. laicorum.*

115. *An, & qualiter Papa deroget patronatibus ecclesiasticis.*

116. *An, & quibus patronatibus derogaverit, eos abrogando, Tridentinum.*

117. *An jusp. cadat sub reservationes apostolicas.*

118. *An etiam patronatus concessi per privilegium ex causa onerosa, nimirùm ex aucta dote, saltem ad medietatem, tametsi preservati à Concilio Trid. cadant adhuc sub reservationes Apostolicas.*

119. *An, & qualiter de facto censeatur derogatum jurip. per collationem beneficii factam à Papa.*

120. *Quibus modis extinguatur jusp.*

CAPUT SECUNDUM.

De Præsentatione ipsa.

PARAGRAPHUS I.

De effectu & modo præsentationis faciendæ & admittendæ.

121. *QUale jus præsentato conferat præsentatio.*

122. *Quid requiratur, ut præsentatio præsentato tribuat jus ad beneficium.*

123. *Coram quo fieri debeat præsentatio.*

124. *An ad validam præsentationem requiratur, ut fiat per patronum corporaliter præsentem habenti instituere.*

125. *An ad validitatem præsentationis requiratur, ut præsentandus corporaliter exhibeatur, & sistatur præsens habenti instituere.*

126. *In qua forma debeat fieri præsentatio, an in scripto, an per libellum, vel oretenus, vel certâ formâ verborum.*

127. *An, & qualiter præsentatio possit esse conditionata.*

128. *An, & qualiter præsentatio facta pro forma requirat examen præsentati.*

129. *An præsentatio vitietur, si patronus dicat:* Ergo Titium in præsentandum.

130. *Qualiter præsentatio ex præscripto fundationis, aut aliàs facienda coram Papa, fiat.*

131. *Qualiter, dum plures sunt patroni, facienda & admittenda præsentatio.*

132. *An, & qualiter præsentatio admitti debeat ab habente instituere.*

133. *Quid agendum, dum habens instituere non admisit præsentationem, vel eam rejecit.*

134. *An, & qualiter præsentatus legitimè possit renunciare.*

PARAGRAPHUS II.

De tempore, quo vel intra quod facienda præsentatio.

135. *INtra quod tempus fieri debeat præsentatio.*

136. *An sufficiat, patronum intra tempus sibi datum ad præsentandum præsentâsse à se delectum Ordinario, ut examinetur, dum institutio facienda est per inferiorem.*

137. *An, & à quo concessum ad præsentandum à jure tempus abbreviari, aut prorogari possit.*

138. *Quo tempore intra quadrimestre vel semestre datum ad præsentandum fieri possit præsentatio.*

139. *Quomodo computetur dictum tempus.*

140. *Qualiter dictum tempus, quod aliàs per se loquendo currit continuum, seu est continuum, & non utile, non currat patrono impedito.*

141. *An, & qualiter currat patronis dictum tempus, dum intra illud nominatus ab illis intra idem tempus non consensit, vel renunciat factæ de se præsentationi, aut diem suum obit, aut occultum ejus vitium detegitur, ob quod præsentatio facta irritatur.*

142. *A quo die incipiat patrono currere tempus, dum præsentatio facienda ad beneficium à primæva erectione vacans, sive cui primâ vice, seu primùm à fundatione Rector dandus.*

143. *An præsentatio fieri possit post terminum edicti, & quomodo sustineatur facta pendente termino edicti.*

144. *An patronus possit præsentare ante obitum beneficiati, seu antequam vacet beneficium.*

PARAGRAPHUS III.

De mutatione & variatione præsentationis factæ.

145. *AN & qualiter liberum sit patrono in præsentatione variare.*

146. *An post obitum præsentantis, factâ jam ab eo præsentatione, patronus successor variare possit.*

147. *An permissum patronis laicis dicto modo variare lite pendente.*

148. *An locus quoque sit dictæ variationi cumulativæ in patronatu mixto.*

149. *Quid si juraverit patronus, se non velle variare præsentationem, an poterit adhuc postmodum præsentare validè.*

150. *An etiam simplex promissio de non variando invalidet secundam præsentationem.*

151. *An si quis retento patronatu cesserit juri præsentandi, possit dicto modo variare.*

PARAGRAPHUS IV.

De personis præsentandis.

152. *AN, & qualiter patronus præsentare debeat habilem.*

153. *An, quando, qualiter patronus privetur jure præsentandi ob præsentatum inhabilem.*

154. *Qualiter patronus teneatur præsentare digniorem.*

155. *An, & qualiter, etiam dum unus patronorum præsentat indignum, devolvatur collatio ad Superiorem.*

156. *An, & qualiter patronus præsentare debeat proximiorem.*

157. *An ad beneficium, quod fundator reliquit pro suis consanguineis, præsentari possit illegitimus, aut illud conferri illegitimo, si is aliàs habilis est, & ad beneficia Ecclesiastica obtinenda dispensatus.*

158. *An, & qualiter præsentandus debeat esse clericus, & incedere in habitu clericali.*

159. *An, & quando præsentatus habere debeat ætatem requisitam à Trid. ad consecutionem beneficii, ad quod præsentatur.*

160. *An, & quando minor 14. annis præsentari possit.*

161. *Quæ ætas requiratur in præsentando ad beneficium curatum, aut non curatum sacerdotale.*

162. *Præsentandus ad beneficium sacerdotale, an & quando debeat esse actu Sacerdos.*

163. *Præsentatio illiterati quandonam sit jure ipso irrita.*

164. *An patronus, dum idoneus est, præsentare possit seipsum per se, vel per alium ad beneficium sui jurispatron.*

165. *An procurator aut alius à patrono substitutus possit seipsum præsentare.*

166. *An patronus possit præsentare filium suum.*

167. *An donatarius possit præsentare donantem jussus.*

168. *An præsentatus invalidè ob crimen, emendatus dein, possit præsentari denuò.*

CAPUT TERTIUM.

De Institutione.

PARAGRAPHUS I.

De habente instituere.

169. *AN, & qualiter Episcopo competat jus instituendi præsentatos à patronis.*

170. *An, & qualiter instituere competat capitulo, sede vacante.*

171. *An, & qualiter instituere competat Vicario Episcopi.*

172. *An, & qualiter instituendi jus competat aliis Episcopo inferioribus.*

173. *An instituere possint Abbatissa & Priorissa.*

174. *An, & qualiter potestas instituendi competere possit laico.*

175. *An, & qualiter valeat institutio facta ab inferiore existente in quasi possessione, etsi reverà à parte rei non habeat jus instituendi.*

176. *An, & qualiter reservetur institutio Papæ, & qualiter is tunc procedat in institutione.*

177. *Qualiter, & ad quos devolvatur jus instituendi.*

PARAGRAPHUS II.

De necessitate, modo, ac tempore faciendæ institutionis.

178. *AN, & quando institutio sit debita præsentato.*

179. *Qualiter subveniatur, si negetur aut differatur institutio.*

180. *An per appellationem suspendatur executio institutionis.*

181. *An, & qualiter institutio sit irrita, si facta neglecto præsentato, vel etiam absque consensu & præsentatione patroni.*

182. *Cum quibus qualitatibus fieri debeat institutio, & quæ inutiliter ei adjiciantur conditiones.*

183. *An, & qualiter institutio fieri possit extra territorium.*

184. *Qualiter facienda institutio, dum ex diversis qualitatibus spectat ad eundem præsentare & instituere.*

185. *An, & qualiter institutioni præmittendum examen & approbatio.*

186. *An ad valorem institutionis requiratur scriptura, seu literæ institutionales, opúsque sit certâ cæremoniâ.*

187. *An canonicè institutus, etiam verbaliter solùm, statim capere possit possessionem, administrare, &c.*

188. *An si quis semel præsentatus coram Episcopo, & dein coram alio inferiore, ab eodem patrono, possit regredi ad priorem præsentationem, & vi illius validè institui.*

189. *Intra quod tempus fieri debeat institutio.*

190. *An institutio fieri possit diebus festivis, vel etiam post obitum præsentantium.*

191. *An institutio fieri possit post lapsum terminum edicti, & sic facta sit nulla.*

192. *An necessariò, qualiter, quo fine & ordine, ad quem effectum ante institutionem præmittendum edictum.*

PARAGRAPHUS III.

De personis instituendis.

193. *QUandonam in potestate institutoris sit gratificari uni ex præsentatis præ aliis.*

194. *An & quando Institutor possit instituere alium à præsentatis.*

195. *Quis institui debeat ex pluribus, sive simul, sive suc-*

successivè præsentatis inæqualiter, hoc est, non habentibus paria patronorum suffragia.

196. *Quid si præsentetur habens jam beneficium incompatibile cum eo, ad quod præsentatur.*

197. *Quis instituendus, dum unus præsentatus est ab existente in quasi possessione præsentandi, alter à proprietario: unus à marito, alter ab uxore: unus à pupillo, alter à tutore.*

SECTIO SECUNDA.

De provisione & receptione beneficiorum per postulationem, electionem, confirmationem.

CAPUT PRIMUM.

De Postulatione.

PARAGRAPHUS I.

De postulationis natnra, divisione, causa, & effectu.

198. QUid sit, seu qualiter definienda postulatio propriè ac strictè talis.

199. *An, & in quo potissimùm differat postulatio ab electione.*

200. *Qualiter postulatio differat à nominatione.*

201. *Quotuplex sit postulatio.*

202. *Quis sit finis, & causa motiva postulationis solennis.*

203. *Quis sit effectus postulationis.*

PARAGRAPHUS II.

De modo, seu forma faciendæ & publicandæ postulationis, & de consensu postulati.

204. AN, *& qualiter postulatio facienda dependeat ab electione.*

205. *An forma eligendi per scrutinium præscripta* in c. quia propter. de elect. *servanda quoque sit in postulatione solenni.*

206. *Quæ formæ postulandi sint jure prohibitæ, ita ut, si sub illis facta sit postulatio, ea ipso jure sit irrita.*

207. *An saltem fieri possit postulatio sub hac forma:* Eligo, & postulo, prout meliùs de jure valere potest; *dum dubitatur, an quis sit eligendus, an postulandus.*

208. *An, & quale esse debeat decretum postulationis scriptum, quod ad superiorem, potentem admittere postulationem, transmittitur.*

209. *Quot requirantur suffragia postulantium, ut postulatio sit valida, & a Superiore admittenda.*

210. *Quid, si postulatio facta à duabus partibus, sed quæ postulârunt indignum.*

211. *An, & qualiter postulatio sit nulla, dum aliquis vocandus contemptus fuit.*

212. *An, & qualiter postulantes variare possint, & resilire à postulatione jam facta.*

213. *Quid si postulatus fecit impensas aliquas de consensu postulantium, an tenebuntur postulantes eas refundere, dum à postulatione recedunt.*

214. *An, & qualiter postulatio jam facta sit publicanda.*

215. *An, & intra quod tempus postulantes teneantur præsentare postulato postulationem de eo factam, & hic explicare mentem suam circa illam.*

216. *An, & qualiter postulatus consensum suum postulationi suæ debeat, aut possit præstare.*

PARAGRAPHUS III.

De iis, qui postulare, & postulari possunt.

217. QUinam postulare possint.

218. *Quinam postulari possint, vel non possint.*

219. *Quæ sint pœnæ postulantium scienter indignum ob impedimentum seu defectum absolutè indispensabilem.*

220. *An, dum capitularium aliqui ob dictam causam ipso facto privati sunt potestate eligendi, tota hæc potestas ad alios, qui indignæ tali postulationi non consenserunt, sed expressè contradixerunt, licèt numero sint pauciores, devolvatur.*

221. *An Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, &c. eligi nequeant, sed debeant postulari ad aliam Ecclesiam.*

222. *Quid in hoc puncto dicendum de Cardinalibus non Episcopis.*

223. *Quid dicendum de aliis Prælatis, tam regularibus, quàm sæcularibus, Episcopo inferioribus, putà Abbatibus, Archidiaconis, Præpositis, Prioribus, dum ad alterius Ecclesiæ dignitatem similem vel majorem sunt assumendi.*

224. *Quid dicendum de clericis non prælatis unius diœcesis assumendis ad dignitatem alterius diœcesis.*

225. *Quid dicendum de religiosis assumendis ad prælaturas intra vel extra suum Ordinem.*

226. *An, qui non est de corpore, seu capitulo, aut conventu Ecclesiæ vacantis, sed alterius, necessè habeat postulari, ita ut eligi nequeat in ejus prælatum.*

227. *An invalidè electus ob defectum, quo laborabat, postulari dein possit.*

PARAGRAPHUS IV.

De admissione postulationis.

228. AD quem dirigenda postulatio, seu à quo petenda ejus admissio.

229. *An teneatur Superior admittere postulationem de cæterò idonei factam legitimè, hoc est, vel unanimiter, vel à duabus partibus Capituli.*

230. *Qualiter ad admissionem postulationis procedere possit ac debeat Superior, & quâ formâ uti in ea, vel etiam in rejectione postulationis.*

231. *An, & qualiter postulatus administrare possit prælaturam, antequam ejus postulatio admittatur.*

CAPUT SECUNDUM.

De Electione.

PARAGRAPHUS I.

De electionis natura.

232. QUotupliciter usurpetur electionis nomen.

233. *Qualiter electio accepta in strictissima sua significatione definiatur.*

234. *In quibus electio strictissimè talis distinguatur à collatione.*

235. *In quibus differat electio à præsentatione.*

236. *Qualiter electio differat à nominatione.*

PARAGRAPHUS II.

De iis, ad quos spectat eligere, sive jure ordinario, sive speciali.

237. *A Quibus, & quomodo olim electi Episcopi.*

238. *Ad quos spectato jure communi per se primò & directè spectet electio Prælatorum.*

239. *Quid hic intelligatur nomine Collegii Ecclesiastici.*

240. *Quot personæ requirantur ad constituendum primò collegium, conferendáque congregationi alicui jura collegii.*

241. *Quot personæ sufficiant ad collegium jam constitutum, ejúsque jura conservanda.*

242. *An jus eligendi competat ei, qui verè nactus non est quasi dominium beneficii, sed solùm possessionem cum bona fide, adeóque est solùm in possessione juris eligendi.*

243. *An jus eligendi Prælatum aliis quoque clericis, qui de collegio non sunt, competere possit.*

244. *An saltem id vi privilegii vel consuetudinis competere possit clericis extraneis.*

245. *An ex pacto, seu voluntate eorum, ad quos jus eligendi spectat, clericis extraneis communicari possit potestas eligendi.*

246. *An laicis secularibus competere possit jus eligendi Prælatos Ecclesiasticos ex privilegio.*

247. *An id illis competere quoque possit ex consuetudine.*

248. *An id illis competere possit ex pacto.*

249. *An electio celebrata à clericis unà cum laicis sit irrita.*

250. *Penes quos sit jus eligendi, dum capitulares scienter elegerunt indignum, adeoque pro ea vice privati sunt potestate eligendi.*

251. *An illa pœna privationis, adeoque devolutio juris eligendi non incurratur, nisi postquam ex votis eligentium scienter indignum, aut aliàs illegitimè formatum est publicum & capitulare decretum electionis, seu subsecuta electio communis.*

252. *An capitulares, ad quos propter delictum aliorum eligentium indignum, tota potestas eligendi pro ea vice devoluta est, possint, si velint, illos voce privatos admittere ad novam electionem.*

253. *Quid si aliqui eligentium indignum, id fecerunt ignoranter, an electio facta à ceteris eligentibus dignum, dum hi constituunt minorem numerum suffragantium, valebit, & promulgari possit.*

PARAGRAPHUS III.

De iis, qui etsi spectent ad collegium, prohibentur tamen eligere.

254. *QUinam jure naturæ eligere vetentur.*

255. *Quid in hoc puncto dicendum de impubere.*

256. *Quid in hoc puncto sit circa surdos & cæcos.*

257. *An in Electore requiratur Ordo sacer.*

258. *Quid si initio vacationis Ecclesiæ canonicus non sit in sacris, possit tamen esse in iis intra tempus constitutum electioni.*

259. *Quid dicendum in hoc puncto de eo, qui ex dispensatione Papæ, vel etiam absque ea, ante legitimam ætatem fuit ordinatus subdiaconus.*

260. *An dispensatus à Papa super ætate necessaria ad canonicatum eo ipso sit dispensatus, ut etiamsi non sit in sacris, possit habere vocem in electione.*

261. *An legitimè absenti competat jus suffragii.*

262. *Quinam in præsenti materia habeantur adhuc pro præsentibus.*

263. *An absentes, præciso privilegio vel consuetudine legitimâ, validè ferant suffragium per literas.*

264. *Quando absens suffragium suum ferre possit per procuratorem.*

265. *An potestas eligendi in absentia per procuratorem competat etiam regularibus.*

266. *Qualis debeat esse procurator ad eligendum.*

267. *Quid agere vel non agere quoad electionem possit procurator.*

268. *An absens plures procuratores constituere possit, & quis eorum admittendus.*

269. *An excommunicato excommunicatione minore competat jus suffragii.*

270. *An illud quoque competat excommunicato excommunicatione majore, notorio quidem, tolerato tamen.*

271. *An nihilominus excommunicatus excommunicatione majore, toleratus tamen, possit per exceptionem repelli ab eligendo, quid efficacia habeat hæc exceptio, & qualiter instituenda.*

272. *An notoriè excommunicato non tolerato competat jus suffragii.*

273. *An ipso facto irrita sit electio, si talis excommunicatus scienter admittatur ad coeligendum.*

274. *Quid si excommunicatus notoriè, non toleratus, non possit sine gravi periculo vel scandalo, similémve ob causam expelli ab electione.*

275. *An excommunicatus talis occultus adhuc, quia potest tergiversatione adhuc aliquâ excommunicationem suam celare, etsi Electores conscii de illius excommunicatione certi sint, quòd illam possint in judicio probare, possit vi ejici ab electione, & sic ejectus nequeat agere pro cassanda electione.*

276. *An suspensus possit eligere validè.*

277. *An personaliter interdictus sit privatus jure & facultate eligendi, & hinc eligat invalidè.*

278. *An irregularis ex delicto sit privatus facultate eligendi.*

279. *An infamis eligat validè.*

280. *Quando quis censeatur ita privatus voce activâ, ut reverà invalidè eligat.*

PARAGRAPHUS IV.

De pœnis eligentium illegitimè vel indignum.

281. *QUæ sit pœna eligentium illegitimè, seu non servato modo vel formâ eligendi præscriptâ à SS. Canonibus.*

282. *Quæ sint pœnæ Electorum admittentium laicos ad coeligendum.*

283. *Quæ sit pœna electi consentientis tali electioni.*

284. *Quæ sint pœnæ scienter, aut ex crassa & affectata ignorantia eligentium indignum.*

285. *An, qui aliquem eligit ad Prælaturam, in qua obtinenda scit eum commisisse simoniam, præter dictas pœnas adhuc incurrat aliam.*

PARAGRAPHUS V.

De qualitatibus eligendorum.

286. *AN ipso jure privatus voce passivâ, vel redditus inhabilis, ante sententiam declaratoriam criminis possit ab electione excludi vi, & impediri, ne eligatur.*

287. *An Electores præcisè ratione privationis vocis passivæ nondum declaratæ per sententiam, teneantur in conscientia talem concludere, intellige negativè, nempè eum non eligendo.*

288. *An inhabilis ipso jure, aut privatus ipso jure voce passiva ante sententiam declaratoriam, teneatur in conscientia non consentire electioni aut confirmationi; vel si consenserit & receperit Prælaturam, teneatur illi renunciare.*

289. *An is, qui semel rejectus ab electione, seu cujus electio ob proprium vitium personæ electæ cassata, maneat deinceps ubique ineligibilis.*

290. *An talis igitur maneat perpetuò ineligibilis.*

291. *An, dum simpliciter cassata fuit prior electio, nullà redditâ ratione cur cassetur, an ex vitio personæ electæ, an ex vitio formæ, maneat infamis & ineligibilis.*

292. *An electio cassata vitio electionis noceat electo.*

293. *An valida sit & licita electio extranei, seu qui non est de gremio Capituli vel conventûs, aut respectivè de civitate, diœcesi, Provincia.*

294. *An Superior, ad quem jure devoluto, vel etiam ordinario, pertinet conferre beneficium vel Prælaturam, possit illam conferre extraneo.*

295. *Quid sit in hoc circa Prioratus aliáque beneficia regularia, unita vel incorporata alicui monasterio, abbatiæ, &c.*

296. *An valida sit electio sui ipsius.*

297. *An ad hoc, ut eligi quis possit in Superiorem regularem, requiratur clericatus.*

298. *An, ut quis eligatur vel promoveatur in Prælatum vel Superiorem regularium, necessè sit esse professum, & quidem expressè in eadem religione, ita ut aliàs electio vel promotio sit ipso jure nulla.*

299. *Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in Prælatum religionis.*

PARAGRAPHUS VII.

De vocandis ad Electionem.

300. *Cujus de jure vel consuetudine sit convocare Electores.*

301. *Quinam vocandi sint ad electionem.*

302. *Quinam intelligantur per eos, qui debent interesse electioni.*

303. *Quid intelligatur per hoc, qui volunt interesse.*

304. *An, præscindendo à consuetudine vel statuto pœnali, liberum sit interesse electioni, ferre, vel non ferre suffragium.*

305. *Quinam intelligantur per eos, qui commodè interesse possunt.*

306. *An, cessante gravi damno Ecclesiæ, vocandi sint absentes omnes ex omni loco & distantia.*

307. *An vocandus, qui renunciavit voci activæ.*

308. *An Canonicus factus novitius alicujus Ordinis adhuc retinens Canonicatum suum, vocandus sit ad electionem, ubi non nimis remotus est à loco electionis.*

309. *An vocandi sint electores inhabiles.*

310. *An de jure vocandus, vocatus exspectandus sit ultra terminum præfixum.*

311. *Quid quoad electionem facere possint præsentes, aliis præfixo tempore non comparentibus, vel abeuntibus è capitulo.*

312. *Qualiter vocales sint vocandi.*

313. *Propter quid necessaria sit absentium vocatio, & an quandoque cesset necessitas illa vocandi absentes de cæterò habiles, & sine magno incommodo vocabiles.*

314. *An electio facta non vocatis omnibus vocandis sit ipso jure nulla.*

315. *An, & qualiter vocandus non vocatus habeat jus agendi de contemptu sui.*

316. *An non vocatus, seu contemptus cogi possit, ut consentiat electioni factæ; & an Superior regularis subdito suo prohibere possit, ut non agat de contemptu.*

317. *Ad quem spectet probare, an aliquis contemptus, vel non contemptus fuerit.*

318. *An ad vitandam actionem de contemptu sufficiat probare, quòd præses ex parte sua bonâ fide & modo consueto vocarit vocandum, licèt hic reipsa vocatus non fuerit.*

319. *An dum ad instantiam contempti cassatur electio, ea devolvatur ad Superiorem.*

PARAGRAPHUS VIII.

De loco Electionis.

320. *In quo loco fieri debeat electio.*

321. *An electio facta sine rationabili causa extra fines Ecclesiæ propriæ, vel locum aliàs consuetum sit jure ipso irrita, vel saltem irritanda.*

322. *An teneat electio facta in loco interdicto.*

323. *An, & quæ electio habita in locis occultis sit clandestina, & an propterea ipso jure nulla.*

PARAGRAPHUS IX.

De tempore Electionis.

324. *An Ecclesiâ necdum viduatâ Prælato suo, eligi possit successor, aut saltem institui tractatus de eo eligendo.*

325. *A quo momento censeatur vacare prælatura.*

326. *Quando incipiat tempus Electoribus à jure statutum ad eligendum.*

327. *Num ante sepulturam Prælati defuncti fieri possit electio successoris.*

328. *Quantum temporis habeant Electores præfixum ad eligendum.*

329. *An, & qualiter impeditis hoc tempus currat.*

330. *An, si imminente ultimâ die temporis ad eligendum præfixi, major pars capituli renuat eligere, adeóque jus eligendi sit penes minorem partem, minor pars teneatur exspectare majorem partem, usque post prandium istius diei.*

331. *An tempus præfixum à jure ad eligendum possit restringi.*

332. *An, & qualiter, præfixo termino eligendi neglecto, devolvatur electio ad superiorem.*

333. *An electio fieri possit de nocte.*

PARAGRAPHUS X.

De constituendis scrutatoribus secretò, & modo scrutinii.

334. *Quas partes seu actus particulares complectatur forma electionis per scrutinium.*

335. *An repugnet textui* c. quia propter. *adeoque per hoc electio invalidetur, si electorum aliqui non assumpti ad id seipsos ingerant muneri scrutatorum.*

336. *A quo scrutatores assumendi.*

337. *Qualiter scrutatores assumendi.*

338. *Unde assumendi scrutatores.*

339. *Quot assumendi scrutatores.*

340. *Quales esse debeant scrutatores.*

341. *An ad scrutandum vota Electorum, aliúmve*

actum

PARAGRAPHUS XI.

De publicatione ſcrutinii, & electione communi.

PARAGRAPHUS XII.

De electi conſenſu & inſtrumento, ſeu ſcriptura electionis.

PARAGRAPHUS XIII.

De Electione per compromiſſum, & communem inſpirationem.

398. *An*

398. *An Electores possint revocare commissionem datam compromissariis.*

399. *An compromissum sit validum, si compromissarii eligantur à Superiore, vel ab uno aliquo capitulari reliquis tacentibus, & non repugnantibus.*

400. *An, ubi unus solus est compromissarius, is possit seipsum eligere.*

401. *An, ubi compromissarii sunt plures, possint eligere unum ex se ipsis.*

402. *An, si major pars compromissariorum eligit scienter indignum, minor verò pars, vel etiam unus solus dignum, valeat hujus minoris partis electio; an verò cesset compromissum, & electio redeat ad electores.*

403. *An, si electus per compromissum non consentiat electioni, facultas eligendi redeat ad Electores.*

404. *An compromissarii possint eligere extraneum.*

405. *An, si ipse confirmator sit compromissarius, possit uno eodémque actu eligere vel confirmare.*

406. *An regulares possint compromittere in Superiorem.*

407. *Quæ sint de substantia electionis per communem inspirationem.*

408. *An sit electio per communem inspirationem, si unus Elector sit absens & contemptus.*

409. *An sit electio per communem inspirationem, si quis consensit ex primo impulsu motus, dum adhuc potest variare votum, pœniteat, & votum mutet.*

410. *An eligi possit per hanc electionem vocalis præsens electioni.*

411. *An electio per communem inspirationem egeat confirmatione.*

CAPUT TERTIUM.

De Confirmatione Electionis.

PARAGRAPHUS I.

De natura & necessitate confirmationis.

412. *AN, & qualiter confirmatio quandoque cum institutione, collatione, & ipsa electione confundatur.*

413. *An, & qualiter confirmatio distinguatur ab electione.*

414. *Quid sit, seu qualiter definiatur confirmatio propriè talis.*

415. *Quotuplex sit confirmatio.*

416. *An electus petere teneatur confirmationem.*

417. *An valeat consuetudo, ut Prælatus electus nullam teneatur petere confirmationem.*

418. *An omnis electio egeat confirmatione, & in specie, quid de hoc dicendum de electione Papæ, electione factâ unanimiter, & per Divinam inspirationem.*

419. *An, & qualiter confirmatio sit actus necessarius.*

420. *Quid faciendum, ubi is, qui habet confirmare, non vult confirmare.*

421. *An superior potens non confirmare, etiam electionem legitimè factam de persona aliàs habili, dum negat confirmationem, teneatur edicere & probare causam à se negatæ confirmationis.*

422. *An, & qualiter confirmatio sit actus jurisdictionis & judicialis.*

PARAGRAPHUS II.

De virtute confirmationis, déque eo, quid possit, vel non possit electus ante & post confirmationem.

423. *QUæ sit virtus confirmationis in ordine ad supplendos & sanandos defectus commissos in electione.*

424. *Quid operetur, seu quid juris ultra id, quod electo per electionem quæsitum, tribuat confirmatio.*

425. *An, & qualiter legitimè electus ante confirmationem habeat jurisdictionem, seu potestatem administrandi ea, quæ sunt Prælaturæ, saltem in habitu, seu in actu primo.*

426. *An, & qualiter legitimè electus, postquam electioni consensit, administrare actu possit ante confirmationem tanquam principalis.*

427. *An saltem ut œconomus, vel ut procurator similive titulo non principali possit administrare.*

428. *An solùm lege positivâ humanâ, an verò etiam lege Divinâ vetita sit administratio ante confirmationem, & opus eâ ad administrandum.*

429. *An per legitimè electum gesta ante confirmationem sint nulla.*

430. *An lex illa de non administrando ante confirmationem, præcipuè contenta* in c. nôsti. c. qualiter de elect. & c. avaritiæ, de elect. in 6. *sit universalis, extendens se ad omnia beneficia, & omnes dignitates.*

431. *An lex illa vetans administrare ante confirmationem nullas patiatur exceptiones; sive an nulli electi id possint, & si qui id possint, quinam illi.*

432. *An vi* cap. nihil. *potestas administrandi ante confirmationem competat quoque dictis prælatis extra casum necessitatis; item aliis Prælatis Papæ immediatè non subjectis.*

433. *Quid, si igitur postea ob defectum repertum rescindatur electio talis electi administrantis ex concessione* c. nihil. *an gesta per illum adhuc manebunt valida.*

434. *An legitimè electus ante confirmationem accipere possit possessionem, & electus in vim* c. nihil. *administrans ante confirmationem per hoc sit in possessione Prælaturæ.*

435. *Quænam sint pœnæ legitimè electorum citra necessitatem aut concessionem à* c. nihil. *administrantium ante confirmationem.*

436. *An præter pœnam privationis juris quæsiti propter administrationem usurpatam ante confirmationem incurratur quoque & alia pœna.*

437. *An, & qualiter legitimè electus, qui ex potentia principis sæcularis se ingessit administrationi ante confirmationem, incurrat dictas pœnas.*

438. *An, & qualiter confirmati, necdum obtentis literis confirmationis, possint administrare.*

439. *Quæ pœna statuta in committentes contra* Extrav. injunctæ de elect.

440. *An, & quid quoad hoc punctum non administrandi ante confirmationem constitutum sit contra regulares.*

441. *An prælati, qui non providentur aut confirmantur per Sedem Apostolicam, sed ab inferioribus confirmati vel instituti, ante tamen literas suæ confirmationis aut institutionis obtentas, accipere possint possessionem, & se administrationi ingerere.*

442. *An confirmatus sine accepta possessione Prælaturæ vel beneficii possit administrare, & an dictam possessionem accipere possit literis necdum expeditis aut ostensis.*

443. *An, & qualiter administrare possit Episcopus post obtentas confirmationis suæ literas ante consecrationem.*

444. *An, & quid speciale sit in hoc puncto circa Archiepiscopos.*

445. *An, & qui Abbates ante benedictionem administrare possint.*

PARA-

PARAGRAPHUS III.

De iis, à quibus petenda confirmatio, déque tempore ac loco ejus petendæ ac dandæ.

446. *AN ipsi electi confirmationem suæ electionis petere possint.*
447. *An petí quoque per alios possit confirmatio electi, & quid in specie sit in hoc circa Electores.*
448. *An sufficiat, electum vel Electores petere electionem declarari canonicam.*
449. *An electus ad eandem Ecclesiam vel prælaturam duabus diversis electionibus, utramque prosequendo, petere possit confirmationem.*
450. *Intra quod tempus petenda confirmatio.*
451. *Qualiter ad evitandas pœnas statutas negligentibus petere confirmationem, debeat probari impedimentum petendi.*
452. *Quæ pœna statuta negligentibus petere confirmationem intra tempus præfixum ad petendum.*
453. *An, & qualiter per negligentiam electi in petendo, & hinc evacuatâ electione jus remaneat Electoribus procedendi ad novam electionem.*
454. *An Superior possit abbreviare illud trimestre à jure communi datum ad petendam confirmationem, electúmque compellere ad citiùs eam petendam.*
455. *An, & qualiter trimestre illud concessum à Gregorio X.* in c. quam sit. *restrictum sit per Nicolaum III.* in c. cupientes. de elect. in 6.
456. *Intra quod tempus danda confirmatio.*
457. *In quo loco dari, seu fieri possit confirmatio.*
458. *An electus confirmari possit per Superiorem existentem extra suum territorium.*

PARAGRAPHUS IV.

A quibus, & quibus danda confirmatio.

459. *A Quo petenda, & danda confirmatio.*
460. *A quo hodiedum confirmandi sint Episcopi, ubi viget adhuc mos eos eligendi.*
461. *A quo accipienda confirmatio Abbatum, Præpositorum, similiúmque Prælatorum regularium.*
462. *A quo accipienda confirmatio Abbatissarum, Priorissarum, similiúmque antistitam monialium.*
463. *An, & qualiter potestas confirmandi competat capitulo sede vacante.*
464. *Ad quem jure devoluto spectet confirmatio.*
465. *An confirmator ordinarius, pendente lite super jure electionis, vel etiam ubi appellatum est ab electione, confirmare possit electum.*
466. *An, dum Papa provisionem, electionem, confirmationem reservavit sibi, & ante emanatam hujusmodi particularem reservationem ad electionem processum fuit, adeoque valida fuit electio, validè dein possit confirmari post emanatam illam reservationem ab inferiore, nihil sciente de illa reservatione.*
467. *An confirmandus electus in discordia.*
468. *An confirmari possit, cujus electio facta per abusum sæcularis potestatis.*
469. *An electus invitus confirmari possit.*
470. *An confirmari possit electus, qui à confirmatore præsumitur malè recturus.*
471. *An, & qualiter confirmari possit indignus.*
472. *Quas pœnas incurrat confirmans indignum.*
473. *An confirmator cassare possit electionem digni legitimè factam.*
474. *An confirmari possit dignus, præterito digniore.*
475. *An confirmari possit infamis infamiâ facti, quia notoriè inquisitus aut accusatus de gravi crimine, & de eo apud viros graves diffamatus.*

PARAGRAPHUS V.

De causis, modo, ac forma procedendi ad confirmationem.

476. *AN, & qualiter confirmatio requirat causam, & causæ cognitionem.*
477. *An confirmatores regulares quoque teneantur præmittere inquisitionem de electionis processu, electique idoneitate confirmationi suorum regularium.*
478. *An hæc necessitas præmittendi dictam inquisitionem, & pœna statuta negligentibus illam extendat se ad omnem confirmationem, etiam electionum ad simplicia beneficia.*
479. *Quas pœnas incurrat confirmator omittens hanc inquisitionem, aut negligenter se in ea habens.*
480. *Quid circa electionem inquirere, unde, & qualiter se informare debeat confirmator.*
481. *In quas qualitates electi confirmator teneatur inquirere.*
482. *An, dum nullum est de defectu electi indicium, nullus rumor; quin & publicato edicto, nullus comparet contradictor, nihilominus adhuc debeat fieri inquisitio in electi qualitates.*
483. *An opus adhuc dictâ inquisitione in mores & vitam electi, ubi ejus idoneitas notoria.*
484. *Qualiter sumenda illa informatio super valore electionis, & electi qualitatibus, an judicialiter, an extrajudicialiter; an inquirendo specialiter, an generaliter.*
485. *An etiam sufficiat notitia extrajudicialis, seu quòd se informet extrajudicialiter, dum vult cassare electionem.*
486. *An possit confirmator in confirmando, vel cassando electionem uti notitiâ privatâ.*
487. *An, & qualiter, antequam procedatur ad confirmationem, citandi habentes interesse.*
488. *An, & qualiter audiendus oppositor, qui venit post terminum in edicto statutum, & confirmationem.*
489. *An necessariò citandus electus, ubi ejus cassanda electio.*
490. *An necessarius assensus, aut consilium Capituli, aut alterius, ut Superior confirmet electionem.*
491. *Ubinam, seu apud quos fieri debeat hoc examen, seu inquisitio de vita & moribus electi.*
492. *An prælatus examinatus, & dein electus ad aliam prælaturam, iterum sit examinandus.*
493. *Quis modus examinandi electum in Episcopum.*
494. *An confirmatio requirat certam formam.*
495. *An confirmatio habeat se ut sententia diffinitiva.*

PARAGRAPHUS VI.

De appellatione à confirmatione, ejúsque annullatione.

496. *AN à confirmatione judicialiter data detur appellatio judicialis, seu propriè dicta, habens utrumque effectum devolutivum & suspensivum.*
497. *An liceat quoque appellatio à decreto confirmationis, aut cassationis extrajudicialis.*
498. *An excipi possit contra electionem confirmatam.*
499. *Quinam possint appellare à confirmatione.*
500. *An Electores appellare possint à cassatione electionis, dum conceditur iis nova electio.*
501. *An, & qualiter quilibet electorum, vel etiam aliorum de collegio, conventu, communitate appellare possit à confirmatione vel cassatione electionis.*
502. *An Electores validè appellare possint à cassatione electionis legitimæ, ubi electus non habet jus ad confirmationem.*
503. *An Electores agere possint in judicio appellationis pro confirmatione electionis cassatæ, electo secum non agente.*
504. *An, ubi electus non habet jus ad petendam* con-

confirmationem ex speciali quodam statuto, nec tamen etiam confirmatione privatus possit appellare à cassatione electionis, dum ea cassatur ex defectu electi.

505. *An, ubi confirmator in decreto confirmationis nullam assignat causam cassationis electionis, vel assignat in confusa per clausulam,* ex causis nobis benè visis, *electus, qui non habet aliàs jus ad confirmationem, possit appellare à tali decreto.*

506. *An, & quo jure electio facta pendente appellatione, etiam extrajudiciali interposita à cassatione prioris electionis, sit attentata; & an, si confirmetur, hæc secunda electio, tamen ea, quàm confirmatio ejus, saltem justificatâ appellatione, sit cassanda.*

507. *Quàm vim habeat lex positiva, statutum vel privilegium circà appellationem prohibendam, vel impediendam.*

508. *An regularibus liceat appellare à confirmatione, vel cassatione electionis.*

509. *An ab electione possit appellari immediatè ad prælatum mediatum, præterito Superiore immediato, ad quem aliàs spectat confirmatio, ita ut is eam tunc confirmare aut cassare nequeat.*

510. *An religioso appellante à cassatione electionis suæ, monasterium vel ordo teneatur ad expensas factas, aut faciendas in prosecutionem appellationis in ordine ad consequendam prælaturam.*

511. *An confirmatione existente nulla seu annullata perimatur quoque electio, seu ea reddatur quoque nulla.*

SECTIO TERTIA.

De provisione & receptione beneficiorum per liberam collationem, ac eorundem possessione.

CAPUT PRIMUM.

De primario Collatore, sive Papa.

PARAGRAPHUS I.

De potestate Papæ in collatione beneficiorum, tam absoluta quàm respectiva ad alios collatores.

512. *QUanta & qualis sit Potestas Papæ in beneficiis Ecclesiasticis.*

513. *Quotuplice jure Papa providere possit ac soleat beneficia dissita in quibusvis diœcesibus ac provinciis.*

514. *An prævaleat collatio Papæ conferentis jure consensûs, præveniendo Ordinarium conferentem idem beneficium, & an hoc jure sæpè utatur.*

515. *Undè dignoscendum, Papam contulisse mero jure concursûs.*

516. *An, ut præventio papalis valeat in mensibus ordinariis Ordinariorum, & in mensibus alternativa concessa Episcopo, opus sit, ut Papa expressè deroget juri & privilegio illi Ordinariorum.*

517. *An Papâ præveniente provisionem Cardinalium, habentium indultum conferendi omnia suæ diœcesis beneficia, valeat papalis provisio sine expressa derogatione dicti indulti.*

518. *Cujusnam provisio prævaleat, concurrente provisione Ordinarii cum Apostolica, dum constat, ambas factas eâdem die, non tamen constat, quæ sit anterior.*

519. *Qualiter de cætero constet, & probetur, Ordinarium prævenisse Papam.*

520. *An, & qualiter conferendo beneficia, censeatur illorum naturam immutare.*

521. *Qualiter Papa de beneficio viventis provideat.*

PARAGRAPHUS II.

De reservatione beneficiorum facta à Papa, ac primò quidem de reservatione in genere.

522. *QUid sit reservatio.*

523. *In quo reservatio differat ab affectione, & beneficia reservata ab affectis.*

524. *Quotuplex sit reservatio.*

525. *Quæ sint causæ reservationum.*

526. *Quandonam reservationes cœperint.*

527. *Quis sit effectus & vis reservationis.*

528. *An reservatio dicenda sit favorabilis, an odiosa.*

PARAGRAPHUS III.

De reservatione clausa in corpore juris.

529. *AN dentur plures reservationes clausæ in corpore juris, & quænam illæ.*

530. *Quid veniat nomine Curiæ Romanæ, & Sedis Apostolicæ: & quæ beneficia dicantur vacare apud Sedem Apostolicam, vel in Curia Romana.*

531. *An omnis reservatio consurgens ex vacatione apud Sedem Apostolicam, vel in Curia Romana clausa sit in corpore juris*

532. *An dum Papâ, non translata Curia, aliò abeunte recreationis vel negotii causâ, beneficiatus aliquis moritur ibidem apud Papam, aut in vicinia ad duas dietas, beneficium illius sit reservatum tanquam vacans apud Sedem Apostol. seu Curiam Rom.*

533. *Qualiter* cap. licet. *temperatum sit per* cap. statutum, de præb. in 6 *& an hodiedum iterùm derogatum sit dicto* cap. statutum.

534. *An omnia beneficia vacantia per obitum apud Sedem Apostol. comprehendantur in reservatione* cit. cap. licet.

535. *Qualiter* cit. cap. licet. *extendatur per* cap. de præsenti.

536. *An, & quare personæ aliquæ, etsi decedant in locis ultrà duas dietas à Sede seu Curia, dicantur adhuc decedere in Curia seu apud Sedem, adeoque eorum beneficia sint reservata reservatione illa* c. licet.

537. *Quinam in ordine ad dictum effectum reservationis dicantur Curiales, & qualiter ad declinandum hunc effectum censeatur dimissa curialitas.*

538. *In quo consistat specialis prærogativa & dignitas hujus reservationis.*

PARAGRAPHUS IV.

De reservationibus inductis per regulas cancellariæ, ac primò quidem de inductis per regulam primam.

539. *QUid sint hæ regulæ, & undè ortum ducant.*

540. *Qualiter hæ regulæ obligent, & obligare desinant.*

541. *Qualiter hæ regulæ, ut ligent, seu jus faciant extra Curiam, & sententia juxta eas lata subsistat, sint producendæ.*

†† 542.

542. *An, & quando derogetur regulis cancellariæ per alias conſtitutiones, ordinationes, vel reſcripta Apoſtolica.*
543. *Quænam reſervationes contineantur in prima regula cancell.*
544. *Reſervationes illæ contentæ in* Extrav. ad regimen *&* Extrav. Execrabilis, *ut intrent, qualiter probandum ſit factum, ex quo illæ reſultant, ab eo, qui hujuſmodi beneficia reſervata impetrat à Papa.*

PARAGRAPHUS V.

De reſervationibus contentis regulâ ſecundâ & tertiâ.

545. *QUæ beneficia reſerventur per regulam 2.*
546. *Quæ beneficia reſerventur per regulam 3.*
547. *Quid limitationis vel extenſionis adjiciatur regulæ iſti tertiæ, aut quid ſpecialiùs diſponatur per regulam trigeſimam, aut aliàs trigeſimam primam, quæ eſt de impetrante beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium.*

PARAGRAPHUS VI.

De reſervationibus contentis regulâ quartâ, quintâ, ſextâ, & ſeptimâ.

548. *QUæ reſerventur per regulam 4.*
549. *Quænam beneficia reſerventur per regulam 5.*
550. *Quæ reſerventur per regulam 6.*
551. *Quænam reſerventur per regulam 7.*

PARAGRAPHUS VII.

De regula 8. quæ dicitur reſervatoria menſium, ac imprimis de prima ejus parte.

552. *AN regula hæc ſit eadem cum illa, quæ olim vocabatur regula de menſibus.*
553. *Quæ origo, & quis proceſſus hujus regulæ.*
554. *Quæ ſint partes hujus regulæ.*
555. *Quæ ſit ratio ſeu cauſa finalis hujus regulæ.*
556. *Cùm regula utatur verbis omninò univerſalibus, an ergò nulla ab hac reſervatione eximantur beneficia.*
557. *An eximantur quoque ab hac regula beneficia noviter erecta, debita conferri certo generi perſonarum, monocularia, dignitates majores & minores, reſervata, vacantia de facto, & vacantia de jure.*
558. *An quoque quædam alia, quæ minùs propriè rationem beneficii habere videntur, (ut ſunt penſiones, præſtimonia, commenda, coadjutoria) comprehendantur hac regula.*
559. *Dum regula hæc excipit beneficia vacantia per reſignationem, de qua reſignatione loquatur.*
560. *Cùm per hanc regulam à reſervatione excipiantur beneficia ſpectantia ad proviſionem Cardinalium, de quibus Cardinalibus, & de quibus beneficiis id intelligendum.*
561. *A quo tempore computentur incipere, & finiri menſes reſervati, & Ordinarii.*
562. *Quid in dubio, in quo menſe beneficium vacaverit.*
563. *Quid ergò, ſi certum ſit, beneficium vacâſſe in menſe ordinario, an Ordinarius conferre illud potuerit in menſe apoſtolico.*
564. *Dum regula hæc ſub nullitate gratiæ expreſſè vult, ut in ſupplicatione, & quavis impetratione, & conceſſione beneficiorum per ipſam reſervatorum fiat mentio menſis, in quo vacavit beneficium, qualiter hæc mentio facienda.*
565. *Quâ ratione per hanc regulam derogetur obſtaculis hujus reſervationis menſium.*

PARAGRAPHUS VIII.

De altera regulæ 8. parte, hoc eſt, de alternativa conceſſa Epiſcopis.

566. *QUæ, ſeu qualis ſit hæc gratia alternativa.*
567. *An gratia alternativa tollat reſervationem illam factam in prima parte regulæ de 8. menſibus.*
568. *An Junius & December, qui tam in prima parte regulæ, quàm in alternativa aſſignantur Ordinariis, & hinc menſes fixi dicuntur, cenſeantur conceſſi in gratiam alternativæ ſub eodem conditione, ſub qua in illa conceduntur reliqui 4. menſes, Februarius, Aprilis, &c.*
569. *Quandonam cœperit alternativæ uſus, & à quibus conceſſa.*
570. *Quibus hæc gratia alternativa conceſſa.*
571. *Quænam ſit mens & ratio hujus regulæ quò ad conceſſionem alternativæ.*
572. *Qualis debeat eſſe reſidentia Epiſcopi, ut regulæ ſatisfiat.*
573. *An proviſus ab Ordinario, fundans ſe in alternativa, obligationem habeat probandi inter cætera hanc veram & perſonalem reſidentiam Epiſcopi tempore vacationis beneficii.*
574. *Qualis requiratur acceptatio, & in qua forma ea facienda.*
575. *An valeat acceptatio alternativæ facta ab Epiſcopo excommunicato.*
576. *An, & qualiter acceptatio hæc alternativæ probanda.*
577. *A quo tempore incipiat alternativa habere effectum.*
578. *An antè notitiam Romæ acceptatæ & recognitæ acceptationis alternativæ Epiſcopus poſſit validè & licitè uti alternativâ, vel etiam 4. menſibus, aliàs extrà alternativam Ordinariis.*
579. *An Epiſcopus duarum Diœceſium, acceptando alternativam pro una, cenſeatur aut teneatur hoc ipſo etiam eam acceptare pro altera.*
580. *An, & qualiter miſſis jam literis, ſed nondum factâ dictâ recognitione Romæ: vel etiam ea jam facta poſſit Ordinarius pœnitere, & ſe ad jus commune reducere.*
581. *Ad quæ beneficia ſe extendat alternativa.*
582. *An, & qualiter ſe extendat alternativa ad beneficia, quæ ſpectant ad ſimultaneam collationem Epiſcopi & Capituli, dum convenit inter illos de collatione facienda per turnos.*
583. *Quandonam ceſſet gratia alternativæ citrà abuſum illius.*
584. *An, & qualiter amittatur alternativa per abuſum illius.*
585. *An Epiſcopus propter talem abuſum non ſolùm privetur alternativâ, ſed & 4. menſibus ordinariis, nempè Martio, Junio, Septemb. Decemb.*
586. *An dicta pœna incurratur ipſo jure ſine omni ſententia.*
587. *An ſaltem ad hoc, ut reipſa incurſa cenſeatur hæc pœna amiſſionis alternativæ, requiratur intimatio deſuper facta Papæ, ejuſdem declaratio ſeu acceptatio illius amiſſionis, ut hæc amiſſio ſortiatur effectum.*
588. *Qualiter ſubveniatur tali Epiſcopo, qui amiſit alternativam per abuſum, ſi eam iterùm habere velit, item proviſis ab illo.*

589. *An præter reservationes contentas in corpore juris, & regulis illis cancell. dentur reservationes quorundam aliorum beneficiorum.*

PARAGRAPHUS IX.

De reservationibus factis per concordata Germaniæ.

590. U*Nde hæc concordata.*
591. *Ad quas Ecclesias extendant se hæc concordata.*
592. *An ad hoc, ut concordata hæc obtineant, requiratur acceptatio, eáque sit libera, etiam hodiedum adhuc.*
593. *An præscriptione aut contraria consuetudine his concordatis derogari possit.*
594. *Quamdiu durent hæc concordata, & quamdiu quis in acceptatis comprehendi dicatur.*
595. *An, & qualiter Papa concordatis Germaniæ derogare possit, aut soleat.*
596. *An concordata hæc sint realia, an personalia.*
597. *An concordata tanquam favorabilia benignè sint interpretanda.*
598. *Quænam beneficia reserventur Papæ in his concordatis.*
599. *Quænam in specie præserventur collatorum ordinariorum dispositioni.*
600. *An concordata hæc ex eo, quòd sint perpetua, & non exspirent, sed vim etiam Sede Papali vacante habeant, vi illorum impediantur Ordinarii collatores conferre beneficia vacantia Sede Papali vacante.*
601. *Quænam præterea in dictis concordatis statuantur.*

PARAGRAPHUS X.

De reservatione resultante ex indulto precum primariarum.

602. Q*Uid sit indultum precum primariarum, & quid contineat.*
603. *Preces primariæ cur sic dictæ, & unde ortum habeant.*
604. *Quando & qualiter hoc indultum precum concedatur Imperatori, & à quo tempore is eo uti possit.*
605. *An cùm dictæ preces pertineant ad gratias exspectativas, adversentur SS. Canonibus, vel etiam Trid. reprobantibus & tollentibus quascunque exspectativas.*
606. *Ad quas terras seu provincias se extendant hæ preces.*
607. *Ad quæ beneficia se extendant hæ preces.*
608. *Ad quæ beneficia se non extendant hæ preces.*
609. *An, si precista nominatus sit ad beneficium simplex, possit illud acceptare, si fuerit interea erectum in curatum.*
610. *Ad quas personas extendant se hæ preces.*
611. *An Cæsar concedendo preces immutare possit naturam beneficii.*
612. *An Cæsar concedendo preces de novo apponere possit conditiones aliquas.*
613. *A quibus precista sint instituendi in beneficio, seu à quo ipsis conferendum beneficium, in ordine ad quod preces impetrantur, an is sit ordinarius collator, an Executor à Cæsare constitutus.*
614. *Executores precum harum à quo, & qualiter constituendi, & quæ eorum potestas.*
615. *An Executores harum precum possint exequi, seu nominatis conferre post obitum Imperatoris concedentis, re adhuc integra, hoc est, nullâ adhuc factâ acceptatione precistæ ad beneficium vacans, dum in vivis adhuc esset Papa.*
616. *Intra quod tempus hi Executores debeant exequi gratiam illam precum.*
617. *An Imperator hoc suum indultum precum cedere quoque possit alteri, ita ut ab hoc alio nominati frui quoque possint gratiâ precum.*
618. *An Imperator, postquam uni concessit preces, seu unum nominavit, possit à prima nominatione resilire, & nominare alium; vel etiam absque eo, quòd resiliat à primo, illi substituere alium, putà, dum precista est mortuus, vel renunciavit gratiæ.*
619. *Quid, si Cæsar pluribus simul conferat preces ad idem beneficium, quis præferendus.*
620. *An, & qualiter Cæsar simul, vel etiam successivè nominare possit eundem ad plura beneficia.*
621. *Intra quod tempus teneatur & possit precista acceptare beneficium, & quid si id negligat.*
622. *An collatores preces has sibi insinuatas admittere, & nulli alteri, quam precistæ beneficium conferre teneantur, & cogantur.*
623. *An Decanus & Capitulum, dum collatores non sunt, impedire possint precistam, denegando illi possessionem, dum missio in possessionem ad illos spectat, si iis constet de injustitia & defectu tituli.*
624. *Quænam in indulto precum contineantur clausulæ derogatoriæ eorum, quæ eidem indulto obstare possent.*
625. *An contra Cæsarem quoad has preces detur præscriptio, ita ut, si is hoc indulto non utatur, amittat illud.*
626. *An Papa idem, qui concessit, vel etiam ejus successor revocare possit preces.*
627. *Qualiter precista amittat factam sibi gratiam precum.*

PARAGRAPHUS XI.

De reservationibus ratione aliarum Exspectativarum.

628. Q*Uid sint exspectativæ, & quotuplicis generis.*
629. *Qua occasione, & à quo tempore introductæ.*
630. *An, & qualiter hodiedum sint sublatæ.*
631. *Qualiter hodiedum Papa se habeat circa concessionem hujusmodi exspectativarum.*
632. *In qua forma concedantur, & quale jus conferant.*
633. *Ad quæ beneficia vacatura se extendant.*
634. *An, si exspectativa concessa ad primum vacans, sortiri non possit effectum ad primum vacans, capiat secundo vacans.*
635. *Quæ exspectativa ex pluribus præferenda.*
636. *Qualiter habentes exspectativam ad beneficium aliquod, possint renunciare huic gratiæ, aut illam permutare.*
637. *Quando, & qualiter exspiret exspectativa.*
638. *Quandonam exspectativæ censeantur irritæ.*



CAPUT SECUNDUM.

De aliis Collatoribus inferioribus.

PARAGRAPHUS I.

De poteſtate Cardinalium in conferendis beneficiis.

639. *QUa beneficia Cardinales conferre poſſint jure ordinario.*
640. *An, & quale, & quotuplex ſit indultum Cardinalium conferendi beneficia.*
641. *Ad quæ beneficia conferenda extendant ſe indulta cardinalium.*
642. *Ad quæ beneficia ſe non extendant hæc indulta.*
643. *An, & qualiter Cardinalis poſt dimiſſum Epiſcopatum pergat ex indulto conferre beneficia.*
644. *An, & qualiter indultum conceſſum Cardinali Epiſcopo ſuffragetur etiam Capitulo habenti ſimultaneam collationem, vel electionem cum dicto Cardinale.*
645. *Qualiter derogetur indultis Cardinalium.*
646. *Qualiter ceſſent hæc indulta.*
647. *An aliquibus præter Cardinales hujuſmodi indulta conferendi reſervata concedi ſoleant.*
648. *An, & qualiter proviſi à Cardinalibus in conſequentiam indulti eis conceſſi teneantur ſibi novas proviſiones à Papa impetrare.*

PARAGRAPHUS II.

De poteſtate Legatorum Apoſtolicorum conferendi beneficia.

649. *QUotuplicis generis ſint Legati Apoſtolici.* 650. *An tam Legati nati & miſſi, quàm Legati de latere habeant poteſtatem conferendi beneficia.*
651. *Qualis ſit hæc Legatorum de latere poteſtas conferendi beneficia.*
652. *Ad quæ beneficia ſe extendat hæc Legatorum poteſtas ordinaria conferendi beneficia.*
653. *Quid plus quàm Ordinarii poſſit Legatus hac ſuâ ordinariâ poteſtate circa collationem beneficiorum.*
654. *Quæ non poſſit hâc poteſtate ordinariâ vel etiam extraordinariâ Legatus de latere circa collationem beneficiorum.*
655. *Qualiter Legatus de latere poſſit collationem beneficii committere alteri.*
656. *A quo tempore Legatus de latere conferre poſſit beneficia.*
657. *An, & qualiter valeat collatio à Legato facta ei, qui tacet ſe jam habere aliud beneficium.*
658. *Quid poſſit Legatus à latere in commendandis Eccleſiis.*
659. *Quænam beneficia conferre poſſint Nuncii miſſi cum poteſtate Legati de latere, ut facultatis iis conceſſa, quæcunque beneficia ſimplicia per obitum ultimorum poſſeſſorum extra Curiam vacatura, modò cujuslibet eorum reditus viginti quatuor ducatorum auri de camera valorem non excedant, &c.*
660. *Qualiter computandus valor ille viginti quatuor Ducatorum, & quænam computanda in fructibus, ut valor ille excedatur.*
661. *Undenam conſtare poſſit, an valor beneficii excedat 24. ducatos, cùm ſingulis annis ſit fructuum diverſitas.*
662. *Penes quem ſit obligatio probandi beneficii valorem: an penes proviſum à Nuntio, an penes proviſum apoſtolicum, dum unus adverſus alterum litigat.*
663. *Cùm in facultate illa Nuncii habeatur, quòd, ut ejus proviſio valeat, ante proviſionem certus eſſe debeat, beneficium illud non excedere dictum valorem, unde dicta certitudo petenda.*

PARAGRAPHUS III.

De poteſtate Epiſcopi circa collationem beneficiorum.

664. *QUis ſit, & dicatur Ordinarius collator.* 665. *An, & qualiter poteſtas conferendi beneficia competat Epiſcopo.*
665. *An, & qualiter poteſtas conferendi beneficia competat Epiſcopo.*
666. *Unde hoc jus conferendi beneficia originetur in Epiſcopo.*
667. *An hæc poteſtas conferendi beneficia ſpectet ad ejus juriſdictionem.*
668. *Quandonam Epiſcopus conferre poſſit.*
669. *An, & qualiter Epiſcopus degens in Curia Romana conferre poſſit.*
670. *An, & qualem poteſtatem habeat Epiſcopus conferendi beneficia Eccleſiæ cathedralis.*
671. *An, & quomodo ſuppoſito jure ſimultaneo conferendi, Epiſcopus convocare poſſit capitulum, & cogere ad faciendam proviſionem.*
672. *Quid Epiſcopus juris habeat circa conferenda beneficia collegiatarum.*
673. *An, & qualiter Epiſcopus conferre poſſit alterius diœceſis beneficia unita beneficiis ſuæ diœceſis.*
674. *Quid poſſit Epiſcopus circa conferenda beneficia Eccleſiarum exemptarum.*
675. *Quid Epiſcopus poteſtatis habeat circa beneficia conferenda in Eccleſiis regularibus.*
676. *Quid poſſit Epiſcopus circa beneficia conferenda ſuis conſanguineis.*
677. *Quid poſſit Epiſcopus circa beneficia litigioſa conferenda.*
678. *Quæ ſit poteſtas Epiſcopi circa conferenda beneficia Sede Papali vacantia, aut etiam Sede Papali adhuc plenâ vacantia, de quibus tamen Papa in vivis needum diſpoſuit.*
679. *An Epiſcopus habens coadjutorem conferre poſſit beneficia.*
680. *An Epiſcopus poſſit alteri concedere facultatem conferendi beneficia.*

PARAGRAPHUS IV.

De poteſtate Vicarii Epiſcopi quoad conferenda beneficia.

681. *QUotuplex ſit Vicarius Epiſcopi, & qualem juriſdictionem habeat.*
682. *An Vicarius generalis, ratione ſui vicariatus habeat poteſtatem conferendi beneficia.*
683. *An Vicario, & quali ſpecialiter concedi poſſit, & ſoleat collatio beneficiorum.*
684. *Unde illud mandatum dicatur ſpeciale, & in quo ſenſu dicatur generale.*
685. *An hæc poteſtas conferendi beneficia cenſeatur collata per clauſulam generalem, quâ Vicario concedit Epiſcopus facultatem adminiſtrandi omnia, ſicut ipſe habet.*
686. *An hæc poteſtas collata cenſeatur per clauſulam generalem, quâ Epiſcopus concederet Vicario, ut omnia loco ſui præſtare poſſit, tametſi ea ſint, quæ ſpeciale mandatum requirant.*
687. *An, & qualiter hæc poteſtas conferendi beneficia arguatur conceſſa ex data Vicario facultate admittendi reſignationes.*

688. *An ex eo, quòd Vicario data sit potestas destituendi, arguatur et concessam potestatem conferendi.*

689. *An, postquam Episcopus specialiter commisit Vicario suo collationem beneficiorum, ligaverit sibi manus ad conferendum.*

690. *Dum data Vicario facultas generalis conferendi omnia beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, ad quæ beneficia se illa facultas extendat.*

691. *An Episcopus Vicario committere possit potestatem conferendi certum beneficium, antequam vacet.*

692. *An Vicarius concessam sibi facultatem exercere possit, & conferre extra diœcesim.*

693. *An Vicarius habens ab Episcopo facultatem conferendi beneficia, possit ipsi Episcopo conferre beneficium.*

694. *An substitutus à Vicario possit Vicario conferre beneficium.*

695. *An, & qualiter valeat collatio facta à Vicario post ejus revocationem.*

PARAGRAPHUS V.

De potestate Capituli tam sede plenâ, quàm vacante, ejúsque Vicario ad conferenda beneficia.

696. *AN, & qualiter beneficiorum tam existentium in ipsa cathedrali, quàm extra illam collatio competere possit, & de facto competat capitulo cathedrali sede Episcopali plenâ.*

697. *An, & qualiter supposito & illæso hoc jure simultaneæ collationis, ea fieri nihilominus possit per unum, putà, per solum Episcopum, vel solum capitulum.*

698. *Quantum valeat suffragium Episcopi & Capituli, dum supposito jure simultaneè conferendi, ex statuto aut jure alio singulari providendum est conjunctim.*

699. *Dum controvertitur, seu agitur de acquirendo jure conferendi ipsi capitulo privativè ad Episcopum, vel è contra, cui standum.*

700. *An, & qualiter, dum ab initio de jure communi fuit simultanea collatio Episcopi & Capituli, potestas conferendi postmodum in alterutro eorum solidari possit.*

701. *An, si sub certa lege inita concordia, v. g. ut Episcopus certo generi personarum provideat, hæc lex servanda, ita ut aliàs collatio facta alteri sit nulla.*

702. *An, dum Capitulum talem collationem factam ab Episcopo contra legem seu pactum illud non impugnat, ea sit & remaneat in statu validitatis.*

703. *An, suppositâ ab initio simultaneâ, collatio facta in vim dicto concordiæ ab Episcopo, non adhibito consilio capituli, solito adhiberi prius ante dictam concordiam, sit nulla.*

704. *Dum Episcopus & Capitulum se invicem in ea collatione protrudunt, singuli prætendendo liberam collationem, & neuter simultaneam, & quæstio vertitur super manutentione, quid considerandum.*

705. *Quid potestatis habeat Capitulum circa conferendos canonicatus doctorales vel magistrales, quibus annexum est onus lectionis, vel aliud.*

706. *An, supposito jure simultaneè conferendi, Capitulum conferre possit in absentia Episcopi, illo non exspectato.*

707. *Cùm sæpè ex consuetudine collatio præbendarum ac dignitatum Ecclesiæ cathedralis, & collegiatarum spectet ad solum Episcopum, vel solum Capitulum, qualis hæc debeat esse consuetudo.*

708. *Quam potestatem habeat Capitulum sede vacante in collatione beneficiorum.*

709. *An beneficiorum Sede Episcopali vacante vacantium, & pertinentium aliàs ad liberam collationem Episcopi, collatio reservetur successori Episcopo.*

710. *An saltem transeant ad Capitulum sede vacante provisiones omnes necessariæ, ac imprimis collationes beneficiorum, quæ fieri debent certi generis personis, v. g. graduatis, nominatis, primogenitis.*

711. *Quid sit circa collationem parochialium beneficiorum, seclusâ eorum reservatione.*

712. *Quid possit Capitulum sede vacante circa collationem beneficiorum, quorum collatio devoluta, seu jure devoluto spectat ad Episcopum.*

713. *Quid possit circa beneficia resignata permutationis gratiâ, dum ea aliàs spectant ad collationem solius Episcopi.*

714. *Quid sit circa beneficia resignata spectantia ad collationem solius Episcopi.*

715. *Quid potestatis circa collationem beneficiorum habeat Vicarius Capituli Sede vacante.*

716. *An, & qualiter, dum provisio libera beneficiorum spectat ad Capitulum privativè, sive Sede plenâ, sive Sede vacante, vocandi sint Capitulares, etiam absentes, ad faciendam collationem beneficiorum.*

PARAGRAPHUS VI.

De collatoribus cæteris inferioribus, putà Collegiis, Monasteriis, Universitatibus, Prælatis, Regibus, aliisque laicis, de existentibus in possessione conferendi; ubi de sequestro, conductore, excommunicato.

717. *AN, & qualiter competat Ecclesiis collegiatis jus conferendi beneficia earundem.*

718. *An, & qualiter Ecclesiis regularibus & monasteriis, vel etiam aliis collegiis seu corporibus ecclesiasticis competat jus conferendi beneficia, præsertim Ecclesiarum sibi unitarum.*

719. *An, & quid speciale sit hac in parte circa monasteria monialium.*

720. *Quid possint Abbates & Prælati inferiores circa beneficiorum provisiones.*

721. *Quid possint Abbatissæ & Priorissæ.*

722. *Quid sit hac in parte circa Canonissas.*

723. *Quid potestatis habeat Archidiaconus circa conferendo benficia.*

724. *Qualiter jus conferendi competens corpori universali, aliis impeditis, seu gerentibus se invalidè, exerceri possit per non impeditos.*

725. *An, & qualiter Prælatus putativus, seu reputatus à populo pro vero, habeat potestatem beneficia conferendi.*

726. *An, & qualiter laicis merè talibus competere possit jus conferendi beneficia.*

727. *An sequester & conductor habeat jus conferendi.*

728. *An, & qualiter excommunicatus possit conferre.*

729. *An, & qualiter potestas conferendi sit penes possessorem carentem proprietate juris conferendi, isque validè conferat.*

730. *Quid si proviso à tali possessore objicciatur resistentia juris, per quam ille redditus sit inhabilis istius possessionis conferendi.*

731. *Qualiter illa possessio legitima conferendi acquiratur.*

732. *Quid requiratur, ut per unicum actum acquiratur illa possessio in ordine ad effectum valida collationis, præsentationis, &c.*

733. *An possessio acquisita per unicum actum respectu unius beneficii suffragetur etiam respectu cæterorum beneficiorum.*

734. *An validè conferre possit proprietarius juris conferendi, qui non est in possessione, dum nemo alius est in possessione.*

735. *Qualiter probetur pertinentia juris conferendi.*

736. *An, & qualiter præservetur collatori jus conferendi, dum beneficium spectans ad ejus collationem applicatur erectioni, seu in dotationem alterius beneficii.*

PARAGRAPHUS VII.

De collatoribus, ad quos jure devoluto spectat collatio.

737. *QUid sit devolutio.*

738. *Cur inducta devolutio.*

739. *Ob quid contingat devolutio.*

740. *An, & qualiter in ordine ad devolutionem probanda sit scientia negligentis conferre.*

741. *Qualiter impeditur devolutio, stante scientiâ vacationis, & impedimentum probandum.*

742. *A quo tempore fiat devolutio.*

743. *An devolutio immutet naturam seu statum beneficii.*

744. *Quis sit effectus devolutionis.*

745. *Ad quos, & qualiter fiat devolutio.*

746. *An, dum is, ad quem facta devolutio, hoc jure devoluto conferat indigno seu inhabili, devolvatur collatio ad ejus Superiorem; an verò revertatur ad primum collatorem.*

747. *Quo jure Ordinarius conferat beneficia ex negligentia inferioris ad se devoluta.*

748. *An is, ad quem facta devolutio, possit etiam mittere in possessionem.*

749. *An, si Cardinalis Episcopus collator Ordinarius non contulit intra sex menses beneficium, quod vacavit in mense aliàs apostolico, ad quem fiat devolutio.*

750. *Ad quem fiat devolutio à Legato de Latere.*

751. *Ad quem fiat devolutio, dum Capitulum & Episcopus circa simultanea collationis exercitium sunt discordes, & intra semestre non concordârunt.*

752. *Ad quem fiat devolutio, dum Episcopus conferre non potest ob suspensionem ab officio, vel excommunicationem.*

753. *An, si Vicarius Episcopi beneficium contulit indigno, fiat devolutio ad Metropolitanum.*

754. *In quibus beneficiis locum habeat devolutio.*

755. *Quando is, ad quem facta devolutio, conferre debeat.*

756. *An is, ad quem facta devolutio, possit inferiori collatori concedere facultatem conferendi illud beneficium, etiam post sex menses elapsos.*

757. *An, dum Prælatus confert jure devoluto, necessè sit intervenire consensum vel consilium capituli.*

758. *Qualiter beneficium devolutum impetretur & provideatur à Papa.*

CAPUT TERTIUM.

De personis, quibus conferenda beneficia, & de ipso collationis actu, ejusdemque acceptatione.

PARAGRAPHUS I.

De conferendis beneficiis personis designatis, habilibus in genere, & in specie de Episcopis.

759. *AN, & qualiter inhabilis possit petere & acceptare beneficium, & an teneatur occultum suum defectum manifestare.*

760. *Qualiter, dum quis inhabilis, adeóque provisus invalidè, jus ejus convalescat post dispensationem.*

761. *An provisus tempore provisionis laborans defectu, quem sperat brevi post tempore se sublaturum, dum nemo se ei opponit, interim in foro conscientiæ tutus esse possit, ita ut tunc revalidatione aut dispensatione non egeat.*

762. *An, si beneficium conferatur aliis à designatis, teneat collatio.*

763. *An, si Episcopus contulit incapaci, possit iteratò conferre.*

764. *Quænam sint pœna indignis conferentium.*

765. *An Episcopo conferri possit beneficium.*

766. *An beneficium resignatum conferri possit consanguineis, affinibus, familiaribus collatorum & resignantium.*

PARAGRAPHUS II.

De collationis legitimæ conditionibus.

767. *QUæ sit distinctio inter ea, quæ ut forma, & quæ ut conditiones requirantur ad collationem.*

768. *Quæ sint conditiones collationis legitimæ.*

769. *An, & qualiter collatio fieri possit conditionatè, & quasi pacifcendo.*

770. *An illicitè, vel etiam invalidè à collatore in collatione beneficii à collatario exigatur juramentum, v. g. de residendo, de non resignando beneficio in favorem, &c.*

771. *An, & qualiter provisio pura extinguat conditionatam.*

772. *An, & qualiter provisio beneficii debeat esse certa, & non vaga aut dubia.*

773. *An, & qualiter necessè sit collationem fieri palam.*

774. *An, & qualiter collatio fieri possit pro determinato tempore.*

775. *An, & qualiter collatio debeat fieri liberè.*

776. *An, & qualiter collatio fieri debeat sine diminutione.*

777. *An, & qualiter collatio fieri debeat gratis.*

PARAGRAPHUS III.

De modo, quo fieri debet collatio.

778. *AN, & qualiter necessè sit præmittere examen collationi.*

779. *An, & qualiter facienda collatio, vel etiam alius actus cum consilio alterius.*

780. *An, & qualiter collatio (idem est de quocunque alio actu) facienda cum consensu alterius.*

781. *Qualiter collatio facienda cum interventu aliorum.*

782. *Qualiter collatio facienda de scientia vel conscientia alterius.*

783. Qualiter collatio facienda ad supplicationem alterius.
784. An, & qualiter, dum collatio spectat ad capitulum & Episcopum simul, vel etiam ad duos alios, fieri possit ab uno sine altero.
785. An collatio egeat certâ verborum formâ.
786. An collatio egeat literis.

PARAGRAPHUS IV.

De tempore, quo facienda collatio.

787. AN, & qualiter ante vacationem conferri possit beneficium.
788. An saltem collator, v. g. Episcopus, possit alicui, antequam vacet beneficium, delegare potestatem illud conferendi.
789. Intra quod tempus facienda collatio.
790. An cessante impedimento, rursus aliud semestre integrum indulgendum sit, vel intra residuum primi semestris, aut etiam mox à cessante post evolutum jam totum semestre primum impedimento facienda provisio.
791. An, & qualiter collatio facta post semestre sit irrita, & tamen tolerata convalescat.
792. An, & qualiter collatio facta retrotrahatur ad diem vacationis, ut fructus debeantur proviso.
793. An, & qualiter collator conferre possit tempore litis pendentis.

PARAGRAPHUS V.

De acceptatione collationis.

794. AN, & qualiter ad perfectionem collationis pertineat acceptatio.
795. Unde inducatur & præsumatur acceptatio.
796. An, & qualiter valeat acceptatio beneficii, si quis primò collationi dissentiens, eam tamen postea acceptet.
797. An, & qualiter acceptatio beneficii fieri possit per procuratorem.

CAPUT QUARTUM.

De Possessione beneficiorum.

PARAGRAPHUS I.

De modo ac tempore capiendi seu acquirendi, & amittendi possessionem beneficii.

798. AN post institutionem & acceptatam legitimè collationem possit statim adiri & capi à beneficiato possessio auctoritate propriâ, absque officio judicis, & sine ministerio executoris.
799. An, & quid hac in parte sit speciale circa resignatarium, an & qualiter is capere possit aut debeat possessionem.
800. Quomodo acquiratur possessio beneficii per collationem; vel si non, quid hæc superaddatur per possessionem.
801. An, & qualiter acquiratur possessio per investituram.
802. An, & qualiter acquiratur possessio per installationem & inthronizationem.
803. An per hoc, quòd electus vi cap. nihil. de elect. ante confirmationem administret, censeatur acquisivisse possessionem prælaturæ.
804. Qualiter capiatur possessio corporali inductione, seu traditione beneficii.
805. An, & qualiter captâ possessione bonorum Ecclesiæ seu beneficii habentis Ecclesiam, vel altare, censeatur capta possessio beneficii
806. An captâ possessione beneficii censeatur apprehensa possessio bonorum spectantium ad beneficium.
807. An captâ possessione beneficii, cui facta est unio censeatur etiam capta possessio beneficii uniti.
808. An, & quando possessio in cathedralibus aut collegiatis debeat apprehendi aut tradi capitulariter.
809. An, & qualiter traditio possessionis fieri non debeat nisi vocato possessore.
810. An, & qualiter possessio beneficii capi possit per procuratorem.
811. An, & qualiter capi possit possessio lite vel appellatione pendente.
812. An, & qualiter possessio capi nequeat ante expeditas literas Apostolicas.
813. An, & qualiter per subrogationem ad possessionem ea continuetur, aut transferatur in subrogatum.
814. An, & qualiter possessio, quæ continuatur, seu continuanda foret, per occupationem naturalis possessionis impediatur.
815. Dum in literis apostolicis decernitur proviso possessio, est autem contradictor, ita ut necesse sit promovere actionem hanc de possessorio adipiscenda, quid faciendum subrogato.
816. An, & qualiter possessio in beneficialibus exigat titulum, & ad hunc ostendendum cogi possit possessor, & quid compulsus respondere aut justificare teneatur.
817. Cujus sit mittere in corporalem beneficiorum possessionem collatarios seu institutos.
818. Intra quod tempus capi debeat possessio.
819. Qualiter probanda sit possessio ejusque titulus, præcipuè ut spoliatus restituatur.
820. An dum agitur de solo possessorio in beneficialibus, quærendum sit quoque de justitia vel injustitia negotii principalis.
821. Qualiter amittatur possessio beneficii.

PARAGRAPHUS II.

De virtute & beneficio possessionis in beneficialibus.

822. AN, & quando possessio habeat vim collationis.
823. An, & qualiter possessio inferat titulum.
824. An, & qualiter possessio inferat præsumptionem continuationis possessionis.
825. An & qualiter possessio inferat præsumptionem anterioris possessionis.
826. Qualiter, quòd datâ paritate datarum respectu dies in provisionibus, provisus ab Ordinario obtinens possessionem præferendus sit proviso à Papa, subsistant cum clausula apponi solita in gratia, quòd provisus subrogetur gratiosè quoad possessionem defuncti in ejus locum, &c.
827. An, & qualiter possessio non tantùm generet præsumptionem tituli, sed etiam det verum titulum.
828. Quænam sint commoda in specie possessionis annalis.
829. Quæ servanda in expressione punctorum illorum exprimendorum vi regulæ de annali.
830. An etiam in impetratione facta ab Ordinario aut Legato Apostolico necesse sit exprimere illas conditiones.
831. Quid præstandum reo seu possessori, contra quem movetur actio, ut juvetur hâc regulâ.
832. Quid præstandum actori, ut juvetur hâc regulâ, & excludat exceptionem.
833. Unde, & qualiter hæc annalitas deducenda.
834. Quæ dicatur possessio annalis pacifica in ordine ad effectum regulæ de annali.
835. Qualiter iste annus pacificæ possessionis spectetur, & integretur ex possessione plurium successivè.
836. An gratiosa illa subrogatio, de qua suprà operetur continuationem illam possessionis in ordine ad complendam annalem pacificam.
837. An exceptio hujus regulæ seu annalis pacifica possessio prioris possessoris, & in specie resignantis, suffragetur successori, & in specie resignatario.

838. An

838. *An, si quis pacificè possedit beneficium per 11. menses, & tunc illud resignet, & antequam resignatarius capiat possessionem, labitur mensis, & sic compleatur annus, an in hoc casu regula de annali obstet impetranti.*

839. *An, si resignans post resignationem manserit in pacifica possessione, possit se tueri hac regula contra impetrantem obtinentem dictum beneficium per obitum resignatarii.*

840. *An, & qualiter hac regula defendat possessores aliàs inhabiles, vel etiam carentes omni titulo.*

841. *An suffragetur hac regula possessori, ut is uti possit exceptione hujus regulæ, etiam in quacunque instantia contra impetrantem ignorantem, aliquem esse annalem possessorem.*

842. *An suffragetur hac regula possessori non percipienti fructus.*

843. *Quæ quoad effectum regulæ de annali veniant nomine beneficii.*

844. *Ad quid per verba illa regulæ:* Et infra 6. menses ipsum possessorem ad judicium evocare facere, &c. *obligetur impetrans.*

845. *An obtinens gratiam motûs proprii teneatur servare hanc regulam.*

846. *Qualiter impetrans offendens in secundam partem regulæ de annali incurrat pœnam in hac regula statutam.*

847. *An, & qualiter regula de annali soleat derogari.*

848. *Quod contineat regula de triennali possessione.*

849. *Quæ sit potissima vis regulæ de triennali.*

850. *An regula de triennali obstet tam in petitorio, quàm possessorio.*

851. *Qualiter vi hujus regulæ extinguantur lites antiquæ.*

852. *Quid requiratur, ut possessio dicatur pacifica ad effectum hujus regulæ.*

853. *An, & qualiter exigatur titulus ad effectum hujus regulæ.*

854. *Qualiter ex possessione triennali præsumatur titulus, factáque dispensatio, & publicatio resignationis.*

855. *An si possessor triennio pacificè possedit, & reputabatur beneficiatus, & in possessione, cessit vel decessit, successor ejus non teneatur amplius justificare titulum.*

856. *An, si quis resignavit, & post resignationem mansit in possessione, illámque continuavit per 10, vel etiam 5. annos, præsumatur exinde in resignante retrocessio & novus titulus acquisitus, ac per consequens juvari possit illâ possessione.*

857. *An ad effectum hujus regulæ requiratur bona fides in possessore.*

858. *An regula hac defendat possessorem, etiam quoad proprietatem beneficii.*

859. *An hac regula defendat possessorem super possessione, qua in spolio convenitur.*

860. *An, & qualiter hac regula defendat possessores triennales pacificos alias inhabiles habendi beneficii.*

861. *Quæ in ordine ad effectum hujus regulæ de triennali veniant nomine beneficii.*

862. *Quinam ad effectum hujus regulæ censeantur intrusi.*

863. *Quinam simoniaci excludantur à beneficio hujus regulæ.*

864. *An soleat huic regulæ de triennali derogari.*



FORI



FORI BENEFICIALIS
PARS ALTERA.
De Provisione & Acquisitione Beneficiorum.

CAPUT PRÆAMBULUM.
De Modis promovendi & acquirendi Beneficia in Genere.

Quæstio 1. Quotupliciter acquirantur beneficia?

Respondeo: Dupliciter, nimirùm actu, & in potentia, quod idem est, ac acquirere jus in beneficio, & acquirere jus ad beneficium. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 1. n. 1.* Porrò jus in beneficio differt à jure ad beneficium, quòd vi juris in beneficio beneficiatus obtineat potestatem administrandi illud, illùdque sit proprium illius, etiam ante captam beneficii possessionem, quorum nihil tribuitur vi juris ad beneficium. Castrop. *ibidem n.* 18. citans Vasq. *in opusc. de benef. c. 4. §. 3. dub. 1.* Covar. *var. resol. l. 3. c. 16. n. 3.*

Quæstio 2. Quibus modis acquiratur beneficium actu, seu jus in beneficio?

Respondeo: Tribus, Electionis confirmatione (quo refertur postulationis admissio) institutione, collatione. Castrop. *loc. cit. n. 2.* Azor. *instit. mor. p. 2. l. 6. c. 22.*

Quæstio 3. Quibus modis acquiratur beneficium potentiâ, seu jus ad beneficium?

1. Respondeo sequentibus: Primò electione, secundò præsentatione.

2. Tertiò vigore gratiæ exspectativæ, quâ nimirùm conceditur alicui, ut præbendam vacantem, quam maluerit, obtineat; ita tamen ut hæc gratia jus ullum considerabile tribuat, debeat esse acceptata, cùm ante acceptationem sit revocabilis à concedente. Castrop. *loc. cit. n. 9.* citans Garc. *de benef. p. 4. c. 3. n.* 14. Gonz. *gl. 26. n.* 20. Mandos. *reg. 3. q. 14. num.* 3. quamvis hoc jus ex acceptatione exspectantis non sit ità considerabile, ut de eo fieri debeat mentio in impetratione, seu reservatione facta à Papa de tali beneficio, aut præservetur per clausulam in literis de beneficiis vacantibus apponi solitam vel subintellectam: *modò non sit in eo alicui jus quæsitum* (sicut aliàs per eam, præservatur jus, etiam ad rem, quæsitum alio modo, putà, per electionem, præsentationem.) Garc. *loc. cit. n. 18. & seq.* & ex eo Castrop. *loc. cit.* cùm enim exspectativa concessa non sit pro aliquo determinato beneficio, non videtur magnopere isti gratiæ derogari per dictam reservationem vel impetrationem, dum exspectanti salvum manet jus utendi, datâ sibi exspectativâ in aliis beneficiis. Castrop. *ibid.*

3. Quartò, vigore gratiæ exspectativæ concessæ recepto in Canonicum, seu vi mandati de providendo tali de prima præbenda vacatura, quia vi hujus juris cogere potest, ut sibi vacans præbenda conferatur. Castrop. *loc. cit. n.* 10. Garc. *loc. cit. n.* 16. juxta *c. si postquam de præb. in 6.* Verùm modò per Trid. *sess. 24. c.* 19. omnes istæ exspectativæ & mandata de providendo beneficio vacaturo sunt sublata. Undè eligi nequit Canonicus supernumerarius cum exspectativa ad præbendam proximè vacaturam, nisi fortè in ea Ecclesia, ubi immemorialis talis consuetudo vigeret, Castrop. *n.* 11. Gonz. *ad reg. 8. §. 1. proœm. n.* 64. Garc. *p. 6. c. 1. num.* 5.

4. Quintò, collatione nondum acceptatâ. *c. si tibi absenti. de præb. in 6.* quia factâ collatione, conferens retrocedere non potest, sed debet consensum collatarii exspectare intra terminum datum ad consentiendum, secùs ac in aliis donationibus, in quibus ante acceptationem donatarii datur illi jus pœnitentiæ, quia in beneficiis conferens disponit ex officio & obligatione, in rebus autem aliis ex voluntate. Castrop. *n.* 12. citans Gonz. *gl. 26. num.* 4. Vasq. *loc. cit.*

5. Sextò, reservatione beneficii in favorem alicujus acceptantis hanc reservationem, quia per talem reservationem adjudicatur ei beneficium. Castrop. *cit. n.* 12. Garc. *p. 4. c. 3. n.* 43.

6. Septimò, consuetudine seu privilegio optandi præbendam pinguiorem vacantem. Castrop. *n.* 13. Garc. *num.* 45. non tamen requiritur, ut priùs præbenda vacet, aut sit acceptata, quàm sit debita, cùm illa facultas optandi pinguiorem præbendam sit veluti quoddam mandatum de providendo, concessum, v. g. antiquiori de aliqua determinata præbenda, vel quasi quædam gratia exspectativa admissa pro præbenda primò vacatura, quæ vacationem præbendæ non requirunt, sed solùm acceptationem mandati, vel gratiæ exspectativæ. Undè etsi ab alio impetretur, vel à Papa reservetur, derogatur utique juri, quo vi illius consuetudinis & privilegii præbenda primò vacatura debita erat Canonico antiquiori. Castrop. *n.* 13. contra Garc. *loc. cit.*

7. Octavò: Pensione non solutâ pensionario, cùm ob hanc causam Papa soleat concedere regressum & accessum ad beneficium gravatum pensione. Castrop. *num.* 14. citans Paris. *de resig. l. 6. q. 3. n.* 15. opus autem est ad hoc jus acquirendum pensionario, ut is declaret, se velle uti illo, & insuper ut pronun-

rietur sententia, saltem declaratoria, contumaciæ non solventis pensionem, quæ non præfertur, nisi magna fuerit illius protervia. Castrop. *l. cit. d.* 1. *p. ult. §. 6.* Latâ autem hâc sententiâ non tantùm jus ad beneficium, sed etiam jus in eo conferri pensionario censet Gar. *loc. cit. n. 49.* contrarium probabiliùs Castrop. egere nimirùm insuper pensionarium judicis executoris collatione, cùm factâ dictâ sententiâ declaratoriâ, pensionarius adhuc nequeat propriâ auctoritate sumere possessionem beneficii, sed auctoritate judicis executoris accedere debeat, utpotè cui & executio privationis beneficii & regressus & accessus beneficii conceditur.

8. Nonò: Coadjutoria cum futura successione, quia est quasi mandatum de providendo ad determinatum beneficium. Castrop. *n.* 16. Garc. *n.* 58.

9. His addit duos alios modos Gate. *l. cit. nu.* 54. *&* 68. nimirùm concessionem beneficii in eventu privationis; verùm improprium esse hoc jus, utpotè concessum sub conditione, non necessariò eventura, secùs ac dum conceditur sub eventu vacationis, quæ est conditio necessariò eventura, quam concessionem solus Papa facere potest, juxta *c. nulli. & c. relatum. de concess. preb.* censet Castrop. *nu.* 15. Alterum oppositionem, stante consuetodine seu constitutione opponendi, quod ut verum sit, ait *ibid.* Castrop. debet oppositor verificare, qualitates ad beneficium requisitas sibi soli competere. Adjiciuntur quoque ab aliis passim duo alii modi acquirendi jus ad beneficium, nimirùm resignatio in favorem & permutatio; verùm quia hi supponunt priùs beneficium amitti, de his infrà. De cæteris modis explicatis in præsente.

Quæst. 4. Quid sit electio & confirmatio?

Respondeo: Utriusque definitionem dandam, & declarandam *sect. seq. c.* 2. *&* 3. ubi de electione & confirmatione.

Quæstio 5. Quid sit præsentatio, & qualiter hoc nomen sæpè confundatur cum aliis modis acquirendi beneficium?

1. Respondeo ad primum: Est exhibitio personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta, intellige, in ordine ad instituendam illam in beneficio. Garc. *p. 4. c. 1. n.* 15. Less. *de just. c.* 34. *n.* 12. Roch. *de jurep. in principio q. 3. &c.* ex Abb. *in c. ea cognoscetur de his, quæ fiunt a Prælat.* Differt autem ab electione, quòd ea fiat à pluribus, ut à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimùm in prælaturis locum habeat; Præsentatio autem ab una etiam persona, etsi laica, & in quovis beneficii genere. Less. *loc. cit. n.* 15. vide plura de hoc in definitione electionis, & apud Laym. *ad tit. de elect. num. 8.*

2. Respondeo ad secundum: Pro præsentatione Clerici ad beneficium nomen electionis quandóque usurpatur, ut in *c. querelam. de elect.* & *c. nosce* 12. *& seq. d.* 62. quibus in locis jus eligendi, id est, nominandi, postulandi aut præsentandi, tribuitur populo. Laym. *l. cit. n.* 1.

Quæst. 6. Quid sit institutio, (quod est correlativum præsentationis non secùs ac confirmatio electionis. Lott. l. 2. q. 1. n. 23.) *& qualiter confundatur sæpè cum aliis modis providendi de beneficiis?*

1. Respondeo ad primum: Est canonica ordinatio facta per Episcopum, vel alium, ad quem spectat, in beneficio vacante de Clerico per patronum legitimè præsentato. Argumento *c. decernimus.* 16. *q. 7.* Lott. *l. 2. q.* 13. *nu.* 18. vel, ut communiùs alii: est concessio beneficii facta legitimâ auctoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à patrono præsentato. Filliuc. *tr.* 41. *c. 3. n. 9.* ex Azor. *p. 2. l. 6. c.* 22. *q. 1.* Differt à collatione propriè tali, quòd supponat præsentationem, sitque concessio obligatoria, (obligatur enim Prælatus conferre beneficium ei, qui à patrono est præsentatus. Abb. *in c. auctoritate de instit. nu. 7.* Barb. *de potest. Episc. alleg. 72. nu.* 1. collatio autem propriè talis sit voluntaria beneficii concessio, seu quæ fit superioris arbitratu sine ulla electione, postulatione, aut præsentatione. Castrop. *l. cit. n.* 2. Azor. *l. cit.* differt à confirmatione, quòd sit collatio vel provisio illius, qui præsentatus est à patrono. Confirmatio sit illius, qui electus est. Less. *l. cit. n.* 13. Item quòd nominationem factam ab Ecclesiastico non requirat; cùm præsentatio sæpè fiat à laicis, confirmatio autem est de persona à communitate Ecclesiastica nominata. Castrop. *l. cit.* Aliud quoque est admittere, aliud instituere, quamvis id diversimodè explicent Auctores. Juxta Jo. Monach. & Jo. Andr. admittere est recipere seu approbare, & in titulum tradere; instituere autem est mittere in corporalem beneficii possessionem, & hoc sensu videri loqui Trid. *sess. 7. c.* 13. ait Pith. *ad tit. de institut. nu. 5.* juxta Anchoran. admittere est ad examen recipere, instituere est approbare, seu jus & titulum tribuere. Pith. *ibid.*

2. Resp. ad secundum: Quamvis igitur vox *institutio*, si referatur ad præsentationem, nomen proprium retineat. Lott. *l. 2. q. 1. n. 12.* quin & vulgaris etiam intellectus hujus vocis eam referat ad institutionem necessariam. Lott. *ibid. n. 14.* ex Ægid. *decis. 94. n. 2.* Undè *n.* 13. ait institutionem nunquam dici collationem præterquàm certo modo ex Gamb. *de off. leg. l. 3. n. 5.* De cætero tamen vox est significationis diversæ. Ac primò quidem nomen est generis, aptum comprehendere collationem, electionem, institutionem (intellige propriè talem) & quamcunque aliam dispositionem beneficialem (quamvis aliàs, ut ait Lott. *ibid. num. 22.* instituere & providere videantur modi incompatibiles) Lott. *ibid. num. 11.* citans Vetallum *p. 1. decis. 297. num. 2.* Germon. *de indultis Card. §. ac beneficia. num. 34. &c.* Secundò sæpè dicitur de confirmatione, confirmatioque & institutio dicuntur promiscuè, & unum pro altero ponitur. Lott. *ibidem num. 16.* juxta Gloss. *in c. hoc tantùm 18. q. 2. v. instituere.* Tertiò termini quoque *collatio & institutio* sæpè confunduntur, & instituere quandóque ad liberam collationem refertur, Lott. *num.* 15. citans Gamb. *de off. leg. l. 3. num. 127.* item Lott. *l. 2. q.* 45. *n.* 80. citans Abb. *in c. auctoritate. de institutionibus, n. 8.* Menoch. *cons. 19. n.* 7. Quartò sumitur pro traditione possessionis, ut contingit ferè in *tit. de institution.* Lott. *cit. n. 80.* Institutio sumitur etiam pro titulo, dum dicitur, beneficium non posse teneri sine canonica institutione, hoc est, sine titulo. Lott. *l. 3. q. 2. n.* 6. Nihilominùs tamen promiscuam illam istarum vocum *instituere, conferre, confirmare, &c.* usurpationem in foro beneficiario non licere sine imprudentiæ nota, inquit Lott. *cit. q. 1. n.* 17. Undè rectè monet *ibid. num.* 18. *&* 19. quòd, cùm cuique voci, quamvis æquivocæ, certa insit interpretatio, aut ex verisimili mente disponentis, aut subjectæ rei natura, ubicunque oritur hujusmodi æquivocatio, debeat ea explicari & declarari per discretionem; ut, si fundator mandârit Capellam à se erectam conferri per hæredes suos, minimè in hoc casu hærendum proprietati hujus vocis *conferre*, utpotè quâ illius dispositio tanquam impossibilis subverteretur, sed ex natura subjectæ materiæ flectendam hanc vocem, quâ usus est fundator, ad jus præsentandi. Lott. *cit. q. 1. n.* 20. ex Barbat. *l. 2. cons.* 33. *n.* 17.

Quæstio 7. Quotuplex sit institutio?

1. Respondeo: Duplex, alia collatoria tituli, alia auctorizabilis. Lott. *l. 2. q.* 12. *n. 6. &* 11. *& l. 1. q. 33. n. 99.* Institutio collatoria tituli pro subjecto habet ipsum beneficium, ut optimè declarat Felin. *in c. per tuas. de majoritate & obed. nu. 4.* & non necessariò manat ab Episcopo.

2. Auctorizabilis pro subjecto habet curam animarum, cui adhæret jurisdictio fori pœnitentialis, & hæc necessariò manat ab Episcopo, tanquam ab universa-

versali sitæ diœcesis parocho.; adeoque talis est hæc institutio auctorizabilis, ut absque ea impossibile sit exercere curam. Lott. *l.* 1. *q.* 25. *nu.* 13. citans Socinum *in c. cùm & plantare. de privileg. num.* 8. declaratur hæc, v. g. dum monasterium aliquod præsentat Episcopo eum (sive is sæcularis, sive regularis sit,) qui curam animarum gerat in Ecclesia aliqua parochiali, vel etiam, qui vice monasterii curam gerat, & proptereà dicitur Vicarius, duæ concurrunt diversæ, & ad diversa institutiones, videlicet collatoria tituli, cujus subjectum, ut dictum, est ipsum beneficium, & hæc manat non ab Episcopo, sed à superiore regulari, intellige, dum præcisè monasterium non habet tantùm præsentare strictè tale, sed conferre.

3. Altera auctorizabilis, cujus subjectum est simplex cura, & hæc procedit non à superiore regulari, sed ab Episcopo tantùm, in quo radicatur ipsa cura. Lott. *cit. q.* 33. *nu.* 99. citans Gl. Franc. Gemin. *in c. unicum. de Capellis monach.* in quo casu etiam juxta dicta aliàs alteratur circa talem Vicarium, si is regularis est, seu aliàs merè obedientiarius, vis obedientiæ propter interventum Episcopi, operante hanc obedientiæ alterationem auctoritate Episcopi & prærogativa curæ populi. Lott. *ibid n.* 98. citans plures. Et hæc vel maximè, dum monasterium exemptum est exemptione simplice, sine exempto populo & parocho; etsi autem, dum monasterium exemptum exemptione plenâ, hoc est, unà cum populo & parocho, pertineatque Ecclesia parochialis pleno jure ad monasterium. juxta jus commune nullas sibi partes vendicare possit Episcopus, ut Lott. *cit. q.* 25. *n.* 14. adeòque non videatur Episcopo permissa institutio hæc auctorizabilis, quæ locū non habet in ejusmodi exemptis. Lott. *cit. q.* 33. *n.* 100. citans Seraph. *decis.* 1304. *n.* 3. nihilominùs id referendum est ad actum personæ ipsius Episcopi, quia in effectu institutio illa auctorizabilis implicita est provisioni Abbatis ipsius monasterii, utpotè qui censetur jure proprio instituere Vicarium institutione collativâ, & Vice-Episcopi illum instituere institutione auctorizabili. Lott. *ibid. n.* 101. citans Anchar. & Jo. Andr. *in c. de monachis, de prabend.* prosequitur hæc ipsa Lott. *l.* 2. *q.* 12. *à n.* 6. ubi, quod, quamvis Episcopus de jure communi fundet intentionem super utraque ista institutione, possit tamen ex concessione ipsius Episcopi vel Papæ, non tantùm institutio collativa tituli, sed & illa auctorizabilis monasterio alicui acquiri, ut dum Episcopus concedit monasterio in ejus usum, ad sublevandam v. g. ejus paupertatem, Ecclesiam cum populo pleno jure respectu temporalium & spiritualium, utraque institutio, collativa & auctorizabilis, est penes monasterium, non quidem jure proprio, quasi ab Episcopo avulsa, & in monasterium translata (quali modo Episcopum abdicare à se curam & institutionem auctorizabilem est impossibile) sed jure Episcopi ac ipsius vice, adeò ut monasterium in hoc dicatur Vicarius Episcopi. Lott. *ibid. num.* 13. ex Jo. Andr. *in c. de monach. de prab. n.* 10. & Anchar. *ibid. n.* 7.

Quæstio 8. *Quid sit collatio propriè talis, & qualiter hoc nomen competat quoque aliis modis providendi de beneficiis?*

1. Respondeo ad primum: Est donatio, seu concessio beneficii vacantis ab habente potestatem liberaliter facta. Castrop. *cit. p.* 1. *n.* 2. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *ad initium*, juxta *c. proposuit.* & *c. quia diversitatem de concess. prab.* sic itaque *conferre* accipitur hic pro largiri & donare; quæ enim donationis liberalitate in alium transferimus, propriè etiam conferre dicimus. *l. si filia tua. c. de donat. antè nupt.* & quod ità translatum est, collatum nuncupamus. *l. de rebus. c. eod. tit.* Lott. *l.* 2. *q.* 1. *nu.* 2. sive autem fiat motu proprio, sive ad petitionem impetrantis, non variat naturam collationis, hoc est, liberalis donationis. Castrop. *ibid.* juxta *c. si motu proprio.* & *c. si tibi absenti. de prab. in* 6. Et licèt collator non possit beneficium pro se retinere, aut in alium usum pro suo arbitrio convertere, sed teneatur illud conferre cum omni integritate, Parif. *de resignat. l.* 8. *q.* 9. *num.* 32. Mascar. *de prob. conf.* 315. *n.* 5. *& c.* apud Lott. *l. cit. n.* 4. & vel hinc fit, cur donatio propriè cadat in collationem beneficiorum (donari enim videtur, quod nullo jure cogente conceditur, Mantica. *de tacitis & ambig. contract. l.* 13. *tit.* 2. *nu.* 5. *& seq*) adeòque hæc beneficia Ecclesiastica impropriè donari dicantur, adhuc tamen proprietatem donationis in hac collatione defendi posse, si non respectu Ecclesiæ, saltem respectu personæ, in quam confertur, ait Lott. *ibid. n.* 7. citans Selvam *de benef. p.* 2. *q.* 11. *nu.* 9. & Præpos. *in c.* 1. *d.* 23. *n.* 49. Neque ideò dicitur minùs libera, quòd quandoque jus conferendi simul ad plures pertineat; consideratur enim in ipsis collatoribus tanquam jus individuum, ac propterea si per unū solum eorum fiat efficax, omnino reputabitur, cùm apud unumquemque sit jus in solidum, & omnes reputentur unus, adeoque uno eorum conferente, alii censentur consentire, nisi protestentur, & expressè contradicant. Lott. *l. c. n.* 29. & 3 . ex Gonz. *ad reg. de mens. gl.* 45. *in principio ex n.* 69. *& §.* 3. *num.* 45. Unde jam patet, quæ sit differentia inter collationem propriè talem, & inter institutionem & confirmationem, quòd nimirùm ea sit independens à voluntate aut nutu alterius. Undè & cum additio dicitur collatio necessaria. Lott. *ib. n.* 8 *&* 9. & hic, qui est in quasi possessione instituendi, non potest effectum hujus possessionis extendere ad jus conferendi. Lott. *ib. n.* 10.

2. Respondeo ad secundum: Confundi nihilominùs quandoque nomen *collationis* cum institutione & confirmatione electionis, & importare quamcunque beneficii provisionem, ut videre est apud Lott. *num.* 11.

Quæstio 9. *Quid sit investitura, seu investitio, & qualiter sumatur etiam pro aliis modis providendi de beneficiis?*

Respondeo: Investitura, quæ fieri solet per birreti, annuli, aut pannorum traditionem (de qua multùm Dynus *in reg.* 1. *in* 6.) quid propriè sit, obscurè satis, & non eodem modo ab omnibus explicatur. Barbos. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 5. ait: Investitura est institutionis, vel collationis confirmatio, & missio in possessionem, & in Principibus conferentibus beneficia accipitur pro collatione ipsa & confirmatione; & in sæcularibus collatio feudi propriè dicitur investitura. Laym *in c. nostr. de Elect. num.* 5. ex Jo. Andr. *in c. transmissam. de Elect. num.* 13. & Abb. *in c. auctoritate de institution. num.* 9. & *in c. ex literis. de consuetud. n.* 10. distinctiùs explicat, dum ait: Investituram interdum fieri unà cum institutione, seu tituli traditione, quæ verbo fit, vel scripturâ, & in hoc casu investitura continet & significat translationem juris ac tituli; undè dein nascitur facultas accipiendi possessionem rei, seu beneficii vacantis, aut eam petendi, ubi ab alio corporaliter introducendus est investitus; siquidem, ut Laym. *ibidem* specialis alicujus Ecclesiæ consuetudo aut statutum vigere potest, ut verbaliter institutus, provisus aut confirmatus, possessionem, quamvis vacantem, ipsemet capere non debeat, sed solenniter & corporaliter introduci in possessionem, adeò ut priùs, quam ea solennitas (quæ vocari etiam solet installatio, & olim fieri solebat per Archidiaconum, juxta *c. ad hæc. de off. Archid.* & *c. cùm Bertholdus de sent. & re judicata*) peracta sit, possessio acquisita non censeatur, juxta Abb. *in c. cùm super. de causa possess. num.* 17. In summa itaque investitura, quæ post confirmationem aut tituli collationem adhibetur, plerùmque tantùm significativa est juris jam antè accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi. Laym. *ibidem.* Idem ferè tradit Lott. *l.* 2. *q.* 1. *num.* 24. *& seq.* ubi, quòd investitio sit quid commune tribus illis: Collationi, institutioni, confirmationi, in eorum executione, in tantùm, ut quicunque habens potestatem conferendi, instituendi, &c per ipsam investituram seu traditionem possessionis censeatur conferre, instituere, confirmare; citat pro hoc

Abb. *in c. auctoritate, nu. 9.* Neque enim necesse est facere duos actus, cùm illa investitio, licèt sola & simplex inductio in possessionem facta ab eo, qui habet auctoritatem conferendi, investiendi, &c. involvat ipsum actum collationis, institutionis &c. eò quòd, ut Lamb. *de jurepatron. l. 2. p. 3. q. 11. a. 1. n. 9.* Selva *de benef. p. 3. q. 10. n. 11.* in collatione non exigatur certa verborum formula, possitque fieri per quemcunque actum, sive verbalem, sive realem, modò ex eo voluntas collatoris, institutoris &c. possit deprehendi, adeòque idem actus investitionis servire possit pro collatione, institutione, &c. Investitura interdum verò fit post tituli collationem, seu institutionem, in quo casu solennitas ista investituræ plerumque (dicitur plerumque, quia potest interdum fieri, ut per investituram tradatur possessio rei, si nimirùm vel ipse possessor antiquus, vel is, qui v. g. Ecclesiæ vacantis curam cum auctoritate habuit, in conspectu rei per dictam investituram, scilicet per traditionem bireti vel annuli transferat possessionem. Argumento *l. quod meo ff. de acquir. possess.*) parum aut nihil operatur, quia titulus antè collatus est, & jus acquisitum, possessio autem ordinariè loquendo per investituram non transferatur; atque ità investituram, quæ post confirmationem aut tituli collationem adhibetur, plerumque tantùm significativam esse juris accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi & acquirendi.

Quæstio 10. Quid sit nominatio?

1. Respondeo: Nominatio in genere est electio quædam, sive evocatio de persona magis idonea. Lott. *l. 2. q. 15. nu. 7.* Verùm variè hoc nomen usurpatur, ac nominatio ità genericè sumpta multifariam dividitur. Est enim nominatio triplicis generis, pro ut ex triplici fonte jus nominandi dimanat, nimirùm vel ex ipso jure patronatûs, ex jure eligendi, vel ex indulto pontificio. Lott. *ibid. n. 9. 26. & 30.*

2. Primi generis, procedens à jure nominandi perpetuò jurispatronatûs implicito, & præsentationi (cujus etiam nomine sæpè venit) similis, est actus ille, qui simplex nominatio dicitur, quo patronus ipse in absentia habentis instituere præsentat, seu aliquem determinat; non enim est hic actus pro tunc præsentatio, neque vim præsentationis sortitur, jusque ullum interim acquiritur tali nominato, priusquam is sa coram habente instituere præsentet cum instrumento præsentationis. Lott. *cit. n. 9.* Secundò: Est actus ille procedens à jure nominandi adhoc magis formato, quo, dum penes parochianos, v. g. vel universitatem aliquam aliam est ipse patronatus, unus vel plures ab ea, minùs commodè potente convenire, deputati, nominant unam vel plures personas, quæ postmodùm præsententur habenti instituere; qui actus nominationis, distinctus ab ipso actu præsentationis, dicitur quoque, etsi minùs propriè, electio. Lott. *n. 11. & 12.* citans Abb. *in c. 2. de jurepatr. n. 3.* Lamb. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 1. a. 4. n. 2. & 3.* Ejusdem ferè rationis est actus ille nominandi, quo parochiani consueverunt nominare aliquem, vel aliquos coram aliis, putà, capitulo, quem vel quos præsentare solet Capitulum coram Episcopo habente instituere. Lott. *n. 13.* Porrò dum is, qui nominat, jure suo nominat, non vice aut mandato alterius, ità ut qui dein præsentat, non habeat actum præsentationis liberæ, sed teneatur præsentare nominatum vel nominatos, nominatio rapit in se totum jus præsentandi, neque qui præsentat, intelligitur patronus, sed patroni executor. Lott. *n. 15.* Dum verò is, qui nominat, non nominat jure suo, sed jure alieno, alienàque vice, v. g. dum deputati ab universitate nominant, & nihilominùs universitas ex promissione propriâ tenetur sequi nominationem, & nominatum, nullúmque alium aut præter illum præsentare; adhuc patronatus spectabit ad universitatem demandantem vices suas, non ad deputatos illos, eâ ratione, ut factum ab his dicatur factum ipsius universitatis. Lott. *n. 19. & 20.* non obstante nexu illo, quo se universitas obstrinxit ad præsentandum, quem deputati nominâssent, (quin nec obstante, quòd deputatio ea esset facta in perpetuum, ità ut uno ex deputatis defuncto, superstites possint alium ejus loco substituere. Lott. *n. 25.*) cùm semper in illis repræsentetur universitas, & nexus ille oriatur ex ipsius universitatis spontanea voluntate. Undè & actus, qui sequitur, eidem spontaneæ voluntati tribuitur; cùm à primordio tituli posterior formetur eventus. Lott. *n. 22. & seq.* Idque verum, sive post istum actum nominationis sequatur actus præsentationis per ipsam universitatem, seorsim à deputatis præsentantem, sive in eo simul interveniant deputati, qui nominârunt, cùm uterque actus originetur in universitate mandante seu deputante. Lott. *n. 21.* citans Rotam.

3. Secundi generis est primò actus ille, quo ab habentibus eligere solenniter, juxta formam *c. quia propter. de elect.* ante scrutinium in capitulo nominantur seu proponuntur unus vel plures, tanquam viri boni, idonei ad prælaturam, quo actu seu nominatione nullum omninò jus quæritur nominatis, cùm à Collegio proponantur solùm, ut, si placuerint, eligantur, distinguiturque ab ea nominatione, quæ fit in scrutinio, & de hoc actu loquitur c. *quod sicut. de elect.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 18. q. 1.* Laym. *ad tit. de Elect. sub initium, n. 5.* Lott. *n. 27. ex Abb.* Secundò actus ille, quo in scrutinio fertur suffragium, sive quo singuli Electorum aliquem certum secretò nominant, scribendo nomen illius in charta his vel similibus: *Eligo aut nomino Titium;* sed neque per istam nominationem jus ullum quæritur nominato, quamvis publicato scrutinio, ampliùs mutare nequeant sententiam. Azor. *loc. cit.* Lott. *n. 28.* Tertiò: Actus ille, quem ad distinctionem priorum duorum Abb. apud Lott. *n. 27.* vocat nominationem solennem, quo nimirùm duo vel plures, qui cæteris magis idonei judicati sunt, à Collegio Canonicorum nominantur & offeruntur Principi seu Superiori, ut quem ipse ex illis maluerit, confirmet, quâ nominatione oblatâ Superiori, Electoribus variandi sententiam potestas non est. Azor. *loc. cit.*

4. Tertii generis, nimirùm ex Pontificio indulto profluens nominatio duplex est. Prima concessa summis Principibus (quam regiam vocat Azor. *p. 2. l. 6. c. 18. q. 3.*) nempè vel implicita, quales sunt primariæ preces concessæ Imperatori; eæ enim aliud nihil continent, quàm jus nominandi personam, cui conferatur beneficium, sive sint privilegium, vi cujus Imperator in qualibet Ecclesia Germaniæ tantùm potest facere recipi (quæ potestas longè quid diversum est, & minùs à potestate conferendi, cùm recepto non oriatur titulus ex facto Imperatoris, sed ex facto Capituli aut Prælati Ecclesiastici recipientis ex mandato Papæ. Lott. *l. 1. q. 6. num. 47. & seq.* citans Jo. Andr. & Præp.) unum; ità ut per has preces imperiales unus collator non possit gravari, nisi semel, nec etiam una Ecclesia, nisi semel, Lott. *ibid. num. 48.* citans Gratian. *discep. for. c. 478. nu. 15.* quamvis hujusmodi preces eidem personæ pluries respectu diversorum beneficiorum & Ecclesiarum concedi possint. Lott. *num. 49.* de hoc jure precum Imperialium vide Chochier, qui integrum de iis conscripsit tractatum, & dicenda à nobis *sect. 1. seq. c. 1.* Vel explicita, quale est indultum nominandi ad prælaturas sui regni concessum Regi Galliæ. Lott. *l. 2. q. 15. nu. 31.* de quo latè Rebuff. & Tholosan. *syntagm. juris. l. 17. c. 12. num. 24.* Azor. *l. cit.* ubi, quòd vacante Ecclesiâ Cathedrali, vel Metropolitanâ (idem est de Abbatia) Episcopus à Collegio Canonicorum non eligitur, sed Rex intra sex menses vacationis aliquem nominat & offert Pontifici, quem, si in eo nihil requisitorum desit, Papa instituere & creare debet Episcopum; si autem nominatus à Rege idoneus non fuerit, Rex alium quempiam intra tres menses (Lott. *num. 37.* semestre ponit) aptiorem nominare compellitur sub pœna devolutionis; ut Lott. Is verò nominatus habetur idoneus, qui annos ad minimum 27. natus (& quò ad Abbatias 23. annorum) quamvis veteres Canones majorem ætatem requirant, in schola aliqua celebri literarii

hono-

honoris gradibus insignis, v. gr. in Theologia vel jure civili, aut Ecclesiastico Doctor aut Licentiatus. Quamvis & alios nominatos carentes his gradibus Papa creare debet Antistites, ut sunt Episcopi Gentiles & consanguinei aliæque personæ illustres, (sæpè enim utilitas & ratio aliqua temporalis postulat, ut hujus generis viri, postpositis humilioribus & obscurioribus hominibus, ad sacras præfecturas promoveantur.) Item regulares & mendicantes, quibus vi statutorum Ordinis interdictum est istis scholasticis gradibus, modò sint excellentis virtutis & doctrinæ, uti nec isti gradus requiruntur in nominandis ad Abbatias. Porrò hoc jus nominandi interdùm Regi non competit, ut si in aula & comitatu Papæ mortuo præsule vacaverit Ecclesia, cùm tunc solius Papæ nutu & arbitrio creetur Antistes, ità ferè Azor. Altera est nominatio (quam scholasticam vocat Azor.) concessa non solùm in Gallia (de quo integrum tractat. scripsit Rebuff.) sed & alibi celebrioribus quibusdam Universitatibus, seu Academiis favore, ut ait Lott. *n. 33.* pauperum literis incumbentium, seu pauperum graduatorum, ut illis de honesto aliquo subsidio Ecclesiastico succurratur usque ad certam quantitatem; Attributis in hunc finem tertiâ parte beneficiorum exceptis Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus & Cœnobiarchiis, nimirùm quæ quatuor mensibus Januario, Aprili, Julio, Octobri, ut Azor, loquens de Academiis Galliæ, hoc est, tertiâ anni parte vacaverint, ut ea literarum cultoribus ad academicos honorum gradus promotis conferantur ab Episcopo, Collegio, vel aliis, qui jus habent beneficia conferendi, non nisi nominatis a schola publica, seu Universitate, Azor. *loc. cit.* ità ut gratia istius nominationis scholasticæ non recedat à natura exspectativæ, ut Lott. *nu.* 35. Jus enim, quod talis nominatus per eam acquirit, est, ut ei beneficium ea dictis, quod posteà vacaverit, conferatur, Azor. *ibid.* ubi etiam de gradibus, quibus instructus esse, & tempore, quo studiis vacâsse debet quis, ut jure nominari possit, & quod necessarium inter reliqua, ut nominandus declaret beneficia, quæ obtinet, una cum vera justáque annuorum proventuum designatione, cùm eos nominare non liceat, qui beneficio sunt donati ad quantitatem 200. aureorum, ac propterea hujus quantitatis mentio fieri debet. Porrò nominatum per Universitatem, dum ei fit contradictio, teneri justificare suam nominationem, ad cujus executionem agit, probando qualitates in indulto requisitas, & quòd beneficium non excedat valorem taxatum, tradit Lott. *à n. 34. cit. q. 15.* Ex decreto autem Greg. XIII. qui cessit nominationi aut beneficio, ad quod priùs fuisset nominatus, eo ipso redditur inhabilis ad alias nominationes, Lott. *n. 42.* Quòd si autem fuisset nominatus ad alia, quæ adhuc obtinet, non poterit inniti primæ nominationi, nisi justificato, quòd omnia simul non excedunt summam taxatam. Et hæc, dum nominatus est actor, & petit, si enim esset reus & possessor, utique præsumeretur pro validitate & justitia actûs, & dicenti valorem esse supra taxam, & nominatum obtinere alia beneficia, incumberet onus probandi. Lott. *num.* 43. citans Rebuff.

5. Datur & alia nominatio cum dictis nominationibus ex parte symbolizans; nimirùm quæ fit in Ordine Militari S. Joannis Hierosol. in comitiis linguarum juxta ejusdem Religionis statuta, vocatúrque eorum vulgari sermone smutitio, in qua non tantùm prohibetur ambitus, sed imponitur necessitas petendi sub pœna inhabilitatis pro ea vice, juxta *c. 43. tit. de commendis.* Lott. *n.* 44. *& sequentibus.* Ut verò ista nominatio tribuat nominato jus, necessaria est exspectativa magni Magistri, quæ dari solet sine præjudicio majoris Antianitatis alterius cum clausula: *Ex nunc prout ex tunc.* Tribuitur autem per hujusmodi nominationem factam in vim exspectativæ ad minimum jus ad rem, ità ut compelli possit magnus Magister ad conferendum, eóque recusante possit committi causa in Rota, ut Auditor ipse conferat in vim Clem. *Auditor de rescript.* Lott. *num.* 46. In his autem smutitionibus perpetuò præferuntur magis Antiani, tam ex forma concessæ exspectativæ, quàm ex juris communis dispositione, nullâ habitâ ratione majoris merentiæ, utpotè cujus ratio non habetur in aliis quàm dignitatibus conventualibus; habetur tamen etiam ratio incapacitatis personæ, quâ nulla est frequentior, quàm debiti erga commune ærarium, ità ut, qui tempore vacationis seu smutitionis fuerint reperti debitores communis ærarii, sint incapaces ad obtinendas dignitates & Commendas vacantes; quapropter qui intendunt smutire, solent comparere in lingua, & exhibere publicum testimonium Secretarii, quòd non sit descriptus in listis debitorum ipsius ærarii; creditur enim tali testimonio officialis, ad quem ea res pertinet. Lott. *à num.* 47. Vide eundem de hoc pluribus *num. seq.*

SECTIO PRIMA.

De Provisione & Acquisitione beneficiorum per præsentationem & institutionem.

CAPUT PRIMUM.

De Jure patronatûs.

PARAGRAPHUS I.

De Natura & Divisione juris patronatûs.

Quæstio 11. Quotupliciter in jure accipitur nomen patroni & juris patron.

Respondeo: Tripliciter. Primò, pro advocato, & jus patr. pro jure advocatiæ, cujusmodi patroni sunt, qui patrocinium causarum forensium, quæ in judicio agitantur, suscipiunt. Secundò, pro Domino, & jus patron. pro jure civili introducto, quod competit Domino, seu Dominus acquirit pro beneficio manumissionis, quo servum dimittit liberum, in personam liberti, seu servi manumissi ad obedientiam & operas sibi præstandas, de quo exstat tit. in ff. *de jure patronat.* & Cod. *de bonis liberti & jure patr.* Tertiò, pro jure inducto à SS. Canonibus nominandi ad beneficia Ecclesiastica. Pirh. *ad tit. de jure patr. sub initium.*

Quæstio 12. Quid sit juspatronatus hoc ultimo sensu acceptum, & quotupliciter consideretur?

1. Respondeo ad primum: Definiri illud passim ex Abb. *ad c. 3. & in rubr. de jurep.* Jus honorificum, onerosum, & utile, competens alicui in Ecclesia, quòd de Ordinarii consensu eam exstruxerit, fundârit, vel dotârit, aut à suis antecessoribus factum fuerit, quam definitionem explicatam vide apud Barbos. *Juris Eccl. l. 2. c.* 12. *n.* 1. Verùm clarius & breviùs ex Host. *in sum. l.* 1. *n.* 1. quòd sit potestas nominandi seu præsentandi promovendum ad beneficium vacans. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 17. Castrop. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 2. *n.* 1. Pirh. *loc. cit. n.* 1. in ordine nimirùm ad præcipuum actum & exercitium patroni, licèt de cætero multa alia jura competant patrono. Castrop. *ibid.* nimirùm honorificentia & præstatio alimentorum. Addit Host. *ad beneficium simplex*; cùm tamen ad duplicia etiam præsentare possint patroni, quia per simplex intellexit beneficia non electiva, seu quæ Prælaturæ non sunt. Pirh. *loc. cit.* Dat & aliam descriptionem Lott. *l.* 2. *q.* 3. *nu.* 22. *& seq.* quòd nimirùm sit *prærogativa* (quod est genus, complectens sub se omne privilegium, undè & dicimus prærogativam militiæ, seu cinguli militaris) *certa* (per quod restringitur dictum genus ad illa tria: honorificentiam, suppeditationem alimentorum, & præsentationem, quamvis in unoquoque horum sine concursu aliorum possit consistere jus istud seu prærogativa, ità ut non sequatur, non habet jus præsentandi, ergò non habet juspatron. Licèt ritè sequatur, non habet juspatron. ergò non habet jus præsentandi. Lott. *ibid. n.* 23. citans Lamb. *l.* 1. *p.* 1. *q.* 11. *a.* 7. *n.* 8.) *concessa per Ecclesiam* (prærogativa enim ista tota provenit ex concessione Ecclesiæ, quod tamen non facit, quin dicatur competere de jure communi. Lott. *n.* 26. citans Lamb. *ubi antè à.* 4. *n.* 8.) *in retributionem temporalium* (ut hinc constituatur differentia inter hanc prærogativam & alias; dum ista concludit ad causam gratitudinis, in qua consistit radix ipsa & fundamentum patronatûs. Lott. *nu.* 28.) *pro constituendo beneficio Ecclesiastico elargitorum*, ut excludantur aliæ largitiones factæ ex alia causa in Ecclesiam vel beneficium semel in esse suum deductum. Lott. *n.* 29.

2. Respondeo ad secundum: Juspatron. considerari dupliciter, activè & passivè, prout nimirùm activè in persona præsentantis, & passivè seu applicativè in persona præsentati, quatenùs per juspatr. activum, seu activè consideratum fit, ne quis beneficium conferat, nisi ad præsentationem talis præsentatoris, per passivum verò, ut certi v. g. de tali familia sint præsentandi. Lott. *l.* 2. *q.* 11. *n.* 1. Barb. *loc. cit. n.* 25. citans Monetam.

Quæstio 13. Qualiter jus præsentandi, & juspatron. distinguantur?

Respondeo: Omnis, qui habet jus præsentandi, habet etiam juspatron. Sed non omnis, qui habet juspatronatûs, habet jus præsentandi; nam cùm juspatron. non sit aliud, quàm certa prærogativa per Ecclesiam concessa in retributionem, &c. & hæc prærogativa restringatur ad tria illa: honorificentiam, alimentorum suppeditationem, & præsentationem personæ ad beneficium vacans, Ita ut hæc tria considerentur ut effectus jurispatronat. & in unoquoque eorum sine aliorum concursu possit consistere jus illud sive prærogativa, juxta dicta paulò antè ex Lott. Aliam differentiam dat Corrad. *in pr. benef. l.* 1. *c.* 6. *nu.* 338. nimirùm, quòd aliud sit esse patronum, aliud habere jus præsentandi, quia primum respicit petitorium; jus verò præsentandi possessorium, prout etiam, si quis habet jus præsentandi, non sequitur, quòd habeat juspatron. cùm ex alia causa possit competere jus præsentandi, quàm ex jurepatronat. Præsentatio siquidem competit quandóque per viam simplicis petitionis, veluti dum populus petit vel supplicat, ut talis instituatur in Ecclesia, ex eo quòd gratum illum habeat. Sed videtur ab eo accipi præsentatio valdè impropriè, & ad summum pro pura nominatione.

Quæstio 14. Quotuplex sit Juspatronatûs?

Respondeo: Prima divisio jurispatr. est in Ecclesiasticum, laicale, & mixtum. *c. cùm autem. h. t.* Azor. *cit. c.* 19. *q.* 3. Barb. *loc. cit. n.* 3. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 2. cum communi. Secunda divisio in hæreditarium & gentilitium. Barb. *n.* 20. Lott. *l.* 2. *q.* 11. *n.* 3. addens ex utroque fieri tertiam speciem, quæ mixtum dicitur. Tertia divisio in personale & reale. Castrop. *cit. d.* 2. *p.* 4. *n.* 1. Nunc de singulatum harum specierum natura in particulari.

Quæstio 15. Quid sit juspatronatûs Ecclesiasticum?

Respondeo: Esse juspatronatûs, quod bonis Ecclesiæ comparatum est, (intellige nisi postmodum titulo oneroso pervenerit ad laicum, de quo paulò post) vel competit alicui ratione Ecclesiæ (sæpè enim clerici jure Ecclesiarum, quibus præsunt, habent potestatem præsentandi promovendos ad beneficia, Azor. *cit. c.* 9. *q.* 3. & juspatron. competit Ecclesiæ, ex cujus bonu fundatum est beneficium, ità ut juspatronat. radicetur in Ecclesia, & in ejus Rectore tanquam puro ministro nudum hujus juris exercitium. Lott. *cit. q.* 10. *n.* 3.) dignitatis, aut beneficii, quibus annexum, vel à laico Ecclesiæ, monasterio, aliive loco pio donatum, legatum &c. (hoc enim evadit Ecclesiasticum, nisi aliter præservatum fuerit à dicto donatore laico, juxta paulò post dicenda) Castrop. *loc. cit. p.* 2. *n.* 2. citans Vasq. *de benef. c.* 2. *ff.* 1. *dub.* 1. Gonz. *reg.* 8. *Cancell. gl.* 18. *n.* 2.

Quæstio 16. Quid sit juspatron. laicale?

1. Respondeo: Quod competit alicui sive laicus, sive Clericus sit, ratione patrimonii, seu bonorum sæcularium impensorum in erectionem vel fundationem, seu dotationem Ecclesiæ aut beneficii. Less. *cit. c.* 34. *nu.* 19. Barb. *loc. cit. nu.* 13. citans Hojedam. *de incomp. benef. c. ult. n.* 113. Vivian. *de jurep. l.* 1. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 11. undè vides, ad dignoscendum, sitne juspatr. Ecclesiasticum, an laicale, non considerandam personam possidentis illud, sed titulum, quo possidetur. Castrop. *loc. cit.* idem sentit Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 3. citans Abb. *in c. cùm autem. hoc tit. n.* 3. Lamb. *l.* 1. *p.* 1. *q.* 1. *a.* 5. *n.* 3. *&c.* dum ait: Censent DD. juspatron. Ecclesiasticum dici illud, quod competit ratione Ecclesiæ, & laicum, quod ratione patrimonii, sive persona sit laica, sive Ecclesiastica, & clarius *n.* 40. *&* 41. ubi, quòd malè arguatur ad Ecclesiasticitatem, & laicalitatem jurispatron. ex qualitate personarum, quibus applicatur; non enim satis esse, patronum esse clericum, ut juspatr. dicatur Ecclesiasticum, sed exigi, ut competat ratione Ecclesiæ, adeóque non attendendum statum personæ, nisi in ordine ad statum ipsius patronatûs, nimirùm num is sit in dominio Ecclesiæ, vel quia de bonis Ecclesiæ constitutus, vel quia utcunque de bonis patrimonialibus erectus, tamen postmodùm in Ecclesiam aliquam sæcularem vel regularem transfusus, adeò ut ipsa Ecclesia vel monasterium dicatur patronus, & actus præsentationis ei tribuatur. Undè qui opinati sunt, eo ipso quòd patronatus deveniat ad clericum, effici Ecclesiasticum, vel tropicè loqui, ponentes nomen *Clerici* pro ipsa Ecclesia vel beneficio, cujus Rector est Clericus, vel malè sic opinari, citat pro hoc Abb. *in c. cùm vos. de off. deleg. n.* 3. *in fine*, *& in c. eam te. h. t. n.* 4. Declarantur hæc ipsa pluribus in particulari adductis exemplis.

2. Sic itáque juspatron. est laicale primò: Quod non ratione Ecclesiæ vel beneficii Ecclesiastici, sed ratione proprii patrimonii competit Clerico; dum nimirùm is ex bonis suis patrimonialibus, aut industriâ suâ acquisitis (qualia censentur etiam acquisita ex quotidianis distributionibus, utpotè de quibus pro libitu suo potest disponere. Lott. *cit. q.* 10. *n.* 14. citans Jason. *l.* 3. *cons.* 75. *num.* 8.) erexit, dotavit, &c. beneficium. Lott. *ibid. n.* 12. *& seq.* Corra. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 22. Pirh. *n.* 3. Barb. *n.* 14. citans Abb. *in c. dilectus.*

hoc

hoc tit. n. 4. Mandoſ. *ad reg.* 1. *Cancell. q.* 10. *n.* 7. *&c.* Etſi enim ex eo ſolùm, quòd, qui erexit beneficium, eſſet perſona Eccleſiaſtica, & ſimul obtineret reditus Eccleſiaſticos, rectè præſumatur, quidquid in hanc erectionem impenſum eſt, proceſſiſſe ex bonis Eccleſiaſticis, adeòque videatur ſufficienter concludi ad Eccleſiaſticitatem talis patronatûs. Gloſſ. Archid. Præpoſ. Abb. *in c. Apoſtolicos.* Lamb. *loc. cit. a.* 7. *&c.* Vide etiam Corr. *loc. cit. num.* 45. *& ſeq.* nihilominùs admittitur probatio contra dictam præſumptionem, & hæc per eam profligari poteſt. Lott. *loc. cit. à n.* 9. Quin & Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 594. juxta deciſionem, ut ait, Rotæ; dum juspatronatûs à Clerico beneficiato, qui capellam fundavit, relictum eſt ſuis hæredibus aut conſanguineis ex eo, quòd illis relictum in fundatione, & hi erant in quaſi poſſeſſione præſentandi, præſumi, fundatum ex bonis patrimonialibus, cùm aliàs non poſſet illis relinqui, nec fuiſſent admiſſi ad præſentandum. Mandoſ. *tit. de derog. jurep. verb. quæro.* Gonz. *Gl.* 18. *nu.* 107. apud eundem Garc.

3. Secundò: Si Clericus laicis fundatoribus ſucceſſerit. Barb. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit. num.* 58. *&* 54. in fine.

4. Tertiò: Dum Clericus ex bonis acquiſitis Intuitu Eccleſiæ ſeu ex beneficiorum ſuorum reditibus fundat capellam, relinquendo & nominando patronos hæredes ſuos vel conſanguineos, juspatronatûs erit adhuc laicale; ubi conſuetudo eſt, Clericos de talibus bonis poſſe teſtari & diſponere, & in iis ab inteſtato ſuccedi, ſicut in patrimonialibus. Garc. *cit. num.* 594. ubi etiam, quòd ſi in dicto caſu talis Clericus de jurepatronat. nihil diſponat, ſpectet adhuc ad hæredes; ſecus eſt, ubi Clerici teſtari non poſſunt de iſtiuſmodi bonis, tunc enim patronatus pertinebit ad Eccleſiam, & ſic ad ſucceſſores in beneficio vel dignitate fundantis; nec poteſt talis fundans ſibi ut privato aut conſanguineis, aut aliis id applicare. Garc. *ibid.*

5. Quartò: Idem dicendum de Epiſcopis habentibus Indultum & facultatem teſtandi à Papa, fundantibus juspatron. ex bonis acquiſitis ex Epiſcopatu, illúdque relinquentibus ſuis conſanguineis, vel aliis laicis benè viſis, juxta Garc. *loc. cit. n.* 595. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 2. nimirùm illud eſſe laicale, eò quòd jam talia bona per dictum indultum Pontificium, quo conceditur poteſtas de iis diſponendi tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, effecta jam ſint de patrimonio ipſius Epiſcopi ſeu Prælati. Lott. *ibid.* Et quidem de jure communi eſt laicale, dicto privilegio ſeu indulto cadente ſolùm ſeu extendente ſe ſuper removendo impedimento juris poſitivi, quo inhibetur libera diſpoſitio de talibus bonis, & non ſuper acquirendo jurepatronatûs; hoc ſiquidem ſublato impedimento, indultarius ea liberè impendit, in quem uſum maluerit, adeóque dum ea impendit in fundationem beneficii & acquirendum juspatr. id facit liberè; non ſecùs, ac dum Ordinario impedito conferre propter reſervationes Apoſtolicas conceditur, ut illis non obſtantibus conferat, privilegium cadit ſuper remotione impedimenti, non ſuper actu collationis ſecuturæ, ſed hæc dicitur Ordinaria; ſicut ſi ligato pedibus ſolvantur vincula, beneficium diſſolutionis conſummatur in diſſolutione vinculorum, actus autem ſequentis ambulationis eſt actus hominis liberi, diſtinctus ab illo beneficio. Lott. *à num.* 34. imò dum teſtari non poſſunt Epiſcopi, fundant tamen aut dotant inter vivos capellam vel beneficium, ſolere illos, ut ſæpè fit in Hiſpania, juspatronat. relinquere ſuis conſanguineis, abſque eo, quòd Eccleſia ſeu ſucceſſor in Epiſcopatu, vel Camera Apoſtolica, ad quam bona relicta ſpectant, in eo ſuccedant, aut ſe intromittant, adeóque ſtante hâc conſuetudine etiam illud juspatronat. conſanguineis laicis relictum fore laicale, ait Garc. *loc. cit. n.* 596. & 597. ſecùs tamen, dum Epiſcopus ex devolutis ad ſe bonis feudalibus, antequam per ipſum incorporentur menſæ ſuæ, fundaret beneficium cum reſervatione jurispatr. pro ſuis conſanguineis laicis; nimirùm jus illud patronatûs minimè reputari laicale, & eam reſervationem patronatûs eſſe inutilem, ait Lott. *à n.* 24. eò quòd cùm bona illa ſint de dominio Eccleſiæ, & factâ devolutione, etiam ante incorporationem, dicantur pleno jure pertinere ad Eccleſiam, improbabile eſt, ut patronatus alteri quàm Eccleſiæ acquiratur; unde ſi Papa confirmaret talem reſervationem patronatûs factam laicis, ex quo non habet cauſam radicatam in jure communi, ea judicabitur ex mero privilegio. Lott. *loc. cit.* ubi etiam *numeris ſeq.* contra Monach. oſtendit, non eſſe plus ſeu majoris præjudicii Eccleſiæ bona Eccleſiæ dare in feudum, quàm ex eorum applicatione in erectionem beneficii conſtituere juspatr. laicis.

6. Quintò: Tametſi, ut dictum, dum beneficium fundatum ex bonis Eccleſiaſticis, juspatr. etiamſi dein tranſeat ad laicos, adhuc ſit & maneat Eccleſiaſticum, Barb. *loc. cit. nu.* 16. id tamen intelligendum, dum laicus acquirit dictum juspatr. titulo merè lucrativo v. g. donatione. Barb. *ibid.* Pith. *num.* 4. ſi enim illud acquirat titulo oneroſo, v. g. permutationis auctoritate Apoſtolicâ, mutat ſuam originalem naturam, & efficitur laicale, non ſecùs ac bona Eccleſiaſtica fiunt laicalia & patrimonialia juxta conditionem perſonæ laicalis, cui adhærent, ne alioquin in nimis exorbitante lucro verſaretur Eccleſia, ſi utrumque, nimirùm quod illa dat in dicta permutatione, & quod illa accipit à laico, maneret Eccleſiaſticum; quod alienum videtur ab honeſtate Eccleſiæ, quæ religioſa cultrix & auctrix eſt juſtitiæ, dum non patitur, contra juſtitiam fieri aliquid in ſe vel in alterum. AA. iidem *ibid.*

7. Sextò: Si laicus fundans de bonis propriis beneficium, juspatron. reſervet Eccleſiæ ſub hac lege, ut ad eam pertineat, non tanquam Eccleſiaſticum, ſed tanquam laicale, erit patronatus laicalis, inſpecto nimirùm ejus fundamento & origine; lex enim iſta fundatoris præſervat illud in eodem ſtatu, & aliud hîc nihil mutatur, quàm perſona habentis miniſtrare, per quam mutationem non mutatur qualitas illa naturalis ipſius rei. Lott. *loc. cit. & n.* 5. citans Spino. *in ſpeculo de teſtam. Gl.* 4. *nu.* 17. non obſtante, quòd aliàs tranſlato à laico jurepatr. aliàs laicali in Eccleſiam, illud evadat Eccleſiaſticum, & non attendatur ampliùs origo. Lamb. *loc. cit. a.* 8. Covar. *c.* 36. *n.* 5. Pariſ. *vol.* 4. *conſ.* 35. *n.* 11. id enim intelligendum, niſi aliter in ipſo actu tranſlationis conventum. Lott. *num.* 7. Barb. *loc. cit. num.* 12.

8. Septimò: Dum laici vacante Eccleſiâ vel beneficio nominant Rectorem, quem capitulum vel perſona Eccleſ. præſentat Epiſcopo, juspatr. eſt laicale, quia in hoc caſu laici nominantes potiùs dicuntur patroni, cùm præſentans ſit potiùs procurator, quàm præſentans, quia actus illius non eſt liber, ſed neceſſarius, & qui nominant, non habent ſolùm conſentire, ſed potiùs præſentatio videtur ab iis facta, ità ut, ſi præſentans nollet nominatum præſentare intra tempus, is haberetur pro præſentato, Garc. *loc. cit. n.* 616. ex Gamb. *l.* 3. *num.* 392. contra Jo. And. è contra juspatron. non erit laicale, ſi laicus præſentare debet cum conſenſu Eccleſiaſtici; ſecùs ſi tantùm cum conſilio Eccleſiaſtici, quia id non teneretur ſequi. Garc. *ibid.* ex Puteo. *l.* 2. *deciſ.* 506.

9. Econtrà juspatronat. eſt Eccleſiaſticum primò: Quod etſi ortum habeat ex patrimonio vel bonis laici, fuit tamen vel ab initio, v. g. in fundatione à fundatore, etiam laico, præſervatum perſonæ Eccleſiaſticæ, vel poſtmodum hæreditate, donatione, vel quovis alio titulo tranſlatum in Eccleſiam, collegium clericorum, vel in perſonam Eccleſiaſt. etiam privatam ratione dignitatis vel beneficii, annectendo illud beneficio. Leſſ. *loc. cit. n.* 20. Pith. *loc. cit. n.* 3. Garc. *p.* 5. *cit. n.* 553. Barb. *n.* 10. citans Lamb. *ubi antè a.* 1. Rebuff. *in pr. tit. de præſent. n.* 5. *&* 7. Pariſ. *de reſign. l.* 2. *q.* 4. *nu.* 39. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *nu.* 6. citans Covar. *c.* 36. *n.* 5. Pariſ. *vol.* 4. *conſ.* 35. Corrad. *l.* 4. *c.* 2. *num.* 50. factâ enim hujuſmodi tranſlatione non attenditur ampliùs origo illius, intelligendo nimirùm hæc ſub dicta limitatione; niſi transferens illud aliter ſtatueret.

Secundò: Quod competit v. g. Epiſcopo ratione dominii alicujus temporalis, v. gr. Comitatûs vel Ducatûs alicujus competentis eidem Epiſcopo occaſione ſeu ratione ſuæ Eccleſiæ, cùm illud juspatr. habeat ortum & cauſam à Dominio illo ſeu comitatu, qui eſt Eccleſiæ, ſeu in bonis Eccleſiæ. Garc. *l. cit. nu.* 555. citans Velaſc. *p. 2. conſult. 163. ad finem.* Barb. *n.* 8.

11. Tertio: Juspatron. cenſetur adhuc Eccleſiaſticorum & Eccleſiaſticum, quod competit laicis utriúſque ſexûs religioſè viventibus, habitum religioſum geſtantibus, gaudentibúſque privilegio fori & Canonis. Barb. *loc. cit. n. 7.* Lott. *l. 2. q. 10. n. 44.* citans Suar. *de cenſur. to. 5. d. 22. ſ. 1.* Maſcard. *de prob. concluſ.* 960. *nu.* 2. & 6. Lamb. *ubi antè a. 10.* Gig. *de penſ. q. 24. n. 5.* Et in ſpecie, quod competit Beginis, monialibus, Abbatiſſis. Garc. *loc. cit.* citans pro hac *nu.* 554. expreſſam Rotæ deciſionem. Item quod ſpectat ad illas tertii Ordinis S. Franciſci, non ut ſingulas, ſed ut univerſas. Garc. *n.* 556. citans præter paulò antè citatos Selv. *de benef. p. 3. q. 11. n. 3.* Felin. Roch. &c. Lott. *n.* 47. Item quod ſpectat ad magiſtros ſeu Milites Ordinum militarium D. Jacobi Calatravæ, Alacantaræ, &c. etiam conjugatos ratione magiſtratuum aut præceptoriarum ſeu Commendarum. Garc. *ibid.* citans Maſcard *ubi antè n. 3.* & ex eo Barb. *loc. cit. n.* 8.

12. Quartò: idem dicendum videtur de jurepat. nimirùm eſſe Eccleſiaſticum, quod competit confraternitatibus vel ſodalitatibus laicorum aliorum, juxta Garc. *loc. cit. n.* 606. Lamb. *p. 1. l. 1. q. 1. a. 10. n. 4. & 5.* Guttier. *qq. Can. l.* 1. c. 35. *n.* 24. & plures alios apud Garc. dum dictæ confraternitates affixæ ſunt alicui Eccleſiæ, & maximè ſi ab Ordinario ſint approbatæ; quia tunc, ut Lamb. licèt ipſi confratres ſint laici, & ex ſua perſona non dicantur patroni Eccleſiaſtici, tamen quatenùs faciunt collegia, quæ Eccleſiæ adhærent, benè dicuntur patroni Eccleſiaſtici, & ità etiam pro rebus communibus ipſius confraternitatis conveniuntur coram judice Eccleſiaſtico, & non coram laïco, licèt de aliis eorum rebus, & delictis conveniantur coram judice laico ſeu ſæculari. Sunt etiam ipſæ tales Univerſitates, etſi ſint univerſitates laicorum, ut Garc. *n.* 606. dum ab Ordinario ſunt approbatæ (vel etiam abſque dicta approbatione, ut Caſtillo Menoch. Sfortia &c. apud Garc.) loca pia, & de foro Eccléſiaſtico, quin & loca religioſa; undè jam habebunt ſemeſtria ad præſentandum, nec poterunt variare ut laici. Garc. *nu.* 607. Quamvis ex æquitate ad effectum derogationis & reſervationum illud juspat. iſtiuſmodi confraternitatum cenſendum ſit laicale, Garc. *n.* 608. Contrarium tamen ſentientibus de his confraternitatibus, dum confratres non induuntur aut diſtinguuntur ſigno aliquo religionis, dum ipſi capellam aliquam vel beneficium collatis ſymbolis, vel aliter ex bonis ſæcularibus fundant; quamvis illi in aliquibus locis vocentur Eccleſia. Leſſ. *loc. cit. n.* 21. Azor. *l.* 2. c. 28. §. *item jusp.* Corr. *l. 4. c. 2. n.* 54. Barb. *n.* 15. Covar. *qq. practic. c.* 36. *n.* 8. Navar. *de foro comp. conſ.* 3. Fuſc. *de viſitat. l. 2. c.* 14. *n.* 12. & alii citati à Barb. & Garc. *n.* 604. juxta deciſ. Rotæ *in Valent. benef.* 16. *Octob.* 1576. quam *ibid.* refert Garc. eò quòd dictæ confraternitates non gaudentes privilegio fori & Canonis dici non poſſint perſonæ Eccleſiaſticæ, nec pium collegium, & licèt causâ pietatis inſtitutæ ſint, & affixæ alicui Eccleſiæ, ipſi tamen, ex quibus Collegium hoc vel univerſitas conſtat, & ad quorum ſuffragia ſit præſentatio, ſint merè laici, & hanc univerſitatem laicorum, præſentatio ſpectet, & non ad Eccleſiam, nec ad aliquam Eccleſiaſticam dignitatem. Contrarium quoque ſentit Lott. *cit. q. 10. à n.* 45. aitque conſtare, perperam ſic ſenſiſſe A A. oppoſitæ ſententiæ, eò quòd ſupponatur juspatron. ſpectare ad Eccleſiam, cui confraternitas eſt affixa, & jam recedatur ab hypotheſi, in qua verſamur; nimirùm quòd illud competat ipſi confraternitati, vel retinetur eadem hypotheſis, nimirùm quòd confratribus in ſolidum jus illud competat, & ſic excludimus illud ab Eccleſia, & jam impoſſibile eſt, illud dici Eccleſiaſticum, aut fieri argumentationem à Beginis vel ſororibus tertii Ordinis; cùm hæ ſupponantur propter religionem, quam habent, facere collegium vel monaſterium, quod reputatur Eccleſiaſticum, & vel ſic Eccleſiam, cui juspatr. eſt acquiſitum; neque enim quæritur, an confraternitates tales, ſint loca pia ratione alterius operis, ad quod inſtitutæ, vel etiam, an ſint ſubjectæ foro Eccleſiaſtico; quia inſtitutæ auctoritate Eccleſiaſticâ (quod utrumque admittit Lott.) ſed an ſint collegia Eccleſiaſtica ratione alicujus Eccleſiæ, cui juspatron. quæſitum ſit, quod quia non ſunt, etſi de cætero in pluribus ſubjectæ ſint Epiſcopali juriſdictioni, affixæ etiam ſint Eccleſiis, in quibus habent oratoria, etiamſi inſuper inſtitutæ auctoritate Epiſcopi, juspatron. iis competens non eſt Eccleſiaſticum, ſed neque habent privilegium fori, quale in univerſum habent perſonæ Eccleſiaſticæ.

13. Quintò: Juspatron. competens ſeu relictum operariis, hoc eſt, præfectis fabricæ Eccleſiæ ſeu œconomis Eccleſiæ laicis, eſt adhuc Eccleſiaſticum juxta eundem Garc. *p.* 5. c. 1. *nu.* 599. citantem pro hoc Hieron. Paul. *in practic. Cancellar.* Lamb. *loc. cit. a.* 10. *n.* 6. Maſcar. *concl.* 960. *n.* 14. Rebuff. *in praxi tit. de præſent. n.* 6. Gamb. *de off. leg. l. 3. n.* 390. *& n.* 145. eò quòd licèt ſint laici, competat tamen iis illud jus patr. ratione officii & adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ, adeòque illud iis non proveniat ex eorum perſonis, ſed ex ipſa Eccleſia ut Hieron. Paul. ac ità repræſentant quoad hanc adminiſtrationem perſonas Eccleſiaſticas, quibus de jure competit cura fabricæ & adminiſtratio bonorum Eccleſiæ. Verùmque id putat Garc. *ibidem.* contra Gamb. etiamſi iſti præfecti fabricæ laici deputati non ſint vel confirmati ab Epiſcopo, ſed à parocho vel ab aliis, ad quos de conſuetudine id pertinet. Contrarium quoad principalem ſententibus Felin. *in tr. quando litera Apoſtolica. limit.* 4. Covar. *cit.* c. 36. *num.* 8. Selva. *p. 3. q. 11. n.* 60. Roch. *de jurep. V. jus. q. 3. num.* 17. Azor. *p.* 2. c. 28. & alii, quos citat & ſequitur Lott. *cit. q.* 10. *n.* 48. Ex eo, quòd illi ſint laici non gaudentes privilegio fori & canonis, etſi ratione muneris conveniri poſſint in foro Eccleſiæ; ſed neque illud juspatron. habeant ab Eccleſia, hoc eſt, ratione Eccleſiæ aut beneficii (non enim per hoc, quòd deputentur ad tale munus, creatur aut mandatur illis officium aliquod in Eccleſia ipſa cum ſuperioritate vel poteſtate aliqua, ſed nudum exercitium ſeu miniſterium convertendi aliquos reditus in cauſam fabricæ ſub onere reddendi rationem miniſtris ipſius Eccleſiæ, ut Abb. Auſtrer. & alii apud Lott. *n.* 53.) ſed competat illis ratione muneris, quod utconque dici poſſit dependens ab Eccleſia, aut ei adjectum, eſt tamen quid penitùs ab Eccleſia ejúſque juribus diſtinctum & remotum, & prorſus laicale. Lott. *cit. nu.* 53. *&* 58.

14. Sextò: jusp. ſpectans ad hoſpitalarios, id eſt, adminiſtratores hoſpitalium, etiam laicos, eſt Eccleſiaſticum; dum hoſpitale fundatum eſt auctoritate Epiſcopi, juxta Garc. *n.* 600. Lamb. *ubi ſupra n.* 7. & Gamb. *n.* 413. eò quòd hoſpitalia ſic erecta ſint loca pia, religioſa, gaudentia privilegiis Eccleſ. ut Selva. *p. 1. q. 6. n.* 8. Tiraquel. *de privileg. pia cauſa in præfatione.* Mandoſ. *de ſignat. gratia c. ult. n.* 6. Guttier. *loc. cit. n.* 29. Zerola. *in pr. p. 1. V. hoſpitale &c.* apud Garc. *nu.* 601. gaudeántque etiam immunitate. de Gonniſ. *de immunit. Eccleſ.* Covar. *l.* 2. *var. reſol.* c. 20. *n.* 4. Maſcard. &c. etiam dum non haberent Eccleſiam annexam in forma ſolenni Eccleſiæ, ut *cit. num.* 601. inſinuat Garc. Idem ſe tenere dicit *n.* 602. Garcias contra Gamb. *l. 5. rubric. de poteſt. leg. circa hoſpitalia,* & plures alios, nimirùm eſſe adhuc juspatr. Eccleſiaſticum, etſi hoſpitale non ſit erectum vel approbatum auctoritate Epiſcopi, eò quòd licèt tunc non ſit locus ſacer vel religioſus, & ſic non gaudeat immunitate, ut Gonn. Cabedo &c. videatur tamen adhuc eſſe locus pius, & de juriſdictione Eccleſiaſtica, & gaudere privilegiis Eccleſiæ, cum cauſa pietatis ſit inſtitutum, juxta *c. de Xenodoch. & religioſ. domibus,*

bus,

bus, & ca, quæ habentur in Trid. *sess.* 22. c. 8. 9. utpote locum habentia in hospitalibus & locis piis privatis, neque auctoritate Ecclesiasticâ institutis, ut censet S. Congreg. Concilii. Et hoc adhuc, ut Garc. *n.* 603. Etiamsi hospitale non est perpetuum, sed à fundatore vel ejus successore revocari potest; cùm id non tollat, quin interim dici possit locus pius, vel saltem causa pia, seu opus pium. Selv. *loc. cit. n.* 6. Sfortia Odus. *de in integ. restitut. p.* 1. *q.* 3. *a.* 6. *n.* 48. & plures alii apud Garc. *n.* 603. & quælibet causa pia gaudet privilegiis, quibus gaudet Ecclesia. Tiraq. *de privileg. causa pia privileg.* 140. Sylv. V. liganim.

15. Septimò: similiter ex eadem causa Ecclesiasticum esse juspatron. quod spectat ad collegia instituta pro sustentatione pauperum studentium vel aliorum egenorum, tenet Garc. *n.* 612. eò quòd & hæc sint loca pia gaudentia privilegiis Ecclesiæ, & si instituta auctoritate Ecclesiasticâ, etiam sint loca religiosa. Gironda *de gabell. p.* 7. *n.* 42. Azevedo &c. apud Garc. & reputantur Ecclesiastica; licèt major pars sint laici. Roch. Barbatt. Card. Albanus, quamvis dictum juspat. saltem ubi major pars est laicorum, ex æquitate ad effectum derogationis & reservationum videatur censendum laicorum. Garc. *ibid.*

Quæstio 17. *Quid sit jusp. mixtum?*

Respondeo: quod ex patronis laicis & Ecclesiasticis coalescit. Castrop. *loc. cit. num.* 2. sive quod pertinet partim ad Ecclesiasticum, partim ad laicum. Barb. *loc. cit. n.* 17. citans Monet. *c.* 10. *n.* 220. Verùm tamen juspatr. non dicitur mixtum ex solo concursu Ecclesiæ seu patroni Ecclesiastici & patroni laici; sed illud tantùm, quod æqualiter utrique competit; nam si ex tribus vocibus duas habet Ecclesia, judicatur totum Ecclesiasticum; econtrà si duas habeat laicus, totum erit laicale. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 67. citans Lignarium *in c. dilectus.* 3. *de constitut. n.* 3. Roch. *de jurep. v. jus. n.* 16. qui ultimus rectè paritatem hanc accipiendam ait, non ex paritate personarum, sed ex parte suffragiorum; mixtum enim dicitur, quod ex conventione & permistione plurium specierum compatibilium confectum est. Lott. *n.* 62. Menoch. *cons.* 461. *n.* 16. Estque mixtum aliud constitutivum, nempè novæ seu tertiæ speciei, quod confectum est ex speciebus in quantitate æqualibus: aliud non constitutivum, cui alia species in minore quantitate admixta; adeóque est retentivum propriæ speciei; cùm ista admixtio simplicem quantitatem inferat, nec mutet substantiam speciei, cui admiscetur; utcunque enim possit & hoc dici mixtum; tamen, quia prævalet altera species, illa sola attenditur tanquam magis potens, & ex ea sola accipit denominationem. Lott. *n.* 65. & 66. Contrarium tamen, nimirùm, etiam ubi unus est patronus laicus, & duo vel plures Ecclesiastici, dicendum adhuc esse non Ecclesiasticum, nec laicale, sed mixtum, sat indicat Castrop. *loc. cit. p.* 2. *n.* 3.

Quæstio 18. *An igitur patronatus coalescens ex laicis Ecclesiasticis personis quoad jura & effectus censendus sit laicus vel Ecclesiasticus?*

Respondeo: In articulo præjudicii, quod potest inferri patronatui hujusmodi mixto, in quo nimirùm est dicta vocum æqualitas, censetur is merè laicalis, v. g. quoad effectum exclusionis, reservationis, prout etiam censetur laicalis ad hoc, ut in eo non requiratur forma examinis per concursum pro conferenda parochiali. Lott. *n.* 68. 75. & 76. citans Roch. *ubi antè n.* 15. Lamb. *l.* 2. *p.* 3. *q.* 9. *a.* 9. *n.* 1. Hojed. *de incomp. benef. p.* 1. *c.* 24. *num.* 114. &c. Barb. *loc. cit. n.* 18. citans Mand. *ad reg.* 1. *cancell. q.* 10. *n.* 8. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 18. *n.* 13. &c. Et nequaquam pars Ecclesiastici tanquam dignior trahit ad se partem laici, ut perperàm, & juxta decis. Rotæ erroneè senserunt Æneas de Falcon. & Staphil. apud Lott. *cit. n.* 76. sed potiùs Clerico suffragatur privilegium laici, & econtrà. Abb. *in c. dilectus. de offic. leg. ut n.* 5. Felin. *in c. multorum. de judæis. n.* 3. Feder. de Senis. *cons.* 65. *n.* 1. apud Lott. *cit. n.* 68. dum enim agitur de favore vel odio, juris ministerio opportunè aut retinetur, aut dissolvitur ista mixtura; unde sicut mixtum comprehenditur in favorabilibus sub simplici, ita in odiosis minimè. Lott. *n.* 70. citans Surd. *cons.* 453. *n.* 49. Zeminaldi Ruinum, Bero, &c. Hæc eadem procedere, nimirùm non cadere sub regula reservationum beneficium: esse locum mutationi, dari quadrimestre ad præsentandum, si patronatus constaret ex duobus Ecclesiasticis & uno laico, tenet Castrop. *cit. n.* 3. citans Perez de Lara. *l.* 2. *de capellis. c.* 9. *n.* 16. eò quòd conjunctio patronorum Ecclesiasticorum non debeat præjudicare laico. Idem tenet C. de Luca *de Jurep. in summ. n.* 47. *in fine.* dum ait: probabiliùs magisque receptum est, idem tenendum de mixtura inæquali, quod dictum de æquali, ut nempe attendatur semper ea pars, quæ favorabilior est, magisque expedit pro respectuum diversitate, adeóque practicatur limitatio axiomatis illius: quòd una & eadem res diverso jure censeri non debeat, dum idem juspatr. pro diversitate effectuum seu respectuum quandoque Ecclesiastici, quandoque laicalis jure meritur; ait insuper idem Card. *n.* 48. hæc procedere, ubi jusp. tam in habitu, quàm in usu seu exercitio pro æqualibus vel inæqualibus portionibus pertinet partim ad laicos, partim ad Ecclesiasticos. Secùs ubi penes laicos residet quoddam juspatr. habituale seu honorificum, actuale verò est tantùm penes Ecclesiasticos; quia tunc jure Ecclesiastici quoad dictos effectus totum censetur, idque, etiamsi laici in exercitio aliquam habeant participationem, putà jus nominandi unum vel plures præsentandos ab Ecclesiasticis, dummodò nominatio ista non sit coactiva, sed consultiva, ut persona laicis grata præsentetur. Sic olim fiebat; & commendabile esset, ut hodiedum quoque fieret, nisi laici sibi ipsis hoc malum intulissent per abusum Ecclesiasticæ indulgentiæ, dum ea, quæ consultivè & ex dicto motivo practicari solebant, prætendere cœperunt importase jus coactivum inalterabile. Ita ille.

Quæstio 19. *An igitur, dum juspatron. est Ecclesiastici, & laici, & facta est conventio seu concordia de alternis vicibus præsentando, in turno Ecclesiastici censeatur Ecclesiasticum, in turno laici laicale.*

1. Respondet affirmativè Garc. *n.* 614. citátque Jo. And. *in c. cum illis. de preb. in* 6. Roch. *V. jus. q.* 6. & alios. Unde si pro turno Ecclesiastici beneficium vacaret in mense Apostolico, beneficium caderet sub reservatione, & tamen Ecclesiasticus consumeret turnum suum; tunc enim Papa providet loco illius, & aliàs fieret præjudicium laico; econtrà, si vacaret pro turno laici in mense Apostolico, non caderet sub reservatione, & si provideretur à Papa cum derogatione jurispatron. mixti non habet locum derogatio. Vide de hoc Garc. *num* 615.

2. Contrarium tamen probabilius tenet Lott. *cit. q.* 10. *n.* 98. ubi ait deceptum, & errâsse Garc. reputando merè Ecclesiasticum, & cadere sub reservationibus Apostolicis, dum facultas præsentandi est in turno Ecclesiæ; eò quòd dum in tali patronatu constituitur turnus, non ideò dissolvatur ea mixtura, nec turnus ille dividat juspatr. aut jus præsentandi, utpote quod est individuum; sed tantùm usum & exercitium, ut Innoc. *in c.* 1. *de Jurep. n.* 1. Vitalin. *in clem. plures. de Jurep. n.* 3. & 8. durante autem illâ mixturâ & individuitate juris istius patronatûs, non possit juspatron. mixtum cadere sub reservatione, ac ideo turnus hic minimè efficit, ut hinc solidetur jus dictum ab exercitio in exercitio, ita ut cadat sub reservatione, ut Gonz. *ad reg. de mens. gl.* 45. §. 3. *n.* 35. Sed potiùs, ut nisi hoc Papa intelligat, non

cen-

censeatur voluisse præjudicare patrono existenti in turno. Lott. *nu.* 100. non obstante, quòd existens in turno dicatur vice suâ præsentare, ità ut ad eum dicatur pertinere præsentatio; stant enim hæc simul, quòd turnarius præsentet vice suâ, & præsentatio hâc vice ad eum pertineat, & nihilominùs beneficium jurispat. mixti non cadat sub reservatione propter mixturam, quæ non habet suas radices in eo exercitio, sed in ipso jure individuo. Lott. *n.* 101. & 102.

Quæstio 20. Quid sit jusp. hæreditarium, qualiter præsumatur tale in dubio?

1. Respondeo ad primum juspatron. hæreditarium est, quod transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos. *c. 3. h. t.* Lott. *l. 2. q.* 11. *n.* 19. Barb. *cit. c.* 12. *nu.* 20. citans Moner. *de ult. volunt. c.* 11. *n.* 134. Mateschnt. *var. resol. l.* 2. *c.* 55. *n.* 8. Bonacos. *to.* 1. *comm. opin. l.* 4. *tit.* 5. *n.* 36. Covar. &c.

2. Respondeo ad secundum: In dubio præsumendum est, juspatr. esse transitorium ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, ubi ex fundatione vel aliundè non docetur de contrario. Lott. *loc. cit.* Barb. *loc. cit.* citans Lamb. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 15. Marant. *l.* 2. *controv. resp.* 16. *n.* 23. &c. Cùm enim de jure communi juspatr. sit transitorium ad hæredes quantumcunque extraneos. Lott. *ibid.* citans Lamb. *ubi antè.* Molin. *de primogen. l.* 1. *c.* 24. *n.* 7. Didac. *var. resol. l.* 2. *c.* 18. *n.* 6. &c. censetur in dubio fundator voluisse se conformare cum juris communis dispositione. Lott. *ibid. num.* 20. & 21. dicens esse communem sententiam, sempérque urgere præsumptionem, patronatum non esse gentilitium, sed hæreditarium, juxta *c.* 1. & 2. *h. t.* ubi Abb. *nu.* 3. & 4. quæ tamen præsumptio eliditur ità, ut potiùs præsumatur gentilitium, si in provisionibus semper fuit habita mentio familiæ & descendentiæ, nunquam verò hæreditariæ qualitatis, vel quando spatio 100. annorum nullus extraneus aut fœmina in eo præsentavit. Barb. *l. cit. n.* 23.

Quæstio 21. Quid sit juspatron. gentilitium seu familiare, qualiter hæc qualitas patronatui imprimi possit, & perseveret, aut transeat?

1. Respondeo ad primum: Patronatum illum dici gentilitium, quem fundator voluit pertinere ad gentem seu familiam suam aut alterius personæ à se dictæ. Lott. *cit. q.* 11. *n.* 3. Barb. *n.* 22.

2. Respondeo ad secundum: Potest hæc qualitas imprimi patronatui per fundatorem quandocunque, etiam post ipsam fundationem, accedente consensu Ordinarii. Lott. *n.* 4. citans decis. Rotæ 675. *n.* 2. *p.* 1. *recent.* eò quòd licèt translatio patronatûs attentari nequeat in præjudicium illius, cui est jus quæsitum, etiam ex sola possessione bonæ fidei (veluti quia non clam & precariò, sed palam & jure suo præsentavit) & hinc ista translatio fieri nequeat in præjudicium gentilium, ubi pro gente reservatus fuit. Lott. *n.* 5. & 6. citans Covar. *var. resol. l.* 2. *c.* 18. *n.* 10. Molin. *de primog. Hisp. l.* 1. *c.* 24. *n.* 31. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 69. cessat nihilominùs hoc præjudicium, dum patronatui purè hæreditario imprimitur hæc qualitas, quin & impressio hæc tendat in favorem Ecclesiæ, utpotè cui hâc ratione aperitur spes libertatis post extinctam familiam, atque ità fingatur favore Ecclesiæ, quòd sic fuerit à principio cautum. Lott. *à num.* 17.

3. Respondeo ad tertium: hæc gentilitia qualitas semel impressa continuat, quousque gens ipsa seu familia durat intransmissibiliter, præterquam si transmissio ab ipso fundatore fiat. Lott. *nu.* 10. ex Lamb. *l.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *a.* 8. *n.* 4.

4. Respondeo ad quartum: Finitâ familiâ transit ad hæredes, & efficitur hæreditarius. Anchar. *cons.* 81. *num.* 4. cujus sententiam esse communem & veram contra solum Gemin. *cons.* 45. *n.* 7. ait Lott. *n.* 11. nisi fortè aliud disposuisset fundator, v. g. reservando patronatum pro tali familia taxativè seu tantùm, vel cum alio signo æquipollente; tunc enim vi pacti singularis procederet illa exclusio hæredum. Lott. *n.* 12. & 13. Paris. *cons.* 84. *num.* 6. *l.* 4. Quin imò etiam durante familiâ posse talem patronatum alienari in præjudicium alienantis, & sic transire ad hæredes extraneos, quatenùs alii non impugnant, contra quos tamen etiam præscribi potest, ait Lott. *n.* 14.

Quæstio 22. Quid sit juspatr. mixtum, intellige ex hæreditario & gentilitio?

Respondeo: Patronatum reputari mixtum, dum fundator utramque qualitatem, nempè hæredis & gentilis in successore exegit (eæ enim compatibiles sunt) ità ut tunc non admittatur, nisi qui hæres sit simulque gentilis; extraneus verò repellatur. Lott. *cit. q.* 11. *n.* 41.

Quæstio 23. Qualiter juspatr. de hæreditario efficiatur gentilitium, & contra, vel etiam mixtum?

1. Respondeo ad primum: Posse post fundationem perfectam Episcopum, si super hoc instet fundator ipse, qualitatem jurispatr. ità mutare, ut de hæreditario fiat gentilitium. Lott. *loc. cit. q.* 47. *nu.* 64. minimè tamen hoc poterit ad instantiam successorum in patronatu. Lott. *n.* 65. citans Felin. *in c. cum accessissent. de constit. n.* 19. Ferret. *cons.* 134. *num.* 5. Rotam *in Pistoriensi jurisp.* 31. *Martii* 1628. Cum agatur tunc de mutanda voluntate defuncti. Potest item fundator de consensu Episcopi, ut dictum, post constitutum juspatr. eidem imprimere, seu potiùs insuper adjicere qualitatem gentilitii, sed tunc de purè hæreditario efficietur mixtum. Porrò posse fundatorem in codicillo declarare, an juspatr. fuerit gentilitium, an hæreditarium? Quin & posse eundem non minùs in codicillis, quàm in ipsa fundatione de consensu Ordinarii hoc vel illo modo qualificare patronatum, tradit Corrad. *pr. benef. l.* 2. *c.* 12. *n.* 57. juxta decis. Rotæ 675. *n.* 2. *p.* 1. *recent.* Abb. *l.* 1. *cons.* 59. *n.* 3. Paris. *l.* 4. *consil.* 35. *n.* 5.

2. Respondeo ad secundum: Gentilitium mutari in hæreditarium, seu transire ad purè hæredes extinctâ seu finitâ familiâ, cui reservata fuerat, juxta dicta paulò suprà.

Quæstio 24. Quid sit juspatr. personale, & reale?

Respondeo: Personale est, quod à rebus & possessionibus distinctum personam comitatur, utpotè competens personæ ratione personæ, quale est, quod tibi tuisque hæredibus & successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel privilegium à Papa concessum. Reale est, quod rebus ipsis inhæret, v. g. quod tibi competit ratione alicujus villæ, castri, vel prædii, cui ex fundatione annexum est. Castrop. *cit. d.* 2. *p.* 4. *n.* 1.

Quæstio 25. An, & qualiter juspatron. sit quid spirituale?

1. Respondeo: Esse secundùm se, seu ex objecto suo simpliciter & intrinsecè merè spirituale, tenent Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 26. *n.* 7. & 8. Laym. *Th. mor. l.* 4. *tr.* 21. *c. ult.* §. 5. *n.* 60. apud Pirh. *loc. cit. n.* 5. item Navar. *in commentatione super rub. de judiciis, n.* 3. apud Lott. paulò post *citand. num.* 5. Tum quia principium, à quo originem trahit, est quid spirituale, nempè potestas Ecclesiastica, non humana, ut inquit Navar. & naturalis, sed divina & supernaturalis per Christum Petro & Ecclesiæ tradita, per quam beneficia sunt instituta; tum quia actus objectum ac terminus, ad quem ordinatur actualis præsentatio, (nempè institutio & beneficium Ecclesiasticum) sunt quid spirituale. Sed neque obstat aliquid in se spirituale ordinari ad aliud spirituale dignius, & juspatr. obtineri à laicis; cùm hi possint per privilegium iis ab Ecclesia concessum obtinere jura spiritualia, v. g. beneficium.

2. Eun-

2. Econtrà juspatr. secundùm se & intrinsecè non esse spirituale, sed tantùm annexum spirituali, tenent Gl. *in c. quanto. de judiciis.* & Abb. *ibid. nu. 6.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 2.* Garc. *p. 5. c. 9. n. 6.* Lott. *l. 2. q. 9. ferè per tot.* Pith. *loc. cit.* qui ait: hanc esse probabiliorem, & juri Canon. conformiorem, & plerorùmque Canonist. Verùm, ut hæc ex fundamento resolvantur, observandum ex Lott. *loc. cit. n. 1.* in erectione beneficiorum juispatr. tres distinctos & minimè confundendos concurrere actus. Primus attribuitur fundatori, & consummatur in oblatione temporalium pro erectione beneficii, & in reservatione jurispatr. expressâ, aut subintellectâ; forma autem est ejusdem oblationis sub eadem reservatione actualis præsentatio facta Episcopo, aut habenti jurisdictionem Episcopalem. Alter actus est Episcopi, conficitur in admissione dictæ oblationis patroni, ejus forma consistit in reductione materiæ illius profanæ ad spiritualitatem seu annexionem divini officii. Tertius actus tribuitur legi concedenti jusp. & consistit in ea concessione jurispatron. (cujus proindè materia non est alia, quàm triplex illa prærogativa honorificentiæ, suppeditationis alimentorum, & facultatis præsentandi Rectorem beneficii) forma autem illius est annexio sive applicatio hujusmodi juris facta beneficio erecto, quâ ratione juspatr. dicitur annexum spirituali.

3. Hoc prænotato, quomodocunque definiatur seu describatur spiritualitas, (de quo vide Lott. *loc. cit. n. 6. & 7.*) ea excluditur à patronatu. Si enim simpliciter attendatur persona patroni, jus illud non consequitur à potestate supernaturali (quamvis, ut Lott. *n. 8.* in æstimando spiritualitatem hanc, non statim sit relatio facienda ad potestatem supernaturalem, ne aliàs facilè possent res quævis deduci ad spiritualitatem) sed naturali, dum consequitur ad voluntatem fundatoris, non nisi sub hac lege, ut possit ipse vel alius ab eo designatus præsentare rectorem beneficii &c. offerentis sua, (quisque autem naturaliter possit donationi & traditioni rei suæ, quam vult, legem præscribere) Lott. *nu. 9.* & in eo nihil aliud complectitur, quàm hujus desiderii seu voluntatis satisfactionem, quod & ipsum est quid merè temporale, jusque nullum spirituale confert. Lott. *nu. 11.* ex Abb. *in c. quantò. de judiciis, nu 6.* & Bellamer. *ibid. nu. 2.* Et quamvis hoc ipsum ex gratia concedi dicitur, non est referendum ad aliquam spiritualitatem, sed ad singularem juris dispositionem, quo videlicet contra tenorem antiquorum canonum jus illud non admittentium, propter utilitatem rei Ecclesiasticæ, quæ hâc ratione augebatur, auctoritate Pontificiâ introductum fuit. Lott. *n. 12.* citans Beroium *in rub. de judiciis, sub n. 40. & 47.* Si verò attendatur effectus illius juris in persona præsentata, quatenùs ei acquiritur jus ad rem, neque id ad spiritualitatem pertinet, cùm semper remaneat distinctum ab ipso beneficio Ecclesiastico, & ejus provisione eo modo, quo præparatio & ordinario ad aliquid est quid distinctum ab illo, ad quod facta est. Lott. *num. 13.* Absurdum etiam est, actum hunc præsentationis considerare in persona præsentati tanquam quid spirituale; cùm in ipso præsentante sit quid merè temporale, nec plus sit in causato, quàm in influente potentiâ causæ, ut Bald. *Lit. N. de senat.* Lott. *n. 17. & 18.* Quare sicut præsentans per præsentationem nihil spiritualitatis exercet, sic per eam nihil spiritualitatis præsentato acquiritur. Lott. *n. 19.* citans Abb. *in c. quanto. n. 6.* Rocb. *de jurep. v. jus n. 4.* Bellam. *in c. pia mentis. 16. q. 7. n. 2. &c.* undè dum jus illud quæsitum præsentato resolvitur in simplicissimam habilitatem personæ ad obtinendam institutionem. Lott. *n. 20.* ex Azor. *loc. cit.* non nisi impropriè inspecto fine ultimo seu remotè dici jus spirituale. Bellamer. *in c. quanto. n. 2.* sed neque dicta connexio, quâ juspatr. veluti remotè & inchoativè, mediâ nimirùm præsentatione disponit ad institutionem in beneficio, importat in eo spiritualitatem, nisi ad summum talem, quæ valdè impropriè dicatur quid spirituale; non enim omnis præparatio, seu dispositio ad finem, seu rem spiritualem est simpliciter & merè spiritualis, nisi fortè sit proxima. Pith. *loc. cit. n. 5.* ex Azor. ut constat ex simili allato in hunc finem per Abb. *in c. quanto. n. 6. & 7.* apud Lott. *n. 24.* de libris Ecclesiasticis, qui etsi ordinentur ad finem animæ, & rei spiritualis, non tamen sunt spirituales & sacri, intellige in sensu proprio seu intrinsecè. Huc facit doctrina, quam tradit D. Thom. *2. 2. q. 100. a. 1. ad 6.* ubi, quòd sicut anima vivit secundùm seipsam, corpus autem vivit unione animæ, ità etiam sunt quædam spiritualia secundùm seipsa, ut sacramenta & alia hujusmodi, quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quod talibus adhæreant &c. Undè jusp. haudquaquam esse quid spirituale, sed ità dici propter simplicem adhærentiam ad id, quod spirituale est, concludit Lott. *n. 16.* citans Præpos. *in sum. q. 1. n. 20.* Beroium. *in rub. de judiciis. à n. 41.*

4. Ulteriùs circa dictam adhærentiam seu annexionem ponderanda, quæ tradit D. Thom. *loc. cit. a. 4.* nimirùm annexionem illam, quâ *in c. quanto.* & *in c. de jure.* dicitur juspatr. esse spirituali annexum, non intelligi de annexione ratione dependentiæ à spirituali; hoc enim casu spirituale illud influeret in ipsum patronatum annexum, seu dependentem, sed de annexione præparationis seu ordinationis ad spiritualia, quæ annexio non facit, ut præparatum vel ordinatum participet de natura ejus, ad quod fit præparatio vel ordinatio. Undè ut inquit ibi D. Thom. hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ex ordine temporis præcedunt; atque ità malè existimaverunt quidam, quos citat Lott. *n. 22.* agi in istis textibus de tali annexione, propter quam alterum ex annexis assumat naturam alterius annexi nobilioris, cùm ea annexio, de qua in dictis juribus, non sit propriè annexio, quæ constituat unum individuum. Lott. *num. 23.* Quare ex his concludit Lott. *num. 27. & seq.* juspatronat. cum omnibus effectibus suis esse quidem connexum juri spirituali, id est, ipsimet beneficio, sed connexione impropriâ, respectu scilicet institutionis ex simplici præparatione & ordinatione, juxta sententiam D. Thom. quæ annexio non operetur, ut desinat esse quid merè temporale; cùm non sequatur: Illud est annexum spirituali, ergò est spirituale.

Quæstio 26. An nihilominùs & quare, si spirituale non est juspatr. de eo cognoscere nequeat Judex laicus?

1. Respondeo ad primum affirmativè; sic enim expressè disponitur in *in cit. c. quanto.* Lott. *n. 30.* semper enim juspatr. etiam laicale, spectat ad jurisdictionem Ecclesiasticam; & dum per laicos exercetur, exercetur per eos tanquam nudos ministros Ecclesiæ. Corrad. *in pr. benef. l. 4. c. 2. n. 52.* Unde ait Lott. *n. 31.* malè sensisse Zabarell. *in c. significavit. de testib. n. 1.* Judicem laicum esse capacem cognitionis super articulo, an patronus voluerit Ecclesiam esse liberam à vinculo patronatûs, eò quòd in *dicto c. significavit.* nulla omninò cognitio demandata fuit illi Judici Sabinensi, sed nudum ministerium recipiendi testes; quod nihil concludit ad competentiam propriæ jurisdictionis; cùm in tali casu Judex procedat tanquam merus executor facti, navetque operam Papæ mandanti. Neque vera est distinctio, quam afferunt quidam inter patronatum ex se subsistentem, & patronatum cohærentem fundo laicali, cùm in utroque casu militet ratio *cap. quanto.* Lott. *n. 42.* Non tamen obstat dictis, nihilque detrahit jurisdictioni Ecclesiæ, sed potiùs mirè eam adjuvat, quòd laicus cognoscat tanquam delegatus Apostolicus de jurep. aliove negotio Ecclesiastico alicujus particularis causæ. Lott. citans Card. *in c. perpendimus. n 6. de sent. Excom.* Felin. *in c. 2. de major. num. 3.* Cenedo *in qq. Can. q. 4. n. 13.* Neque quòd, si patronus laicus per vim expellatur per alium laicum, aut turbetur in possessione statûs sui, ita ut inde nascatur actio injuriarum, possit talem actionem coram laico exercere, ut Bald. *in cit. c. quanto. n. 8.* Nam inde non sequitur, quòd judicet super patronatu principaliter,

vel

dicitur sententia, saltem declaratoria, contumaciæ non solventis pensionem, quæ non profertur, nisi magna fuerit illius protervia. Castrop. *l. cit. d.* 1. *p. ult.* §. 6. latâ autem hâc sententiâ non tantùm jus ad beneficium, sed etiam jus in eo conferri pensionario censet Garc. *loc. cit. n.* 49. contrarium probabiliùs Castrop. egere nimirùm insuper pensionarium judicis executoris collatione, cùm factâ dictâ sententiâ declaratoriâ, pensionarius adhuc nequeat propriâ auctoritate sumere possessionem beneficii, sed auctoritate judicis executoris accedere debeat, utpotè cui & executio privationis beneficii & regressus & accessus beneficii conceditur.

8. Nonò: Coadjutoria cum futura successione, quia est quasi mandatum de providendo ad determinatum beneficium. Castrop. *n.* 16. Garc. *n.* 58.

9. His addit duos alios modos Garc. *l. cit. nn.* 54. & 68. nimirùm concessionem beneficii in eventu privationis; verùm improprium esse hoc jus, utpotè concessum sub conditione, non necessariò eventura, secùs ac dum conceditur sub eventu vacationis, quæ est conditio necessariò eventura, quam concessionem solus Papa facere potest, juxta *c. nulli.* & *c. relatum. de conceß. preb.* censet Castrop. *nn.* 15. Alterum oppositionem, stante consuetudine seu constitutione opponendi, quod ut verum sit, ait *ibid.* Castrop. debet oppositor verificare, qualitates ad beneficium requisitas sibi soli competere. Adjiciuntur quoque ab aliis passim duo alii modi acquirendi jus ad beneficium, nimirùm resignatio in favorem & permutatio; verùm quia hi supponunt priùs beneficium amitti, de his infrà. De cæteris modis explicatis in præsente.

Quæst. 4. Quid sit electio & confirmatio?

Respondeo: Utriusque definitionem dandam, & declarandam *sect. seq. c.* 2. & 3. ubi de electione & confirmatione.

Quæstio 5. Quid sit præsentatio, & qualiter hoc nomen sæpè confundatur cum aliis modis acquirendi beneficium?

1. Respondeo ad primum: Est exhibitio personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta, intellige, in ordine ad instituendam illam in beneficio. Garc. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 15. Less. *de just. c.* 34. *n.* 12. Roch. *de jurep. in principio q.* 3. *&c.* ex Abb. *in c. ea cognoscitur de his, quæ fiunt à Prælat.* Differt autem ab electione, quòd ea fiat à pluribus, ut à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimùm in prælaturis locum habeat; Præsentatio autem ab una etiam persona, etsi laica, & in quovis beneficii genere. Less. *loc. cit. n.* 15. vide plura de hoc in definitione electionis, & apud Laym. *ad tit. de elect. num.* 8.

2. Respondeo ad secundum: Pro præsentatione Clerici ad beneficium nomen electionis quandóque usurpatur, ut in *c. querelam. de elect.* & *c. nosce* 12. & *seq. d.* 63. quibus in locis jus eligendi, id est, nominandi, postulandi aut præsentandi, tribuitur populo. Laym. *l. cit. n.* 1.

Quæst. 6. Quid sit institutio, (quod est correlativum præsentationis non secùs ac confirmatio electionis. Lott. l. 2. q. 1. n. 23.) & qualiter confundatur sæpè cum aliis modis providendi de beneficiis?

1. Respondeo ad primum: Est canonica ordinatio facta per Episcopum, vel alium, ad quem spectat, in beneficio vacante de Clerico per patronum legitimè præsentato. Argumento *c. decernimus.* 16. *q.* 7. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *nn.* 18. vel, ut communiùs alii: est concessio beneficii facta legitimâ auctoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à patrono præsentato. Filliuc. *tr.* 41. *c.* 3. *n.* 9. ex Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 1. Differt à collatione propriè tali, quòd supponat præsentationem, sitque concessio obligatoria, (obligatur enim Prælatus conferre beneficium ei, qui à patrono est præsentatus. Abb. *in c. auctoritate de instit. nn.* 7. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 72. *nn.* 1. collatio autem propriè talis sit voluntaria beneficii concessio, seu quæ fit superioris arbitrato sine ulla electione, postulatione, aut præsentatione. Castrop. *l. cit. n.* 2. Azor. *l. cit.* differt à confirmatione, quòd sit collatio vel provisio illius, qui præsentatus est à patrono. Confirmatio sit illius, qui electus est. Less. *l. cit. n.* 13. Item quòd nominationem factam ab Ecclesiastico non requirat; cùm præsentatio sæpè fiat à laicis, confirmatio autem est de persona à communitate Ecclesiastica nominata. Castrop. *l. cit.* Aliud quoque est admittere, aliud instituere, quamvis id diversimodè explicent Auctores. Juxta Jo. Monach. & Jo. Andr. admittere est recipere seu approbare, & in titulum tradere; instituere autem est mittere in corporalem beneficii possessionem, & hoc sensu videri loqui Trid. *sess.* 7. *c.* 13. ait Pith. *ad tit. de instit. nn.* 5. juxta Anchoran. admittere est ad examen recipere, instituere est approbare, seu jus & titulum tribuere. Pith. *ibid.*

2. Resp. ad secundum: Quamvis igitur vox *institutio*, si referatur ad præsentationem, nomen proprium retineat. Lott. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 12. quin & vulgaris etiam intellectus hujus vocis eam referat ad institutionem necessariam. Lott. *ibid. n.* 14. ex Ægid. *decis.* 94. *n.* 2. Undè *n.* 13. ait institutionem nunquam dici collationem prætterquàm certo modo ex Gamb. *de off. leg. l.* 3. *n.* 5. De cætero tamen vox est significationis diversæ. Ac primò quidem nomen est generis, aptum comprehendere collationem, electionem, institutionem (intellige propriè talem) & quamcunque aliam dispositionem beneficialem (quamvis aliàs, ut ait Lott. *ibid. num.* 22. instituere & providere videantur modi incompatibiles) Lott. *ibid. num.* 11. citans Verallum *p.* 1. *decis.* 297. *num.* 2. Germon. *de indultis Card.* §. *ac beneficia. num.* 34. *&c.* Secundò sæpè dicitur de confirmatione, confirmatioque & institutio dicuntur promiscuè, & unum pro altero ponitur. Lott. *ibidem num.* 16. juxta Gloss. *in c. hoc tantùm* 18. *q.* 2. *v. instituere.* Tertiò termini quoque *collatio* & *institutio* sæpè confunduntur, & instituere quandóque ad liberam collationem refertur, Lott. *num.* 15. citans Gamb. *de off. leg. l.* 3. *num.* 127. item Lott. *l.* 2. *q.* 45. *n.* 80. citans Abb. *in c. auctoritate. de institutionibus, n.* 8. Menoch. *cons.* 19. *n.* 7. Quartò sumitur pro traditione possessionis, ut contingit ferè in *tit. de institution.* Lott. *cit. n.* 80. Institutio sumitur etiam pro titulo, dum dicitur, beneficium non posse teneri sine canonica institutione, hoc est, sine titulo. Lott. *l.* 3. *q.* 2. *n.* 6. Nihilominùs tamen promiscuam illam istarum vocum *instituere, conferre, confirmare, &c.* usurpationem in foro beneficiario non licere sine imprudentiæ nota, inquit Lott. *cit. q.* 1. *n.* 17. Undè rectè monet *ibid. num.* 18. & 19. quòd, cùm cuique voci, quamvis æquivocæ, certa insit interpretatio, aut ex verisimili mente disponentis, aut subjectæ rei natura, ubicunque oritur hujusmodi æquivocatio, debeat ea explicari & declarari per discretionem; ut, si fundator mandârit Capellam à se erectam conferri per hæredes suos, minimè in hoc casu hærendum proprietati hujus vocis *conferre*, utpotè quâ illius dispositio tanquam impossibilis subverteretur, sed ex natura subjectæ materiæ flectendam hanc vocem, quâ usus est fundator, ad jus præsentandi. Lott. *cit. q.* 1. *n.* 20. ex Barbat. *l.* 2. *cons.* 33. *n.* 17.

Quæstio 7. Quotuplex sit institutio?

1. Respondeo: Duplex, alia collatoria tituli, alia auctorizabilis. Lott. *l.* 2. *q.* 12. *n.* 6. & 11. & *l.* 1. *q.* 33. *n.* 99. Institutio collatoria tituli pro subjecto habet ipsum beneficium, ut optimè declarat Felin. *in c. per tuas. de majoritate & obed. nn.* 4. & non necessariò manat ab Episcopo.

2. Auctorizabilis pro subjecto habet curam animarum, cui adhæret jurisdictio fori pœnitentialis, & hæc necessariò manat ab Episcopo, tanquam ab universa-

versali suæ diœcesis parocho.; adeòque talis est hæc institutio auctorizabilis, ut absque ea impossibile sit exercere curam. Lott. *l. 1. q. 25. nu. 13.* citans Socinum *in c. cùm & plantare. de privileg. num. 8.* declarantur hæc, v. g. dum monasterium aliquod præsentat Episcopo eum (sive is sæcularis, sive regularis sit,) qui curam animarum gerat in Ecclesia aliqua parochiali, vel etiam, qui vice monasterii curam gerat, & propterea dicitur Vicarius, duæ concurrunt diversæ, & ad diversa institutiones, videlicet collatoria tituli, cujus subjectum, ut dictum, est ipsum beneficium, & hæc manat non ab Episcopo, sed à superiore regulari, intellige, dum præcisè monasterium non habet tantùm præsentare strictè tale, sed conferre.

3. Altera auctorizabilis, cujus subjectum est simplex cura, & hæc procedit non à superiore regulari, sed ab Episcopo tantùm, in quo radicatur ipsa cura. Lott. *cit. q. 33. nu. 99.* citans Gl. Franc. Gemin. *in c. unicum. de Capellis monach.* In quo casu etiam juxta dicta aliàs alteratur circa talem Vicarium, si is regularis est, seu aliàs merè obedientiarius, vis obedientiæ propter interventum Episcopi, operante hanc obedientiæ alterationem auctoritate Episcopi & prærogativa curæ populi. Lott. *ibid. n. 98.* citans plures. Et hæc vel maximè, dum monasterium exemptum est exemptione simplice, sine exempto populo & parocho; etsi autem, dum monasterium exemptum exemptione plenâ, hoc est, unà cum populo & parocho, pertineatque Ecclesia parochialis pleno jure ad monasterium, juxta jus commune nullas sibi partes vendicare possit Episcopus, ut Lott. *cit. q. 25. n. 14.* adeòque non videatur Episcopo permissa institutio hæc auctorizabilis, quæ locū non habet in ejusmodi exemptis. Lott. *cit. q. 33. n. 100.* citans Seraph. *decis. 1304. n. 3.* nihilominùs id referendum est ad actum personæ ipsius Episcopi, quia in effectu institutio illa auctorizabilis implicita est provisioni Abbatis ipsius monasterii, utpotè qui censetur jure proprio instituere Vicarium institutione collativâ, & Vice-Episcopi illum instituere institutione auctorizabili. Lott. *ibid. n. 101.* citans Anchar. & Jo. Andr. *in c. de monachis, de præbend.* prosequitur hæc ipsa Lott. *l. 2. q. 12. a n. 6.* ubi, quod, quamvis Episcopus de jure communi fundet intentionem super utraque ista institutione, possit tamen ex concessione ipsius Episcopi vel Papæ, non tantùm institutio collativa tituli, sed & illa auctorizabilis monasterio alicui acquiri, ut dum Episcopus concedit monasterio in ejus usum, ad sublevandam v. g. ejus paupertatem, Ecclesiam cum populo pleno jure respectu temporalium & spiritualium, utraque institutio, collativa & auctorizabilis, est penes monasterium, non quidem jure proprio, quasi ab Episcopo avulsa, & in monasterium translata (quali modo Episcopum abdicare à se curam & institutionem auctorizabilem est impossibile) sed jure Episcopi ac ipsius vice, adeò ut monasterium in hoc dicatur Vicarius Episcopi. Lott. *ibid. num. 13.* ex Jo. Andr. *in c. de monach. de præb. n. 10.* & Anchar. *ibid. n. 7.*

Quæstio 8. Quid sit collatio propriè talis, & qualiter hoc nomen competat quoque aliis modis providendi de beneficiis?

1. Respondeo ad primum: Est donatio, seu concessio beneficii vacantis ab habente potestatem liberaliter facta. Castrop. *cit. p. 1. n. 2.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. ad initium*, juxta c. *proposuit.* & c. *quia diversitatem de concess. præb.* sic itaque *conferre* accipitur hic pro largiri & donare; quæ enim donationis liberalitate in alium transferimus, propriè etiam conferre dicimus. *l. si filia sua. c. de donat. antè nupt.* & quod ità translatum est, collatum nuncupamus. *l. de rebus. c. eod. tit.* Lott. *l. 2. q. 1. nu. 2.* sive autem fiat motu proprio, sive ad petitionem impetrantis, non variat naturam collationis, hoc est, liberalis donationis. Castrop. *ibid.* juxta c. *si motu proprio.* & c. *si tibi absenti. de præb. in 6.* Et licèt collator non possit beneficium pro se retinere, aut in alium usum pro suo arbitrio convertere, sed teneatur illud conferre cum omni integritate, Paris. *de resignat. l. 8. q. 9. num. 32.* Mascar. *de prob. conf. 313. n. 5. &c.* apud Lott. *l. cit. n. 4.* & vel hinc fit, cur donatio propriè cadat in collationem beneficiorum (donari enim videtur, quod nullo jure cogente conceditur, Mantica. *de tacitis & ambig. contract. l. 13. tit. 2. nu. 5. & seq.*) adeòque hæc beneficia Ecclesiastica impropriè donari dicantur, adhuc tamen proprietatem donationis in hac collatione defendi posse, si non respectu Ecclesiæ, saltem respectu personæ, in quam confertur, ait Lott. *ibid. n. 7.* citans Selvam *de benef. p. 2. q. 11. nu. 9.* & Præpos. *in c. 1. d. 23. n. 49.* Neque ideò dicitur minùs libera, quòd quandòque jus conferendi simul ad plures pertineat; consideratur enim in ipsis collatoribus tanquam jus individuum, ac propterea si per unū solum eorum fiat efficax, omnino reputabitur, cùm apud unumquemque sit jus in solidum, & omnes reputentur unus, adeòque uno eorum conferente, alii censentur consentire, nisi protestentur, & expressè contradicant. Lott. *l. c. n. 29.* & 30. ex Gonz. *ad reg. de mens. gl. 45. in principio ex n. 69. & §. 3. num. 45.* Unde jam patet, quæ sit differentia inter collationem propriè talem, & inter institutionem & confirmationem, quòd nimirùm ea sit independens à voluntate aut nutu alterius. Undè & cum addito dicitur collatio necessaria. Lott. *ib. n. 8 & 9.* & sic, qui est in quasi possessione instituendi, non potest effectum hujus possessionis extendere ad jus conferendi. Lott. *ib. n. 10.*

2. Respondeo ad secundum: Confunditur nihilominùs quandòque nomen *collationis* cum institutione & confirmatione electionis, & importare quamcunque beneficii provisionem, ut videre est apud Lott. *num. 11.*

Quæstio 9. Quid sit investitura, seu investitio, & qualiter sumatur etiam pro aliis modis providendi de beneficiis?

Respondeo: Investitura, quæ fieri solet per bireti, annuli, aut pannorum traditionem (de qua multùm Dynus *in reg. 1. in 6.*) quid propriè sit, obscurè satis, & non eodem modo ab omnibus explicatur. Barbos. *de jure Eccl. l. 3. c. 13. n. 5.* ait: Investitura est institutionis, vel collationis confirmatio, & missio in possessionem, & in Principibus conferentibus beneficia accipitur pro collatione ipsa & confirmatione, & in sæcularibus collatio feudi propriè dicitur investitura. Laym. *in c. nostr. de Elect. num. 5.* ex Jo. Andr. *in c. transmissam de Elect. num. 13.* & Abb. *in c. auctoritate de institution. num. 9.* & *in c. ex literis. de consuetud. n. 10.* distinctiùs explicat, dum ait: Investituram interdum fieri unà cum institutione, seu tituli traditione, quæ verbo fit, vel scripturâ, & in hoc casu investitura continet & significat translationem juris ac tituli; undè dein nascitur facultas accipiendi possessionem rei, seu beneficii vacantis, aut eam petendi, ubi ab alio corporaliter introducendus est investitus; siquidem, ut Laym. *ibidem* specialis alicujus Ecclesiæ consuetudo aut statutum vigere potest, ut, verbaliter institutus, provisus aut confirmatus, possessionem, quamvis vacantem, ipsemet capere non debeat, sed solenniter & corporaliter introduci in possessionem, adeò ut priùs, quam ea solennitas (quæ vocari etiam solet installatio, & olim fieri solebat per Archidiaconum, juxta c. *ad hæc. de off. Archid.* & c. *cùm Bertholdus de sent. & re judicata*) peracta sit, possessio acquisita non censeatur, juxta Abb. *in c. cùm super. de causa possess. num. 17.* In summa itaque investitura, quæ post confirmationem aut tituli collationem adhibetur, plerùmque tantùm significativa est juris jam antè arrepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi. Laym. *ibidem.* Idem ferè tradit Lott. *l. 2. q. 1. num. 24. & seq.* ubi, quòd investitio sit quid commune tribus illis: Collationi, institutioni, confirmationi, in eorum executione, in tantum, ut quicunque habens potestatem conferendi, instituendi, &c per ipsam investituram seu traditionem possessionis censeatur conferre, instituere, confirmare; citat pro hoc

Abb. *in c. auctoritate, nu. 9.* Neque enim necesse est facere duos actus, cùm illa investitio, licèt sola & simplex inductio in possessionem facta ab eo, qui habet auctoritatem conferendi, Investiendi, &c. involvat ipsum actum collationis, institutionis &c. eò quòd, ut Lamb. *de jurepatron. l. 2. p. 3. q. 11. a. 1. n. 9.* Selva *de benef. p. 3. q. 10. n. 11.* in collatione non exigatur certa verborum formula, possitque fieri per quemcunque actum, sive verbalem, sive realem, modò ex eo voluntas collatoris, institutoris &c. possit deprehendi, adeòque idem actus investitionis servire possit pro collatione, institutione, &c. Investitura interdum verò fit post tituli collationem, seu institutionem, in quo casu solennitas ista investituræ plerumque (dicitur plerumque, quia potest interdum fieri, ut per investituram tradatur possessio rei, si nimirùm vel ipse possessor antiquus, vel is, qui v. g. Ecclesiæ vacantis curam cum auctoritate habuit, in conspectu rei per dictam investituram, scilicet per traditionem bireti vel annuli transferat possessionem. Argumento *l. quod meo ff. de acquir. possess.*) parum aut nihil operatur, quia titulus antè collatus est, & jus acquisitum, possessio autem ordinariè loquendo per investituram non transferatur; atque ità investituram, quæ post confirmationem aut tituli collationem adhibetur, plerumque tantùm significativam esse juris accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi & acquirendi.

Quæstio 10. Quid sit nominatio?

1. Respondeo: Nominatio in genere est electio quædam, sive evocatio de persona magis idonea. Lott. *l. 2. q. 15. nu. 7.* Verùm variè hoc nomen usurpatur, ac nominatio ità genericè sumpta multifariam dividitur. Est enim nominatio triplicis generis, pro ut ex triplici fonte jus nominandi dimanat, nimirùm vel ex ipso jure patronatûs, ex jure eligendi, vel ex indulto pontificio. Lott. *ibid. n. 9. 26. & 30.*

2. Primi generis, procedens à jure nominandi perpetuò juripatronatûs implicito, & præsentationi (cujus etiam nomine sæpè venit) similis, est actus ille, qui simplex nominatio dicitur, quo patronus ipse in absentia habentis instituere præsentat, seu aliquem determinat; non enim est hic actus pro tunc præsentatio, neque vim præsentationis sortitur, jusque ullum interim acquiritur tali nominato, priusquam is sa coram habente instituere præsentet eum instrumento præsentationis. Lott. *cit. n. 9.* Secundò: Est actus ille procedens à jure nominandi adhuc magis formato, quo, dum penes parochianos, v. g. vel universitatem aliquam aliam est ipse patronatus, unus vel plures ab ea, minùs commodè potente convenire, deputati, nominant unam vel plures personas, quæ postmodùm præsententur habenti instituere; qui actus nominationis, distinctus ab ipso actu præsentationis, dicitur quoque, etsi minùs propriè, electio. Lott. *n. 11. & 12.* citans Abb. *in c. 2. de jurepatr. n. 3.* Lamb. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 1. a. 4. n. 2. & 3.* Ejusdem ferè rationis est actua ille nominandi, quo parochiani consueverunt nominare aliquem, vel aliquos coram aliis, putà, capitulo, quem vel quos præsentare solet Capitulum coram Episcopo habente instituere. Lott. *n. 13.* Porrò dum is, qui nominat, jure suo nominat, non vice aut mandato alterius, ità ut qui dein præsentat, non habeat actum præsentationis liberæ, sed teneatur præsentare nominatum vel nominatos, nominatio rapit in se totum jus præsentandi, neque qui præsentat, intelligitur patronus, sed patroni executor. Lott. *n. 15.* Dum verò is, qui nominat, non nominat jure suo, sed jure alieno, alienáque vice, v. g. dum deputati ab universitate nominant, & nihilominùs universitas ex promissione propriâ tenetur sequi nominationem, & nominatum, nullúmque alium aut præter illum præsentare; adhuc patronatus spectabit ad universitatem demandantem vices suas, non ad deputatos illos, eâ ratione, ut factum ab his dicatur factum ipsius universitatis. Lott. *n. 19. & 20.* non obstante nexu illo, quo se universitas obstrinxit ad præsentandum, quem deputati nominâssent, (quin nec obstante, quòd deputatio ea esset facta in perpetuum, ità ut uno ex deputatis defuncto, superstites possint alium ejus loco substituere. Lott. *n. 25.*) cùm semper in illis repræsentetur universitas, & nexus ille oriatur ex ipsius universitatis spontanea voluntate. Undè & actus, qui sequitur, eidem spontaneæ voluntati tribuitur; cùm à primordio tituli posterior formetur eventus. Lott. *n. 22. & seq.* Idque verum, sive post istū actum nominationis sequatur actus præsentationis per ipsam universitatem, seorsim à deputatis præsentantem, sive in eo simul interveniant deputati, qui nominârunt, cùm uterque actus originetur in universitate mandante seu deputante. Lott. *n. 21.* citans Rotam.

3. Secundi generis est primò actus ille, quo ab habentibus eligere solenniter, juxta formam *c. quia propter. de elect.* ante scrutinium in capitulo nominantur seu proponuntur unus vel plures, tanquam viri boni, idonei ad prælaturam, quo actu seu nominatione nullum omninò jus quæritur nominatis, cùm à Collegio proponantur solùm, ut, si placuerint, eligantur, distinguitúrque ab ea nominatione, quæ fit in scrutinio, & de hoc actu loquitur c. *quod sicut. de elect.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 18. q. 1.* Laym. *ad tit. de Elect. sub initium, n. 5.* Lott. *n. 27. ex Abb.* Secundò actus ille, quo in scrutinio fertur suffragium, sive quo singuli Electorum aliquem certum secretò nominant, scribendo nomen illius in charta his vel similibus: *Eligo aut nomino Titium;* sed neque per istam nominationem jus ullum quæritur nominato, quamvis publicato scrutinio, amplius mutare nequeant sententiam. Azor. *loc. cit.* Lott. *n. 28.* Tertiò: Actus ille, quem ad distinctionem priorum duorum Abb. apud Lott. *n. 27.* vocat nominationem solennem, quo nimirùm duo vel plures, qui cæteris magis idonei judicati sunt, à Collegio Canonicorum nominantur & offeruntur Principi seu Superiori, ut quem ipse ex illis maluerit, confirmet, quâ nominatione oblatâ Superiori, Electoribus variandi sententiam potestas non est. Azor. *loc. cit.*

4. Tertii generis, nimirùm ex Pontificio indulto profluens nominatio duplex est. Prima concessa summis Principibus (quam regiam vocat Azor. *p. 2. l. 6. c. 18. q. 3.*) nempè vel implicita, quales sunt primariæ preces concessæ Imperatori; eæ enim aliud nihil continent, quàm jus nominandi personam, cui conferatur beneficium, sive sint privilegium, vi cujus Imperator in qualibet Ecclesia Germaniæ tantùm potest facere recipi (quæ potestas longè quid diversum est, & minùs à potestate conferendi, cùm recepto non oriatur titulus ex facto Imperatoris, sed ex facto Capituli aut Prælati Ecclesiastici recipientis ex mandato Papæ. Lott. *l. 1. q. 6. num. 47. & seq.* citans Jo. Andr. & Præp.) unum; ità ut per has preces imperiales unus collator non possit gravari, nisi semel, nec etiam una Ecclesia, nisi semel, Lott. *ibid. num. 48.* citans Gratian. *discep. for. c. 478. nu. 15.* quamvis hujusmodi preces eidem personæ pluries respectu diversorum beneficiorum & Ecclesiarum concedi possint. Lott. *num. 49.* de hoc jure precum Imperialium vide Chochier, qui integrum de iis conscripsit tractatum, & dicenda à nobis *sect. 1. seq. c. 1.* Vel explicita, quale est indultum nominandi ad prælaturas sui regni concessum Regi Galliæ. Lott. *l. 2. q. 15. nu. 31.* de quo latè Rebuff. & Tholosan. *syntagm. juris. l. 17. c. 12. num. 24.* Azor. *l. cit.* ubi, quòd vacante Ecclesiâ Cathedrali, vel Metropolitanâ (idem est de Abbatia) Episcopus à Collegio Canonicorum non eligitur, sed Rex intra sex menses vacationis aliquem nominat & offert Pontifici, quem, si in eo nihil requisitorum desit, Papa instituere & creare debet Episcopum; si autem nominatus à Rege idoneus non fuerit, Rex alium quempiam intra tres menses (Lott. *num. 37.* semestre ponit) aptiorem nominare compellitur sub pœna devolutionis; ut Lott. Is verò nominatus habetur idoneus, qui annos ad minimum 27. natus (& quò ad Abbatias 23. annorum), quamvis veteres Canones majorem ætatem requirant, in schola aliqua celebri literarii hono-

honoris gradibus insignis, v. gr. in Theologia vel jure civili, aut Ecclesiastico Doctor aut Licentiatus. Quamvis & alios nominatos carentes his gradibus Papa creare debet Antistites, ut sunt Episcopi Gentiles & consanguinei aliæque personæ illustres, (sæpè enim utilitas & ratio aliqua temporalis postulat, ut hujus generis viri, postpositis humilioribus & obscurioribus hominibus, ad sacras præfecturas promoveantur.) Item regulares & mendicantes, quibus vi statutorum Ordinis interdictum est istis scholasticis gradibus, modò sint excellentis virtutis & doctrinæ, uti nec isti gradus requiruntur in nominandis ad Abbatias. Porrò hoc jus nominandi interdùm Regi non competit, ut si in aula & comitatu Papæ mortuo præsule vacaverit Ecclesia, cùm tunc solius Papæ nutu & arbitrio creetur Antistes, ità ferè Azor. Altera est nominatio (quam scholasticam vocat Azor.) concessa non solùm in Gallia (de quo integrum tractat. scripsit Rebuff.) sed & alibi celebrioribus quibusdam Universitatibus, seu Academiis favore, ut ait Lott. *n. 33.* pauperum literis incumbentium, seu pauperum graduatorum, ut illis de honesto aliquo subsidio Ecclesiastico succurratur usque ad certam quantitatem; Attributis in hunc finem tertiâ parte beneficiorum exceptis Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus & Cœnobiarchiis, nimirùm quæ quatuor mensibus Januario, Aprili, Julio, Octobri, ut Azor, loquens de Academiis Galliæ, hoc est, tertiâ anni parte vacaverint, ut ea literarum cultoribus ad academicos honorum gradus promotis conferantur ab Episcopo, Collegio, vel aliis, qui jus habent beneficia conferendi, non nisi nominatis à schola publica, seu Universitate, Azor. *loc. cit.* ità ut gratia istius nominationis scholasticæ non recedat à natura exspectativæ, ut Lott. *nu.* 35. Jus enim, quod talis nominatus per eam acquirit, est, ut ei beneficium ex dictis, quod posteà vacaverit, conferatur, Azor. *ibid.* ubi etiam de gradibus, quibus instructus esse, & tempore, quo studiis vacâsse debet quis, ut jure nominari possit, & quod necessarium inter reliqua, ut nominandus declaret beneficia, quæ obtinet, una cum vera justâque annuorum proventuum designatione, cùm eos nominare non liceat, qui beneficio sunt donati ad quantitatem 200. aureorum, ac propterea hujus quantitatis mentio fieri debet. Porrò nominatum per Universitatem, dum ei fit contradictio, teneri justificare suam nominationem, ad cujus executionem agit, probando qualitates in indulto requisitas, & quòd beneficium non excedat valorem taxatum, tradit Lott. *à n. 34. cit. q. 15.* Ex decreto autem Greg. XIII. qui cessit nominationi aut beneficio, ad quod priùs fuisset nominatus, eo ipso redditur inhabilis ad alias nominationes, Lott. *n.* 42. Quòd si autem fuisset nominatus ad alia, quæ adhuc obtinet, non poterit inniti primæ nominationi, nisi justificato, quòd omnia simul non excedunt summam taxatam. Et hæc, dum nominatus est actor, & petit, si enim esset reus & possessor, utique præsumeretur pro validitate & justitia actûs, & dicenti valorem esse supra taxam, & nominatum obtinere alia beneficia, incumberet onus probandi. Lott. *num.* 43. citans Rebuff.

5. Datur & alia nominatio cum dictis nominationibus ex parte symbolizans; nimirùm quæ fit in Ordine Militari S. Joannis Hierosol. in comitiis linguarum juxta ejusdem Religionis statuta, vocaturque eorum vulgari sermone smutitio, in qua non tantùm prohibetur ambitus, sed imponitur necessitas petendi sub pœna inhabilitatis pro ea vice, juxta *c. 43. tit. de commendis.* Lott. *n.* 44. *& sequentibus.* Ut verò ista nominatio tribuat nominato jus, necessaria est exspectativa magni Magistri, quæ dari solet sine præjudicio majoris Antianitatis alterius cum clausula: *Ex nunc prout ex tunc.* Tribuitur autem per hujusmodi nominationem factam in vim exspectativæ ad minimum jus ad rem, ità ut compelli possit magnus Magister ad conferendum, eóque recusante possit committi causa in Rota, ut Auditor ipse conferat in vim Clem. *Auditor de rescript.* Lott. *num.* 46. In his autem smutitionibus perpetuò præferuntur magis Antiani, tam ex forma concessæ exspectativæ, quàm ex juris communis dispositione, nullâ habitâ ratione majoris merentiæ, utpote cujus ratio non habetur in aliis quàm dignitatibus conventualibus; habetur tamen etiam ratio incapacitatis personæ, quâ nulla est frequentior, quàm debiti erga commune ærarium, ità ut, qui tempore vacationis seu smutitionis fuerint reperti debitores communis ærarii, sint incapaces ad obtinendas dignitates & Commendas vacantes; quapropter qui intendunt smutire, solent comparere in lingua, & exhibere publicum testimonium Secretarii, quòd non sit descriptus in listis debitorum ipsius ærarii; creditur enim tali testimonio officialis, ad quem ea res pertinet. Lott. *à num.* 47. Vide eundem de hoc pluribus *num. seq.*

SECTIO PRIMA.

De Provisione & Acquisitione beneficiorum per præsentationem & institutionem.

CAPUT PRIMUM.

De Jure patronatûs.

PARAGRAPHUS I.

De Natura & Divisione juris patronatûs.

Quæstio 11. Quotupliciter in jure accipitur nomen patroni & juris patron.

Respondeo: Tripliciter. Primò, pro advocato, & jus patr. pro jure advocatiæ, cujusmodi patroni sunt, qui patrocinium causarum forensium, quæ in judicio agitantur, suscipiunt. Secundò, pro Domino, & jus patron. pro jure civili introducto, quod competit Domino, seu Dominus acquirit pro beneficio manumissionis, quo servum dimittit liberum, in personam liberti, seu servi manumissi ad obedientiam & operas sibi præstandas, de quo exstat tit. in ff. *de jure patronat.* & Cod. *de bonis liberti & jure patr.* Tertiò, pro jure inducto à SS. Canonibus nominandi ad beneficia Ecclesiastica. Pirh. *ad tit. de jure patr. sub initium.*

Quæstio 12. Quid sit juspatronatus hoc ultimo sensu acceptum, & quotupliciter consideretur?

1. Respondeo ad primum: Definiri illud passim ex Abb. *ad c. 3. & in rubr. de jurep.* Jus honorificum, onerosum, & utile, competens alicui in Ecclesia, quòd de Ordinarii consensu eam exstruxerit, fundârit, vel dotârit, aut à suis antecessoribus factum fuerit, quam definitionem explicatam vide apud Barbos. *Juris Eccl. l. 2. c. 12. n. 1.* Verùm clarius & breviùs ex Host. *in sum. l. 1. n. 1.* quòd sit potestas nominandi seu præsentandi promovendum ad beneficium vacans. Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 5.* Less. *l. 2. de Just. c. 34. n. 17.* Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 2. n. 1.* Pirh. *loc. cit. n. 1.* in ordine nimirùm ad præcipuum actum & exercitium patroni, licèt de cætero multa alia jura competant patrono. Castrop. *ibid.* nimirùm honorificentia & præstatio alimentorum. Addit Host. *ad beneficium simplex*; cùm tamen ad duplicia etiam præsentare possint patroni, quia per simplex intellexit beneficia non electiva, seu quæ Prælaturæ non sunt. Pirh. *loc. cit.* Dat & aliam descriptionem Lott. *l. 2. q. 3. nn. 22. & seq.* quòd nimirùm sit *prærogativa* (quod est genus, complectens sub se omne privilegium, undè & dicimus prærogativam militiæ, seu cinguli militaris) *certa* (per quod restringitur dictum genus ad illa tria: honorificentiam, suppeditationem alimentorum, & præsentationem, quamvis in unoquoque horum sine concursu aliorum possit consistere jus istud seu prærogativa, ità ut non sequatur, non habet jus præsentandi, ergò non habet juspatron. Licèt ritè sequatur, non habet juspatron. ergò non habet jus præsentandi. Lott. *ibid. n. 23.* citans Lamb. *l. 1. p. 1. q. 11. a. 7. n. 8.*) *concessa per Ecclesiam* (prærogativa enim ista tota provenit ex concessione Ecclesiæ, quod tamen non facit, quin dicatur competere de jure communi. Lott. *n. 26.* citans Lamb. *ubi antè à. 4. n. 8.*) *in retributionem temporalium* (ut hinc constituatur differentia inter hanc prærogativam & alias; dum ista concludit ad causam gratitudinis, in qua consistit radix ipsa & fundamentum patronatûs. Lott. *nn. 28.*) *pro constituendo beneficio Ecclesiastico elargitorum*, ut excludantur aliæ largitiones factæ ex alia causa in Ecclesiam vel beneficium semel in esse suum deductum. Lott. *n. 29.*

2. Respondeo ad secundum: Juspatron. considerari dupliciter, activè & passivè, prout nimirùm activè in persona præsentantis, & passivè seu applicativè in persona præsentati, quatenùs per juspatr. activum, seu activè consideratum fit, ne quis beneficium conferat, nisi ad præsentationem talis præsentatoris, per passivum verò, ut certi v. g. de tali familia sint præsentandi. Lott. *l. 2. q. 11. n. 1.* Barb. *loc. cit. n. 25.* citans Monetam.

Quæstio 13. Qualiter jus præsentandi, & juspatron. distinguantur?

Respondeo: Omnis, qui habet jus præsentandi, habet etiam juspatron. Sed non omnis, qui habet juspatronatûs, habet jus præsentandi; nam cùm juspatron. non sit aliud, quàm certa prærogativa per Ecclesiam concessa in retributionem, &c. & hæc prærogativa restringatur ad tria illa: honorificentiam, alimentorum suppeditationem, & præsentationem personæ ad beneficium vacans, ita ut hæc tria considerentur ut effectus jurispatronat. & in unoquoque eorum sine aliorum concursu possit consistere jus illud sive prærogativa, juxta dicta paulò antè ex Lott. Aliam differentiam dat Corrad. *in pr. benef. l. 1. c. 6. nn. 338.* nimirùm, quòd aliud sit esse patronum, aliud habere jus præsentandi, quia primum respicit petitorium; jus verò præsentandi possessorium, prout etiam, si quis habet jus præsentandi, non sequitur, quòd habeat juspatron. cùm ex alia causa possit competere jus præsentandi, quàm ex jurepatronat. Præsentatio siquidem competit quandóque per viam simplicis petitionis, veluti dum populus petit vel supplicat, ut talis instituatur in Ecclesia, ex eo quòd gratum illum habeat. Sed videtur ab eo accipi præsentatio valdè impropriè, & ad summum pro pura nominatione.

Quæstio 14. Quotuplex sit Juspatronatûs?

Respondeo: Prima divisio jurispatr. est in Ecclesiasticum, laicale, & mixtum. *c. cùm autem. h. t.* Azor. *cit. c. 19. q. 3.* Barb. *loc. cit. n. 3.* Lott. *l. 2. q. 10. n. 2.* cum communi. Secunda divisio in hæreditarium & gentilitium. Barb. *n. 20.* Lott. *l. 2. q. 11. n. 3.* addens ex utroque fieri tertiam speciem, quæ mixtum dicitur. Tertia divisio in personale & reale. Castrop. *cit. d. 2. p. 4. n. 1.* Nunc de singularum harum specierum naturæ in particulari.

Quæstio 15. Quid sit juspatronatûs Ecclesiasticum?

Respondeo: Esse juspatronatûs, quod bonis Ecclesiæ comparatum est, (intellige nisi postmodum titulo oneroso pervenerit ad laicum, de quo paulò post) vel competit alicui ratione Ecclesiæ (sæpè enim clerici jure Ecclesiarum, quibus præsunt, habent potestatem præsentandi promovendos ad beneficia, Azor. *cit. c. 9. q. 3.* & juspatron. competit Ecclesiæ, ex cujus bonis fundatum est beneficium, ità ut juspatronat. radicetur in Ecclesia, & in ejus Rectore tanquam puro ministro nudum hujus juris exercitium. Lott. *cit. q. 10. n. 3.*) dignitatis, aut beneficii, quibus annexum, vel à laico Ecclesiæ, monasterio, aliive loco pio donatum, legatum &c. (hoc enim evadit Ecclesiasticum, nisi aliter præservatum fuerit à dicto donatore laico, juxta paulò post dicenda) Castrop. *loc. cit. p. 2. n. 2.* citans Vasq. *de benef. c. 2. §. 1. dub. 1.* Gonz. *reg. 8. Cancell. gl. 18. n. 2.*

Quæstio 16. Quid sit juspatron. laicale?

1. Respondeo: Quod competit alicui sive laicus, sive Clericus sit, ratione patrimonii, seu bonorum sæcularium impensorum in erectionem vel fundationem, seu dotationem Ecclesiæ aut beneficii. Less. *cit. c. 34. nn. 19.* Barb. *loc. cit. nn. 13.* citans Hojedam. *de incomp. benef. c. ult. n. 113.* Vivian. *de jurep. l. 1. p. 1. c. 3. n. 11.* undè vides, ad dignoscendum, sitne juspatr. Ecclesiasticum, an laicale, non considerandam personam possidentis illud, sed titulum, quo possidetur. Castrop. *loc. cit.* idem sentit Lott. *l. 2. q. 10. n. 3.* citans Abb. *in c. cùm autem. hoc tit. n. 3.* Lamb. *l. 1. p. 1. q. 1. a. 5. n. 3. &c.* dum ait: Censent DD. juspatron. Ecclesiasticum dici illud, quod competit ratione Ecclesiæ, & laicum, quod ratione patrimonii, sive persona sit laica, sive Ecclesiastica, & clarius *n. 40. & 41.* ubi, quòd malè arguatur ad Ecclesiasticitatem, & laicalitatem jurispatron. ex qualitate personarum, quibus applicatur; non enim satis esse, patronum esse clericum, ut juspatr. dicatur Ecclesiasticum, sed exigi, ut competat ratione Ecclesiæ, adeóque non attendendum statum personæ, nisi in ordine ad statum ipsius patronatûs, nimirùm num is sit in dominio Ecclesiæ, vel quia de bonis Ecclesiæ constitutum, vel quia utcunque de bonis patrimonialibus erectus, tamen postmodùm in Ecclesiam aliquam sæcularem vel regularem transfusus, adeò ut ipsa Ecclesia vel monasterium dicatur patronus, & actus præsentationis ei tribuatur. Undè qui opinati sunt, eo ipso quòd patronatus deveniat ad clericum, effici Ecclesiasticum, vel tropicè loqui, ponentes nomen *Clerici* pro ipsa Ecclesia vel beneficio, cujus Rector est Clericus, vel malè sic opinari, citat pro hoc Abb. *in c. cùm vos. de off. deleg. n. 3. in fine, & in c. eam te. h. t. n. 4.* Declarantur hæc ipsa pluribus in particulari adductis exemplis.

2. Sic itàque juspatron. est laicale primò: Quod non ratione Ecclesiæ vel beneficii Ecclesiastici, sed ratione proprii patrimonii competit Clerico; dum nimirùm is ex bonis suis patrimonialibus, aut industriâ suâ acquisitis (qualia censentur etiam acquisita ex quotidianis distributionibus, utporè de quibus pro libitu suo potest disponere. Lott. *cit. q. 10. n. 14.* citans Jason. *l. 3. cons. 75. num. 8.*) erexit, dotavit, &c. beneficium. Lott. *ibid. n. 12. & seq.* Cotra. *l. 4. c. 2. n. 22.* Pirh. *n. 3.* Barb. *n. 14.* citans Abb. *in c. dilectus.*

hoc

hoc tit. n. 4. Mandoſ. *ad reg.* 1. *Cancell. q.* 10. *n.* 7. *&c.* Etſi enim ex eo ſolùm, quòd, qui erexit beneficium, eſſet perſona Eccleſiaſtica, & ſimul obtineret reditus Eccleſiaſticos, rectè præſumatur, quidquid in hanc erectionem impenſum eſt, proceſſiſſe ex bonis Eccleſiaſticis, adeóque videatur ſufficienter concludi ad Eccleſiaſticitatem talis patronatûs. Gloſſ. Archid. Præpoſ. Abb. *in c. Apoſtolicos.* Lamb. *loc. cit. a.* 7. *&c.* Vide etiam Cott. *loc. cit. num.* 45. *& ſeq.* nihilominùs admittitur probatio contra dictam præſumptionem, & hæc per eam profligari poteſt. Lott. *loc. cit. à n.* 9. Quin & Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 594. juxta deciſionem, ut ait, Rotæ; dum juspatronatûs à Clerico beneficiato, qui capellam fundavit, relictum eſt ſuis hæredibus aut conſanguineis ex eo, quòd illis relictum in fundatione, & hi erant in quaſi poſſeſſione præſentandi, præſumi, fundatum ex bonis patrimonialibus, cùm aliàs non poſſet illis relinqui, nec fuiſſent admiſſi ad præſentandum. Mandoſ. *tit. de derog. jurep. verb. quæro.* Gonz. *Gl.* 18. *nu.* 107. apud eundem Garc.

3. Secundò: Si Clericus laicis fundatoribus ſucceſſerit. Barb. *loc. cit.* Cottad. *loc. cit. num.* 58. *&* 54. in fine.

4. Tertiò: Dum Clericus ex bonis acquiſitis Intuitu Eccleſiæ ſeu ex beneficiorum ſuorum reditibus fundat capellam, relinquendo & nominando patronos hæredes ſuos vel conſanguineos, juspatronatûs erit adhuc laicale; ubi conſuetudo eſt, Clericos de talibus bonis poſſe teſtari & diſponere, & in iis ab inteſtato ſuccedi, ſicut in patrimonialibus. Garc. *cit. num.* 594. ubi etiam, quòd ſi in dicto caſu talis Clericus de jurepatronat. nihil diſponat, ſpectet adhuc ad hæredes; ſecus eſt, ubi Clerici teſtari non poſſunt de iſtiuſmodi bonis, tunc enim patronatus pertinebit ad Eccleſiam, & ſic ad ſucceſſores in beneficio vel dignitate fundantis; nec poteſt talis fundans ſibi ut privato aut conſanguineis, aut aliis id applicare. Garc. *ibid.*

5. Quartò: Idem dicendum de Epiſcopis habentibus indultum & facultatem teſtandi à Papa, fundantibus juspatron. ex bonis acquiſitis ex Epiſcopatu, illúdque relinquentibus ſuis conſanguineis, vel aliis laicis benè viſis, juxta Garc. *loc. cit. n.* 595. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 2. nimirùm illud eſſe laicale, eò quòd jam talia bona per dictum indultum Pontificium, quo conceditur poteſtas de iis diſponendi tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, effecta jam ſunt de patrimonio ipſius Epiſcopi ſeu Prælati. Lott. *ibid.* Et quidem de jure communi eſt laicale, dicto privilegio ſeu indulto cadente ſolùm ſeu extendente ſe ſuper removendo impedimento juris poſitivi, quo inhibetur libera diſpoſitio de talibus bonis, & non ſuper acquirendo jurepatronatûs; hoc ſiquidem ſublato impedimento, indultarius ea liberè impendit, in quem uſum maluerit, adeóque dum ea impendit in fundationem beneficii & acquirendum juspatr. id facit liberè; non ſecùs, ac dum Ordinario impedito conferre propter reſervationes Apoſtolicas conceditur, ut illis non obſtantibus conferat, privilegium cadit ſuper remotione impedimenti, non ſuper actu collationis ſecutæ, ſed hæc dicitur Ordinaria; ſicut ſi ligato pedibus ſolvantur vincula, beneficium diſſolutionis conſummatur in diſſolutione vinculorum, actus autem ſequentis ambulationis eſt actus hominis liberi, diſtinctus ab illo beneficio. Lott. *à num.* 34. imò dum teſtari non poſſunt Epiſcopi, fundant tamen aut dotant inter vivos capellam vel beneficium, ſolere illos, uti ſæpè fit in Hiſpania, juspatronat. relinquere ſuis conſanguineis, abſque eo, quòd Eccleſia ſeu ſucceſſor in Epiſcopatu, vel Camera Apoſtolica, ad quam bona relicta ſpectant, in eo ſuccedant, aut ſe intromittant, adeóque ſtante hâc conſuetudine etiam illud juspatronat. conſanguineis laicis relictum fore laicale, ait Garc. *loc. cit. n.* 596. & 597. ſecùs tamen, dum Epiſcopus ex devolutis ad ſe bonis ſeudalibus, antequam per ipſum incorporentur menſæ ſuæ, fundaret beneficium cum reſervatione jurispatr. pro ſuis conſanguineis laicis; nimirùm jus illud patronatûs minimè reputari laicale, & eam reſervationem patronatûs eſſe inutilem, ait Lott. *à n.* 24. eò quòd cùm bona illa ſint de dominio Eccleſiæ, & factâ devolutione, etiam ante incorporationem, dicantur pleno jure pertinere ad Eccleſiam, improbabile eſt, ut patronatus alteri quàm Eccleſiæ acquiratur; undè ſi Papa confirmaret talem reſervationem patronatûs factam laicis, ex quo non habet cauſam radicatam in jure communi, ea judicabitur ex mero privilegio. Lott. *loc. cit.* ubi etiam *numeris ſeq.* contra Monach. oſtendit, non eſſe plus ſeu majoris præjudicii Eccleſiæ bona Eccleſiæ dare in feudum, quàm ex eorum applicatione in erectionem beneficii conſtituere juspatr. laicis.

6. Quintò: Tametſi, ut dictum, dum beneficium fundatum ex bonis Eccleſiaſticis, juspatr. etiamſi dein tranſeat ad laicos, adhuc ſit & maneat Eccleſiaſticum, Barb. *loc. cit. nu.* 16. id tamen intelligendum, dum laicus acquirit dictum juspatr. titulo merè lucrativo v. g. donatione. Barb. *ibid.* Pirh. *num.* 4. ſi enim illud acquirat titulo oneroſo, v. g. permutationis auctoritate Apoſtolicâ, mutat ſuam originalem naturam, & efficitur laicale, non ſecùs ac bona Eccleſiaſtica fiunt laicalia & patrimonialia juxta conditionem perſonæ laicalis, cui adhærent, ne alioquin in nimis exorbitante lucro verſaretur Eccleſia, ſi utrumque, nimirùm quod illa dat in dicta permutatione, & quod illa accipit à laico, maneret Eccleſiaſticum; quod alienum videtur ab honeſtate Eccleſiæ, quæ religioſa cultrix & doctrix eſt juſtitiæ, dum non patitur, contra juſtitiam fieri aliquid in ſe vel in alterum. AA. iidem *ibid.*

7. Sextò: Si laicus fundans de bonis propriis beneficium, juspatron. reſervet Eccleſiæ ſub hac lege, ut ad eam pertineat, non tanquam Eccleſiaſticum, ſed tanquam laicale, erit patronatus laicalis, inſpecto nimirùm ejus fundamento & origine; lex enim iſta fundatoris præſervat illud in eodem ſtatu, & aliud hìc nihil mutatur, quàm perſona habentis miniſtrare, per quam mutationem non mutatur qualitas illa naturalis ipſius rei. Lott. *loc. cit. & n.* 5. citans Spino. *in ſpeculo de teſtam. Gl.* 4. *nu.* 17. non obſtante, quòd aliàs tranſlato à laico jurepatr. aliàs laicali in Eccleſiam, illud evadat Eccleſiaſticum, & non attendatur ampliùs origo. Lamb. *loc. cit. a.* 8. Covar. c. 36. *n.* 5. Pariſ. *vol.* 4. *conſ.* 35. *n.* 11. ideoim intelligendum, niſi aliter in ipſo actu tranſlationis conventum. Lott. *num.* 7. Barb. *loc. cit. num.* 12.

8. Septimò: Dum laici vacante Eccleſiâ vel beneficio nominant Rectorem, quem capitulum vel perſona Eccleſ. præſentat Epiſcopo, juspatr. eſt laicale, quia in hoc caſu laici nominantes potiùs dicuntur patroni, cùm præſentans ſit potiùs procurator, quàm præſentator, quia actus illius non eſt liber, ſed neceſſarius, & qui nominant, non habent ſolùm conſenſum, ſed potiùs præſentatio videtur ab iis facta, ità ut, ſi præſentans nollet nominatum præſentare intra tempus, is haberetur pro præſentato, Garc. *loc. cit. n.* 616. ex Gamb. *l.* 3. *num.* 392. contra Jo. And. è contra juspatron. non erit laicale, ſi laicus præſentare deber eum conſenſo Eccleſiaſtici; ſecùs ſi tantùm cum conſilio Eccleſiaſtici, quia id non teneretur ſequi. Garc. *ibid.* ex Puteo. *l.* 2. *deciſ.* 506.

9. Econtrà juspatronat. eſt Eccleſiaſticum primò: Quod etſi ortum habeat ex patrimonio vel bonis laici, fuit tamen vel ab initio, v. g. in fundatione à fundatore, etiam laico, præſervatum perſonæ Eccleſiaſticæ, vel poſtmodum hæreditate, donatione, vel quovis alio titulo translatum in Eccleſiam, collegium clericorum, vel in perſonam Eccleſiaſt. etiam privatam ratione dignitatis vel beneficii, annectendo illud beneficio. Leſſ. *loc. cit. n.* 20. Pirh. *loc. cit. n.* 3. Garc. *p.* 5. *cit. n.* 553. Barb. *n.* 10. citans Lamb. *ubi antè a.* 1. Rebuff. *in pr. tit. de præſent. n.* 5. *&* 7. Pariſ. *de reſign. l.* 2. *q.* 4. *nu.* 39. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *nu.* 6. citans Covar. *c.* 36. *n.* 5. Pariſ. *vol.* 4. *conſ.* 35. Corrad. *l.* 4. c. 2. *num.* 50. factâ enim hujuſmodi tranſlatione non attenditur ampliùs origo illius, intelligendo nimirùm hæc ſub dicta limitatione; niſi transferens illud aliter ſtatuerit.

Secundò: Quod competit v. g. Episcopo ratione dominii alicujus temporalis, v. gr. Comitatûs vel Ducatûs alicujus competentis eidem Episcopo occasione seu ratione suæ Ecclesiæ, cùm illud juspatr. habeat ortum & causam à Dominio illo seu comitatu, qui est Ecclesiæ, seu in bonis Ecclesiæ. Garc. *l. cit. nu.* 555. citans Velasc. *p. 2. consult. 163. ad finem.* Barb. *n.* 8.

11. Tertio: Juspatron. censetur adhuc Ecclesiasticorum & Ecclesiasticum, quod competit laïcis utriúsque sexûs religiosè viventibus, habitum religiosum gestantibus, gaudentibúsque privilegio fori & Canonis. Barb. *loc. cit. n. 7.* Lott. *l. 2. q. 10. n. 44.* citans Suar. *de censur. to. 5. d. 22. s. 1.* Mascard. *de prob. conclus.* 960. *nu.* 2. & 6. Lamb. *ubi antè a. 10.* Gig. *de pens. q. 24. n. 5.* Et in specie, quod competit Beginis, monialibus, Abbatissis. Garc. *loc. cit.* citans pro hac *nu.* 554. expressam Rotæ decisionem. Item quod spectat ad illas tertii Ordinis S. Francisci, non ut singolas, sed ut universas. Garc. *n.* 556. citans præter paulò antè citatos Selv. *de benef. p. 3. q. 11. n. 3.* Felin. Roch. &c. Lott. *n.* 47. Item quod spectat ad magistros seu Milites Ordinum militarium D. Jacobi Calatravæ, Alacantaræ, &c. etiam conjugatos ratione magistratuum aut præceptoriarum seu Commendarum. Garc. *ibid.* citans Mascard *ubi antè n. 3.* & ex eo Barb. *loc. cit. n.* 8.

12. Quartò: idem dicendum videtur de jurepat. nimirùm esse Ecclesiasticum, quod competit confraternitatibus vel sodalitatibus laicorum aliorum, juxta Garc. *loc. cit. n.* 606. Lamb. *p. 1. l. 1. q. 1. a.* 10. *n.* 4. & 5. Gutier. *qq. Can. l. 1. c. 35. n. 54.* & plures alios apud Garc. dum dictæ confraternitates affixæ sunt alicui Ecclesiæ, & maximè si ab Ordinario sint approbatæ; quia tunc, ut Lamb. licèt ipsi confratres sint laïci, & ex sua persona non dicantur patroni Ecclesiastici, tamen quatenùs faciunt collegia, quæ Ecclesiæ adhærent, benè dicuntur patroni Ecclesiastici, & ità etiam pro rebus communibus ipsius confraternitatis conveniuntur coram judice Ecclesiastico, & non coram laico, licèt de aliis eorum rebus, & delictis conveniantur coram judice laico seu sæculari. Sunt etiam ipsæ tales Universitates, etsi sint universitates laicorum, ut Garc. *n.* 606. dum ab Ordinario sunt approbatæ (vel etiam absque dicta approbatione, ut Castillo Menoch. Sfortia &c. apud Garc.) loca pia, & de foro Ecclèsiastico, quin & loca religiosa; undè jam habebunt semestria ad præsentandum, nec poterunt variare ut laici. Garc. *nu.* 607. Quamvis ex æquitate ad effectum derogationis & reservationum illud juspat. istiusmodi confraternitatum censendum sit laicale, Garc. *n.* 608. Contrarium tamen sentientibus de his confraternitatibus, dum confratres non induuntur aut distinguuntur signo aliquo religionis, dum ipsi capellam aliquam vel beneficium collatis symbolis, vel aliter ex bonis sæcularibus fundant; quamvis illi in aliquibus locis vocentur Ecclesia. Less. *loc. cit. n.* 21. Azor. *l. 2. c. 28. §. item jusp.* Corr. *l. 4. c. 2. n. 54.* Barb. *n.* 15. Covar. *qq. practic. c. 36. n.* 8. Navar. *de foro comp. cons.* 3. Fusc. *de visitat. l. 2. c. 14. n.* 12. & alii citati à Barb. & Garc. *n.* 604. juxta decis. Rotæ *in Valons. benef.* 16. *Octob.* 1576. quam *ibid.* refert Garc. eò quòd dictæ confraternitates non gaudentes privilegio fori & Canonis dici non possint personæ Ecclesiasticæ, nec pium collegium, & licèt causâ pietatis institutæ sint, & affixæ alicui Ecclesiæ, ipsi tamen, ex quibus Collegium hoc vel universitas constat, & ad quorum suffragia fit præsentatio, sint merè laici, & hanc universitatem laicorum, præsentatio spectet, & non ad Ecclesiam, nec ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem. Contrarium quoque sentit Lott. *cit. q.* 10. *à n.* 45. aitque constare, perperam sic sensisse A A. oppositæ sententiæ, eò quòd supponatur juspatron. spectare ad Ecclesiam, cui confraternitas est affixa, & jam recedatur ab hypothesi, in qua versamur; nimirùm quòd illud competat ipsi confraternitati, vel retinetur eadem hypothesis, nimirùm quòd confratribus in solidum jus illud competat, & sic excludimus illud ab Ecclesia, & jam impossibile est, illud dici Ecclesiasticum, aut fieri argumentationem à Beginis vel sororibus tertii Ordinis; cùm hæ supponantur propter religionem, quam habent, facere collegium vel monasterium, quod reputatur Ecclesiasticum, & vel sic Ecclesiam, cui juspatr. est acquisitum; neque enim quæritur, an confraternitates tales, sint loca pia ratione alterius operis, ad quod institutæ, vel etiam, an sint subjectæ foro Ecclesiastico; quia institutæ auctoritate Ecclesiasticâ (quod utrumque admittit Lott.) sed an sint collegia Ecclesiastica ratione alicujus Ecclesiæ, cui juspatron. quæsitum sit, quod quia non sunt, etsi de cætero in pluribus subjectæ sint Episcopali jurisdictioni, affixæ etiam sint Ecclesiis, in quibus habent oratoria, etiamsi insuper institutæ auctoritate Episcopi, juspatron. iis competens non est Ecclesiasticum, sed neque habent privilegium fori, quale in universum habent personæ Ecclesiasticæ.

13. Quintò: Juspatron. competens seu relictum operariis, hoc est, præfectis fabricæ Ecclesiæ seu œconomis Ecclesiæ laicis, est adhuc Ecclesiasticum juxta eundem Garc. *p. 5. c. 1. nu.* 599. citantem pro hoc Hieron. Paul. *in practic. Cancellar.* Lamb. *loc. cit. a. 10. n. 6.* Mascar. *concl. 960. n. 14.* Rebuff. *in praxi tit. de præsent. n. 6.* Gamb. *de off. leg. l. 3. n. 390. & n. 145.* eò quòd licèt sint laici, competat tamen iis illud jus patr. ratione officii & administrationis bonorum Ecclesiæ, adeóque illud iis non proveniat ex eorum personis, sed ex ipsa Ecclesia ut Hieron. Paul. ac ità repræsentant quoad hanc administrationem personas Ecclesiasticas, quibus de jure competit cura fabricæ & administratio bonorum Ecclesiæ. Verùmque id putat Garc. *ibidem.* contra Gamb. etiamsi isti præfecti fabricæ laici deputati non sint vel confirmati ab Episcopo, sed à parocho vel ab aliis, ad quos de consuetudine id pertinet. Contrarium quoad principalem sentientibus Felin. *in tr. quando litera Apostolica. limit.* 4. Covar. *cit. c. 36. num.* 8. Selva. *p. 3. q. 11. n. 60.* Roch. *de jurep. V. jus. q. 3. num.* 17. Azor. *p. 2. c.* 28. & alii, quos citat & sequitur Lott. *cit. q. 10. n.* 48. Ex eo, quòd illi sint laici non gaudentes privilegio fori & canonis, etsi ratione muneris conveniri possint in foro Ecclesiæ; sed neque illud juspatron. habeant ab Ecclesia, hoc est, ratione Ecclesiæ aut beneficii (non enim per hoc, quòd deputentur ad tale munus, creatur aut mandatur illis officium aliquod in Ecclesia ipsa cum superioritate vel potestate aliqua, sed nudum exercitium seu ministerium convertendi aliquos reditus in causam fabricæ sub onere reddendi rationem ministris ipsius Ecclesiæ, ut Abb. Austrer. & alii apud Lott. *n.* 53.) sed competat illis ratione muneris, quod utcunque dici possit dependens ab Ecclesia, aut ei adjectum, est tamen quid penitùs ab Ecclesia ejúsque juribus distinctum & remotum, & prorsus laicale. Lott. *cit. nu.* 53. & 58.

14. Sextò: jusp. spectans ad hospitalarios, id est, administratores hospitalium, etiam laicos, est Ecclesiasticum; dum hospitale fundatum est auctoritate Episcopi, juxta Garc. *n.* 600. Lamb. *ubi supra n.* 7. & Gamb. *n.* 413. eò quòd hospitalia sic erecta sint loca pia, religiosa, gaudentia privilegiis Eccles. ut Selva. *p. 1. q. 6. n.* 8. Tiraquel. *de privileg. piæ causæ in præfatione.* Mandos. *de signat. gratia c. ult. n.* 6. Guttier. *loc. cit. n.* 29. Zerola. *in pr. p. 1. V. hospitale &c.* apud Garc. *nu.* 601. gaudeántque etiam Immunitate. de Gonnis. *de immunit. Eccles.* Covar. *l. 2. var. resol. c. 20. n.* 4. Mascard. &c. etiam dum non haberent Ecclesiam annexam in forma solenni Ecclesiæ, ut *cit. num.* 601. insinuat Garc. Idem se tenere dicit *n.* 602. Garcias contra Gamb. *l. 5. rubric. de potest. leg. circa hospitalia*, & plures alios, nimirùm esse adhuc juspatr. Ecclesiasticum, etsi hospitale non sit erectum vel approbatum auctoritate Episcopi, eò quòd licèt tunc non sit locus sacer vel religiosus, & sic non gaudeat immunitate, ut Gonn. Cabedo &c. videatur tamen adhuc esse locus pius, & de jurisdictione Ecclesiastica, & gaudere privilegiis Ecclesiæ, cum causa pietatis sit institutum, juxta *c. de Xenodoch. & religios. domi-*

bus,

bus, & ea, quæ habentur in Trid. *sess.* 22. *c.* 8. 9. utpote locum habentia in hospitalibus & locis piis privatis, neque auctoritate Ecclesiasticâ institutis, ut censet S. Congreg. Concilii. Et hoc adhuc, ut Garc. *n.* 603. Etiamsi hospitale non est perpetuum, sed à fundatore vel ejus successore revocari potest; cùm id non tollat, quin interim dici possit locus pius, vel saltem causa pia, seu opus pium. Selv. *loc. cit. n.* 6. Sfortia Odus. *de in integ. restitut. p.* 1. *q.* 3. *a.* 6. *n.* 48. & plures alii apud Garc. *n.* 603. & quælibet causa pia gaudet privilegiis, quibus gaudet Ecclesia. Tiraq. *de privileg. causa pia privileg.* 140. Sylv. V. ligatum.

15. Septimò: similiter ex eadem causa Ecclesiasticum esse juspatron. quod spectat ad collegia instituta pro sustentatione pauperum studentium vel aliorum egenorum, tenet Garc. *n.* 612. eò quòd & hæc sint loca pia gaudentia privilegiis Ecclesiæ, & si instituta auctoritate Ecclesiasticâ, etiam sint loca religiosa. Geronda *de gabell. p.* 7. *n.* 42. Azevedo &c. apud Garc. & reputantur Ecclesiastica; licèt major pars sint laici. Roch. Barbarr. Card. Albanus, quamvis dictum juspat. saltem ubi major pars est laicorum, ex æquitate ad effectum derogationis & reservationum videatur censendum laicorum. Garc. *ibid.*

Quæstio 17. *Quid sit jusp. mixtum?*

Respondeo: quod ex patronis laicis & Ecclesiasticis coalescit. Castrop. *loc. cit. num.* 2. sive quod pertinet partim ad Ecclesiasticum, partim ad laicum. Barb. *loc. cit. n.* 17. citans Moner. *c.* 10. *n.* 220. Verùm tamen juspatr. non dicitur mixtum ex solo concursu Ecclesiæ seu patroni Ecclesiastici & patroni laici; sed illud tantùm, quod æqualiter utrique competit; nam si ex tribus vocibus duas habet Ecclesia, judicatur totum Ecclesiasticum; econtrà si duas habeat laicus, totum erit laicale. Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 67. citans Lignarium *in c. dilectus.* 3. *de constitut. n.* 3. Roch. *de jurep. v. jus. n.* 16. qui ultimus rectè paritatem hanc accipiendam ait, non ex paritate personarum, sed ex parte suffragiorum; mixtum enim dicitur, quod ex conventione & permistione plurium specierum compatibilium confectum est. Lott. *n.* 62. Menoch. *cons.* 461. *n.* 16. Estque mixtum aliud constitutivum, nempè novæ seu tertiæ speciei, quod confectum est ex speciebus in quantitate æqualibus; aliud non constitutivum, cui alia species in minore quantitate admixta; adeóque est retentivum propriæ speciei; cùm ista admixtio simplicem quantitatem inferat, nec mutet substantiam speciei, cui admiscetur; utcunque enim possit & hoc dici mixtum; tamen, quia prævalet altera species, illa sola attenditur tanquam magis potens, & ex ea sola accipit denominationem. Lott. *n.* 65. & 66. Contrarium tamen, nimirùm, etiam ubi unus est patronus laicus, & duo vel plures Ecclesiastici, dicendum adhuc esse non Ecclesiasticum, nec laicale, sed mixtum, sat indicat Castrop. *loc. cit. p.* 2. *n.* 3.

Quæstio 18. *An igitur patronatus coalescens ex laicis Ecclesiasticis personis quoad jura & effectus censendus sit laicus vel Ecclesiasticus?*

Respondeo: In articulo præjudicii, quod potest inferri patronatui hujusmodi mixto, in quo nimirùm est dicta vocum æqualitas, censetur is merè laicalis, v. g. quoad effectum exclusionis, reservationis, prout etiam censetur laicalis ad hoc, ut in eo non requiratur forma examinis per concursum pro conferenda parochiali. Lott. *n.* 68. 75. & 76. citans Roch. *ubi antè n.* 15. Lamb. *l.* 2. *p.* 3. *q.* 9. *a.* 9. *n.* 1. Hojed. *de incomp. benef. p.* 1. *c.* 24. *num.* 114. *&c.* Barb. *loc. cit. n.* 18. citans Mand. *ad reg.* 1. *cancell. q.* 10. *n.* 8. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 18. *n.* 13. *&c.* Et nequaquam pars Ecclesiastici tanquam dignior trahit ad se partem laici, ut perperàm; & juxta decis. Rotæ erroneè senserunt Æneas de Falcon. & Staphil. apud Lott. *cit. n.* 76. sed potiùs Clerico suffragatur privilegium laici, & econtrà. Abb. *in c. dilectus. de offic. legat. n.* 5. Felin. *in c. multorum. de Judæis. n.* 3. Feder. de Senis. *cons.* 65. *n.* 1. apud Lott. *cit. n.* 68. dum enim agitur de favore vel odio, juris ministerio opportunè aut retinetur, aut dissolvitur ista mixtura; unde sicut mixtum comprehenditur in favorabilibus sub simplici, ita in odiosis minimè. Lott. *n.* 79. citans Surd. *cons.* 453. *n.* 49. Zuninaldi Ruinum, Bero, &c. Hæc eadem procedere, nimirùm non cadere sub regula reservationum beneficium: esse locum mutationi; dari quadrimestre ad præsentandum, si patronatus constaret ex duobus Ecclesiasticis & uno laico, tenet Castrop. *cit. n.* 3. citans Perez de Lara. *l.* 2. *de capellis. c.* 9. *n.* 16. eò quòd conjunctio patronorum Ecclesiasticorum non debeat præjudicare laico. Idem tenet C. de Luca *de Jurep. in summ. n.* 47. *in fine.* dum ait: probabiliùs magisque receptum est, idem tenendum de mixtura inæquali, quod dictum de æquali, ut nempe attendatur semper ea pars, quæ favorabilior est, magisque expedit pro respectuum diversitate, adeóque practicatur limitatio axiomatis illius: quòd una & eadem res diverso jure censeri non debeat, dum idem juspatr. pro diversitate effectuum seu respectuum quandoque Ecclesiastici, quandoque laicalis jure meretur; ait insuper idem Card. *n.* 48. hæc procedere, ubi jusp. tam in habitu, quàm in usu seu exercitio pro æqualibus vel inæqualibus portionibus pertinet partim ad laicos, partim ad Ecclesiasticos. Secùs ubi penes laicos residet quoddam juspatr. habituale seu honorificum, actuale verò est tantùm penes Ecclesiasticos; quia tunc jure Ecclesiastici quoad dictos effectus totum censetur, idque, etiamsi laici in exercitio aliquam habeant participationem, putà jus nominandi unum vel plures præsentandos ab Ecclesiasticis, dummodò nominatio ista non sit coactiva, sed consultiva, ut persona laicis grata præsentetur. Sic olim fiebat; & commendabile esset, ut hodiedum quoque fieret, nisi laici sibi ipsis hoc malum intulissent per abusum Ecclesiasticæ indulgentiæ, dum ea, quæ consultivè & ex dicto motivo practicari solebant, prætendere cœperunt importare jus coactivum inalterabile. Ita ille.

Quæstio 19. *An igitur, dum juspatron. est Ecclesiastici, & laici, & facta est conventio seu concordia de alternis vicibus præsentando, in turno Ecclesiastici censeatur Ecclesiasticum, in turno laici laicale.*

1. Respondet affirmativè Garc. *n.* 614. citátque Jo. And. *in c. cum illis. de præb. in* 6. Roch. *V. jus. q.* 6. & alios. Unde si pro turno Ecclesiastici beneficium vacaret in mense Apostolico, beneficium caderet sub reservatione, & tamen Ecclesiasticus consumeret turnum suum; tunc enim Papa providet loco illius, & aliàs fieret præjudicium laico; econtrà, si vacaret pro turno laici in mense Apostolico, non caderet sub reservatione, & si provideretur à Papa cum derogatione jurispatron. mixti non habet locum derogatio. Vide de hoc Garc. *num* 615.

2. Contrarium tamen probabilius tenet Lott. *cit. q.* 10. *n.* 98. ubi ait deceptum, & errâsse Garc. reputando merè Ecclesiasticum, & cadere sub reservationibus Apostolicis, dum facultas præsentandi est in turno Ecclesiæ; eò quòd dum in tali patronatu constituitur turnus, non ideò dissolvatur ea mixtura, nec turnus ille dividat juspatr. aut jus præsentandi, utpote quod est individuum; sed tantùm usum & exercitium, ut Innoc. *in c.* 1. *de Jurep. n.* 1. Vitalin. *in clem. plures. de Jurep. n.* 3. & 8. durante autem illâ mixturâ & individuitate juris istius patronatûs, non possit juspatron. mixtum cadere sub reservatione, ac ideo turnus hic minimè efficit, ut hinc solidetur jus dictum ab exercitio in exercitio, ita ut cadat sub reservatione, ut Gonz. *ad reg. de mens. gl.* 45. §. 3. *n.* 35. Sed potiùs, ut nisi hoc Papa intelligat, non

cen-

censeatur voluisse præjudicare patrono existenti in turnn. Lott. nu. 100. non obstante, quòd existens in turno dicatur vice suâ præsentare, ità ut ad eum dicator pertinere præsentatio; stant enim hæc simul, quòd turnarius præsentet vice suâ, & præsentatio hâc vice ad eum pertineat, & nihilominùs beneficium jurispat. mixti non cadat sub reservatione propter mixturam, quæ non habet suas radices in eo exercitio, sed in ipso jure individuo. Lott. n. 101. & 102.

Quæstio 20. Quid sit jusp. hæreditarium, qualiter præsumatur tale in dubio?

1. Respondeo ad primum juspatron. hæreditarium est, quod transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos. c. 3. h. t. Lott. l. 2. q. 11. n. 19. Barb. cu. c. 12. nu. 20. citans Monet. de ult. volunt. c. 11. n. 134. Maresc. hos. var. resol. l. 2. c. 55. n. 8. Bonacos. to. 1. comm. opin. l. 4. tit. 5. n. 36. Covar. &c.

2. Respondeo ad secundum: In dubio præsumendum est, juspatr. esse transitorium ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, ubi ex fundatione vel aliundè non docetur de contrario. Lott. loc. cit. Barb. loc. cit. citans Lamb. p. 2. l. 1. q. 2. n. 15. Marant. l. 2. controv. resp. 16. n. 23. &c. Cùm enim de jure communi juspatr. sit transitorium ad hæredes quantumcunque extraneos. Lott. ibid. citans Lamb. ubi antè. Molin. de primogen. l. 1. c. 24. n. 7. Didac. var. resol. l. 2. c. 18. n. 6. &c. censetur in dubio fundator voluisse se conformare cum juris communis dispositione. Lott. ibid. num. 20. & 21. dicens esse communem sententiam, sempérque urgere præsumptionem, patronatum non esse gentilitium, sed hæreditarium, juxta c. 1. & 2. h. t. ubi Abb. nn. 3. & 4. quæ tamen præsumptio elidirur ità, ut potiùs præsumatur gentilitium, si in provisionibus semper fuit habita mentio familiæ & descendentiæ, nunquam verò hæreditariæ qualitatis, vel quando spatio 100. annorum nullus extraneus aut fœmina in eo præsentavit. Barb. l. cit. n. 23.

Quæstio 21. Quid sit juspatron. gentilitium seu familiare, qualiter hæc qualitas patronatui imprimi possit, & perseveret, aut transeat?

1. Respondeo ad primum: Patronatum illum dici gentilitium, quem fundator voluit pertinere ad gentem seu familiam suam aut alterius personæ à se dictæ. Lott. cit. q. 11. n. 3. Barb. n. 22.

2. Respondeo ad secundum: Potest hæc qualitas imprimi patronatui per fundatorem quandocunque, etiam post ipsam fundationem, accedente consensu Ordinarii. Lott. n. 4. citans decis. Rotæ 675. n. 2. p. 1. recent. eò quòd licet translatio patronatûs attentati nequeat in præjudicium illius, cui est jus quæsitum, etiam ex sola possessione bonæ fidei (veluti quia non clam & precariò, sed palam & jure suo præsentavit) & hinc ista translatio fieri nequeat in præjudicium gentilium, ubi pro gente reservatus fuit. Lott. n. 5. & 6. citans Covar. var. resol. l. 2. c. 18. n. 10. Molin. de primog. Hisp. l. 1. c. 24. n. 31. Garc. p. 5. c. 9. n. 69. cessat nihilominùs hoc præjudicium, dum patronatui purè hæreditario imprimitur hæc qualitas, quin & impressio hæc tendat in favorem Ecclesiæ, utpote cui hâc ratione aperitur spes libertatis post extinctam familiam, atque ità fingatur favore Ecclesiæ, quòd sic fuerit à principio cautum. Lott. à num. 17.

3. Respondeo ad tertium: hæc gentilitia qualitas semel impressa continuat, quousque gens ipsa seu familia durat intransmissibiliter, præterquam si transmissio ab ipso fundatore fiat. Lott. nu. 10. ex Lamb. l. 1. p. 2. q. 2. a. 8. n. 4.

4. Respondeo ad quartum: Finitâ familiâ transit ad hæredes, & efficitur hæreditarius. Anchar. cons. 81. num. 4. cujus sententiam esse communem & veram contra solum Gemin. cons. 45. n. 7. ait Lott. n. 11. nisi forte aliud disposuisset fundator, v. g. reservando patronatum pro tali familia taxativè seu tantùm, vel cum alio signo æquipollente; tunc enim vi pacti singularis procederet illa exclusio hæredum. Lott. n. 12. & 13. Paris. cons. 84. num. 6. l. 4. Quin imò etiam durante familiâ posse talem patronatum alienari in præjudicium alienantis, & sic transire ad hæredes extraneos, quatenùs alii non impugnant, contra quos tamen etiam præscribi potest, ait Lott. n. 14.

Quæstio 22. Quid sit juspatr. mixtum, intellige ex hæreditario & gentilitio?

Respondeo: Patronatum reperiri mixtum, dum fundator utramque qualitatem, nempè hæredis & gentilis in successore exegit (eæ enim compatibiles sunt) ità ut tunc non admittatur, nisi qui hæres sit simulque gentilis; extraneus verò repellatur. Lott. cit. q. 11. n. 41.

Quæstio 23. Qualiter juspatr. de hæreditario efficiatur gentilitium, & contra, vel etiam mixtum?

1. Respondeo ad primum: Posse post fundationem perfectam Episcopum, si super hoc instet fundator ipse, qualitatem juris patr. ità mutare, ut de hæreditario fiat gentilitium. Lott. loc. cit. q. 47. nu. 64. minimè tamen hoc poterit ad instantiam successorum in patronatu. Lott. n. 65. citans Felin. in c. cum accessissent. de constit. n. 19. Ferret. cons. 134. num. 5. Rotam in Pistoriensi jurisp. 31. Martii 1628. Cùm agatur tunc de mutanda voluntate defuncti. Potest item fundator de consensu Episcopi, ut dictum, post constitutum juspatr. eidem imprimere, seu potiùs insuper adjicere qualitatem gentilitii, sed tunc de purè hæreditario efficietur mixtum. Porrò posse fundatorem in codicillo declarare, an juspatr. fuerit gentilitium, an hæreditarium? Quin & posse eundem non minùs in codicillis, quàm in ipsa fundatione de consensu Ordinarii hoc vel illo modo qualificare patronatum, tradit Cortad. pr. benef. l. 2. c. 12. n. 57. juxta decis. Rotæ 675. n. 2. p. 1. recent. Abb. l. 1. cons. 59. n. 3. Paris. l. 4. consil. 55. n. 5.

2. Respondeo ad secundum: Gentilitium mutari in hæreditarium, seu transire ad purè hæredes extinctâ seu finitâ familiâ, cui reservata fuerat, juxta dicta paulò suprà.

Quæstio 24. Quid sit juspatr. personale, & reale?

Respondeo: Personale est, quod à rebus & possessionibus distinctum personam comitatur, utpotè competens personæ ratione personæ, quale est, quod tibi tuisque hæredibus & successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel privilegium à Papa concessum. Reale est, quod rebus ipsis inhæret, v. g. quod tibi competit ratione alicujus villæ, castri, vel prædii, cui ex fundatione annexum est. Castrop. cit. d. 2. p. 4. n. 1.

Quæstio 25. An, & qualiter juspatron. sit quid spirituale?

1. Respondeo: Esse secundùm se, seu ex objecto suo simpliciter & intrinsecè merè spirituale, tenent Suar. l. 4. de Simon. c. 26. n. 7. & 8. Laym. Th. mor. l. 4. tr. 21. c. ult. §. 5. n. 60. apud Pith. loc. cit. n. 5. item Navar. in commentatione super rub. de judiceis, n. 3. apud Lott. paulò post citand. num. 5. Tum quia principium, à quo originem trahit, est quid spirituale, nempè potestas Ecclesiastica, non humana, ut inquit Navar. & naturalis, sed divina & supernaturalis per Christum Petro & Ecclesiæ tradita, per quam beneficia sunt instituta; tum quia actus objectum ac terminus, ad quem ordinatur actualis præsentatio, (nempè institutio & beneficium Ecclesiasticum) sunt quid spirituale. Sed neque obstat aliquid in se spirituale ordinati ad aliud spirituale dignius, & juspatr. obtineri à laicis; cùm hi possint per privilegium iis ab Ecclesia concessum obtinere jura spiritualia, v. g. beneficium.

2. Econ-

2. E contrà juspatr. secundùm se & intrinsecè non esse spirituale, sed tantùm annexum spirituali, tenent Gl. *in c. quanto. de judiciis.* & Abb. *ibid. nu. 6.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 2.* Garc. *p. 5. c. 9. n. 6.* Lott. *l. 2. q. 9. ferè per tot.* Pirh. *loc. cit.* qui ait: hanc esse probabiliorem, & juri Canon. conformiorem, & plerorumque Canonist. Verùm, ut hæc ex fundamento resolvantur, observandum ex Lott. *loc. cit. n. 1.* in erectione beneficiorum jurispatr. tres distinctos & minimè confundendos concurrere actus. Primus attribuitur fundatori, & consummatur in oblatione temporalium pro erectione beneficii, & in reservatione jurispatr. expressâ, aut subintellectâ; forma autem est ejusdem oblationis sub eadem reservatione actualis præsentatio facta Episcopo, aut habenti jurisdictionem Episcopalem. Alter actus est Episcopi, conficitur in admissione dictæ oblationis patroni, ejus forma consistit in reductione materiæ illius profanæ ad spiritualitatem seu annexionem divini officii. Tertius actus tribuitur legi concedenti jusp. & consistit in ea concessione jurispatron. (cujus proindè materia non est alia, quàm triplex illa prærogativa honorificentiæ, suppeditationis alimentorum, & facultatis præsentandi Rectorem beneficii) forma autem illius est annexio sive applicatio hujusmodi juris facta beneficio erecto, quâ ratione juspatr. dicitur annexum spirituali.

3. Hoc prænotato, quomodocunque definiatur seu describatur spiritualitas, (de quo vide Lott. *loc. cit. n. 6. & 7.*) ea excluditur à patronatu. Si enim simpliciter attendatur persona patroni, jus illud non consequitur à potestate supernaturali (quamvis, ut Lott. *n. 8.* in æstimando spiritualitatem hanc, non statim sit relatio facienda ad potestatem supernaturalem, ne aliàs facilè possent res quævis deduci ad spiritualitatem) sed naturali, dum consequitur ad voluntatem fundatoris, non nisi sub hac lege, ut possit ipse vel alius ab eo designatus præsentare rectorem beneficii &c. offerentis sua. (quisque autem naturaliter possit donationi & traditioni rei suæ, quam vult, legem præscribere) Lott. *nu. 9.* & in eo nihil aliud complectitur, quàm hujus desiderii seu voluntatis satisfactionem, quod & ipsum est quid merè temporale, jusque nullum spirituale confert. Lott. *nu. 11.* ex Abb. *in c. quanto. de judiciis, nu. 6.* & Bellamer. *ibid. nu. 2.* Et quamvis hoc ipsum ex gratia concedi dicitur, non est referendum ad aliquam spiritualitatem, sed ad singularem juris dispositionem, quo videlicet contra tenorem antiquorum canonum jus illud non admittentium, propter utilitatem rei Ecclesiasticæ, quæ hâc ratione augebatur, auctoritate Pontificiâ introductum fuit. Lott. *n. 12.* citans Beroium *in rub. de judiciis, sub n. 40. & 47.* Si verò attendatur effectus illius juris in persona præsentata, quatenùs ei acquiritur jus ad rem, neque id ad spiritualitatem pertinet, cùm semper remaneat distinctum ab ipso beneficio Ecclesiastico, & ejus provisione eo modo, quo præparatio & ordinatio ad aliquid est quid distinctum ab illo, ad quod facta est. Lott. *num. 13.* Absurdum etiam est, actum hunc præsentationis considerare in persona præsentati tanquam quid spirituale; cùm eo ipso præsentante sit quid merè temporale, nec plus sit in causato, quàm in influente potentiâ causæ, ut Bald. *Lut. N. de senat.* Lott. *n. 17. & 18.* Quare sicut præsentans per præsentationem nihil spiritualitatis exercet, sic per eam nihil spiritualitatis præsentato acquiritur. Lott. *n. 19.* citans Abb. *in c. quanto. n. 6.* Roth. *de jurep. v. jus n. 4.* Bellam. *in c. pia mentis. 16. q. 7. n. 2. &c.* undè dum jus illud quæsitum præsentato resolvitur in simplicissimam habilitatem personæ ad obtinendam institutionem. Lott. *n. 20.* ex Azor. *loc. cit.* non nisi impropriè inspectu fine ultimo seu remotè dici jus spirituale. Bellamer. *in c. quanto. n. 2.* sed neque dicta connexio, quâ juspatr. veluti remotè & inchoativè, mediâ nimirùm præsentatione disponit ad institutionem in beneficio, importat in eo spiritualitatem, nisi ad summum talem, quæ valdè impropriè dicatur quid spirituale; non enim omnis præparatio, seu dispositio ad finem, seu rem spiritualem est simpliciter & merè spiritualis, nisi fortè sit proxima. Pirh. *loc. cit. n. 5.* ex Azor. ut constat ex simili allato in hunc finem per Abb. *in c. quanto. n. 6. & 7.* apud Lott. *n. 24.* de libris Ecclesiasticis, qui etsi ordinentur ad finem animæ, & rei spiritualis, non tamen sunt spirituales & sacri, intellige in sensu proprio seu intrinsecè. Huc facit doctrina, quam tradit D. Thom. *2. 2. q. 100. a. 1. ad 6.* ubi, quòd sicut anima vivit secundùm seipsam, corpus autem vivit unione animæ, ità etiam sunt quædam spiritualia secundùm seipsa, ut sacramenta & alia hujusmodi, quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quòd talibus adhæreant &c. Undè jusp. haudquaquam esse quid spirituale, sed ità dici propter simplicem adhærentiam ad id, quod spirituale est, concludit Lott. *n. 26.* citans Præpos. *in sum. q. 1. n. 20.* Beroium. *in rub. de judiciis. à n. 41.*

4. Ulteriùs circa dictam adhærentiam seu annexionem ponderanda, quæ tradit D. Thom. *loc. cit. a. 4.* nimirùm annexionem illam, quâ *in c. quantò.* & *in c. de jure.* dicitur juspatr. esse spirituali annexum, non intelligi de annexione ratione dependentiæ à spirituali; hoc enim casu spirituale illud influeret in ipsum patronatum annexum, seu dependentem, sed de annexione præparationis seu ordinationis ad spiritualia, quæ annexio non facit, ut præparatum vel ordinatum participet de natura ejus, ad quod fit præparatio vel ordinatio. Undè ut inquit ibi D. Thom. hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ex ordine temporis præcedunt; atque ità malè existimaverunt quidam, quos citat Lott. *n. 22.* agi in istis textibus de tali annexione, propter quam alterum ex annexis assumat naturam alterius annexi nobilioris; cùm ea annexio, de qua in dictis juribus, non sit propriè annexio, quæ constituat unum individuum. Lott. *num. 23.* Quare ex his concludit Lott. *num. 27. & seq.* juspatronat. cum omnibus effectibus suis esse quidem connexum juri spirituali, id est, ipsimet beneficio, sed connexione impropriâ, respectu scilicet institutionis ex simplici præparatione & ordinatione, juxta sententiam D. Thom. quæ annexio non operetur, ut desinat esse quid merè temporale; cùm non sequatur: Illud est annexum spirituali, ergò est spirituale.

Quæstio 26. An nihilominùs & quare, si spirituale non est juspatr. de eo cognoscere nequeat Judex laicus?

1. Respondeo ad primum affirmativè; sic enim expressè disponitur in *in cit. c. quanto.* Lott. *n. 30.* semper enim juspatr. etiam laicale, spectat ad jurisdictionem Ecclesiasticam; & dum per laicos exercetur, exercetur per eos tanquam nudos ministros Ecclesiæ. Corrad. *in pr. benef. l. 4. c. 2. n. 52.* Unde ait Lott. *n. 31.* malè sensisse Zabarell. *in c. significavit. de testib. n. 1.* Judicem laicum esse capacem cognitionis super articulo, an patronus voluerit Ecclesiam esse liberam à vinculo patronatûs, eò quòd in *dicto c. significavit.* nulla omninò cognitio demandata fuit illi Judici Sabinensi, sed nudum ministerium recipiendi testes; quod nihil concludit ad competentiam propriæ jurisdictionis; cùm in tali casu Judex procedat tanquam merus executor facti, naverque operam Papæ mandanti. Neque vera est distinctio, quam affirmant quidam inter patronatum ex se subsistentem, & patronatum cohærentem fundo laicali, cùm in utroque casu militet ratio *cap. quanto.* Lott. *n. 42.* Non tamen obstat dictis, nihilque detrahit jurisdictioni Ecclesiæ, sed potiùs mirè eam adjuvat, quòd laicus cognoscat tanquam delegatus Apostolicus de jurep. aliove negotio Ecclesiastico alicujus particularis causæ. Lott. citans Card. *in c. perpendimus. n. 6. de sent. Excom.* Felin. *in c. 2. de major. num. 3.* Cenedo *in qq. Can. q. 4. n. 13.* Neque quòd, si patronus laicus per vim expellatur per alium laicum, aut turbetur in possessione statûs sui, ita ut inde nascatur actio injuriarum, possit talem actionem coram laico exercere, ut Bald. *in cit. c. quanto. n. 8.* Nam inde non sequitur, quòd judicet super patronatu principaliter,

vel

vel incidenter, si enim vellet ultra cognitionem vel correctionem injuriæ pronunciare super traditione patronatûs, id non posset, & transgrederetur limites suos. Lott. *n. 44.*

2. Respondeo ad secundum: Hanc esse istius prohibitionis rationem, quòd juspatr. utcunque temporale, cùm priùs esset denegatum per Ecclesiam, seu antiquos canones, postmodùm per eandem Ecclesiam, seu summos Pontifices propter utilitatem, atque ità jure singulari invectum. Undè licèt propter dictam connexionem non contraxerit spiritualitatem aliquam, hanc tamen contraxit qualitatem, ut propter finem, ad quem concessum, nempè utilitatem Ecclesiæ dicatur negotium Ecclesiasticum; diversa enim sunt spiritualia & Ecclesiastica negotia; neque enim omnia Ecclesiastica spiritualia sunt, sed in hoc conveniunt, ut ratione judicii æquè Ecclesiastica non spiritualia, quàm Ecclesiastica spiritualia debeant per Judicem Ecclesiasticum cognosci, & dicantur Ecclesiastica quoque modo ordinata per Ecclesiam ad ipsam spiritualitatem, juxta *c. 2. de judiciis*, cujus ratio est. ne sit in manu judicis laici inferre præjudicium Ecclesiæ, juxta Bald. *in c. quanto. n. 7.* ità ferè Lott. *cit. num. 30.*

Quæstio 27. An igitur, & cur vendi non possit juspatr. & in ista venditione committatur Simonia?

1. Respondeo: Juspatron. seorsim & secundùm se vendi non potest; (qualiter autem cum universitate bonorum transferatur per venditionem, dicetur infrà) sic enim expressè habetur *c. in jure. & c. præterea.* Lott. *num. 45.* Verùm id non magis concludit ad spiritualitatem; ratio enim, cur prohibita illius venditio est quidem spiritualitas, sed non quæ illi inest, sed cui ipse patronatus adjacet, propter quam annexionem etiamsi patronatus reverà sit jus laicale, dicitur sine pretio pretiosum, & sic res prorsus inæstimabilis. Lott. *num. 46.* citans Cujacium *in c. quanto.* & Abb. *in c. de jure, n. 2.*

2. Respondeo ad secundum: Committi in tali venditione simoniam. Abb. *loc. cit.* Lamb. *de jurepatr. l. 1. p. 2. q. 4. a. 3. num. 1. & p. 1. l. 2. q. 9. a. 10. num. 4.* Laym. *ad c. præterea. de transact.* (quamvis, ut dixi, ex alio capite id sentiat; nimirùm quia judicat præsentare non minùs quàm confirmare & instituere esse spirituale.) Lott. *cit. q. 9. num. 75. & n. 71.* dicens esse sententiam communem contra Archid. *in c. qui studet. 1. q. 1. num. 2.* quem citat Lott. *num. 65.* quamvis enim nullus videatur afferri textus, qui hujusmodi venditionem pronunciet simoniacam; uti latè ostendit Lott. *à n. 66.* etiamsi etiam à jurepatron. excludatur omnis spiritualitas, & in eo simpliciter tantùm attendatur explicata superiùs annexio, adhuc simoniæ locus est; utpotè quæ definiri solet: studiosa voluntas emendi vel vendendi spiritualia vel spiritualibus annexa, adeóque non solùm contrahitur super spiritualibus, sed etiam super annexis, & non solùm super annexis propriè, seu ex quibus & re, cui annectuntur, constituitur individuum, sed etiam super annexis impropriè, id est, separabilibus à re, cui annectuntur, vel ad quam ordinantur; quæ fuit ratio adjiciendi verba illa in definitione simoniæ: *spiritualibus annexa*, adeóque & illis verbis comprehenditur, ut Socin. *in rub. de simon. num. 12. & 14.* Lott. *nu. 76.* Undè cùm dicta annexio præsupponat semper causam spiritualem, licèt juspatr. sit quid merè temporale, in quantum tamen ordinatum ad spiritualia, & hoc modo annexum spirituali, dicitur vendi tanquam spirituale, si specialiter distrahatur; sicut ècontra dicitur distrahi tanquam quid merè temporale, si cum universitate alienetur, ut D. Thom. *loc. cit. a. 4.* apud Lott. *cit. num. 75.* Et tamen hujus simoniæ longè diversa ratio ab illa, quæ committitur circa ipsa spiritualia, putà beneficia ipsa, seu beneficiorum collationes; hæc enim ut juris divini, seu jure divino inducta, illa solo jure positivo Ecclesiastico, adeóque solâ Papæ auctoritate evitabilis. Verùm de hac materia alibi pleniùs.

Quæstio 28. Juspatron. qualiter reputetur gratia?

1. Respondeo: Juspatronatûs competit ex gratia, sed debita ex justitia. Lott. *l. 2. q. 9. n. 9.* duplex enim gratia est, una generalis & absoluta, quæ pendet à mero arbitrio superioris, alia specialis, quæ dicitur debita ex justitia, non, quòd non possit denegari absolutè & præcisè, sed quòd non possit denegari citra quandam injuriam petentis. Lott. *num. 10.* juxta Gl. *in c. cupientes de Elect. in 6.* Abb. *in c. bonæ memoriæ. il primo. de postul. n. 13. & 14.* Host. *ibid. n. 9.* Porrò eatenùs ex gratia concedi dicitur, quatenùs conceditur, ut dictum suprà, ad juris singularitatem, quo nimirùm contra tenorem antiquorum canonum propter utilitatem Ecclesiæ illud introductum fuit. Lott. *num. 12.* Adeóque etiam (uti & ipsa juris hujus transmissio, quæ priùs permissa ex mera indulgentia & conniventia Ecclesiæ) jam non sit ampliùs, uti priùs jus extraordinarium & exorbitans, sed commune & ordinarium. Lott. *l. 2. q. 3. num. 19.* citans Feder. de Senis. *cons. 234. n. 3.* quià autem dicta gratia inclusa est Corpori juris, reputatur jus commune, non autem privilegium. Lott. *l. 2. q. 7. num. 22.* ex Lamb. *p. 1. l. 1. q. 1. a. 4. n. 14.* & regulatur ejus materia secundùm terminos juris communis. Lott. *ibid.* ex Puteo. *l. 2. decis. 369. n. 6.* Proindè si Episcopus tali lege fundatoris, quâ nimirùm sub præservatione jurispatr. offert sua ad erectionem beneficii, consentire nolit sine causa, potest fundator recurrere ad superiorem, qui eum cogat ad consentiendum, vel si contumax sit, ipse superior consentiat. Lott. *l. 1. q. 32. num. 17.* citans Felin. *in c. cùm venerabilis. de except. num. 33.* Innoc. *in c. in Lateranensi. de præb. num. 5.* ac præcipuè Lamb.

2. Nihilominùs, dum prætextu augmenti dotis Papa concedit alicui juspatr. illud dicitur ei competere ex mero privilegio, & non ex dispositione juris, & esse concessio in totum gratiosa. Lamb. *l. 1. q. 6. a. 2. n. 12.* Lott. *l. 1. q. 31. n. 23. & l. 2. q. 8. n. 21. & seq.* ubi etiam *num. 23.* ait, id procedere, etiamsi in privilegio adjunctum fuisset, ut habeatur patronatus perindè, ac si privilegiatus verè & realiter in totum dotâsset, exstruxisset, & fundâsset; eò quòd, quò prægnantiores sunt clausulæ & decreta hujusmodi, eò magis in privilegium sonant. Lott. *ibid.* juxta decis. Rotæ 58. *num. 6. p. 1. recent.* Idem est de eo jurepatr. quod ex consuetudine, vel præscriptione acquisitum prætenditur, quia ubi non est præscriptio immemorialis benè probata cum exclusione præsertim initii infecti incompatibilis, (undè propterea cesset illa facultas competens immemoriali allegandi quemcunque meliorem titulum, v. g. fundationis) semper dicitur juspatron. ex jure speciali magis quàm communi, sive ut alii loquuntur, potiùs gratiæ, quàm justitiæ. Card. de Luca. *de jurepatronat. in summa. num. 13.*

PARAGRAPHUS II.

De Jurispatron. Efformatione, seu prima Acquisitione.

Quæstio 29. Juspatronatûs undè, & qualiter ortum seu introductum?

Respondeo: Attento primitivæ Ecclesiæ usu, fundatio vel dotatio Ecclesiarum seu præbendarum jus istiusmodi non gignebat; cùm hæc omnia fierent ex solo impulsu pietatis, & amore religionis propagandæ & conservandæ. C. de Luc. *de jurepatron. in sum. n. 3.* Quin & SS. canonibus cautum, ut beneficii seu Ecclesiæ fundator dotatórve nullam hinc potestatem consequeretur. *Can. noverint 10. q. 1.* non solùm quoad dispositionem, sed etiam quoad honorem processionis præter illum, qui Christi fidelibus

iodissa-

indifferenter exhibetur. Argumento c. *pia mentis 16. q. 7.* Lott. *l. 3. q. 3. n. 3.* frigescente deinde charitate, ex prudente Ecclesiæ consilio ad alliciendos fideles laicos ad Ecclesias fundandas & dotandas, per viam gratiæ & privilegii inductum, indultúmque iis jus patronatûs honorifici per speciem protectionis & defensionis (quæ aliàs advocationis titulo veniebat) Ecclesiarum seu beneficiorum, maximè ab alienationibus rerum & redituum in eas à se collocatorum. *c. filiis 16. q. 7.* C. Luca *cit. num. 3.* Lott. *loc. cit. n. 5.* Mox etiam gratitudinis ergò concessum, ut patrono ejúsve filiis vel gentibus ad egestatem ab Ecclesia de alimentis prospiceretur. *Can. quicunque 16. q. 7.* ad exemplum patroni, qui in casu egestatis potest à suo liberto alimenta consequi. Lott. juxta *l. alimenta. de libert. num. 6. & 7.* Prætereà ex Toletan. Concil. 9. inductum, ut quamdiu viverent ipsimet fundatores, eis permitteretur, etiam offerre rectores idoneos Episcopis, per eos ordinandos & promovendos. *Can. decursimus. eadem causa. 16. q. 7.* Lott. *num. 8.* SS. Canonibus interim necdum agnoscentibus facultatem ullam seu potestatem hoc ipsum jus offerendi (quod hodie jus præsentandi vocamus) transferendi de persona fundatoris in successores seu inter vivos, seu in ultima voluntate. Lott. *num. 9.* juxta Archid. *in c. hortamur, d. 71. num. 2.* Denique dum exindè fundatores consuêssent in fundationis limine hanc legem adjicere, ut sibi alterivè à se designato jus tale offerendi seu præsentandi unà cum aliis prærogativis advocatiæ, honoris, alimentorum, præservaretur; Pontifices tam id minimè eis invidendum, ut passim invitarentur tam clerici, quàm laici ad fundandas Ecclesias, jus generaliter iis concessêre, adjectâ insuper permissione idem jus in alios transferendi; ac ità usu receptum est, ut modò non sit jus ampliùs extraordinarium & exorbitans, sed commune & ordinarium, ut satis ostendit totus iste de jurep. titulus in jure Can. Lott. *à num. 14.* Undè qui patronatum prætendit in Ecclesia, & si dicatur niti contra juris communis præsumptionem, secundùm quod omnia beneficia præsumuntur libera, non tamen contra jus ipsum, cùm potiùs sit secundùm illud; aliud enim est aliquid refragari juris præsumptioni, aliud juri ipsi, ut Covar. *var. resol. l. 1. c. 17.* Lott. *num. 20. & 21.* de hac jurispatr. introductione, processu, & incrementis vide Beroium *in rub. de judiciis num. 57.* quem citat Lott. *cit. num. 21.* Atque ex his vides, prærogativam illam jurispatr. unicè provenire & dependere à concessione Ecclesiæ, & differre ab aliis prærogativis, quòd radix illius & fundamentum sit gratitudo, juxta dicta superiùs.

Quæstio 30. Quot modis nascatur, seu primò acquiratur juspatr. intelligi quò ad proprietatem, de acquirenda enim illius, quasi possessione quæretur infra, ubi de probatione jurispatr.

Respondeo: Ad duplicem generalem speciem restringi jurispatr. novam seu primam efformationem seu acquisitionem, nempè ad illam, quæ dicitur de jure communi, & alteram, quæ dicitur de jure singulari, seu mero privilegio. C. Luc. *in summ. de jurepatr. num. 11.* ad posteriorem reducuntur modi acquirendi patronatum consuetudine & præscriptione. Prioris speciei, nimirùm acquirendi illum ex juris communis dispositione, tres sunt modi: videlicet ex fundatione seu concessione fundi pro Ecclesia ædificanda, ex illius ædificatione, ex dotatione, seu assignatione redituum sufficiente ad necessaria ministrorum seu rectoris beneficii, & luminaria &c. Corrad. *l. 4. c. 4. num. 27.* Lott. *l. 2. q. 8. num. 1.* Less. *l. 2. de just. c. 34. n. 22.* cum communi, juxta gl. *in c. piæ mentis. 17. q. 7.* & Trid. *sess. 25. c. 9.* per hæc enim tria deducitur Ecclesia seu beneficium de non esse ad esse, ut Innoc. *in rub. de jurepatr. num. 2.* & his tribus constringitur tota activitas juris communis, ut videlicet concessio jurispatr. ex quavis alia causa facta nullatenus possit referri ad ipsum jus commune, sed ad merum & undum privilegium. Lott. *num. 3. & 4.* Porrò hi modi disjunctivè seu discretivè ac singulariter ad dictam acquisitionem sufficiunt, non verò cumulativè requiruntur; veluti si quis vel dederit fundum, vel construxerit, vel dotaverit, efficiatur patronus, C. de Luca *loc. cit. num. 14.* Corrad. *loc. cit. num. 2.* Barb. *cit. l. 3. juris Eccles. c. 13. num. 25.*

Quæstio 31. Qualiter ex dictis causis pluribus simul acquiratur patronatus?

1\. Respondeo: Sicut unus solus esse potest patronus Ecclesiæ, si idem omnia tria præstitit, ità & plures simul esse possunt patroni, ut dum unus fundavit, alter exstruxit, tertius dotavit, jurepatr. utpotè individuo, pertinente tunc ad omnes in solidum. Bassæ. *n. 1. to. 2. pag. 109.* Pith. *n. 8.* de Luca. *loc. cit.* Proceditque id ipsum, fiuntque omnes in hoc casu æqualiter patroni jure communionis, non attento inæquali concursu, quia stante juris individuitate, ille, qui plus erogat, sibi præjudicare dicitur, & consensum dare, ut sibi æqualis socius fiat, qui minùs erogat. Card. de Luca *ibid. num. 15.* imò si plures simul darent fundum, omnes erunt patroni in solidum cum construente & dotante. Pith. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit.* citans Vivian. *l. 2. c. 2. num. 3.* ità tamen ut istorum concurrentium ad donationem fundi non censeatur, nisi unum suffragium ad præsentandum respectu construentis vel dotantis. Idem èconta esse videtur, dum plures concurrunt ad constructionem vel constituendam dotem.

2\. Ex his deducimus primò: Si clericus (idem videtur de laico) de pecunia propria construat Ecclesiam in fundo Ecclesiæ, & clerico, & Ecclesiæ acquirit juspatron. Bassæ *loc. cit. pag. 110. num. x.* Secundò: Si ex pecunia Ecclesiæ coëmptus est fundus, & facta constructio, licèt non ejus nomine, Ecclesiæ tamen acquiritur patronatus. Bass. *ibid.* Tertiò: si unus materiam ad construendam Ecclesiam, alter gratis operas ponit, ut faber, aut solvit ponenti, ambo erunt patroni, si de hoc cum auctoritate Episcopi convenerint, aliàs non, sed erit solus ille, qui materiam posuit. Bass. *ibid. pag. 109 num. 2.* Quartò: Si laicus Capellam in Ecclesia construat, vel dotet, non acquiritur illi soli juspatron. sed simul Ecclesiæ, quia Ecclesia fundum dat seu concedit, juxta Bassæum *cit. pag. 110.* citantem pro hoc Abb. *in c. ad audientiam de Eccles. ædif.* & Sylv. *v. juspatron. n. 2.* Garc. *p. 5. c. 9. n. 40.* Secùs esset, si faciens Capellam in Ecclesia, solveret aliquid Ecclesiæ pro fundo; tunc enim Ecclesia dici non posset ponere fundum, cùm illi solvatur pretium pro illo. Garc. *ibid. n. 42.* citans Gonz. *gl. 10. num. 15.* Nihilominùs de consuetudine, ut Card. Luca *loc. cit. num. 15.* Garc. *num. 41.* Roch. *q. 7. v. dotavit, &c.* denegatur hoc jus ipsimet Ecclesiæ etiam gratis alicui privato solum & situm concedenti, quia non per hoc efficitur compatrona, nisi aliter caveatur.

Quæstio 32. An etiam ex fideicommisso fideicommissariis acquiratur juspatr.

Respondeo affirmativè: Non enim iis solùm conceditur reservari jus hoc, à quibus liberalitas in Ecclesiam diffluit, sed etiam iis, qui quasi ex fidei commisso ejus liberalitatis actum consummerent & effectuarent. Quod pariter habet in se juris rationem, quippè ex fidei commisso manumittendi libertus fit, non roganti, juxta §. *qui autem. de instit. de sing. reb. per fidei commiss. relic.* Lott. *l. 2. q. 3. n. 16. & 17.*

Quæstio 33. An igitur ex prædictis causis acquiratur juspat. in Ecclesia regulari?

Respondeo: Non acquiri illud in ordine ad effectum juris præsentandi, vel nominandi prælatum illius, aut alium superiorem in ea absque privilegio Apostolico in limine fundationis & dotationis. Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 4. num. 30. & 37.* Card. de

Luc. *loc. cit. n.* 24. Castrop. *cit. p. 2. n. 4.* Lott. *l. 2. q. 6. n.* 65. quia in tali Ecclesia prælatus debet eligi, non præsentari. *c. 1. de Elect.* Undè jam vi solius consuetudinis, etiam immemorialis patronus laicus nequit acquirere jus præsentandi prælatum, seu Rectorem in Ecclesia conventuali (sumitur hic Ecclesia conventualis latè pro quacunque Ecclesia collegiata, sive regulari; cùm aliàs strictè ac propriè solæ Ecclesiæ Religiosorum appellentur conventuales, quæ habent Conventum regularem. Pith. *h. t. n.* 34.) absque concessione Papæ, quod ipsum tamen patrono Ecclesiastico concedere potest Episcopus, juxta Pith. *loc. cit.* sed & patronus, etiam laicus potest in fundatione per pactum seu conditionem appositam cum auctoritate & consensu Episcopi, seu acceptatione Ecclesiæ reservare sibi jus nominandi, seu præsentandi prælatum, etiam in Ecclesia conventuali secundùm Pith. qui pro hoc citat Barb. *in c. nobis. h. t.* Acquiritur autem in dicta Ecclesia juspatr. quoad jura honorifica, aliásque patronales præeminentias; item quoad jus præsentandi in Ecclesiis inferioribus ei annexis, cùm sola prohibitio cadat in Ecclesia conventuali. Card. Luc. *loc. cit.* Lott. *n.* 66. Ubi & reservari & acquiri potest patronatus in beneficiis intra illam existentibus ex eorum dotatione. Corrad. *loc. cit.*

Quæstio 34. An igitur etiam in altari jam ab alio exstructo possit in abstracto fundari nova Capellania, & in ea ratione hujus fundationis, seu dotationis reservari patronatus.

Respondeo affirmativè. Barb. *loc. cit. n.* 37. citans Lamb. *l. 1. p. 1. q. 5. a.* 15. Roch. *v. dotavit. nu.* 1. juxta decis. Rotæ. *in Gerund. jurispatr.* 22. *April.* 1622.

Quæstio 35. Num acquiratur juspatron. ei, qui fundavit, vel construxit, vel dotavit, dum is expressè illud sibi non reservavit in fundatione, dotatione, sive non dixit, se velle esse patronum, seu eâ intentione se fundare, dotare, &c.

Respondeo affirmativè, Castrop. *cit. p. 2. num.* 4. Card. de Luca. *loc. cit. nu.* 17. Garc. *p. 5. c. 9. n.* 62. Corrad. *loc. cit. n.* 29. dicens esse conclusionem receptissimam. Lott. *l. 2. q. 7. num.* 4. dicens esse verissimam, ac citans Lamb. *l. 1. q. 2. a. 4. n.* 1. Azot. *p. 2. c. 19. q.* 9. Roch. *de jurepatr. v. Ecclesiam fundavit. n.* 12. pluresque alios, & plures Rotæ decis. contra Paulum de Citadinis *in tr. de jurepatr. p. 3. causa 2. n.* 13. non enim est ad hoc necessaria reservatio expressa illius, sed sufficit tacita, cùm ministerio juris, seu ipso jure quæratur illi patronatus. Lott. & Castrop. *ll. cit.* juxta *c. nobis. h. t.* Nisi tamen ipse fundator aut dotator expressè id remisisset (sicuti fundans Ecclesiam potest illud in totum, vel pro parte remittere, & limitatè illud inducere in præjudicium hæredum vel descendentium. *c. 1. h. t. in 6.* Garc. *loc. cit. num.* 63. citans Lamb. *l. 1. q. 2. a.* 4. Roch. &c.) aut si non fecisset, in eo tamen versaremur casu, in quo non posset præsumi ab eo reservatum. Corrad. *cit. num.* 29. C. de Luc. *cit. n.* 17. Qualis præsumptio inter alias vehementior est, si statim à primæva beneficii erectione fundator passus sit beneficium provideri sine aliqua sui præsentatione. Lott. *cit. q. 7. num.* 11. Lamb. *cit. a. 4. n.* 19. Ubi èconitra, si mox ab erectione beneficii Episcopus non nisi ad ejus præsentationem providerit, satis intelligitur per hoc declarata voluntas fundatoris, sibi tale jus reservandi, etiam de consensu Episcopi; observantia siquidem illicò subsecuta benè indicat, quid gestum, juxta *l. si de interpretatione ff. de ll.* Lott. *l. cit.* Sumiturque etiam conjectura satis manifesta ex verbis fundatoris; si nimirùm professus fuisset in ipsomet actu, moveri se intento Eleëmosynæ aut spei retributionis æternæ, cùm causæ istæ videantur directè adversari animo acquirendi patronatum. Lott. *n.* 12. citans Cresc. *de jurep decis. 1. n.* 3. & Rotam *decis. 564. p. 4. recent. n.* 7. ac dicens, in eo casu cessare omnem controversiam. Insufficiens tamen videtur ratio præsumendi, fundatorem noluisse hoc jus sibi reservare, quòd generosioris & liberalioris animi erga Deum, majorisque sit meriti, fundare aut dotare Ecclesiam, relictâ Ecclesiâ in libertate sua, nullo sibi reservato patronatu, & absque omni etiam nominis proprii vel armorum sive insignium appositione, juxta exemplum Constantini M. qui, ut Baron. *ad an.* 324. *n.* 116. nulli in tot celebribus toto ferè Orbe à se erectis basilicis & memoriis sui nominis memoriæve titulum insculpsisse reperitur. De cætero in dubio censetur fundator sibi reservâsse patronatum hâc validâ urgente conjecturâ ductâ ab eo, quòd communiter & ut plurimùm sic fieri est consuetum. Lott. *cit. quæst. 7. num.* 6. citans Decianum *cons.* 280. *num.* 3. Menoch. *cons.* 10. *num.* 7. Atque ex his patet, majorem esse vim expressæ reservationis patronatûs, quàm tacitæ & subintellectæ, non quidem ad effectum producendi juspatr. sed ad effectum ostendendi voluntatem illam; ubi enim expressè reservatus non est patronatus, hinc indè contrariæ incurrunt juris præsumptiones, quibus nec opus, nec locus est, dum dicta voluntas clarè exprimitur. Lott. *ibid. n.* 5.

Quæstio 36. An, & qualiter ad hoc, ut Juspatron. acquiratur ex fundatione, constructione, aut dotatione, requiratur consensus Ordinarii?

1. Respondeo ad primum: dictum consensum omninò & necessariò ad hoc requiri, ut colligitur ex *c. nobis h. t.* Card. Luca *in sum. n.* 16. Corr. *l 4. c. 5. n* 24. Castrop. *loc. cit. n.* 8. Garc. *l. cit. n.* 71. Azor. *l. cit. q.* 7. Barb. *de potest. Episcopi 3. p. alleg.* 70. *n.* 20. Lott. *l. 2. q. 7. n.* 2. ubi etiam, quòd sicut causa efficiens erectionis beneficii est Episcopus, ità etiam Episcopi auctoritas dicatur causa efficiens reservationis jurispatr. in beneficio, quatenùs, dum erigitur beneficium, approbat leges in erectionis limine adjectas, si inter illas reperiatur reservatio patronatûs. Et certè sicut sine superioris potestate ædificari non potest Ecclesia, ità nec servituti patroni subjici, Castrop. *l. cit.* Sed neque sufficit consilium Episcopi de erigendo beneficio jurispatr. neque etiam petitio consensûs Episcopi. Corrad. *l. cit. n.* 20. citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 9. a. 2. n.* 131.

2. Respondeo ad secundum: Potest hic consensus præcedere aut subsequi, nulláque est necessitas, ut in ipso actu constructionis vel dotationis actu interveniat. Card. de Luc. *l. cit. n.* 22. Castrop. *l. cit. n.* 8. citans Ricc. *resol.* 123. Barb. *ubi antè num.* 2. Garc. *cit. c. 9. n.* 72. quia si ex post facto (ut si templum sine consensu suo ædificatum Episcopus posteà acceptet, & consecrari jubeat) interveniat, retrotrahitur, & est juri conformis. Castrop. *l. cit.* Quin etiam post fundatoris mortem accedere potest; cùm mortui successor non possit actum retractare, adeóque nullus ejus novus consensus ad dicti actûs revalidationem est necessarius. Card. de Luc. *cit. n.* 22. Neque etiam opus est, ut de illo consensu Episcopi expressè constet, cùm tacitus ac virtualis seu implicitus sufficiat, qui deducitur ab admissione præsentationum ac subsecutis institutionibus, & admisso exercitio aliorum actuum patronalium. Card. de Luc. *ibidem.* Prout etiam sufficit præsumptus deductus à longa observantia & adminiculis. Card. de Luc. *ibidem,* v. g. ex fundatione Capellæ cum insignibus & armis, & ex superioris visitatione. Castrop. *cit. n.* 8. Barb. *loc. cit. n.* 22. Garc. *n.* 74. vel ex eo, quòd Ecclesia jam diù habet campanam, altaria, & his similia; præsumitur enim tunc auctoritate Episcopi constructa. Pirh. *n.* 11. ex Menoch. *de præsumpt. l. 3. præsumpt. 90. n.* 15. Porrò hoc ipso, quòd Episcopus consenserit in fundationem vel ædificationem Ecclesiæ, consensisse etiam videtur in juspatronat. exindè quærendum fundatori.

nisi

nisi is illud expressè sibi non reservâsset. cùm posito isto consensu Episcopi in ædificationem, jam jus ipsum concedat ædificanti juspatr. Et sic resolvit Rota *in Immolen. Jurispatr.* 18 *Novemb.* 1578. apud Garc. *cit. n.* 71. quod cùm regulariter non soleant Ecclesiæ ædificari sine acquisitione jurispatr. & sic potestas dandi licentiam construendi Ecclesiam trahit secum tanquam aliquid consecutivum potestatem consentiendi acquisitioni jurispatr. & dicta potestas dandi licentiam ædificandi Ecclesiam videtur concedi ad finem, ut ædificans acquirat juspatronatûs.

Quæstio 37. Quis hîc veniat nomine Ordinarii potentis auctorizare reservationem jurispatr. sive cujus consensus requiratur ad acquirendum juspatr.

1. Respondeo: Illum, qui jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem habet in illo loco, in quo erigitur beneficium; cùm hic consensus sit actus jurisdictionis. Castrop. *n.* 9. citans Lamb. *p.* 1. *l.* 1. *q.* 2. *a.* 8. & Barb *ubi ante n.* 23. & 30. sic Abbas aut Prior potens dare facultatem ædificandi Ecclesiam, potest etiam præstare auctoritatem, ut juspatr. obtineatur, quia ædificationem Ecclesiæ patronatus subsequitur. Castrop. *n.* 9. Garc. *n.* 71.

2. Patronatum reservare, seu reservationem illius auctorizare nequit consensu suo Vicarius generalis Episcopi ratione Vicariatûs, sive non potest præstare consensum & auctoritatem ædificandæ Ecclesiæ, vel beneficio fundando, ut indè patronatus obtineatur; quia sicut conferre & instituere nequit beneficia, ità etiam non potest illis imponere dictam servitutem, requirit enim id speciale mandatum. Castrop. *l. cit.* Garc. *n.* 75. Lott. *cit. q.* 7. *n.* 3.

3. Potest tamen hanc facultatem concedere Capitulum sede vacante, quia loco Episcopi succedit. Castrop. *l. cit.* Lamb. *cit. q.* 2. *a.* 9. Garc. *n.* 79. Barb. *n.* 32.

4. Porrò si Ordinarius noluerit præstare consensum, recurrendum est ad superiorem Antistitem, qui illum compellat. Abb. *in c. nullus. h. t.* Selva. *p.* 1. *q.* 6. *num.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 8. Lamb. *cit. q.* 2. *a.* 16. & alii apud Castrop.

Quæstio 38. Dum Episcopus ipse vult fundare beneficium jurispatr. ad sui favorem reservando sibi juspatr. an adbuc opus alterius quàm Episcopi fundantis consensu?

Respondeo: In eo casu consensum illum requirendum ab alio, quàm Episcopo fundante, de cujus favore & interesse agitur, ut conditiones, pacta & reservationes in limine fundationis appositæ approbentur tanquam honestæ, possibiles, & compatibiles cum substantia jurispatr. Quare idem Episcopus sibi in his auctorizare nequit; cùm partes & Judicis & fundatoris, examinando justitiam earum, sustinere nequeat. Corrad. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 29. & 30. ubi etiam, quòd juxta praxin Curiæ, non tantùm, ubi Archi Episcopus est fundator, sed etiam, dum est Episcopus, pro hujusmodi assensu adiri debeat Papa, & non Metropolitanus.

Quæstio 39. In particulari qualiter, seu ex qua fundatione acquiratur juspatr.

1. Respondeo primò: Fundare Ecclesiam dicitur propriè, qui dat seu assignat fundum suum, seu locum terræ, in quo Ecclesia construatur. Garc. *loc. cit n.* 39. Pith. *n.* 6.

2. Respondeo secundò; Non quælibet fundi donatio tribuit juspatron. sed necessarium est, ut verum dominium transferatur. Barb. *loc. cit. num.* 28. citans Lamb. *p.* 1. *l.* 1. *q.* 2. *a.* 2. *n.* 1. & 2. & Massobr. *in prax. habendi concurs. prælud.* 7. *dub.* 18.

3. Respondeo tertiò: Per talem solam assignationem non quæritur statim juspatr. sed tum demùm, dum subsecuta est constructio & dotatio, vel ab ipso fundatore, vel ab aliis, cùm nemo dici possit patronus Ecclesiæ, quæ non est, & fortè nec futura est. Garc. *n.* 44. citans Roch. *v. fundatio. q.* 2. *n.* 3. Lamb *p.* 1. *l.* 1. *q.* 1. *a.* 1. *n.* 16. Pith *n.* 8. Argumento *c. ad audientiam, de Eccl. ædif.* Juxta eundem tamen Garciam *n.* 45. & 46. si Ecclesia vel Capella cœpta jam est ædificari, v. g. quia jam primus lapis cum consensu Ordinarii positus est, videtur fundatori jam acquiri juspatr. etiam antè perfectionem ædificii, esti quoad exercitium id ei non competat, donec fuerit perfecta Ecclesia; eò quòd licèt tale ædificium inceptum dici adhuc non possit Ecclesia vel Capella propriè, ex quo tamen cum auctoritate Ordinarii est inceptum, est locus pius & religiosus, maximè si ibi est fixa crux, juxta Durand. *de ritibus*, *l.* 1. *c.* 2. *n.* 7. & sic in illo cadit juspatr. Nihilominùs docet Lott. *l.* 2. *q.* 14. *n.* 1. *& seq.* illico & ab eo momento incipere juspatr. quo quis de consensu Episcopi validè se obligavit fundare, construere vel dotare beneficium sub reservatione patronatûs, etiamsi adhuc id executioni minimè demandatum sit, ità ut nec exindè possit pœnitere, sed valeat ad implementum, citat pro hoc Lamb. *l.* 1. *p.* 1. *q.* 4. *a.* 10. *n.* 4. destinatio enim illa sub obligatione efficaci habetur pro actu perfecto & consummato ad effectum consequendi privilegia juris, ut dicitur in simili de fundo destinato in dotem; is enim etiam antè matrimonium consequitur privilegia fundi dotalis. *l.* 4. *ff. de fundo dotali*, quod provenit ex vi præcedentis desponsationis, atque ità virtute actûs ex sola destinantis contraria voluntate non resolubilis, ut Felin. *in c. cùm adeo de rescrip. n.* 2. Porrò id intelligitur de acquisitione jurispatron. adæquatè ad subjectum; ità ut per dictam destinationem jam dicatur patronus, & locum ejus occupare nequeat alter, possitque ex nunc constituere procuratorem ad præsentandum. Lott. *ibid. n.* 4 Quamvis, ut dictum, patronatûs exercitium non habeat circa tres fructus illius, nimirùm præsentationem, alimenta, & honorificentiam; cùm aliud sit facere, aliud se promittere facturum, & in his, quæ à facto pendent, nihil operetur destinatio, adeòque ei minimè per talem destinationem sit jus quæsitum ad exercitium. Lott. *num.* 5. *& seq.*

Quæstio 40. Qualiter acquiratur juspatr. ex ædificatione?

1. Respondeo primò: Non acquiri illud ædificanti, dum is suis sumptibus quidem ædificat Ecclesiam vel Capellam; cum protestatione tamen recuperandi expensas ab Ecclesia ipsa, sed Ecclesiæ. Barb. *n.* 30. citans Monet. Gonz. &c. Item non acquiritur ex constructione (idem est de fundatione, & dotatione) non voluntaria, sed facta necessariò, necessitate excludente omnem libertatem. Corrad *l.* 4. *c.* 6. *n.* 43. Barb. *num.* 31. citans Lamb. *l.* 1. *p.* 1. *q.* 4. *a.* 7. & plures Rotæ decis. sic hæres gravatus à testatore ad fundandam construendámve Ecclesiam, si id spontè non implevit, sed exactè, & nonnisi compulsus à judice, non acquirit juspatron. cùm id nimis adversetur intentioni Canonum (quæ fuit, ut laici allicerentur ad fundandas Ecclesias) si coactè fieret fundatio vel constructio, & tamen acquireretur juspatr. Corrad. *loc. cit.* ex Lamb. *loc. cit.* Qui tamen exstruxit Ecclesiam voluntariè, etsi posteà à judice cogatur ad eandem dotandam, acquirit juspatr. quia ab initio liberè ædificando se huic oneri subjicit. Pirh. *n.* 14.

2. Respondeo: Acquiritur quoque juspatr. ex reparatione, seu reædificatione Ecclesiæ penitùs destructæ, seu dirutæ, ità ut novâ consecratione egeat; secùs si reædificetur Ecclesia non penitùs destructa. Garc. *cit. c.* 9. *n.* 51. citans plures Rotæ decis. Castrop. *p.* 2. *n.* 5. Barb. *n.* 32. citans Lamb. Roch. *v. construxit*, *n.* 12. Bursat. *volu.* 3. *cons.* 310. *nu.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 10. Massob. *ubi ante. dub.* 22. *num.* 6. Ricc. Campanil. &c. Porrò dum Clericus ex rediti-

bus beneficii sui ædificat Ecclesiam, acquirit quidem juspatr. ad vitam suam, post mortem tamen illius pertinet ad Ecclesiam, ex cujus reditibus ædificavit, nomine autem Ecclesiæ, si hæc collegiata non sit, acquiritur juspatr. ipsi successori defuncti in beneficio; si autem Ecclesia sit collegiata, juspatr. ad totum Collegium Clericorum spectat. Pith. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Dum penitùs destructa Ecclesia reædificatur, prior patronus amittit juspatr. ex sola exstructione ei ortum; si tamen per partes Ecclesia sit reædificata, licèt denique tota nova facta sit, primus instructor non desinit esse patronus, quia eadem Ecclesia esse censetur. Pith. *loc. cit. n. 8.* citans Azor. *dictâ q.* 10. & Gl. *in c. quoniam h. t. v. fundatores.* Quòd si Ecclesia collapsa vel diruta ex eadem materia restauretur ab alio, veriusesse ait Pith. *ibid.* priorem non manere patronum, licèt eadem videatur esse Ecclesia & priori succedat, quia obligatio vel jus semel exstinctum in re pereunte nunquàm ampliùs reviviscit, juxta *l. qui res. ff. de solut.*

4. Respondeo quartò: Ut acquiratur juspatr. per reædificationem, requiritur consensus Episcopi in reædificationem, non secùs ac in primam constructionem. Pith. *loc. cit.* Porrò æquum est, ut antequam Episcopus consentiat, ut alius Ecclesiam penitùs dirutam reædificet, antiquum patronum requirat, an ipse velit reædificare, nec ne, ipsúmque aliis præferat, cùm ad illum, qui Ecclesiam ad esse perduxit, id primo loco spectet. Pith. *cit. num.* 8.

5. Respondeo denique: Sed neque constructione, maximè si ea perfecta non sit, acquiritur juspatr. nisi subsequatur dotatio; cùm absque dotatione neque sit beneficium Ecclesiasticum, neque ministros ad officia & ministeria Ecclesiastica exercenda habere potest; ac proindè vanus interim erit talis patronatus & inutilis. Castrop. *cit. p. 2. n. 5.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 6.* Undè etiam Episcopus nunquam consentire debet in ædificanda Ecclesia, quin priùs ædificatorem obliget per instrumentum publicum ad dotandum, cùm Ecclesia absque dote ædificari nequeat. *c. nemo. de consecrat. d. 1.* Castrop. *ibidem.* Quòd si absque dote ædificata fuerit, consecranda non est, nisi dotetur. Gl. *in c. cùm sicut de consecr. Ecclesiarum.* Hanc autem dotem tenetur ædificator eo ipso, quo Ecclesiam ædificavit; sin minùs ejus hæredes præstare, & ad id compelli possunt per Episcopum. Castrop. *ibid.* citans Barb. *de potest. Episcops. p. 2. alleg. 70. nu. 4. & 29.* Ricc. *in praxi resolut.* 11. *n. 6.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 3. q. 7.* Et si Episcopus permisit Ecclesiam fundari, consecrari absque dote, eam ipse dotare compellitur. Castrop. *ibid.* Azor. & Barbos. *loc. cit.*

Quæstio 41. An dum quis construxit Ecclesiam in fundo alieno invito, vel inscio Domino, constructori acquiratur jusp. an verò domino fundi?

Respondeo: Acquiri constructori, non Domino, etsi hic propriâ authoritate eam possit destruere vel occupare, si nondum sit consecrata (si enim est consecrata, non potest per Dominum fundi demoliri aut occupari, licèt æstimatio fundi à construente solvenda sit Domino. Abb. *in cit. c. 1. de novi operis &c. nu. ult.*) per ædificationem enim Ecclesiæ Domino invito auferri non debet fundi sui dominium; cùm, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. *l. si non debet. ff. de reg. juris.* Neque etiam cedit ædificio favore religionis; cùm favor religionis tantus esse non debeat, ut ob illum, præjudicium alteri afferatur. *c. 1. & 2. de operis novi nunciat.* Pith. *n.* 13. citans Canis. *in c. quoniam h. t. n. 4.* Quibus non obstat, quòd Dominus fundi ossa defuncti ab alio illata non possit propriâ auctoritate effodere. *l. ossa. de relig. & sumpt. fun.* id enim publicæ utilitatis causâ receptum est, ne cadavera jaceant insepulta. *l. sunt persona. ff. eadem.* Pith. *loc. cit.* Porrò potest Dominus fundi in fundo feudali, Vasallo etiam invito, ædificare Ecclesiam, cùm & alienare eundem fundum possit eo invito, ità tamen, ut æstimatio fundi Vasallo præstetur, vel aliud æquivalens feudum detur, non tamen id æquè permissum est Vasallo. Pith. *ibid.* citans Canis. *ubi antè n.* 5.

Quæstio 42. Qualiter acquiratur juspatronatûs dotatione?

1. Respondeo primò: Non acquiritur, nisi Ecclesiam constructam vel construendam dotaverit quis sufficienter, hoc est, ut Castrop. *loc. cit. nu. 6.* sufficientia bona præstiterit, ut in ea possint divina caeteri; si enim insufficientia bona dederit, non dotator, sed benefactor, ideòque nec patronus erit. *c. filius 16. q. 7.* Castrop. *loc. cit.* Garc. *cit. c. 9. n. 52.* citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 5. a. 2.* Abb. Roch. &c. Barb. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 70. n.* 11. Idque procedit, etiamsi Episcopus consenserit in hac insufficientis dotis assignatione, quia insufficienter dotans absolutè non dotat. Garc. *num. 53.* Azor. & Castrop. *ll. cit.* contra Lamb. *p. 1. l. 1. q. 6. a.* 13. Qui tamen unà cum aliis ad dotandum concurrit, ità ut ex omnibus dos sufficiens assignata fuit, efficitur patronus, quia ratione communionis & societatis dotem sufficientem præstat. Abb. *in c. ad audientiam, de ædific. Eccles. n. 4.* Azor. & Castrop. *ll. cit.* Garc. *n. 54.* citans desuper *S. Congreg. Concil. declar.* Porrò de sufficientia arbitrabitur Ordinarius. Garc. *n. 52.*

2. Respondeo secundò: Sed neque acquiritur juspatr. ex simplici donatione, legato vel largitione bonorum, etiam dum hæc aliàs essent dos sufficiens, nisi fortè hæc donatio fieret tacitè pro dote, quia simpliciter donans vel legans videtur potiùs benefactor quàm dotator, & jura indulgent juspatr. non benefactori, sed dotanti. Pith. *n.* 10. Garc. *n. 60.* citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 6. a.* 1. Roch. *v. dotavit. q. 6.* Zechium *de benef. c. 12. n. 12.* & plures Rotæ decis. contra Mennch. *de præsumpt. præsumpt. 90. n. 6.* dicentem acquiri juspatr. ex dotatione.

3. Respondeo tertiò: Parùm de cætero refert, num dotatio antecedat, an subsequatur Ecclesiæ constructionem ad hoc, ut patronatus obtineatur. Neque obstat, Ecclesiam adhuc non esse, quò minùs dotis capax non sit, quia capax est, non ut tunc ei acquiratur, sed ut acquiratur pro tempore, quo perfectè constructa sit. Castrop. *loc. cit. n. 6.* Quin & Ecclesia incepta statim capax est dotis, & sic dos assignata & donata ante positionem primi lapidis, statim post illius positionem ei acquiritur absque traditione. Garc. *n.* 48. Nec obstat, quòd Ecclesiæ construendæ, quæ non est, non possit fieri donatio. *c. Abbate. de re. judic. in 6.* id namque non procedit in donatione causâ mortis (sicut & Ecclesiâ nondum exstructâ potest hæres institui, & ei relinqui legatum. *c. 3. de testam. ibid* Abb. *num.* 2.) quæ rectè potest fieri Ecclesiæ construendæ, non solùm obligando se dotaturum & traditurum, sed etiam statim assignando & donando bona pro dote. Garc. *num.* 49. & 50. citans Lamb. *l. 1. p. 1. q. 5. a.* 20. Roch. *v. dotavit. q. 7.* Quin & addit Lamb. apud Garc. Quòd si dos daretur in limine fundationis vel post, ante tamen consecrationem & etiam ante perfectionem ædificii, adhuc locum fore exercitio jurispatronat. ut præsentetur Rector, saltem pro administranda dote, licèt non quò ad alia.

Quæstio 43. Num igitur etiam ex dotatione facta Ecclesiæ jam constructæ & consecratæ, dum esset sine dote, acquiratur juspatronatûs?

Respondeo affirmativè: Modò id fieret cum consensu Episcopi. Abb. *in c. quoniam. h. t. nu. 9.* Roch. *v. & dotavit. q. 2. & 3.* Selva *p. 1. q. 5. n. 181.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 8.* quos citant & sequuntur Garc. *cit. c. 9. num.* 55. Castrop. *cit. p. 2. nu.* 7. quia talis absolutè dotat Ecclesiam, & quidem dotatione

maximè

maximè necessariâ, & dos subsecuta Ecclesiæ constructionem favore Ecclesiæ reputatur, ac si illius constructionem antecederet, quia retrotrahitur, ut dictum. Castrop. *ibidem* inquiens: sic quoque videri definitum à Trid. *sess. 14. c. 12.* Neque obstare declarationes S. Congreg. (quas vide verbotenùs recitatas à Garc. *n. 57. & 58.*) utpotè quæ loquantur de parochia erecta ob necessitatem populi, cui Ecclesia matrix tenetur providere, ità ut hæc provisio loco dotis liberalis computanda non sit; cùm debita sit. Contrarium tamen sentientibus Gl. *in c. pia mentis. ibid. q. 7.* & Felin. *in c. cùm venerabilis, de except. nu. 37.* Eò quòd Ecclesiæ consecratæ nequeat imponi servitus, quod de servitute profana rebus sacris non imponenda, non verò de Ecclesiastica, & quidem de patronorum Ecclesiæ consensu imponenda benè procedere, ait Castrop.

Quæstio 44. *An & qualiter ex augmento dotis acquiratur juspatr.*

1. Respondeo: Ex augmento secundùm jus commune, sive vi juris communis non acquiritur patronatus, quia augens dotem non dotat, quia supponit Ecclesiam jam dotatam. Barb. *cit. c. 12. n. 56.* citans plures, ut & *citata alleg. 70. num. 15.* Gonz. *gl. 18. n. 53.* Ricc. *in pr. resol. 150.* Garc. *loc. cit. nu. 122.* apud Castrop. *loc. cit.* contra Menoch. *l. 3. cons. 241. n. 14.* tenentem, acquiri juspatr. ex augmento dotis, quando Ecclesia parum habet, & non est commodè dotata. Et in idipsum inclinare Abbatem & Lamb. ait Garc. *nu. 123.* pro quo etiam facere videtur Trid. *sess. 14. c. 12.* sed intelligendum de jurep. acquisito in illo casu per privilegium Papæ, ait *ibid.* Garcias. Idque procedit, etiamsi ob hanc causam ex consensu Episcopi concedatur, cùm Episcopus nequeat ob dotis augmentum hanc servitutem beneficiis imponere, ut satis colligitur ex Trid. *sess. 25. c. 9.* Castrop. *cit. n. 6.* & apud illum Barb. *l. c. n. 16.* Addit Lott. *l. 2. q. 8. n. 31.* id adhuc procedere, qualecunque & quodcunque illud augmentum fuerit, nisi in totum dos deficiat vel sit perempta, tunc autem intelligi in totum defecisse, si ad eam quantitatem sit redacta, quæ propter suam exiguitatem prorsus sit incongrua, & tunc adhuc acquiri patronatum ex augmento etiam secundùm juris intentionem, cùm paria sint, non habere dotem, & habere planè incongruam & insufficientem. Ità Lott. *n. 32.* citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 6. a. 6. n. 7.* Socin. *l. 1. cons. 108. num. 4. &c.* Et hoc fortè voluit Menoch. & alii apud Garc. *cit. c. 9. n. 132.* de quibus paulò ante. In hoc tamen casu, ait idem Lott. *n. 33.* necessariam esse expressam declarationem dotantis sive augentis, quâ declaret ea se contribuere in causam dotis seu augmenti dotis; eò quòd licèt fundans vel dotans Ecclesiam absque alia declaratione, sed simplici juris ministerio acquirat patronatum; ubi tamen versantur in accessione dotis per augmentum, nisi id exprimatur, censetur facta ista augmentatio gratiâ benè merendi seu benefaciendi simpliciter; non autem acquirendi patronatum stante præexistentiâ beneficii semel dotati, juxta Abb. *p. 1. cons. 59. n. 2.* Quare licèt necesse non sit, ut dicat, se id facere, ut patronatum acquirat, est tamen necessarium, ut dicat (vel saltem declaset sufficienter, uti fit, dum adhibet ad hanc largitionem consensum Episcopi, utpotè quæ concludit ad mentem dotandi, & indè acquirendi patronatum, Lott. *n. 36.*) se conferre ea in causam dotis, quæ expressio seu declaratio infert mentem acquirendi patronatum, & sic eam consequitur acquisitio jurispatr. etsi hoc expressè non reservetur, modò non remittatur. Lott. *n. 34. & 37.*

2. Verùm limitat hanc ipsam doctrinam Lott. *num. 43.* dum ait, in hoc casu augmentationis dotis resultationem seu concessionem jurispatronat. adhuc referendam esse ad jus singulare, & ex privilegio Apostolico; nimirùm Papâ tunc, dum augens declaravit, se idem augere, ut patronatum acquirat, eo intuitu talem concessionem faciente, non verò ad jus commune & illius effectum, secundùm quod ex solo augmento, qualecunque & quodcunque illud sit, juspatr. non quæritur, & hoc voluisse Rotam *decis. 457. p. 1. divers. num. 14.* dum ait: tunc demùm dici dotationem æquivalere juripatr. quando in totum Ecclesia dotatur, non quando dos solùm augetur. Porrò qualiter nihilominùs hoc privilegium, cui est correspectivum beneficium laici in Ecclesiam, seu quod concessum est ex istiusmodi causa onerosa, differat à simplici privilegio, & qualiter non derogetur istiusmodi patronatibus, aut cadant sub reservationes Apostolicas per tale privilegium quæsiti ex justo augmento dotis, vide apud Lott. *cit. q. 8 ferè per totam, maximè num. 56.* de quo infrà, ubi de reservatione & abrogatione jurispatronat.

Quæstio 45. *An, & qualiter juspatr. acquiratur ex privilegio?*

1. Respondeo primò: Acquiri etiam juspatr. potest absque eo, quòd quis fundârit, construxerit, vel dotârit Ecclesiam vel beneficium, ex privilegio, prout privilegium sumitur propriè, pro eo, quod conceditur per principem contra jus commune quasi lex privata, c. *Abbate, de verb. signif.* Lott. *l. 2. q. 7. n. 20.* & in corpus juris relatum non est; gratia siquidem qualiscunque inclusa in corpore juris privilegium non dicitur. Lott. *ibid. num. 21.* sic conceditur ex privilegio mero, seu mera gratia; dum Papa concedit illud alicui de Ecclesia seu Christiana republica benè merito ex mero titulo lucrativo, & non ex causa onerosa. Corrad. *in pr. benef. l. 4. c. 4. n. 36.* Castrop. *cit. p. 2. n. 10.* Azor. *loc. cit. q. 12.* cùm enim Papa liberam habeat in beneficiis administrationem, potest ob bonum Ecclesiæ hoc onus quibusdam beneficiis imponere; si enim fundantibus Ecclesias patronatum concedit, cur non concedere poterit aliis de fide republicáque Christiana benè meritis? Castrop. *ibid.* undè jam quamvis Papa quandóque concedat patronatum, etiam ex vera & reali fundatione & dotatione, ut pluries in curia observatum esse testatur Corrad. *ibid. num. 37.* v. g. Papa loco Ordinarii tanquam Ordinarius Ordinariorum tempore fundationis consensu suo reservatum à fundatore sibi juspatr. authorizavit, non tamen ex eo dici potest talis concessio esse ex privilegio Papæ, Corrad. *ibid.* Secus tamen est, ubi etiam ipse fundator post fundatam à se in libertate Ecclesiam assequeretur à Papa juspatr. illius; diceretur enim illud obtinere ex vero privilegio. Lott. *l. 2. q. 7. num. 17.* citans decis. Rotæ 564. *num. 10. p. 4. recent.* Nihilominùs etiam esse potest, ut jusp. existat ex fundatione vel dotatione, & tamen ejus concessio sit ex privilegio; dùm nimirùm necesse est, ad Papam pro illius erectione & concessione recurri; utpotè sine cujus speciali consensu ea concessio fieri nequit, uti contingit v. g. in beneficio regulari, in ordine ad effectum præsentandi prælatum in Ecclesia conventuali, juxta *c. ostensum. 16. q. 1.* & gl. & DD. communiter *in c. nobis. h. t.* Corrad. *cit. num. 37.* quia tamen tale privilegium à fundatione & dotatione dependet & ei connexum est, non dicitur merè gratiosum. Corrad. *ibid.* ex Puteo *decis. 569. n. 1.*

2. Similiter ex privilegio non mero conceditur patronatus, dum conceditur à Papa ob augmentum dotis, dum nimirùm augmentum illud accedit ad medietatem veri valoris, ut Lott. *cit. q. 8. num. 59.* sed ex causa onerosa. In genere autem ad hoc, ut privilegium sit ex causa onerosa, spectari debet, an illud, quod expensum fuit, æquivaleat concessioni, quia ubi non æquivalet concessio, ipsa judicari debet potiùs gratiosa, quàm onerosa. Barb. *cit. c. 12. nu. 65.* citans desuper decis. Rotæ.

3. Porrò patronatus concessus cum clausula, *ac si esset ex fundatione*, non excludit privilegium. Corrad. *l. 2. c. 15. n. 141.* Ac denique observandum, ut privilegium, per quod conceditur alicui juspatron. à Papa, sit ratum & firmum, necesse esse, ut addatur clausula, saltem in genere, derogatoria Tridentini,

utpotè per quod istiusmodi privilegia prohibentur & sublata sunt, de quo paulò post, Pith. *cit. num. 12.* citans Azor. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 46. Num simile privilegium concedere possit Episcopus?

Respondeo: Patronatus tam ex privilegio tali merito, quàm ex dicta causa operosa augmenti dotis concedi nequit per Episcopum, aliúsve prælatos Papâ inferiores, juxta *c. 2. de reb. Eccl. non alienand.* Cortad. *l. 4. c. 5. n. 24.* Lott. *loc. c. n. 18. q. ult.* Pith. *n. 12.* Castrop. *cit. nu. 10.* citans Barbos. *ubi suprà alleg. 70. nu. 25.* & Abb. *volum. 2. cons. 106. n. 4.* Garc. *cit. c. 9. n. 128.* citans Lamb. item declar. S. Congreg. Concil. *de 2. April. 1573. super c. 9. sess. 25.* quæ sic habet: *Juspatr. ex privilegio Episcopi concessum, in cujus pacifica possessione extiterint prætensi patroni per annos 140. non prodest; cùm enim constet de titulo ex privilegio invalido, centenaria possessio prodesse non potest ob malam fidem, &c.* Nequit enim Episcopus gravare beneficia & servituti patronatûs subjicere. Castrop. quod efficaciùs procedit spectato jure novo. Trid. *l. c.* Undè licèt permissum sit Episcopo, beneficium liberum unire beneficio jurisp. in casu permissæ sibi unionis in genere; hoc tamen trahi non potest in consequentiam facultatis concedendi patronatum in beneficio libero, quia hoc est reducere beneficium liberum in servitutem; illud verò est extinguere essentiam beneficii, constituendo illud tanquàm prædium alterius beneficii, cui unitur. Lott. *l. c. nu. 18.* juxta decis. Rotæ 222. *n. 2. p. 2. recent.* Vide eundem de hoc *l. 1. q. 28. n. 268.*

Quæstio 47 An, & qualiter juspatr. acquiri possit per præscriptionem?

Respondeo primò: Si sermo sit de Ecclesia collegiata & cathedrali (idem est de Ecclesia regulari conventuali) spectato jure communi, juspatr. à laico, etiamsi is eam fundârit, præscribi nequit quoad præsentationem Rectoris seu Prælati illius, quia hic jure communi non nisi per electionem constituendus est, Castrop. *cit. p. 2. n. 12.* citans Azor. *p. 2. c. 19. q. 12.* Barb. *p. 3. de potest. Ep. alleg. 70. n. 19.* Jo. And. *in c. querelam de elect. in 6.* Covar. &c. Quòd si autem juri isti communi, quo rector talis Ecclesiæ non nisi per electionem constituendus est, derogatum sit, sicut ei derogatum testatur Castrop. in Hispania, Gallia, Belgio, fundans Ecclesiam collegiatam obtinebit jus præsentandi in ea Rectorem. Castrop. *ibid.* & quoad præsentem quæstionem pari sorte venit cum aliis Ecclesiis. Undè

2. Respondeo secundò: Si sermo est de Ecclesiis aliis, vel etiam de dictis collegiatis, in quibus derogatum electioni aliísve beneficiis, etiam dum constat dictas Ecclesias & beneficia subjecta non fuisse, sed nata in statu libertatis, præscribi potest à laico juspatron. Laym. *ad c. querelam de Elect. n. 4.* Castrop. *loc. cit. num. 11.* & A. A. ab eo paulò ante cit. Lott. *l. 2. q. 7. n. 29. & seq.* citans Federic. de Senis *cons. 234. nu. 1.* Paul. de Citadin. *tr. de jurepatr. p. 3. causâ 5.*

3. Ad hanc autem præscriptionem requiruntur 40. anni cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Castrop *nu. 12.* citans Covar. hæc enim præscriptio nequit esse sine titulo aliquo vero vel ficto, aliàs possidens malâ fide possideret, adeóque nunquam præscriberet, ; sed hic titulus si verus est, debet esse ex fundatione, vel dotatione, vel ex privilegio; præsumi autem & prætendi nequit ex fundatione, adeóque nec prætendi acquisitio jurispatron. ex jure communi, dum supponitur seu constat, Ecclesiam fuisse liberam (præscriptionis enim vis consistit in præsumptione, quæ quantumcunque sit à lege approbata, cedit continuò veritati, ubi ea apparet. Lott. *loc. cit. num. 32.* Undè evadit ridiculum, & manifestam importat implicantiam, asserere beneficium ab immemoriali esse patronatum, & constituere initium illius in libertate, seu constare de ejus libertate; non secùs ac eandem mulierem admittere eodem tempore & viduam & nuptam. *Lott. à n. 31. ad 38.*) ergò debet esse & prætendi titulus ex privilegio. Jam autem etsi hoc privilegium ex sola quasi possessione præscribentis præsumi non possit; cùm potiùs præsumi debeat beneficium liberum, *c. omnes Basilicæ 16. q. 7. c. venerabilis de except.* Possessio tamen immemorialis etiam hunc titulum privilegii facit præsumere, sive nil vetat, quò minùs allegari tunc possit privilegium Apostolicum. Lott. *nu. 54.* juxta *c. 1. de præscript. in 6.* & loco probati tituli habetur, juxta *c. super quibusdam. de verbor. signif.* & l. *hoc jure ff. de aqu. quotidiana & æst.* Undè & ipsa immemorialis æquiparatur quadragenariæ cum titulo, Lott. *ibid.* ex Gomar.

4. Dum verò non constaret de initio beneficii, num illud in statu potiùs libertatis, quàm servitutis fuisset erectum, jam etiam vi immemorialis prætendi & allegari posset titulus ex fundatione, dotatione &c. adeóque acquisitio patronatûs esse ex jure communi, seu probari posset patronatus ex præscriptione, relatâ etiam ejus vi ad causam fundationis vel dotationis. Lott. *n. 42.* ex Puteo *l. 1. decis. 106. n. 4.* Porrò non intelligitur juspatr. acquisitum vi præscriptionis, sed quia ex tali tempore immemoriali præsumitur titulus, (juxta quod dictum aliàs de jure decimandi,) & hoc est, quòd dicta immemorialitas vel centenaria habeat vim tituli, seu inducat titulum. Lott. *nu. 56. & seq.* Dum autem dicitur: Immemorialis aut centenaria, non ponuntur ut diversa, quia dum non constat de initio contrario, centenaria ipsa concludit ad immemorialem. Lott. *n. 59.* qui etiam *n. 62.* existimat, respectu adeò diuturnæ, tantùm centenariæ præscriptionis 9. aut etiam 10. vel 11. menses videri dies paucissimos, quorum proinde defectus æstimandus non sit, quemadmodùm aliàs in præscriptione breviore 30. aut 40. annorum, utpotè odiosa, requiritur etiam novissimus dies, ità ut si hic deficiat, præscriptio sit imperfecta, & non præscribatur. *citat.* Paris. *cons. 32. n. 6. vol. 3. &c.*

5. Respondeo tertiò: Si sermo est de Ecclesia subjecta servituti patronatûs, juspatr. præscribi potest à laicis, quia jam non contra Ecclesiam, sed adversùs alium laicum præscribitur. Azor. *loc. cit. q. 11.* Covar. *reg. possessor malæ fidei p. 2. ff. 10. n. 8.* quos citat & sequitur Castrop. *nu. 12.* dicens esse communem. Ad hanc præscriptionem Azor. *loc. cit.* & Covar. *loc. cit.* citans pro hoc Corneum, Decium, Alexan. Lamb. Bald. &c. quadragenariam quasi possessionem requirunt, absque titulo tamen, eò quòd mutatio patronatûs ex prima in aliam personam Ecclesiæ potest præjudicare, cùm cadere posset in personam suspectam & Ecclesiæ minùs gratam; sufficere verò decennalem, aut inter absentes vicennalem, tenent Roch. *v. ipso q. 30. n. 86.* Jo. And. *in c. unicum. h. t. in 6.* Gofred. *q. 18.* quos refert & sequitur Castrop. eò quòd dicta mutatio dici non possit esse contra Ecclesiam, cùm æquè pro, quàm contra Ecclesiam succedere possit, adeóque sufficere ad hanc præscriptionem tempus, quod ad alias præscriptiones contra laicos sufficit. Verùm hæc, ut idem Castrop. subjungit *nu. 13.* spectato jure antiquo; cùm à tempore Trid. *sess. 14. c. 12.* & *sess. 25. c. 9.* absolutè omnes patronatus acquisiti aliter, quàm ex fundatione (cujus nomine etiã venit constructio. Gonz. *gl. 18. nu. 52.*) vel dotatione Ecclesiæ, vel ex præscriptione immemoriali, seu quoties præscriptio non est talis, ut titulus verus fundationis allegari valeat, sublati sint, Card. de Luca *in sum. de jurepatr. n. 9.* Gonz. *loc. cit. nu. 57.* Lott. *cit. q. 7. num. 30.*

PARAGRAPHUS III.
De Jurispatron. jam constituti in alios translatione.

Quæstio 48. Quot modis juspatr. ab uno in alium transferri possit?

Respondeo quatuor: Nimirùm successione, sive jure hæreditario, vel ex testamento, donatione, per-

permutatione, venditione. Gl. *in c. prem. ntis. 16. q. 7.* Castrop. *cit. tr. 13. d. 2. p. 4. n. 1.* Barb. *de pot. Ep. alleg. 71. n. 1.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 20. q. 4.* Pith. *n. 44. ad h. t.* Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. n. 1.*

Quæstio 49. Juspatr. hæreditarium ad quos hæredes, & qualiter transeat?

1. Respondeo ad primum: dum fundator sibi simpliciter reservavit juspatr. censebitur id reservâsse pro suis hæredibus: si reservavit illud simpliciter alteri, censebitur reservatum pro hujus hæredibus, ita ut in hoc secundo casu non redeat juspatr. ad hæredes fundatoris. Lott. *lib. 2. q. 11. n. 22.*

2. Respondeo secundò: transit juspatr. sic reservatum simpliciter hæredibus ad quoscunque hæredes, sive hi sint ex testamento, sive ab intestato: sive hi sint consanguinei, sive extranei; quia transit cum hæreditate, juxta *c. cùm seculum. h. t.* Castrop. *loc. cit. n. 2.* citans Franc. Leon. *in thes. fori Eccl. p. 2. c. 6. n. 25.* Barb. *ubi antè. n. 3.* Azor. Riccium, &c. sive sint masculi, sive sint fœminæ. Castrop. *ibid.* Garc. *p. 5. c. 9. n. 142.* Lott. *n. 25.* Azor. *loc. cit.* ita ut si fœmina succedat in majoratu, succedat etiam in jurepatronatûs majoratui annexo. Molin. *to. 3. de Just. d. 627. n. 13.* & alter Molin. *de primogenit. l. 3. c. 6. n. 41.* Garc. *n. 145.* apud Castrop. *loc. cit.* quapropter, cùm sequatur semper hæreditatem, transeatque cum illa, per ingressum hæredis quæritur monasterio. Lott. *n. 26.* citans Lamb. *l. 1. p. 2. q. 2. art. 25.* Et filius renuntians hæreditati illud non acquirit. Castrop. *n. 3.* Barb. *ubi antè. n. 4.* Idem est de filia solâ dote contenta. Pith. *n. 44.* Et si pater instituat filium in certa re, extraneum verò hæredem universalem scripsit, juspat. non ad filium, sed ad illum extraneum transibit; quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet; & institutus in certa re habetur loco legatarii. Pith. *ibid.* Azor. *cit. c. 20. q. 9.* Secùs tamen esset, si institutus esset in certa re, quæ continet universitatem, v. g. in villa, castro, &c. cui juspatr. annexum; hoc enim cum illa re transit quoque ad institutum. Pith. *ibidem.* citans Canis. *in c. 1. h. t. n. 5.*

3. Respondeo tertiò: casu quo multi sint hæredes, omnibus competit æqualiter, licèt sint inæqualiter, hoc est, in portione inæquali hæredes; cùm jura incorporalia sint indivisibilia, posséntque proinde æqualiter præsentare. Debentur item omnibus locus honorificentior, omnibus in egestate constitutis alimentum, cum hac tamen differentia, ut alimenta & locus honorificus debeatur cuilibet in solidum, ac si cum alio in patronatu non communicaret; præsentare autem non sic competat cuilibet, sed simul cum aliis; cùm jus nominandi in omnibus patronis sit indivisibile. Castrop. *ibid.* ex Azor. *loc. cit. q. 9.* Pith. *n. 45.* Cæterùm ut facilius provideretur Ecclesiis, & discordiæ evitentur, quæ facilè oriri possunt, dum unus patronorum hunc, alius alium vult præsentare, permissum est in *clem. plures. h. t.* ut patroni juspatr. dividant inter se ratione temporis, sive liberè (hoc est, sine superioris auctoritate, ut Gl. *in cit. clem. V. liberè*) conveniant de Rectore alternis vicibus à se præsentando: ita ut unus præsentet primâ vice, quâ Ecclesia vacat, alter secundâ, tertius tertiâ vice, &c. vel dividendo annos aut menses, vel ut dictam divisionem instituant ratione locorum seu Ecclesiarum, dum juspatr. extendit se ad plures Ecclesias vel beneficia; & ita conveniant inter se, ut primus eorum in hac, alter in alia Ecclesia præsentet. Pith. *n. 46.*

4. Respondeo quartò: in hoc jure præsentandi hæredes non succedunt in capita, sed in stirpes. *Clem. plures. h. t.* Lott. *loc. cit. n. 126.* Pith. *n. 47.* Castrop. & Azor. *ll. cit.* Barbos. *alleg. 72. n. 70.* Tiraq. *de jure primog. q. 36. n. 3.* Gratian. *discep. for. c. 521.* Ita ut si fundator v. g. relinquat 3. filios, Petrum, Joannem & Jacobum, inter quos hæreditas dividatur; hi 3. filii simul habent jus præsentandi, non quilibet seorsim ab aliis, ita ut ex his tribus eorum nominationibus seu suffragiis una consurgat valida nominatio seu præsentatio. Hi filii habeat dein plures inæqualiter filios, Petrus unum, Joannes duos, Jacobus tres, hi tres filii Jacobi habent unum tantùm suffragium, quod non excedat suffragium & nominationem factam à duobus filiis Joannis, vel ab uno filio Petri; quia hi filii omnes nominant, non ut suas, sed ut personas parentum repræsentant. Castrop. *loc. cit.*

5. Respondeo quintò: dum hâc ratione cum universitate bonorum successione nimirùm hæreditatis transfertur juspatr. opus non est consensu Episcopi ad hanc translationem. Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. n. 1.* citans Barb. *de potest. Ep. alleg. 71. n. 2.* Vivian. *de jurepatr. l. 4. c. 1. n. 2.* Mantic. *decis. 140. n. 2.*

6. Porrò Castrop. *loc. cit. num. 6.* incidenter hanc movet quæstionem: quòd si Titius relinquens tres hæredes, unum eorum gravet, (casu quo gravare potest) ut ex quota seu parte hæreditatis sibi relictâ ædificet Ecclesiam, isque id faciat ex consensu Episcopi, num juspatr. in eo casu quæratur soli ædificatori, an verò & cæteris hæredibus simul. Respondétque, sibi videri, quæri illud soli ædificatori, eò quòd is ex bonis sibi per hæreditatis divisionem jam proprius privativè, etsi sub isto gravamine ædificandi Ecclesiam, & non ipse Titius parens, ut censet, & proptereà contrarium tuetur Covar. *l. 2. var. resol. c. 18. in fine.* Adeóque alii cohæredes illius cum eo in patronatu participare nequeunt. Aliud foret, si Titius ex suis bonis segregaret quantitatem sufficientem Ecclesiæ construendæ, & alicui suorum hæredum ædificationem committeret; tunc enim omnes Titii hæredes patronatum consequerentur; quia jam nomine Titii Ecclesia ædificatur, & ex illius bonis formaliter.

Quæstio 50. Utrùm etiam juspatr. hæreditarium transeat ad fidei commissarium, vel usufructuarium universalem seu omnium bonorum?

1. Respondeo primò: juxta sententiam communiorem hoc juspatr. non transit ad fidei commissarium, sed remanet penes hæredem directum, eò quòd juspatr. hæreditarium videatur sequi hæredem, non alium; sitque non minùs religiosum, & non respiciat commodum pecuniarium, quàm jus sepulchrorum, quod juxta *l. qua proinde. ff. ad Trebellian. S. C.* restitutâ hæreditate remanet apud hæredem, videatur idem de eo dicendum, quod de patronatu liberorum, qui juxta *l. si patroni. ff. ad Trebellian.* penes hæredem gravatum manet, & nequaquam transit ad fidei commissarium. Ita sentiunt Covar. *in c. Raynutius. de testam. n. 8.* & *l. 2. var. resol. c. 18. n. 8.* Barb. *in c. 1. h. t.* apud Pith. *num. 54.* Lott. *l. 2. q. 11. n. 37.* citans pro hac sententia *num. 29.* Barth. *in l. qua proinde. §. si restituta.* & *n. 33.* Bald. *in l. final. c. de edicto divi Adrian.* Lamb. Fusarium, Rinald. &c. dicens esse sententiam communem.

2. Contrarium nihilominùs tuentur Molin. *de primog. cap. 24. à num. 7.* & alter Molin. *de just. d. 118. in fine.* Guttier. *de tutor. p. 3. c. 29. n. 15.* apud Castrop. *loc. cit. n. 4.* Zoësius *ad h. t. n. 22.* & de usufructuario universali expressè Corrad. *lib. 4. c. 5. n. 1.* Barb. *Jur. Eccl. l. 3. c. 12. n. 232.* citans Campan. Cenedum Riccium, &c. eò quòd ad fidei commissarium universalem transit hæreditas, adeóque & juspatr. ei annexum: cui non obstat, ut Pith. *n. 55.* quòd in hoc casu Juspatr. non acquiratur jure hæreditario; nam suâpte naturâ sequitur eum, ad quem bona universa transeunt, non tanquam aliquid hæreditarium, sed tanquam aliquid annexum rerum universitati, cum quâ transit. Item quòd usufructuario universali concedantur omnia jura realia & personalia utilia, potéstque juspatr. alienari inter vivos titulo universali, adeóque & ex testamento. Castrop. *ibid.*

3. Mediam viam ingreditur Castrop. citans pro se Garc. *pag. 5. cap. 5. num. 18.* admittitque juspatr. hæreditarium reale, nimirùm quod annexum est alicui villæ vel castro, translato in fidei commissarium castro, transire simul in illum tanquam accessorium. Nec obstare citatas leges, cùm magna sit disparitas

inter jus sepulchrorum, & inter juspatr. libertorum, & inter jusp. de quo hic, ut videre est apud Molin. *de primog.* Jus verò patronatûs personale negat transferri in fidei commissarium aut usufructuarium universalem; eò quòd illud transferri non possit contra voluntatem institutoris; is autem id applicuit Titio, ejusque hæredibus & successoribus, quo nomine non venit fidei commissarius vel usufructuarius universalis. Insuper hæres gravatus restituens hæreditatem fidei commissario non propriè hæreditatem, sed bona per hæreditatem accepta restituat; neque eum fidei commissarium hæredem facit; adeóque fidei commissarius & usufructuarius per hanc restitutionem non fiant hæredes, ergo nec patroni.

4. Unde etiam ad fundamentum oppositæ sententiæ respondet, negando hæreditatem formaliter talem transferri ad fideicommissarium, sed solùm hæreditatem materialiter, hoc est, bona hæreditatis; jus verò patronatûs hæreditarium annexum est solummodò, & sequi hæreditatem formaliter talem. Similem distinctionem vide apud Lott. *loc. cit. n. 35.* ubi ex Paulo à Castro ait, per hæreditatis restitutionem factam fideicommissario non transire feuda, utpote quæ non sint ut res hæreditariæ; sed propter hæreditatem, hoc est, non sunt jura hæreditaria, seu non habentur jure hæreditario, habentur tamen & deveniunt ad hæredem occasione hæreditatis. Unde videndum, an, quod de facto transit ad hæredem, acquiratur ei alio titulo, quàm hæreditario, v. g. ex pacto & providentia majorum, ut in feudo, & in ipso etiam jure sepulchri, si familiare est.

5. Similiter ad alterum oppositæ sententiæ fundamentum dicit Castrop. fideicommissario & usufructuario universali competere omnia jura realia & personalia, quæ hæredi competunt ob bona hæreditatis; non verò ea jura, quæ competunt hæredi præcisè jure sanguinis vel successionis; jus autem patronatûs hæreditarium personale habeatur non ex bonis acceptis, sed ex sanguine, vel ex successione; ac proinde non communicato sanguine vel successione transferri nequit. Ac deinque etsi juspatr. personale etiam ex testamento legari possit, vel etiam expressè constitui ab institutore, ut obveniat quoque cum universitate bonorum fideicommissario, ut Garc. apud Pith. *loc. cit.* non tamen sic censeri ab eo institutum, aut juspatr. alienatum & legatum, eo ipso, quòd fideicommissarium aut usufructuarium universalem constituerit. Ita Castrop. Idem vult Lott. *cit. n. 37.* dum ait: Rotam *in una Maceraten. juruspatr. 5. Decemb. 1625.* adhærentem huic sententiæ negativæ agnovisse tamen, id non esse ex natura rei; quia nimirùm patronatus sit intransmissibilis ad fideicommissarium; sed provenire id ex mente testatoris, quin &, ut Card. de Luca. *de jurepatr. d. 56. n. 4.* ubi agitur de fidei commisso universali, utrùm in eo includatur juspatr. & sic transeat ad fideicommissarium, est quæstio potiùs voluntatis, quàm potestatis. Et *d. 60. n. 3.* quæstio ista est puri facti, & ambiguæ voluntatis, certam & determinatam regulam non recipiens. Unde etiam, ubi non solùm de expressâ, sed etiam tacita & conjecturali voluntate testatoris constat, facilè & levibus etiam ex conjecturis receditur ab illa regula: juspatr. non transire in fidei commissarium, quam ait rotam & curiam potiùs in quandam reverentiam antiquitatis tenere, quàm quòd probabilis ratio aliqua sic suadeat.

Quæstio 51. Num juspatr. transeat quoque ad creditorem, cui datum est pignus universitatis bonorum, in qua existit juspatr.

1. Respondeo negativè. Barr. *juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 237.* citans Lamb. *l. 1. p. 2. q. 9. art. 2. n. 3.* Cened. *99. can. l. 1. q. 10. n. ult.* Roch. *v. ipse. n. 60.* Garc. *p. 5. c. 5. n.* 10. *&* 11. Castrop. *cit. p. 4. n.* 14. Corrad. *l. 4. c. 5. n. 3.* juxta *c. cùm Bertholdus, de sent. & re judic.* nam uti rei oppignoratæ, ita nec ullius jurispatr. dominium ullum aut possessio in creditorem transfertur; sed solùm nuda detentio, usque dum debitum persolvatur à domino; ad faciendam autem præsentationem, dominium vel saltem possessio istius jurispatr. requiritur, juxta c. *querelam. de elect.* & *c. consultationibus. h. t.* Barb. *loc. cit.* Sed nec ex actione pignoratitia transfertur in creditorem jus utendi pignore, quia pignus conceditur solùm ad debiti securitatem, ac proinde omnis usus pignoris, qui huic securitati non obest, remanet debitori: usus autem patronatûs nequaquam obest securitati debiti. Castrop. *cit. n.* 14. Quin &, licèt creditor talis ex re oppignorata sibi fructus aliquos percipere valeat; & præsentatio ipsa sit quidam fructus jurispatr. præsentare tamen non potest creditor, ut constituitur *cit. c. cùm Bertholdus*, junctâ gl. nam creditor, si percipit fructus, hos percipit nomine debitoris, eosque soluto debito tenetur restituere, vel in sortem computare, seu cum credito compensare, juxta *c.* 1. *& 2. de usuris;* fructus autem, qui consistunt in præsentatione, nec debitori possunt restitui, neque cum credito compensari. Corrad. *loc. cit.* Porrò qualiter, dum conventione factâ cum creditore de facienda per eum præsentatione, dum ea per illum facta est, nulla committatur usura, cùm usura reperiatur in receptione rei pretio æstimabilis, vide apud Barb. *loc. cit.*

2. Quod dictum de creditore, idem ob eandem rationem est de depositario, penes quem depositum castrum, cui annexum juspatr. utpote cujus nec dominium, nec possessio in eum transit. Barb. *loc. cit. num.* 230.

Quæstio 52. Utrùm juspatr. transeat in conductorem castri vel villæ, cui annexum est?

1. Respondeo: juxta communiorem, quam tenent Abb. *in c. ex literis. n. 5.* Lamb. *l. 1 p. 2. q. 8. art. 2.* Roch. *v. ipse. q. 26. n.* 54. Molin. *de primog. l. 1. c. 24. n. 2.* Menoch. *cons. 90.* Riccius *resol.* 192. *n. 2. & alii* apud Barb. *loc. cit. n.* 225. Item Garc. *p. 5. c. 6. n.* 10. transire in illum, dum locatio facta ad longum tempus; secùs si id ad breve; id enim velle videtur textus *c. ex literis.* dum ait: *Juspatr. transire in conductorem villa data ad firmam.* Facit etiam, quòd locatio ad modicum tempus nullum dominium, nullámve possessionem transferre soleat, ut docet J. C. *in l. non solet ff locati;* uti facit locatio ad longum tempus, putà decennium. Unde etiam censet Garc. *loc. cit. n.* 11. contra Zerol. *in pr. Ep p. 1. v. juspatr. du. 8.* adhuc non transire in conductorem locatione factâ ad breve tempus, etiamsi aliter inter conductorem & dominum cautum seu conventum sit. Putant tamen plures cum Paul. à Castro *vol. 1. cons.* 262. textum illum *c. ex literis* procedere solùm, ubi translatum est dominium utile; nimirùm cùm datur in feudum sive emphyteusin; *To* enim *firmam* ibi importare emphyteusin. Barb. *loc. cit.* Nec desunt, qui velint idem esse, dum castrum ad modicum tempus locatur, & de hoc quoque procedere dispositionem *c. ex literis.* ideò, quòd per locationem etiam ad modicum tempus transeat commoditas rei locatæ in conductorem, ita ut liceat ei uti, frui re locata, adeoque etiam transire jus præsentandi, seu præsentationem, quæ est fructus quidam jurispatr. quemadmodum etiam per locationem beneficii ad modicum tempus jus decimandi fortè annexum beneficio transit in conductorem: pro hac sententia citat Barb. gl. *in cit. c. ex literis. v. ad firmam.* Host. *ibid.* Zabarell. *q.* 1. Campan. *rub.* 11. *c.* 13. *n.* 358. Et sic sentit Castrop. *cit. p. 4. n.* 13. tametsi *d. 2. p. 28. n.* 8. dicat, conductorem propriè talem non posse beneficia conferre, quia adest Dominus, qui conferat, & in conductione non intelliguntur fructus spirituales concedi, citátque pro hoc Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. q.* 18. Gutier. *de tutelis. p. 3. cap. 29. num.* 16.

Quæstio 53. Utrùm castro aut bonis sequestratis, quibus annexum juspatr. illud

tran-

transeat ad sequestrum, ità ut is, dum durante sequestro vacaverit beneficium, cujus præsentatio ad sequestrata bona pertinebat, præsentare possit?

1. Respondeo affirmativè, Barb. *loc. cit. n.* 233. citans Gonz. *ad reg. 8. gl.* 23. *n.* 17. Reginal. *in pr. fori pœnit. l.* 30. *t.* 2. *n.* 245. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 17. Ricc. *tr. de noviss. probat. jurispatr. resol.* 192. *n.* 7. *&c.* Garc. *p.* 5. *c.* 6. *n.* 1. citans Lamb. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 9. *art.* 3. Gigas *de pens. q.* 72. *n.* 3. Coras. *de benef. p.* 2 *c.* 6. Guttier. *l. de tutel.* 3. *p. c.* 7. (qui etiam cum Lamb. id admittit, etiamsi juspatr. de per se sequestretur) & plures alios. Idem est de sequestro dignitatis, beneficii, quibus annexa est alicujus beneficii provisio. Castrop. *d.* 2. *p.* 28. *nn.* 5. non solùm enim quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia est administrator rei sequestratæ, ejúsque fructus colligit, quibus ut dictum, annumeratur præsentatio.

2. Nec obstat, quòd dictos fructus colligat nomine alieno, propter quod dictum suprà juspatron. non transire ad creditorem, cui castrum oppignoratum; nam sequester administrat & exercet omnia jura rei sequestratæ, non quidem nomine illius, qui in causa victurus est, eò quòd sub lite est, & penitus ignoretur, quis victurus sit, sed nomine judicis & superioris, (nimirùm, dum sequester est necessarius) qui illum verum administratorem constituit. Nec potest tunc Dominus ea exercere, adeóque nec præsentare; creditor autem pignoris ideò non potest præsentare, quia adest persona legitima, quæ præsentet, nempè verus Dominus. Garc. *cit. n.* 1. *& n.* 6. Nec etiam obstat, quòd sequester debeat fructus rei sequestratæ reservare victori; hoc enim verum est de fructibus, qui servari possunt, & ex quorum perceptione sequester redditur ditior, qualis fructus non est provisio beneficii. Castrop. *cit. p.* 28. *n.* 6.

3. Verùm tamen hæc procedere in sequestratione voluntaria, quæ fit voluntate & consensu partium (utpotè in qua possessio transit in sequestrum, secùs ac in sequestratione necessaria, hoc est, quæ fit auctoritate judicis, nisi expressè aliter cautum sit, ut cum communi Garc. *l. c. n.* 18. citans quamplur.) non verò in sequestratione necessaria, ait Barb. *loc. cit. num.* 234. citans Coras. *l.* 3. *miscellan. c.* 2. *n.* 12. Carocium *de sequestro. p.* 1. *q.* 4. *n.* 2. *&c.* contrarium tamen docet probabiliùs Castrop. *loc. cit.*

4. Porrò quod dictum, sequestrum posse præsentare, intelligi debet supposità capacitate personæ, Garc. *num.* 14. ità ut sequester laicus præsentare nequeat, dum jus præsentandi spectat ad Ecclesiam, prælaturam, beneficium, sequestrata; eò quòd quando laicus deputaretur sequester alicujus dignitatis vel beneficii, solum censeatur deputatus ad temporalia; secùs dum alia bona temporalia sunt sequestrata, vel juspatron. laicale de per se sequestraretur. Garc. *n.* 15. *&* 16. Castrop. *cit. p.* 28. *n.* 7.

5. Denique dum sequestratio Ecclesiæ, de qua contenditur, facta non est, & pendente lite accidat vacatio, ad quem tunc pertineat jus præsentandi, vide apud Garc. *n.* 21.

Quæstio 54. Utrùm juspatr. transeat in feudatarium seu Emphyteutam, si castrum, cui annexum est, infeudetur vel detur in Emphyteusin?

Respondeo affirmativè. Barb. *loc. cit. num.* 240. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 12. Campan. *loc. cit. num.* 361. de per se autem dari nequit in feudum. *c. cùm secundùm. c. ex literis. h. t.* Barb. *ibid. num.* 241. Lamb. *loc. cit. q.* 2. *a.* 29. *num.* 35.

Quæstio 55. An publicatis & fisco addictis omnibus bonis patroni ob crimen, jus quoque patronatus transeat ad fiscum, an verò remaneat apud filium illius aut hæredes?

1. Respondeo: Dum juspatron. reale est, seu annexum castro, vel aliis bonis, in dicto casu etiam transire ad fiscum sæcularem. Etsi enim Princeps sæcularis non possit per se ac directè privare patronum jurepatron. ob delictum patroni, quia laicus juspatr. habet non ex concessione Principis sæcularis, sed Ecclesiæ; si tamen bonorum universitas, cui juspatr. annexum est, confiscetur, tunc accessoriè & indirectè etiam juspatr. ad fiscum transit, & nullatenùs remanet apud filios aut hæredes, non secùs ac si inter duos laicos lis esset super bonis, quibus juspatr. adhæret, dicta per judicem laicum, ad quem cognitio spectat, de bonis sententiâ, ejus virtute consequenter juspatr. transit in victorem.

2. Si verò juspatr. est personale, seu per se, & singulariter consistat, non annexum ulli castro vel aliis bonis, tunc, cùm sub confiscatione omnium bonorum non contineatur, remanebit penes delinquentem, donec is eo privetur per sententiam judicis. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 26. *& seq.* citans Auffrerium *de pot. sæculari. Reg.* 4. Gigas & alios relatos per Lamb. & Roch. Barb. *loc. cit. num.* 238. *seq.* Pirh. *num.* 57. citans Abb. *in c. cùm laici h. t. num.* 3. Azor. *dicto c.* 20. *q.* 14. Barb. *in c. ex literis. h. t. num.* 9. Porrò post latam sententiam privatoriam judicis Eccles. juspar. hæreditarium transmissibile ad hæredes, etiam extraneos, exspirat, & Ecclesia manet libera; si verò juspatr. est sanguinis, & pertinet ad familiam, transibit ad consanguineos, juxta dispositionem fundatoris. Garc. *loc. cit. num.* 29. ex eo Pirh. *cit. num.* 57. Non secutâ tamen dictâ sententiâ privatoriâ juspatr. hæreditarium transit ad hæredem ex testamento, vel ab intestato ipsius condemnati, eo defuncto, præterquam ob crimen hæresis, in quo ipso jure existit privatus. Garc. *num.* 30. *&* 31. plura de hoc infrà, ubi de amissione jurispatronatûs.

Quæstio 56. An, & qualiter juspatr. hæreditarium per hæreditariam successionem transire possit ad monasterium seu religionem.

Respondeo: Potest, idque duplici modo, Primò: Si monasterium bonorum in communi capax, instituatur hæres à patrono laico, tunc enim cum universitate bonorum hæreditatis accessoriè transibit. Secundò: Si patronus laicus fiat religiosus, per talem ingressum omnia ipsius bona acquiruntur monasterio, adeóque & jusp. Pirh. *num.* 59. citans Tamb. *de jure Abb. to.* 3. *d.* 9. *q.* 28. *num* 1. & efficitur Ecclesiasticum, ut dictum supra. Lott. *l.* 2. *q.* 11. *num.* 26. Si tamen juspatr. jure sanguinis delatum sit ad patronum, qui religionem ingressus est, monasterium jus præsentandi habebit tantùm durante vitâ monachi, & post ejus obitum transibit ad illius consanguineos. Pirh. *ibid.* ex Tamb. *loc. cit. num.* 2. & Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 555.

Quæstio 57. An Juspatr. transferatur cum hæreditate sine consensu Episcopi?

Respondeo affirmativè, quia transit cum universitate bonorum. Cotrad. *l.* 4. *c.* 5. *num.* 3. citans Vivian. de jurep. *l.* 4. *c.* 1. *num.* 17. Roch. &c. Sic quoque non egetur consensu Ordinarii in fidei commissaria dispositione pro jurispatr. inclusione, sive dum ex mente testatoris transit in fidei commissarium universalem. Card. de Luca, *de jurepatr. d* 60. *num.* 4. Secùs est de jurepatr. quod titulo legati, seu quovis titulo alio particulari transfertur in laicum; necessarius enim est tunc consensus Ordinarii. Cotrad. *loc. cit. num.* 5. Non tamen is est necessarius, ubi principaliter & de per se transfertur in Ecclesiam vel locum religiosum. Cotrad. *num.* 6. idem est de fidei commisso particulari, quod principaliter ac singulariter ordi-

ordinatur super ipso jurepatron. in favorem, utpotè quod importat idem, quod legatum, ac propterea & illius & donationis jure regulandum exigit Ordinarii consensum, de Luca *ibid.* Non tamen, ubi agitur de jurepatronat. reali, seu annexo castro, super quod principaliter substantiatur legatum vel fidei commissum, opus est hoc consensu, uti nec, dum ordinatur hoc fidei commissum principaliter super ipsu jurepat. in favorem compatroni, vel Ecclesiæ. Card. de Luca. *loc. cit. d. 56. num. 5.*

Quæstio 58. An quasi possessio jurispatr. seu præsentandi (qualem habet patronus tacitius, & qualis acquiri potest etiam ex unica præsentatione, facta nimirùm bonâ fide & animo utendi Jure suo sciente & patiente illo, in cujus præjudicium quæritur possessio & admissio, dum vi illius institutus rector, isque habitus tanquam rector in possessione Rectoriæ, de quo vide Barb. juris Eccles. l. 3. c. 12. à num. 186.) *transeat ad hæredes absque nova apprehensione?*

1. Respondeo negativè. Barb. *ibid num.* 19. citans plures Rotæ decisiones. Corrad. *l. 4. c. 4. num.* 17. dicens, hanc sententiam in notoria praxi receptam, & à Rota semper tentam. Item Card. de Luca *in summ. jurispatr. num. 84.* dicens, non suffragari in hoc laicalia statuta decernentia, continuationem possessionis defuncti in hæredem, cùm non detur laicis potestas in hujusmodi spiritualibus decernendi. Contra Lamb. *p. 1. l. 2. a. 12. q. 3.* & Roch. eò quòd sicut in corporalibus possessio non transeat ad hæredes, etiam suos seu non externos, sine nova apprehensione, ità nec in incorporalibus, quia cùm possessio sit quid facti, & ea, quæ facti sunt, factum exigant, non potest transferri de una persona in aliam, nec dicitur acquisita, nisi corporaliter apprehendatur, adeóque nec in istis incorporalibus quasi possessio transit sine actu facti. Undè licèt testator jam præsentaverit semel modo dicto, tamen ista quasi possessio non est translata in ejus filios, aliósve successores seu hæredes sine nova apprehensione, id est, sine novo usu seu exercitio juris præsentandi, adeóque hanc quasi possessionem non potest prætendere hæres ex propria persona, dum nunquam præsentavit; cùm possessio antecessoris non possit dici possessio successoris, sed diversa, ità ut illa, quæ fuit penes defunctum, fuerit extincta, & alia nova in hærede producta per actum proprii facti, ità Corrad. qui addit, hæc procedere stante etiam statuto de continuanda possessione in hæredem; certum enim esse, id sibi locum non vendicare.

2. Nihilominùs dum possessio, non ratione personæ, sed ratione dignitatis vel officii aut beneficii quæsita est, ipso jure in successorem transit, dum non personæ possessoris, sed ipsi dignitati vel beneficio quæri dicitur possessio. Card. de Luca. *loc. cit. n.* 85. quin & inter privatos transfertur possessio sine actuali apprehensione per cessionem, quæ fiat per actum inter vivos, etiam per ultimam voluntatem, ubi adjicitur clausula constituti effectum sortitura præambula horæ constituentis cum solita clausula *ex nunc pro tunc.* Card. Luca. *num.* 86.

Quæstio 59. Qualiter descendentia à patrono deducatur in patronatu tam gentilitio simplici quàm mixto.

1. Respondeo: In genere circa descendentiam illam à fundatore, cùm res sit sæpè intricata, maximè ubi ea ducitur ab antiquo, propter varios eósque improprios loquendi modos, quibus plerùmque utuntur fundatores, regulam aliquam dari non posse, quàm quòd verba secundùm materiam subjectam & communem loquendi modum sint accipienda. Lott. *l. 2. q. 11. num. 49. & seq.* quare

2. Respondeo secundò in specie: Si fundator sibi & suis parentibus reservavit patronatum, cùm vanum nunc sit referre hanc ejus dispositionem usque ad ultravum, quousque aliàs ascendentes veniunt nomine parentum, vox illa *parentes* inflectenda ex subjecta materia, & secundùm communem vulgi opinionem, ut significet agnatos. Lott. *num. 52.* citans Tiraq. *de retract.* §. 1. *gl. 8. num. 1.* Menoch. *l. 4. præsumpt. 88. n. 18.* Peregr. *de fideicomm. l. 22 num. 31.* Riminal. *cons. 303. num. 2.* Porrò agnatio duplex est: Prima in genere, dicta comprehensiva, altera in specie, dicta affectiva, quâ quis dependet à persona ipsius fundatoris vel alterius, ac ipse reservavit patronatum. Lott. *ibid.* quoad priorem opus est duplici reflectione, unâ, quâ respiciatur qualitas lineæ, undè originantur, nimirùm num sit directa, num transversa. Altera, quâ respiciatur qualitas personarum, quæ in tali linea supponuntur. Unde

3. Respondeo tertiò: Si fundator usus fuerit verbis, quæ per se restrinxerit ad lineam suam effectricem seu directam, v. g. dicendo: *reservo patronatum pro me meisque descendentibus*, seu pro liberis meis, (quod idem est, *l. liberorum. de verb. signif.*) vel *pro Titio ejúsque descendentibus*; non comprehenduntur alii quàm procreati ab ipso fundatore, vel à Titio, cui patronatum reservavit; si verò dixerit: *pro me meisque agnatis*, censetur voluisse comprehendere omnes, qui sunt de ejus agnatis, sive sint positi in linea recta, sive transversa; hi enim omnes veniunt nomine agnatorum, ut sumitur *ex authen. de hæred. ab intest. in principio*, juxta Menoch. *cons. 424. num. 33.* Lott. *num. 54.*

4. Respondeo quartò: Major difficultas est, dum usus fuit termino æquivoco respectu vocatorum, illumque insuper qualificaverit alio termino iisdem æquivoco, uti sæpè contingit in termino *linea* (quæ est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens & numeros distinguens. Anch. *cons. 93. num. 9.* Barbat. *in l. cùm accuratissimi. n. 125. c. de fideicomm.* Eaque duplex, recta continens ascendentes & descendentes, & transversa seu inflexa, continens transversales) tunc attendendum ad terminum ei adjectum, & ad personam, quam respexit in reservatione patronatûs; nimirùm an adjecta sit materialiter & effectivè, an subjectivè & contentivè, ut loquitur Lott. *num.* 59. & 60. Tametsi enim *Tò linea* in dubio accipiatur pro recta, id tamen procedit, ubi relatio seu reservatio est ad lineam alterius; sic si filiis suis masculis substituat proximum agnatum ex linea paterna, ea substitutio nequit referri ad lineam effectricem seu directam fundatoris; si enim vocâsset eos, qui essent de linea sua, patet referri etiam rectam, eò quòd dictum pronomen verificetur in suo significato tam in linea contentiva quàm effectiva, hoc est, tam prout comprehendit & lineam rectam & transversam, quam dicit solam rectam. Lott. *num. 61.* adeóque sufficit, aliquem descendere à fratre fundatoris vel alio transversali patris fundatoris; datâ enim possibilitate comprehensionis transversalium, hæc vox *linea* nusquam intelligi potest de effectiva tantùm, nisi per adjectam vocem explicata esset qualitas lineæ, v. g. dicendo: *Ex linea paterna*, (quod idem est ac ex paterna parte) cùm verba ista stent tantùm pro termino differente ad exclusionem fœminarum, non autem ad significandam agnationem effectivam. Lott. *num. 64. & seq.* juxta decis. Rot. *in Mediolan. patronatûs 19. Junii 1617.* Eandem æquivocationem agnoscit Bald. *l. 3. cons. 334. n. 6. & seq.* apud Lott. *num. 63.* in ista voce *Proles*, quamvis subdat, ex communi usu loquendi eam inclinare ad lineam effectivam, & per eam, si alternata adjecta sit, declarari vocem linea, ut significet lineam effectivam.

5. Respondeo quintò: Quoad alterum, nempè quoad considerandam qualitatem personarum, dum fundator qualificat, quos vocat, seu pro quibus reservat patronatum aliquo termino juris, qui possit etiam secundùm vulgarem sensum intelligi tam de fœminis

(quæ capaces sunt jurispat. nisi vulgaris sint conditionis & absque ulla dignitate. Abb. *in Cap. fin. h t. num. 7.* Lamb. *l. 2. p. 3. q 4. a. 19. num. 8.* apud Lott. *num. 68.*) quàm de masculis, censeodus est comprehendisse & fœminas, & earum descendentes, salvâ tamen gradûs prærogativâ. Lott. *num. 69.* ut si vocavit *consanguineos*; hic enim terminus, etsi sumatur strictè pro duobus fratribus vel sororibus ex eodem patre. *l. 1. ff. de su. & leg. hæred. l. amite. c. cùm de success.* & largè pro agnatis tantùm, exclusis cognatis. *l. 1. & c. consanguineitas.* Card. *de legit. hæred.* largissimè tamen (in quo sensu potissimùm usurpatur vulgò hæc vox. Beroiys. *l. 2. cons. 95. num. 10.*) sumitur pro quibusvis conjunctis sanguine, sive ex parte patris, sive matris. Lott. *à num. 70.* adeóque, cùm de patronatu agitur, sub hac appellatione veniunt omnes sanguine juncti, etiam à sola matre procedentes, etsi hi aliàs simpliciter vocentur propinqui, & ad distinctionem Agnatorum cognati Lott. *à num. 71.* citans *Tiraq. de retract. §. 1. gl. 9. num. 1. & 200. Fusar. de substit. 4. S. 65. num. 3.* juxta decis. Rot. *in* Legobiensi *capellania 24. Jan.* 1624. Idem & multò magis est, dum vocavit *conjunctos*; cùm hic terminus aptus quoque sit comprehendere tam agnatos. Lott. quàm cognatos. *n. 74.* citans Alex. *l. 2. cons. 115. n. 10.* Gozadin. *cons.* 20. *n.* 8. Decium *cons.* 223. *n. 2.* idem est, si vocaverit *proximos.* Lott. *n.* 75. citans Decium *l. 2. de reg. juris. num.* 225. vel propinquos. Lott. *num.* 76. juxta Bald. *l. 3. cons.* 334. *num.* 3. Anchar. *cons.* 95. *num.* 5. sed neque ab ista lata significatione hujus termini *consanguineos* recedendum, quamdiù ex concludente argumento, vel ex termino aliquo adjuncto non apparet, fundatorem voluisse prospicere agnatis tantùm, ac proinde istius termini adjuncti proprietas ponderanda. Lott. *num.* 77. Quare

6. Respondeo sextò: Si fundator vocâsset *consanguineum proximiorem de genere*, adhuc ista vox in materia indifferente, & tantò magis in favorabili excludit illam latam interpretationem, quò minùs omnirùm complectatur descendentes ex fœminis, cùm sit terminus naturalis. Lott. *num.* 78. citans Barbat. *in l. accuratissimè. c. de fideicom num.* 114. *&* 147. idem est, si vocatus est *consanguineus proximior de cippo*, cùm & *To cippus* sit terminus non legalis, sed rusticorum, quo significatur stipes domûs, seu agnationis, ut Castrensis *in q. ult. c. de verb. signif.* Cujus significatio etsi propriè referatur ad ipsum stipitem domûs, ut Surd. *l. 3. cons.* 443. *n.* 18. Menoch. *l. 4 præsump. 88. num.* 22. Mantic. *de conject. ult. vol. l. 8. tit. 12. n. 16.* Fusarius *de substit. q.* 348. *n.* 1. negari tamen non potest, etiam fœminam descendentem de illo stipite esse de cippo, seu de stipite, ac proindè inspectâ vocis proprietate esse vocatam, nisi aliundè appareat, fundatorem voluisse prospicere solis masculis. Lott. *num. 82. & seq.* ex Paris. *l. 2. cons. 31. num. 6. & cons. 47. n. 50.* Quod ipsum adhuc locum obtinet, etiamsi fœmina sit nupta. Lott. *num. 85.* quamvis tamen respectu descendentium ex fœmina (salvâ consuetudine, vi cujus descendentes ex fœmina in Hispania dicuntur de cippo. Molin. *de primogen. l.* 3 c. 4. *n.* 16.) ut censeantur sub appellatione cippi vocati, requiri, ut extent aliquæ conjecturæ, per quas appareat testatorem ad agnationem non respexisse, ait Lott. *num. 86.*

7. Porrò licèt proximitas, ubi fit transitus ad personas minùs diversas, non referatur ad ultimum decessorem, sed ad ipsum fundatorem. Lott. *n.* 88. ex Decian. *l. 3, cons.* 21. *num.* 6. ubi tamen cessat hæc circumstantia, nec urgent conjecturæ in contrarium, verius est, proximitatem referri ad ultimum decessorem. Lott. *num.* 89. juxta quamplurimas Rotæ decis. 72. *num. 3. p.* 1. *divers.* 681. *num. 2. p. 2. recent.* cùm nulla sit ratio, ut, postquam quis admissus est, is, qui ei est proximior tanquam de ejus linea, non admittatur. Tiraq. *de jure primog.* 40. *num* 1. Lott. *num.* 90. nisi fortè quis vocatus esset revocabiliter, vel in subsidium. Lott. *n.* 91. velut si in defectum legitimorum fuerint admissi Spurii, quia in concursu legitimorum semper excluderentur à patronatu, (de quo paulò post) ut Menoch. *cons.* 285. *nu.* 14. Lott. *n.* 92. vel etiam dum vocatus est senior de familia, seniore, ad quem ingressum semel est juspatron. decedente, illud non transit ad ejus descendentem, sed revertitur ad alium seniorem de familia. Lott. *nu.* 93. juxta decis. Rot. *in Juunensi jurepatr.* 31. *Junii* 1607. coram Lancelloto.

Quæstio 60. Juspat. gentilitium qualiter deferatur gentilibus?

Respondeo: Defertur in capita, sive in eo succeditur in capita, & non in stirpes. Lott. *cit. q.* 11. *num.* 123. juxta decis. Rot. 252. *num. 2. p. 2. Recent.* intelligendo tamen hoc in ipsa successione in solido patronatu, & non in exercitio juris præsentandi; cùm illud pertinere nequeat nisi ad eam de familia, qui pro tempore est senior. Lott. *n.* 124. juxta Bald. *l. 3. cons. 1. n.* 8. Covar. *pract. qq. q.* 38. *nu. ult. &c.* Porrò minus est præjudicium, dum succeditur in capita, quàm in stirpes; nam si essent centum capita; non considerarentur omnes, nisi pro una voce. *Clem. plures h. t.* ità ut plures præsentantes semper habendi sint pro uno. Lott. *num.* 130.

Quæstio 61. An, & qualiter in jurepatr. gentilitio admittantur, & succedant illegitimi?

1. Respondeo: In jurepatr. familiari, seu gentilitio (secùs est in jurepatr. hæreditario, utpotè in quo nihil requiritur, quàm an quis sit hæres, & pro qua parte? Succeditur enim in eo secundùm quotam hæreditatis. Lott. *num.* 137. adeóque & admittentur illegitimi, non solùm, si succedant titulo singulari. Lamb. *l. 1. p. 1. q. 7. a. 17. num.* 6. Roch. *de jurepat. v. competens alicui. num.* 6. apud Lott. *loc. cit.* sed etiam, si succedant titulo universali cum aliis legitimis. Lott. *num.* 138 juxta Bald. *in l eam, quam num.* 57. *c. de fideicomm.*) repelluntur illegitimi, cùm non dicantur de gente seu familia, etiamsi essent legitimati per Imperatorem aliumque Principem sæcularem. Lott. *num.* 139. ex Gabriel. *l. 1. const. 95. num.* 62. maximè incestuosi, quo casu nequidem juvantur legitimatione habitâ à Papa, nisi in individuo facta esset mentio de qualitate tam natalium quàm jurispatron. Lott. *num.* 140. juxta eundem Gabriel. & Rot. *decis.* 251. *n. 7. p. 2. recent.*

2. Et hæc, si fundator usus est verbis civilibus, vocando scilicet *gentem* vel *familiam*, Lott. *n.* 141. citans Palent. *de not. & spur. c.* 60. secùs, si usus est verbis naturalibus, id est, significantibus tantùm effectum naturæ, vocando nempè suos consanguineos, cùm etiam illegitimi dicantur consanguinei, utpotè ex eodem sanguine provenientes, juxta Barth. *in l. pronunciatio ff. de verb. signif. § familiæ, num.* 1. Lott. *num.* 142. Quamvis enim bastardi nequidem appellatione consanguineorum veniant jure civili. *l. si spurium ff de cognat.* multóque minùs de jure canonico in his præcipuè juribus ad spiritualia ordinatis, juxta Rot. *decis.* 103. *num. 3. p.* 1. *divers.* Lott. *num.* 143. cùm tamen ea juris civilis provisio, utpotè fundata in incertitudine sanguinis, non sit perpetua, ad eos adhuc illegitimos extendi potuit ista appellatio consanguineorum, qui à patre agniti sunt, vel utcunque patrem indicare possunt. Lott. *n.* 144. Tametsi enim ii sint spurii & nati ex damnato coitu, inspectâ tamen naturâ sunt filii, & in eos cadit naturalis affectio. Lott. *n.* 144. undè de æquitate canonica non tantùm in linea materna, sed & in paterna admitti debent tanquam sanguine juncti. Abb. *in c. nonnulli de rescript. num.* 1. Lott. *num.* 145. Et ità admitti debent ad juspatr. ad quod vocati sunt consanguinei, vel alii per verba naturalia convenientia illegitimis. Lott. *num.* 146. citans Nav. *cons. 4. n.* 1. & 2. *de jurepatr.* & Rot. *decis.* 350. *n.* 2. & 6. *p. 3. recent.* quæ pariformiter locum habere in præsentatione passiva respectu filiorum legitimorum descendentium ex illegitimis, juxta cit. Navar. *cons. & decis.* Rotæ ait Lott. *num.* 147. non tamen procedere, juxta ejusdem Rotæ *decis. in Pampilon. Capellania*

6. Nov.

6. *Nov.* 1617. in descendente ex damnato coitu, utpotè qui semper reputatur persona odibilis, & consequenter nec comprehensa sub verbis naturalibus, ait Lott. *n.* 148. procedere tamen adhuc, etiam in concursu lineæ legitimæ cum illegitima; si talem spurium agnoverat pro consanguineo, nec personam illius abhorruerat, ait Lott. *num.* 149. nisi constaret, fundatorem voluisse præferri lineam legitimam; tunc enim, dum superest persona de linea prædilecti, positi in alia linea, non debet admitti. Lott. *ib.* ex Decian. *cons.* 87. *num.* 1. qualis conjectura sumitur, si favore agnationis professus fuerit, se fundare, vel aliàs sit persona valdè nobilis, vel Ecclesiastica, quæ verisimiliter, etsi non abhorruisse illegitimos, saltem eos noluisse cum legitimis admitti, præsumenda est. Lott. *num.* 150. cum Rot. *decis.* 26. *num.* 5. *p.* 1. *recent.* Quamvis *num. seq.* dicat, non admitti argumentationem prædilectionis lineæ de præsentatione activa ad passivam

Quæstio 62. Qualiter juspatr. transferatur donatione?

1. Respondeo primò: Potest patronus laicus juspatr. quod ei competit jure proprio & privato, liberè & non requisito consensu Episcopi, concedere Ecclesiæ, monasterio, alterive loco religioso, aut etiam Clerico nomine Ecclesiæ vel dignitatis, quam obtinet. *c. illud h. t.* & c. *si laicus h. t. in* 6. eò quòd tunc Ecclesia, vel beneficium redit ad naturam suam, liberata à manu laicorum. Castrop. *cit. d.* 2. *p.* 4. *num.* 17. Pirh. *h. t. num.* 60. citans Vivian. Potest etiam sic donare juspatron. quod habet in Ecclesia eidem Ecclesiæ, prout dicitur *c. unico h. t. in* 6. Et tunc, si Ecclesia habeat plures ministros, & beneficia sibi incorporata, sive collegiata sit, sive non, erit patrona sibi ipsius, hoc est, habebit jus præsentandi ad ista beneficia, in quo nulla est repugnantia; jus enim patronatûs, licèt sit servitus respectu illorum beneficiorum, respectu tamen Ecclesiæ & rectoris ipsius, qui jus præsentandi habet ad illa beneficia, non est servitus, sed potestas quædam seu facultas, ac veluti quoddam privilegium; si verò Ecclesia talia plura beneficia & ministros non habet, sed est unicus tantùm in ea presbyter vel Rector, juspatronatûs in dicto casu extinguetur, & libera collatio spectabit ad Episcopum, & Ecclesia nequaquam erit patrona, cùm nequeat eadem res habere servitutem erga seipsam. Similiter, si patronus laicus Episcopo ratione suæ dignitatis donet, si ad eundem Episcopum spectat jus instituendi in ista Ecclesia seu beneficio patronato, extinguitur juspatr. & efficitur beneficium liberæ collationis; alias enim deberet Episcopus præsentare sibi, & posteà eundem instituere, nisi tamen donans haberet compatronum; nam tunc Episcopus tanquam patronus cum compatrono præsentabit Rectorem, & postea tanquam Ordinarius eum instituet. Pirh. *num.* 65. Verumtamen nequit patronus talis laicus, etsi regiâ potestate præditus, ipsas Ecclesias patronatas alicui Clerico, monasterio, vel loco religioso concedere seu donare, neque in titulum, neque in proprietatem, sive per modum incorporationis sine authoritate Episcopi, *c. quòd autem. h. t.* dum tamen simpliciter & absolutè concedit Ecclesiam Clerico, vel loco religioso, in dubio præsumendum est, quòd voluerit donare jus, quod in ea habebat, nempè patronatûs; nemo enim censetur velle dare, quod non habet, si autem intenderet Ecclesiam conferre in titulum vel proprietatem, tota donatio irrita est, ità ut nequidem juspatron. transferatur, non ob defectum Episcopi, sed quia patronus, quod agere & dare poterat, scilicet juspatron. donare non voluit, & quod agere & donare voluit, nempè Ecclesiam, donare non potuit. Pirh. *num.* 64. undè etiam si talis patronus, postquam Ecclesiam non vacantem donavit loco religioso, eâ dein vacante, præsentaverit pro ea Rectorem, hic admittendus & instituendus est, juxta c. *illud h. t.* quippè prior illa donatio Ecclesiæ ipso jure fuit irrita, & non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *Reg. jur. in* 6. constituatúrque expressè *c. cum laici. h. t.* ut si laici Episcopis nescientibus, aut non consentientibus, Ecclesias Clericis concedunt, in quibus juspatr. habent, & posteà pœnitentiâ ducti alios Clericos ad easdem Ecclesias Episcopis præsentant, hi ab Episcopis institui debeant concessione prioris, utpotè quæ nulla est, penitùs rescissâ. Pirh. *n.* 65. & 66. Corrad. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 9. Porrò dum laicus cum consensu & approbatione Episcopi Ecclesiam non vacantem loco religioso confert in proprietatem, illam eidem incorporando, valet donatio, quia facta est, non tam laici, quàm Episcopi authoritate. Pirh. *cit. n.* 65. *in fine.* quod tamen videtur *num.* 68. limitare & restringere ad hoc, quando laici istas Ecclesias tenebant de facto, & erant potentes, ut ex eorum manibus eripi non possent, cùm aliàs laici Ecclesias conferre vel donare nequeant, etiam interveniente consensu, vel ratihabitione Episcopi, quia nemo dare potest, quod non habet; qualiter nihilominùs Religiosi aliive Clerici Ecclesias è manu laicorum sine authoritate prælati Ecclesiastici possunt præscribere spatio 40. annorum, vide apud eundem Pirh. *num.* 68.

2. Respondeo secundò: Potest patronus (subintelligendum quoque videtur, qui nomine proprio & privato est patronus) compatrono suo, etiam privato & laico, sine consensu Episcopi juspatr. donare, seu remittere. Pirh. *num.* 60. citans Gl. *in c. ex insinuatione. h. t. v. contulisset.* Barb. *loc. cit. num* 4. Castrop. *cit. d.* 2. *p.* 4. *num.* 18. (etsi is dicat conveniens esse, ut consensus Ordinarii in hac donatione intercedat, non tamen necessarium) Azor. *cit. c.* 20. *q.* 6. contra Jo. Andr. & Abb. *in cit.* c. *insinuatione.* hæc enim non est propria alienatio, seu jurispatronatûs in alium translatio, cùm novus patronus Ecclesiæ non constituatur, sed alter compatronus tollatur, ità ut juspatr. quod penes duos erat in solidum, maneat penes unum tantùm, tum etiam, quia per talem cessionem nihil damni, vel incommodi infertur Ecclesiæ, quia juspatron. non transfertur in alium Ecclesiæ ignotum aut suspectum hominem, sed donatur patrono socio, imò sic minùs gravatur Ecclesia, cui magis utile est, unum habere patronum, quàm duos, ità Pirh. sed neque talis, dum juspatr. integrum habet, præsumi potest Ecclesiam magis vexaturus, aliàs si Ecclesiam vexâsset, cùm dimidiatè patronatum haberet, Ecclesia illum in patronatu non conservâsset. Castrop. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Patronus, cui juspatron. competit non nomine proprio, sed Ecclesiæ, illud donare non potest etiam alteri Ecclesiæ sine superioris authoritate, aliísque solennitatibus à jure requisitis ad alienationem rerum Ecclesiæ. Pirh. *n.* 60.

4. Respondeo quartò: Patronus, cui etiam competit juspatron. jure proprio, non potest illud per se & singulariter concedere, seu donare laico, vel etiam Clerico, ut personæ privatæ sine consensu Episcopi, ità ut donatio secùs facta sit invalida. Azor. *loc. cit. q.* 5. Pirh. *num.* 61. citans Abb. *in c. illud h. t. num.* 5. *&c.* undè si donatio fiat filio à vivente parente, adhuc requiretur consensus Episcopi. Corrad. *l.* 4. *c.* 5. *num.* 8. citans Vivian. *l.* 4. *c.* 1. *num.* 32. Barb. &c. Ratio hujus requisiti consensûs ad mutationem patroni est, ut videatur, an expediat Ecclesiæ mutare patronum, & ne fortè concedatur juspatr. tyranno & valdè potenti, qui vexat Ecclesiam, & an fortè interveniat fraus, & non fiat liberalis donatio, sed ficta venditio.

5. Porrò, quòd hîc dicitur, juspatron. non posse regulariter transferri de persona in personam sine consensu Ordinarii, locum non habet, si illud transferatur de una Ecclesia in aliam ex causa illius demolitionis vel profanationis; cùm sufficiat illum consensum intervenisse in primæva illius erectione cum reservatione dicti jurispatr. Corrad. *loc. cit. num.* 18. ubi etiam ait, id procedere, etiamsi dos prioris beneficii applicaretur pro dote alterius beneficii, vel dignitatis aut Canonicatûs in Ecclesia, quia etiamsi illud beneficium extinguatur per unionem vel suppressionem, non tamen extinguitur patronatus, sed is transfertur ad beneficium, cui fit applicatio; cùm de consensu Episcopi concessum habeat perpetuam causam

dura-

durationis, pro quo citat Lott. *l. 2. q. 14. n. 15.* Sed neque locum habet in translationibus jurisp. realis, dum illud transfertur tanquam accessorium, putà, donatione, legato, venditione, infeudatione castri, vel villæ, cui illud annexum est. Argumento *t. ex literis.* Castrop. *cit. p. 4. num. 16.* citans Barb. *de potestate Episc. p. 3. alleg. 71. n. 10.* Suar. *to. 1. de relig. l. 4. c. 28. n. 17.*

Quæstio 63. Qualiter præsumatur, & qualiter, & à quo præstari queat dictus consensus?

1. Respondeo ad primum: dum non apparet dictus consensus, præsumitur ex diuturnitate temporis, nimirum 30 annorum. Corrad. *loc. cit. num.* 11. citans Lamb. qui tamen *num. 12.* ait, hunc consensum præsumptivum non admitti in persona potente, eò quòd ex persona principis præsumatur usurpatio.

2. Respondeo ad secundum: sufficit quòd Episcopus concessionem illam jurispatron. ex post facto suo consensu & authoritate approbet, ita ut licèt ab initio fuerit invalida talis donatio, ex eo tamen tempore, quo accessit consensus iste, de jure subsistat, ac proinde talis actus donationis per ratihabitionem postea supervenientem fit validus, non ex tunc, seu ab initio (quod enim ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, *reg. juris 18. & 29. in ff.*) sed ex nunc. Pirh. *n. 61.* ita ut hic consensus postea ex intervallo præstitus retrotrahatur ad diem translationis, seu donationis jurispatr. Corrad. *l. cit. n. 13.* ubi etiam ex Mantica ait, id procedere etiam in præjudicium alterius donationis medio tempore factæ cum consensu Episcopi, qui sine causa priorem donationem confirmare recusavit; modò tamen primæ donationis confirmatio petita fuerit ab Episcopo, antequam secunda facta fuisset cum ejus consensu; & modò donans, vel donatarius contradictioni Episcopi non consenserit; sed habuerit recursum ad superiorem. Dat quoque hanc rationem hujus sufficientiæ consensûs istius ex post præstiti, Castrop. *loc. cit. num.* 18. quòd nimirùm requiratur tam ad valorem dictarum translationum, quàm ad illarum licitum usum, citat pro hoc Paris. *de resign. l. 8. q. 10. num. 7.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 20. quæst. 5. in fine.* Barb. *cit. alleg. 71. n.* 18. Menoch. *de præsump. l. 6. q. 34. num.* 14. Videtur autem non sufficere consensus tacitus Episcopi, nimirùm scientis & non contradicentis, cùm in actu odioso ex taciturnitate consensus non præsumatur. Pirh. *num. 61.* ubi tamen dicit, contrarium quoque esse probabile, eò quòd ista donatio non sit actus odiosus.

3. Respondeo ad tertium: consensum Vicarii generalis Episcopi ad hoc esse insufficientem, nisi fortè ad hoc speciale mandatum Episcopi habeat. Corrad. *loc. cit. num.* 15. citans Sbroz. *de off. Vicarii, l. 2. q.* 31. Ferret. Rebuff. &c. Proceditque idipsum etiamsi Episcopus absit, habeátque facultatem Episcopi generalem. Azor. *p. 3. l. 3. c. 45. sub initium.* Garcias *p. 5. c. 9. n. 75.* Barb. *de potest. Episc. alleg. 54. num. 75.* Vivian. *l. 4. c. 1. n.* 25. quos citat & sequitur Corrad. Item, etiamsi Vicarius suas literas patentes habuerit cum clausula generali, nempè: *Nec non omnia & quæcunque alia gerendi & exercendi, quæ idemmet Episcopus facere posset, si personaliter interesset.* Corrad. *ibid.* ex Donat. Anton. de Marin. *quotid. resol.* 230. *num.* 8. Ac ita quidem, ut in contrarium non valeat consuetudo nisi quadragenaria, vel immemorialis, cùm sit contra jus; quin nec præsumatur mandatum in Vicario ex lapsu longi temporis, nisi sit enunciatum, Corrad. ex eodem. Vide dicta suprà de requisito consensu Ordinarii ad reservationem seu erectionem primam juris patronatûs.

Quæstio 64. Num patronus donare vel legare possit juspatron. cui ei placuerit?

1. Respondeo primò: si ipse est primus institutor patronatûs, & habet descendentes legitimos,

P. Lauren.-Fori benef. Tom. II.

poterit juspatron. cui filiorum donare vel prælegare, absque eo, quòd alii conqueri possint de inofficiosa donatione, maximè, si Ecclesiam fundâsset aut donâsset ex bonis, de quibus absque filiorum præjudicio disponere poterat. Castrop. *cit. d. 2. p. 4. n. 8.* citans Lamb. *l. 1. p. 3. q. 2. a. 7.* Covar. *l. 2. var. resol. c. 18. n. 9.* Negiòret tamen alteri à filiis relinquere patronatum, si eum acquisivisset ex bonis, de quibus extra filios disponere non poterat; esset enim talis dispositio inofficiosa filiis & retractanda; cúmque talia bona, quibus patronatus acquisitus pertinerent ad filiorum legitimam, & juspatr. ad illam pertinere debet: secùs esset, si acquisivisset patronatum ex bonis, de quibus liberè disponere poterat, Castrop *ib.*

2. Respondeo secundò: si primus patronus ex privilegio assecutus esset juspatr. videndum, quâ formâ concessum; si enim concessum et ejúsque liberis, non poterit extra illos illud transferre; quia tunc filii non à patre, sed à Papa immediatè patronatum acquirunt; secus esset, si concessum fuisset cum potestate transferendi, absque determinatione personæ. Castrop. *ibid.*

3. Respondeo tertiò: si primus institutor patronatum reliquit Petro, ejúsque filiis, nepotibus, &c. successivè, non potest Petrus aut ejus filius aut nepos patronatum transferre, in quem sibi placuerit in præjudicium eorum, qui vocati sunt ab institutore; quia jam ratione institutionis omnes successores habent jus succedendi in patronatu, quo jure privari non possunt ex cujusque voluntate, Castrop. *ibid.* citans Covar. *ubi antè*, & Garc. *p. 5. l. 9. n. 10.* contra Lamb. *p. 2. l. 1. q. 2. art. 8. & 9.* idem tenet Lott. *l. 2. q. 11. n. 6.* dum ait: Translatio patronatûs non potest à successoribus primi institutoris attentari in præjudicium gentilium, si pro gente reservatus est. Videtur nihilominus sentire Lott. posse hoc juspatronatûs semel constitutum pro gentilibus & consanguineis alienari ab ipso institutore, & transferri in extraneos, dum *n.* 10. ait: Gentilitia hæc qualitas semel impressa continuat, quò usque gens ipsa seu familia durat intransmissibiliter, præterquam si transmissio ab ipso fundatore fiat; & *n.* 12. subdit: Etiam durante familiâ, potest alienari juspatr. gentilitium, tenetque translatio in præjudicium alienantis, cùm transit ad hæredes extraneos, quatenus alii non impugnant, contra quos etiam præscribi potest, &c. citátque pro hoc Lamb. *l. 1. p. 2. q. 2. art. 8. n.* 4. idem tenet Rochus *q. 33. v. Ipse, vel ius. n.* 72. apud Garciam; contrarium tamen censet Ipse Garc. *cit. n. 69.* nempe dum fundator reservavit juspatr. sibi, filiis & descendentibus aut consanguineis suis, non posse illud renuntiare seu transferre in alium in præjudicium filiorum & descendentium, probátque à simili de feudo & emphyteusi accepta à patre pro se & filiis, illudque *n.* 20. verum existimat, etiam, ubi patronatum patronus dedisset seu renonciâsset Ecclesiæ, cujus est patronus. Nihilominùs ex eo, quòd filius vivente patre jus nullum aut potestatem habeat in isto jurepatr. putat posse successorem istius jurispatr. gentilitii ad vitam suam eidem renonciare, & transferre in alium, absque filii seu sequentis præjudicio, citátque pro hoc Covar. *cit. c.* 8. *n.* 10.

Quæstio 65. An dum patronus donat juspatr. extraneo, censeatur illi donâsse cumulativè, an privativè?

Respondet Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. num.* 16. censeri illum donâsse solùm cumulativè secum & cum hæredibus propriis, citat pro hoc decis. Rot. 385. *n. 8. p. 1. divers.* Feder. de Senis. *cons.* 147. Abbat. *vol. 2. cons. 54.* Gonz. *ad Reg. 8. §. 2. proœm. n.* 32. qui posterior etiam dicat, fundatorem Ecclesiæ vel beneficii, si patronum nominet extraneum, talem nominationem intelligendam cumulativè cum ipso & hæredibus propriis, nec censeri seipsum & proprios hæredes excludere, ut etiam Anchar. *cons.* 81. *n.* 1. Cald. *cons. 4. de jurepatr.* Illud tamen observandum

ex Lott. *lib.* 1. *q.* 32. *n.* 12. qui pro hoc citat Gemin. *in c. hoc consultissimo. n.* 3. *de rebus Eccl. non alienand. in* 6. juspatronatûs semel unitum in persona unius non posse rursùs discindi in plures, hoc est, constitui plures patronos, cùm ab initio non esset nisi unicus; eò quòd sicut beneficium semel constitutum in libertate non potest redigi in servitutem, ita non possit magis gravari, quàm fuerit gravatum in fundatione, qualiter plùs gravari videtur per accessionem alterius patroni.

Quæstio 66. Qualiter transferatur juspatr. per permutationem?

1. Respondeo primò: posse juspatr. (intellige personale) permutari cum alia re spirituali, putà cum alio jurepatr. aut alio jure similiter etiam spirituali annexo, & non aliter, seu cum re temporali. Bassæ. *tom.* 2. *verbo beneficium.* §. 5. *n.* 6. Castrop. *cit. p.* 4. *n.* 9. Azor. *p* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 7. juxta c. *ad quæstiones. de rerum permutat.* juspatr. reale annexum villæ vel prædio permutari potest cum alia re temporali; factâ nimirùm prædii vel villæ illius permutatione cum alia villa vel bonis, etiam quibus juspatr. nullum annexum est. Castrop. & Azor. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: posse duos patronos diversarum Ecclesiarum, etiam dum sunt patroni ex diversis causis, inter se permutare jura sua patronatûs personalia, non requisito consensu Episcopi, cùm sit mera permutatio rei spiritualis cum re spirituali. Corrad. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 17. ex Lamb. *l.* 1. *p.* 2. *q.* 3. *art.* 2. Etsi cautius sit, dum permutatio fit inter duos laicos de integris & separatis juribus patronatûs diversarum Ecclesiarum non provenientibus ab uno defuncto, ut requiratur dictus consensus, ne sub colore permutationis aliquid aliud, quod fortè simoniam sapiat, interveniat; ac ita superfluum non videtur, ut fraudibus occurratur, si interveniat ad id Ordinarii consensus. Corrad. *ibid.* ex Lamb. *loc. cit. n.* 7.

Quæstio 67. Qualiter transferatur juspatronatus per venditionem?

1. Respondeo primò: juspatr. reale seu annexum castro per se & solitariè vendi aut emi non potest sine simonia, secundùm dicta superiùs, ubi & hujus rei rationem dedimus.

2. Respondeo secundò: potest tamen vendi, aut per venditionem potiùs transferri per accidens & concomitanter, vendendo rem temporalem, in qua est universitas, & cui juspatr. accessoriè est annexum, argumento c. *ex literis.* Lott. *l.* 2. *q.* 9. *n.* 47. Pith *ad h. t. n.* 72. cum communi; tunc enim emptio vel alius contractus gratuitus censetur initus super rebus temporalibus, & non super jurepatr. quod tamen simul transfertur & transit, tanquam accessorium sequens suum principale, cùm sit veluti accidens rebus inhærens: sic namque magis dignum, scilicet juspatr. accidere potest minùs digno, nempè rebus temporalibus, ita ut licèt in se sit dignius, tamen ratione accessionis sit minùs dignum. Pith. *ibid.* citans Abb. *in c. ex literis. n.* 2. nomine autem universitatis rei, cum qua transit juspatr. hoc loco non intelligitur res aliqua particularis, sed quæ continet jura universitatis, ut est pagus, castrum, villa vel fundus, cui jura, ut jurisdictio, servitutes, onera & actiones ad eam pertinentia, annexa sunt. Pith. *n.* 73. citans Abb. *ubi antè.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 2. *q* 8. Porrò, ut dicto modo per venditionem transferatur etiam ad laicum, non requiritur consensus Ordinarii. Pith. *citato n.* 73. Corrad. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 20.

3. Respondeo tertiò: non tamen necessariò transit cum universitate bonorum venditorum, quibus annexum; potest enim etiam hoc contractu venditionis hoc specialiter excipi. Pith. *cit. n.* 72. Lott. *cit. n.* 47. cum communi, nisi fortè primus institutor sic constituisset, & inseparabiliter annexuisset aliquibus bonis, v.g. si fundator capellæ statuisset, ut juspatr. spectaret ad dominum talis palatii vel fundi; tunc enim à tali fundo separari non potest per successores: in quo casu etiam dicitur transire & transferri, cum istiusmodi bonis accessoriè, non tamen cum universitate bonorum; dum nimirùm istiusmodi v.g. domus vel palatium nulla jura universitatis habet. Pith. *n.* 73. de cætero dum id specialiter in venditione bonorum, quibus jura universitatis annexa, non excipitur, præsumitur, quòd partes voluerint illud simul transire. Lott. *loc. cit.* Pith. *n.* 75.

4. Respondeo quartò: non potest tamen castrum ob annexum ei patronatum vendi cariùs, quàm si eo careret, aliàs tacitè venderetur juspa. & committeretur simonia. Pith. *n.* 74. citans Suar. *de Simon. l.* 4. *c.* 28. *n.* 12. Castrop. *cit. p.* 4. *n.* 10. dicens esse communem contra Garc. *p.* 5. c. 9. *n.* 35. & Molin. *de justit. tr.* 3. *d.* 62 *n.* 6. censentes contrarium, eò quòd quò excellentioribus res pollet qualitatibus, evadat æstimabilior & pluris vendibilis. Ad quod si dicas, castrum quidem ob patronatum ei annexum esse dignum majore æstimatione, non tamen æstimatione, quæ pretio comparari possit; cùm patronatus non sit qualitas temporalis, sed spiritualis, respondent, quòd patronatus non sit qualitas purè spiritualis, sed habeat temporalitatem annexam, nempè honorificentiorem locum in Ecclesia, obligationem Ecclesiæ subveniendi patrono egenti, ob quæ pluris æstimandum & vendendum castrum. Verùm hæ qualitates temporales patronatûs annexæ ideò non constituunt castrum pluris vendibile, quia non ipsis his qualitatibus per se, sed juri, ex quo nascuntur, attenditur, nempè patronatui; quod cùm sit invendibile, non reddit castrum, cui annectitur, majori pretio dignum. Ita Castrop. *loc. cit.* Fassus de cætero, non videri sibi illas Garciæ & Molinæ rationes improbabiles.

5. Respondeo quintò: juspatr. personale, venditâ universitate bonorum seu omnibus bonis, non transit in emptorem, si illud non cohæreat universitati bonorum, nec ulli determinatè prædio speciali, sed personæ venditoris. Pith. *n.* 74. citans Suar. *tom.* 1. *de relig. loc. cit. n.* 19. Garc. *p.* 1. *c.* 9 *n.* 13. Znelium *ad h. t. n.* 23. Castrop. *l. c. n.* 11. citans præterea Lamb. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 15. Barb. *p.* 3. *de pot Episc. alleg.* 71. *n.* 33. dum enim non cohæret accessoriè bonis venditis, sed sit jus omninò separatum ab iis, non potest vi venditionis illorum censeri translatum, aut comprehensum in ista venditione. Quin etsi censeatur in ea comprehensum, censeretur transferri tanquam pars universitatis bonorum per se & partialiter vendita. Pith. *cit. n.* 74. Unde etiam venditâ hæreditate, in emptorem non transit juspatr. dum in hæreditate seu bonis hæreditariis nihil est, cui illud annectitur, sed est distinctum ab omnibus bonis seu merum personale; licèt enim juspatronatûs transeat cum universitate bonorum, cui adhæret, non tamen transit cum universitate, in qua rerum particularium seu singularium est una specifica traditio, sicut est, ubi venditur hæreditas; alioquin in specie venderetur juspatronatus. Adde ex Emanuele à Costa *in c. si pater. de testam. in* 6. *v. Trebellianica. num.* 7. quòd hæres, vendendo hæreditatem, non dicitur verè vendere hæreditatem; cùm per venditionem desierit esse hæreditas, & sit effecta proprium patrimonium; sed bona, quæ ante venditionem fuerant hæreditaria: & reverà solùm est venditio universalis, respectu verborum, quæ resolvitur in singularitates; unde venditis istis bonis, non intelligitur vendere juspat. ac ita expressè docent Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit.* citans Lamb. Paul. de Eleazaro. Barbarian. Emanuel à Costa, &c. Etsi contrarium sentire videatur Corrad. *pr. benef. l.* 4. *c.* 5. *n.* 395. Lott. *l.* 2. *q.* 9. *n.* 49. dum ait, transire cum vendita hæreditate, utpotè de qua dubitari nequit, quin in se multa contineat jura. Item Covar. *l.* 2. *variar.* c. 18. *n.* 8. Molin. *de primogen. l.* 1. *cap.* 24. *n.* 15. Abb. *in c. ex literis*, & plurimi alii, quos citat Garc. *loc. cit. n.* 11. & quorum sententiam Lamb. *ibid.* dicit esse communem, eò quòd hæreditas sit quid universum. Similiter dum quis fundum vel palatium suum, non continens ullam universitatem, intra cujus fines sita Ecclesia vel capella, cujus ipse patronus est, vendit, juspatr. nequaquam

quam

quam transit ad emptorem, sive ad Ecclesiam illam pateat aditus per ipsum fundum vel palatium, sive non; quia tale palatium est res particularis, nulla continens jura universitatis, & patronatus ille merè personalis est. Pirh. *n. 73.* citans Fagn. *in c. in literis. n. 19.* ex Abb. *ibid. n. 14.* contra Cort. *loc. cit. n. 40.* Secùs ac contingit in vendito fundo suo, in quo quis habet sepulchrum, ad quod non patet aditus per viam publicam, sed non nisi per ipsum fundum; eo ipso enim vendito illo fundo, transit quoque jus sepulchri ad emptorem; cùm jam vendenti nulli ampliùs usui esse possit sepulchrum, dum ab emptore prohiberi possit, ne per fundum factum jam illius inferatur ullum funus; jure autem patronatûs uti possit patronus præsentando, absque eo, quòd necesse sit ingredi per fundum illum alienum in Ecclesiam. Pirh. *ibid.* juxta *l. si mercedem. ff. de act. Empt.* Aliud quoque est de hæreditate, cum qua transit etiam juspatr. personale hæreditarium; quia licèt non transeat ex vi bonorum relictorum hæredi, transit tamen ex vi juris hæreditarii seu ipsius hæreditatis, quæ est successio in universum jus defuncti, cujus personam hæres repræsentat, non emptor. Pirh. *n. 74.* Unde secùs etiam est, juxta dicta paulò antè de hæreditate tota vendita, quia non jure hæreditatis, sed emptionis succedit emptor in bona ista hæreditatis, cùm succedat in hæreditate materialiter tantùm tali, hoc est, bonis contentis in ea.

6. Respondeo sextò: venditionem universitatis v. g. castri cum expressâ mentione de jurep. in qua v. g. dicitur: *Vendo hoc castrum cum jurepatr.* Vel etiam: *Vendo hoc castrum & juspatr.* Etsi ob particulas illas copulativas *Et* & *cum* videri posset juspatr. non accessoriè, sed per se, ac æquè principaliter vendi, licèt particulariter; probabiliter tamen non esse simoniacam aut vitiosam, neque in foro externo, neque interno, modò absit intentio interior mala, nempè vendendi, tenet Pirh. *n. 75.* citans Azor. *c. 20. q. 8.* contra Corrad. *l. 4. c. 5. n. 4. & seq.* contrarium pluribus probantem: non enim refert, quibus verbis contractus sit conceptus, modò verba sensum habere possint bonum, & à delicto excusantem, etsi in malo quoque sensu continente delictum explicari possint; tunc enim potiùs in sensu bono accipienda sunt, juxta *c. 2. de reg. juris: dubia in meliorem partem interpretanda sunt.* Jam verò dicta verba hunc sensum bonum habere possunt, quòd nimirùm vendat castrum absque reservatione seu exceptione jurispatr. ejusdémque à re vendita separatione. Pirh. *ibid.* citans Nav. *l. 5. consil 6. n. 7. de haret.* Idem tenet Lotr. *cit. q. 9. n. 62.* ubi ait, tametsi ex natura actûs juspatr. veniat in hujusmodi venditione, nihilominùs hoc non procedere, ubi id exprimitur, quia tunc videtur illi aliquod pretium statutum, adeóque contractus simoniacus, præterquam si expressio fiat declarativa, v. g. *Vendo villam cum omnibus juribus suis*, videl. jurisdictione, jurepatronatûs, & non conjunctivè & principaliter, citans pro hac distinctione Gemin. *in c. 1. de jurepatr.* Calderin. Roch. Lamb.

7. Respondeo septimò: ubi agitur de venditione aut alia dispositione de juribus universis, verificanda est proprietas jurispatr. in transferente, & si agitur de castro, supponendum, quòd annexio jurispatr. ad castrum sit clara; aliàs enim non datur hujusmodi transitus per venditionem similémve dispositionem. Lotr. *l. 1. q. 9. n. 53. & 54.* ex Mantic. *decis. 164. n. 2.* Porrò deprehenditur, an juspatr. fuerit reservatum castro vel dignitati, aut econtrà singulari personæ Domini Castri, seu obtinentis talem dignitatem, ex formula ipsius dispositionis, an videlicet personæ vel potiùs dignitati facta sit concessio. Lotr. *n. 56.* ex eodem Mantic. *decis. 150. n. 5.* ubi etiam, quòd censeatur facta adhuc personæ, etiamsi post nomen proprium adjectum nomen dignitatis, cùm illa adjectio censeatur potiùs facta demonstrationis gratiâ: quod idem est in dubio; cùm istiusmodi concessiones fieri consueverint propter merita, quæ ratio non cadit in castro vel dignitate. Lotr. *n. 57.* De cætero ubi non constat de simili titulo dominii, ad alias conjecturas & præsumptiones recurrendum; ut si supposito patronatu, Ecclesia sita sit intra mœnia arcis vel castri, præsumitur juspatr. annexum ipsi castro, præcipuè concurrente observantiâ, quia præsentationes factæ ab eo, tanquam qui pro tempore fuit Dominus castri. Lotr. *n. 58.*

Quæstio 68. Quid si ergo contra juris prohibitionem vendas juspatr. eritne venditio valida?

Respondeo: validam esse censet Suar. *cit. l. 4. de Simon. c. 57. n. 13.* ideo, quòd nullibi irritetur ipso jure; ex eo enim, quòd in Trid. *sess. 25. c. 9.* dicatur, *nullus juspatr. transferre in alium contra canonicas sanctiones præsumat. alioquin ipso jurepatronatu privatus existit*, non infertur, translationem esse nullam, sed esse annullandam: probabilius tamen esse invalidam, & non posse emptorem patronatum retinere, sed manere illum penes vendentem usque ad sententiam declaratoriam criminis, censet Castrop. *cit. p. 4. n. 12.* citans pro hac Gato. *p. 5. c. 9. n. 9.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 20. q. 8.* eò quòd patronatus in neminem transferri possit, in quem Ecclesia non consenserit; Ecclesia autem translationem simoniacam reprobat, easque omnes translationes irritat. *c. quamvis. de pactis. c. præterea de transactionibus.* Idem cum Castrop. tenet Corrad. *cit. c. 5. n. 46.* nisi quòd dicat, venditorem hoc ipso esse privatum patronatu, & Ecclesiam effici liberam. Porrò licèt venditio talis censeretur simoniaca & nulla respectu ipsius jurispatr. deducti principaliter in venditione; valere tamen adhuc venditionem, respectu saltem universitatis & aliorum in ea contentorum, & expressionem jurisp. rejici, ac si adjectum non fuisset, quemadmodum plura sæpè venduntur, & in uno eorum venditio non tenet; tenet tamen in aliis. Et quemadmodum, dum conditio apponitur in erectione beneficii jure reprobata & rejecta per Episcopum, tamen valida manet fundatio beneficii; id, inquam, docet Lamb. *p. 2. l. 1. art. 21. n. 1.* apud Corrad. *loc. cit.*

PARAGRAPHUS IV.

De subjecto jurispatr. & de iis, qui præsentare possunt.

Quæstio 69. An Pagano & Judæo ædificanti v.g. Ecclesiam, vel ementi castrum, cui juspatr. annexum est, competere possit juspatronatus?

Respondeo negativè: cum hoc hoc jus nullus obtinere possit, nisi ab Ecclesia fuerit concessum; at Ecclesia solis fidelibus id concessit, ut constat ex *c. quicunque. 16. q. 7. c. pia mentis. eâdem causâ & q.* Castrop. *cit. p. 4. n. 19.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 7.*

Quæstio 70. Num hæreticus sit capax jurispatr.

Respondeo: ob hoc crimen reddi aliquem hujus juris incapacem, etiamsi fuerit fundator Ecclesiæ. Lotr. *l. 2. q. 14. n. 18.* de hoc plura inferiùs, ubi de amissione jurispat.

Quæstio 71. Num juspatr. competere possit infanti & pupillo?

1. Respondeo affirmativè; sunt enim capaces legati & hæreditatis: ergo & patronatûs hæreditati annexi. Azor. *loc. cit. c. 2. q. 14.* Abb. *in c. de jurep. n. 5.* Feder. de Senis, &c. quos citat & sequitur Castrop. *n. 2.* Etsi enim infans ob defectum rationis præsentare nequeat, habere tamen potest tutorem, qui id nomine illius faciat; nequaquam autem procurator vel tutor patronatum obtinet. Castrop. *n. 21.* quin & pupillus septennio major ipse præsentare potest, etsi secùs sit de electione competente jure collegii. *c. ex eo*, ubi etiam in præsentatione competenti jure collegii, & non jure

proprio & singulari. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 186. *&* 189. citans alios, ac dicens esse sententiam communem contra Jo. Nicol. Delphin *l.* 2. *de jurepat. q.* 10. *n.* 182. negantem, pupillum posse præsentare ex eo, quòd careat discretione, non possit habere discretionem præsentandi idoneam, nisi fortè malitia superaret ætatem. In quod etiam inclinare videtur Coras. *p.* 4. *cap. ult. n.* 17. dicens, sententiam communem propter lubricitatem ætatis pupilli sibi videri dubitabiliorem. Idque etiam absque tutoris vel curatoris authoritate: quia nullibi cavetur hanc authoritatem in hac nominatione requiri, sicut neque requiritur in contrahendis sponsalibus. Azor. *loc. cit.* Castrop. *n.* 20. Garc. *loc. cit. n.* 196. citans Pavinum *de potestate capit. sede vac. p.* 2. *q.* 5. *n.* 5. Rebuff. *de nominatione. q.* 17. *n.* 51. Roch. *v. competens q.* 4. *n.* 13. *&c.* Qui tamen omnes dicunt, quòd expediat, sitque honestum, ut pupillus præsentet tutore auctore. Sed neque tutorem ullo modo præsentare posse, nisi de voluntate & consensu (saltem tacito, v. g. quia sciens tutorem præsentâsse, non contradixisset, nec præsentâsset alium intra tempus datum ad præsentandum. Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 4. *n.* 17. Mohed. Abb. & alii apud Garc. *n.* 192. déque tali scientia pupilli intra tempus datum ad præsentandum constare deberet Episcopo) ipsius pupilli septennio majoris, habentis usum rationis, gl. *in c. ex eo. de elect. v. suffragium.* Azor. Roch. Rebuf. Pavin. apud Castrop. *n.* 21. & Garc. *n.* 191. dicit, esse communiorem. Nihilominùs contrarium sibi videri ait Castrop. eò quòd tutor propriè detur ad regendam personam pupilli, adeòque & ratione hujus personalis regiminis præsentare poterit. Idem tenet Pith. *n.* 18. & Garc. *n.* 194. dum ait, tutorem posse absolutè præsentare, valeréque ejus præsentationem; addunt tamen, nisi pupillus rationis discretione præditus contradicat, vel ante institutionem alium præsentet: in quo casu præferendam præsentationem factam à pupillo, eò quòd ipse sit Dominus istius jurispatr. etiamsi præsentâsset minùs dignum præ alio, quem præsentavit tutor, tenent Pith. *loc. cit.* Roch. Rebuff. Pavin. aliique citati suprà à Garc. *n.* 196. vel saltem æquè dignum, ut alii apud Garc. *n.* 187.

5. De curatore tamen censet Castrop. *loc. cit.* & Garc. *n.* 196. eum præsentare non posse, eò quòd is, cùm principaliter datus sit pro administratione bonorum minoris, & non personæ, patronatum competentem minori & ejus bonis non annexum administrare non possit, neque ad beneficia virtute illius præsentare.

Quæstio 72. Quid hac in parte dicendum de impubere, minore, filio familias?

1. Respondeo primò: & hos capaces esse jurispatronatûs, posséque per se ipsos præsentare, dum septennio majores sunt. Sequitur à ponore ex respons. ad *quæst. præc.*

2. Respondeo secundò: etsi æquum sit, ut tales impuberes non præsentent absque tutorum authoritate, eò quòd hi dentur ad actiones personarum impuberum regendos, si tamen impubes septennio major præsentavit sine tutoris authoritate, valet præsentatio ab illo facta jure proprio & singulari. Pith. *n.* 18. juxta dicta *quæst. præc. de pupillo.*

3. Respondeo tertiò: potest quoque pater præsentare ad beneficia jurispatr. competentis filio, quamdiu hic impubes & sub ejus potestate est, quia toto eo tempore personæ filii administrationem habet. Castrop. *loc. cit. n.* 22.

4 Respondeo quartò: ita ad puberem etsi minorem 25. annis spectat præsentatio, ut neque tutor, neque pater illius, vi jurispatr. competentis filio validè præsentare possit. Castrop. *cit. n* 22. Garc. *n.* 195. *&* 299. contra Baëzam & Gutier. quorum sententiam falsam esse, & non nisi in curatore furiosi procedere, asserit Garc. Siquidem in talibus ut publici juris, neque curatoris potestas, neque minor ætas attenditur. Garc. *n* 196. ex Anchar. *cons.* 355. & Butrio *cons.* 30. cessatque post pubertatem filii administratio, & solùm in ejus bonis conceditur: quoad spiritualia autem & dependentia ab iisdem pertinentibus ad filium patria potestas se non extendit. & pater nullo modo se intromittit, & nihil juris habet, & administratio residet penes filium. Garc. *n.* 197. ex Navar. Castrop. *loc. cit.* Sed neque pater præsentare potest pro filio tanquam pater & conjuncta persona, etiam cum cautione de rato; tum quia ad præsentandum requiritur speciale mandatum, ut Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 4. *art.* 17. *n.* 4. & DD. *in c. fin. de concess. preb.* tum quia in causa spirituali, qualis est hæc, pater vel alia persona conjuncta non admittitur sine mandato, etiam cum cautione, ut Lamb. *loc. cit.* Abbas *in c. nonnulli. de rescript. n.* 2. nisi ratificatio fieret intra tempus datum ad præsentandam, ut Roch. Pith. *cit. n.* 18. Garc. *à n.* 201. ita ut non sufficeret, quòd intra dictum tempus non fiat præsentatio alia, aut contradictio patroni, nisi constet intra dictum tempus de scientia illius; & hoc, quando pater præsentavit, qui aliàs est legitimus administrator filii. Garc. *n.* 205. Nihilominùs si patronatus competat filio ob bona adventitia, quorum pater habet usumfructum, posse præsentare patrem, & non posse præsentare filium, tenet Castrop. *loc. cit. n.* 22.

Quæstio 73. An & qualiter patronatus competens uxori, & hinc potestas præsentandi transeat in maritum, seu participetur ab eo?

1. Respondeo primò: supponendo tanquam certum, etiam fœminas esse capaces jurispatronatûs. *c. ult. de concess. preb.* Abb. *in c.* 1. *n.* 3. *&* c 25. *h. t.* Azor. *loc. cit. c.* 21. *q.* 10. cum communi. Acquirit enim sibi hoc jus, si quis ædificaverit, &c. Ecclesiam; at verbo *si quis* etiam comprehenditur *si qua*, & masculinum continet fœmininum. gloss. *in c. general. de elect. in* 6. *v. universos*, nisi subjecta materia aliud suadeat, sic juspatronatûs hæreditarium etiam transit in fœminas; item relictum consanguineis. Garc. *cit. c.* 9. *n.* 145. *&* 144. ita etiam succedit fœmina in jurepatronatûs per modum majoratûs instituto, ita ut ad unum duntaxat deveniat, nempè primogenitum seu proximiorem, nisi fœmina expressè sit exclusa. Garc. *n.* 145. ex Covar. *pract. qq. c.* 38. *n.* 13. Mol. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 26.

2. Respondeo secundò: Si patronatus uxoris sit personalis, & bonis ejus non annexus, jura illius non communicantur marito, quia sunt propria uxoris, & ad onera matrimonii præstanda non conducunt. Castrop. *loc. cit. n* 27. cum communi.

3. Respondeo tertiò: neque jura patronatûs competentis uxori ob bona propria ac paraphernalia, v. g. per majoratum acquisita, aut ab ea tanquam hærede vel consanguinea fundantis habita per successionem, dum ea marito data non sunt in dotem, communicantur marito, ac proinde vi talis patronatûs non potest præsentare, subsidium in necessitate ab Ecclesia exigere, aut ullatenùs se intromittere, nisi fortè uxor ex urbanitate patiatur maritum simul præsentare. Castrop. *ibidem.* Pith. *num.* 17. Laym. *Th. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *q.* 7. *n.* 18. Garc. *n.* 185. citans Molin. *de primogenit. l.* 1. *c.* 24. *n.* 32. Gutt. *p.* 3. *de tutel. c.* 29. *n* 4. contra Lamb. *ibidem* apud Garciam æquiparantem in eo casu maritum tutori.

4. Quartò: dum patronatus est annexus bonis uxoris ab ea marito datis in dotem, jus patronatûs & præsentare durante matrimonio spectat ad solum maritum; quia cùm non solùm fructus sed etiam dominium rerum dotalium, saltem civile & jurisfictione, transeat, & sit penes maritum, juxta *l. Doce de rei vend* & *l. cum dotem. c. de jure dotium.* citatas à Pith. & juxta doctrinam glossæ communiter receptæ *in l. in rebus. c. eod v. naturali*, quam sequitur Bartol. *n.* 3. & Bald *n.* 6. apud Castrop. *n.* 28. (quod idem fusè disputatum vide apud Garc. *à n.* 147.) non solùm fructus, qui commoditatem pretii æstimabilem ad onera matrimonii sustinenda præstant, sed & alii omnes ad eum pertinere debent, cùm de jure civili maritus absolutè censeatur dominus in ordine ad omnes effectus, præterquam in jure exceptos, inter quos non est juspatronatus: atque ita juspatronatus

tronatus non per se, sed accessoriè cum dominio sive vero & naturali, sive civili tantùm, cumq; universitate rerum dotalium ac jorium transit in maritum; Unde jam verum non est, quod tradit Lamb. *p. 3. l. 2 q. 6. art. 3. n. 8.* incohærenter ad ea, quæ tradiderat *p. 2. l. 1. q. 10. art. 2.* juspatronatûs in maritum transire cum universitate in dotem data: nimirùm posse etiam uxorem præsentare, ac locum esse præventioni inter virum ac uxorem, & uno præsentante, alium non posse illum impedire, etiam in variatione; in dubio tamen prævalere præsentationem uxoris, ita docent Laym. *loc. cit.* Pirh. *cit. n.* 17. Zoësius *h. tit. n. 36.* Garc. *n.* 177. citans Gutt. *ubi antè n. 3.* Rebuff. *de nominat. q. 17. n. 56.* Roch. *v. ipse vilus. q. 28.* Tiraq. *post leges connub. gl. ult. n. 9.* item Molin. *de primog. l. 1. c. 24. n. 3.* contra Abb. *in l. fin. de concess. præb. n. 8.* Bur. Imol. *ibidem.* Felin. *in c. cùm olim. de major.* & Abba. *n. 2.* Azor. *p. 2. l 6. c.* 21. *q.* 16. & alios apud Garciam & Baëzam *de decima tutorum c. 23. n. 30.* contrario nixos fundamento: nimirùm quòd maritus non sit Dominus dotis, sed uxor, juxta *l. in communibus. c. de jure dotium.* Et esto, Dominus sit & administrator bonorum dotalium, & ipsi debeantur eorum fructus & commoditas, id tamen intelligendum de iis tantùm commoditatibus, quæ ad onera matrimonii sustinenda conferre possunt; ad hunc enim finem confertur dos; jura autem patronatûs ad id servire nequeunt. Mediam viam ingreditur Castrop. *n.* 29. ex Covar. *pract. qq. c.* 28. *per totum;* dum ait, si bona in dotem dentur æstimata æstimatione, quæ facit emptionem (quando autem hoc contingat, vide apud Covar. *ibidem*) marito, non uxori competit patronatus & præsentare; quia eorum bonorum maritus fit Dominus, neque tenetur soluto matrimonio ea reddere, sed tantùm eorum æstimationem; si autem bona data sic æstimata non sint, probabiliùs maritum illorum non habere dominium, neque jura patronatûs, sed solùm habet istorum bonorum administrationem pro matrimonii oneribus sustinendis, adeóque non patronatum.

Quæstio 74. Num illegitimo & maximè spurio, aut etiam irregulari competere possit juspatronatûs, & præsentare?

Respondeo affirmativè: Azor. *cit. cap. 21. qu. 25.* Roch. *v. competens q.* 2. Castrop. *n.* 24. Pirh. *n.* 19. possunt enim tales fundare, dotare Ecclesiam; at cuilibet fundanti Ecclesiam absque ulla exceptione conceditur patronatus. *c. pia mentis. c. quicunque. c. 6. q. 7.* Item potest castrum, cui annexus patronatus, emere, vel donatione aut legato accipere. Nec obstat, tales esse incapaces beneficii & pensionis Ecclesiasticæ, quia hæc requirunt ordinem, & solùm Clerico communicantur; patronatus autem etiam laico competit. Neque obstat, inhabiles esse ad officia publica, quia jurispatronatûs exercitium non est officium publicum, sed privatum, ut Azor. *loc. cit. q.* 17. neque semper exercendum, sed cùm beneficium vacat. Castrop. *cit. n.* 24.

Quæstio 75. An & qualiter excommunicatus sit capax jurispatronatûs & præsentandi?

1. Respondeo primò: etsi excommunicatus excommunicatione majore non amittat juspatronatûs ante excommunicationem habitum; ejus tamen uso & exercitio privatur, donec fuerit absolutus. Pirh. *n.* 21. ex Azor. *cit. c. 21. q. 9.*

2. Respondeo secundò: potest etiam Episcopus consentire ut excommunicatus toleratus, & non vitandus, ædificando Ecclesiam acquirat juspatronatûs; etsi exercitium illius non habebit ante absolutionem. Pirh. *ibidem.* citans Jo. And. *in c. nobis. h. t. n. 3.*

3. Respondeo tertiò: prælatus excommunicatus ædificans vel dotans Ecclesiam indubitatè juspatronatûs acquirit Ecclesiæ vel monasterio. Pirh. *ibidem.*

4. Respondeo quartò: patronus excommunicatus, sive laicus, sive Ecclesiasticus, sive vitandus, sive non vitandus, licitè præsentare non potest, juxta Pirh. *ibidem.* Barb. *juris Eccle. l. 3. c. 12. num. 162.* citans Garc. *p. 5. c. 4. n. 307.* ubi tamen is de hoc nihil; eò quòd ei in hoc nullus factus favor, per *extrav. ad evitanda*; de cætero autem excommunicato prohibitum sit omne exercitium & usus juris Ecclesiastici.

5. Respondeo quintò: excommunicatus vitandus ne quidem validè præsentare potest, ita ut institutio ab Episcopo facta ad præsentationem talis patroni sit irrita. Pirh. citans Covar. *in c. alma.* Barb. verò *loc. cit.* abstrahens à vitando & non vitando, admittit, patronum laicum excommunicatum posse præsentare validè, non verò Ecclesiasticum, citátque pro hoc Sayr. *de cens. l. 2. c. 6. n. 7.* contra Suarez, *loco paulò pòst citando. n.* 31. sic patronum laicum excommunicatum publicum, modò denunciatus non sit, præsentare validè docet Garc. *p. 5. c. 4. n.* 317. citans Zoësium *de jurepatronatûs v. competens. q. 8. num.* 22. Rebuff. *tit. de excom. non vitand.* Gomes. *de expect. nu.* 60. Zerol. *in princ. p. 1. v. beneficia §. 1.* Sayr. *de censu. l. 2. c. 6. n. 8. &c.* contra Lamb. *p. 1. l. 2. q. 2. art. 1. & 3. n. 9.* Covar. Chock. &c. hoc nixos fundamento, quòd præsentatus incurrat excommunicationem communicando cum patrono excommunicato, quod falsum est, quia non est necessaria talis communicatio in præsentatione; insuper absolvi potest ante institutionem, nec communicando cum excommunicato incurritur excommunicatio, nisi is sit denunciatus, vel etiam notorius Clerici percussor. Gar. *n.* 318. verumtamen, ut subdit Garc. *n.* 319. potest Episcopus non admittere præsentationem à tali laico factam, cùm is malè faciat præsentando, licèt non sit denunciatus, & si aliàs intra tempus datum non præsentaret legitimè, daretur devolutio, ut Suar. *to. 5. de cens. D. 14. §. 2. n. 8.* factâ tamen semel scienter, sive etiam ignoranter admissâ tali præsentatione, tenetur præsentatum admittere; cùm præsentatio patroni laici excommunicati publici sit valida, adeóque ex ea jus aliquod quæsitum præsentato: quòd verò docet Garc. *loc. cit. n.* 316. contra Suar. *l. c. n.* 31. invalidam esse præsentationem factam à patrono Ecclesiastico excommunicato etiam occulto, dum is jure singulari & ratione officii privati præsentat, non subsistit ex dicendis de collatione, quæ vide.

6. Respondeo sextò: excommunicatus non vitandus seu toleratus, etsi obligare non possit Episcopum ad acceptandam præsentationem à se factam, (cùm, quamvis communicare cum tali excommunicato liceat, nemo tamen ad id obligetur, acceptatio autem præsentationis sit quædam communicatio cum patrono excommunicato) potest tamen Episcopus eam admittere validè & licitè, quia non tenetur vitare talem excommunicatum. Pirh. *ibidem* citans Suar. *d. 14. de cens. s. 2. n.* 30.

7. Respondeo septimò: denique excommunicato, etiam vitando, non currit tempus ad præsentandum præscriptum, si is non sit in mora petendæ absolutionis, quia tunc censetur legitimè impeditus; secùs, si excommunicatus sit in mora legitimè præsentandi, quatenus est in mora tollendi hoc impedimentum per petitionem & obtentionem absolutionis; tunc enim Episcopus, evoluto tempore dato ad præsentandum, liberè potest conferre tale beneficium. Pirh. *n.* 22. citans Zoësium *t. 2. n 58.* Portò ait Pirh. *cit. n.* 21. *in fine*, præsentationem in jure æquivalere electioni, ita ut quæ de hoc statuta sunt, plerumque etiam locum habeant in præsentatione, secundùm Glosl. *in c. ultim. de elect. in 6. v. electione.* Vide proinde desuper dicta quoad excommunicatos, aliâve censurâ Ecclesiasticâ irretitos.

Quæstio 76. An possessor jurispatronatus, cui verè dominium illius non competit, obtineat jura patronatus, etiam post contestatam litem, intellige motam super ipsum juspatronatus, seu proprietatem jurispatronatus, & non super possessionem?

1. Respondeo ad primum affirmativè; dum est possessor bonæ fidei (qualis erit, dum probabilibus fundamentis credit patronatum sibi deberi. Castrop. *n.* 25. Azot. *cit. q.* 17. ex Abb. *in c. consultationibus, h. t.*) secus si malæ fidei; ita expressè *cit. c. consult.* Gonz. *ad reg. mens. gl.* 25. *n.* 6. cum communi, fructus enim rei debentur possessori bonæ fidei, *c. gravis, de rest. spoliat.* fructus autem jurispatronatûs sunt præsentare clericum, honorificum locum tenere, &c. Et procedit id à fortiori, si dicatur cum Abb. Gonz. Azor. *ll. cit.* præsentationem non esse tam fructum naturalem, quàm industrialem, ex eo, quòd patronus industriam apponere debeat, ut persona idonea nominetur, & intra tempus sibi concessum: cùm fructus industrialis in omnium sententia debeantur possessori bonæ fidei, Castrop. *ibidem* ex Covar. *v. resol. l. c.* 10. *n.* 16. Unde jam præsentatus à tali, si aliud nihil obstet, est instituendus, & est præsentatio valida, & nullatenus annullanda, etiam postquam constiterit, juspatronatûs spectare ad alium, etiamsi dicatur, præsentare esse fructum naturalem; nam possessor bonæ fidei non tenetur fructus naturales bonâ fide consumptos restituere, nisi ex illis factus sit ditior; factâ autem præsentatione jam ille fructus jurispatronatûs consumitur, neque patronus factus est ea illo ditior. Castrop. *loc. cit.* citans Abb. *in c. consultationibus, in fine.* Laym. *ad c. querelam, de elect. n.* 3. Conrad. *l.* 1 *c.* 6. *n* 360.

2. Respondeo ad secundum negativè Gl. *in c. Cùm venissent, de integ restit.* cui consentire videtur Laym. *loc. cit.* eò quòd, licèt possessori fidei debeantur fructus rei post litem contestatam, seu lite pendente, quousque ea definiatur, ipse tamen eos accipiat sub obligatione restituendi vero Domino, si causâ cadat. Jam verò hanc obligationem subire nequeat possessor jurispatronatûs; cùm factâ præsentatione, & institutione secutâ, hæc revocari nequeat; & licèt præsentatio revocari possit non secutâ institutione, cùm tamen præsentatio ordinetur ad institutionem, illâ lite pendente inutiliter fieret, si lite pendente institui nequit præsentatus. Contrarium tamen tenet Castrop. *loc. cit.* Abb. *in c. Ex literis, h. t. n.* 7. & 8. Azor. *loc. cit. q.* 18. eò quòd, dum possessor jurispatronatûs factâ præsentatione cadit causa, possit adhuc facere restitutionem, habendo cassam præsentationem à se factam, quæ non propterea fit inutilier; quòd autem non sequatur institutio, sed sufficiat eam sequi lite finitâ; quin &, cùm sequi possit lite adhuc pendente, institutio, esto, hæc fit irrevocabilis; id enim favore Ecclesiæ conceditur, ne ob litium longitudinem vacet diutiùs; insuper hujusmodi fructus, cùm non consistat in commodo pecuniario, esto, possessor bonæ fidei alios fructus restituere teneatur, non videatur ad hujus fructus restitutionem obligari.

Quæstio 77. *An, & qualiter jus præsentandi ad prælaturas Ecclesiarum conventualium aut collegiatarum haberi possit per laicos?*

Respondeo: id nequaquam iis competere, de quo dictum satis supra, nisi fortè de speciali privilegio Papæ, quâ ratione id competit regibus Hispaniarum, Laym. *ad c. nullus, de elect. n.* 14. & videre est in Concilio Tolet. 12. *c.* 6. item regibus Galliæ concessa potestas Episcopos, aliosque Prælatos nominandi & præsentandi summo Pontifici, ut videre est in Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 11. *in Epistola ipsius Leonis*, cujus initium *primitiva*. Item regibus Poloniæ, de quo Laym. *ad c. si Archiepiscopus, de temp. ordin.*

* * *

PARAGRAPHUS V.

Qualiter juspatronatûs probari debeat, & de eo constare, ut quis admittatur ad præsentandum.

Quæstio 78. *Quotuplex sit probatio jurispatronatûs in genere, hoc est, tam ex privilegio, quam ex jure communi habiti?*

Respondeo duplex: una vera seu irrefragabilis, quando exhibetur publicum instrumentum, sive privilegii, sive fundationis. Altera præsumpta, & nihilominùs legitima, quæ affertur ex immemoriali quasi possessione & præscriptione; cùm minor non sit virtus præscriptionis in noscendo dominio, quàm traditionis procedentis à vero Domino, juxta *l. traditionis C. de pactis.* Lott. *l.* 2. *q.* 7. *n.* 27. & *seq.* citans Feder. de Senis *cons.* 234. *n.* 1. Paul. de Citad. *tr. de jurep.* 3. *p. causa* 5. *n.* 1. & 26.

Quæstio 79. *Quot modis probetur, & probandum sit jure novo Tridentini Juspatronatûs quò ad proprietatem; de quasi possessione enim quæretur postmodum, &c.*

1. Respondeo: Juspatronatûs privatorum, in quibus regulariter non præsumitur usurpatio, probandum tribus modis; nimirùm vel ostendendo titulum ea fundatione, vel dotatione per authentica documenta, & alia à jure requisita; vel per multiplicatas longissimo temporis cursu, quæ hominum memoriam excedat, præsentationes, vel aliàs secundùm juris dispositionem.

2. Jus verò patronatûs in iis personis, in quibus id jus plerùmque ex usurpatione potiùs quæsitum præsumi solet, quales sunt personæ potentes, communitates, vel universitates, pleniorem & exactiorem ad docendum verum titulum requirit probationem, nec immemorialis temporis probatio aliter ei suffragatur, quàm si præter reliqua ad eam commonis præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem, quàm 50 annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur, ita expressè decernit Trid. *sess.* 25. *c.* 9. ex quibus vides concilium quò ad modum & formam probandi juspatronatûs privatorum nihil innovâsse, ideòque procedittur cum regulis generalibus juris communis; quibus attentis, ubi constat de explicito titulo fundationis, vel dotationis, vel de alio privilegii seu mixto, nulla cadit quæstio circa probationem, uti & tunc quò ad potentes nihil innovatum est, Card. de Luca *in sum. jurisp. n.* 50. Ceterò autem concilium respectu potentium jurisdispositionem alterâsse, novámque formam rigorosam induxisse in eorum jure patronatûs, quod ea sola diuturna possessione seu præscriptione acquisitum prætenditur, ob malam usurpationis præsumptionem, C. de Luca, *ibid. n.* 57. Porrò an, dum personæ potentes se non astringunt ad titulum resultantem à sola diuturna possessione, sed allegant, & probare volunt titulum explicitum fundationis vel dotationis, sufficiat probatio hujus tituli per testes, vel alias probationis species, diversæ sunt opiniones, ut Card. de Luca *loc. cit. n.* 69. quarum utramque ait recipiendam respectivè pro qualitate facti, prout nimirum militat, vel excluditur illa suspicio, ob quam in potentibus hæc rigorosa forma inducta, idque pro judicis vel superioris prudenti arbitrio; unde jam in specie sit

Quæstio 80. *Qualiter probetur jus patronatûs privatorum per authenticum documentum*

cumentum, & alia à jure requisita; seu quid veniat hîc nomine authentici documenti?

1. Respondeo: tametsi *documentum* nomen sit genericum, comprehendens tam scripturas authenticas, & publicas trium vel duorum testium subscriptione vel præsentia confectas per manum publicam, quæ veniant nomine instrumenti, quàm probationes quasvis alias, quibus de veritate docemur, v. gr. quæ fiunt per testes, etiam deponentes de tenore & amissione scripturæ: In præsenti tamen *τò documentum* arctari ad scripturam, & usurpatum à Tridentino pro instrumento, ne aliàs reliqua verba sequentia in dicto concilii decreto sint superflua, ut quid enim (si comprehenderentur aliæ probationes) subjungere necesse erat: *Sive etiam ex multiplicatis præsentationibus, aliisque secundùm juris dispositionem.* Castrop *cit. d. 2. p. 3. n. 3.* citans Leon. *in thes. for. Eccl. c. 21. n. 2.* Barb. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 22.* Gonz. *gl. 18. n. 32.* In præsenti autem scriptura authentica erit Bulla Episcopi, seu consensus illius, in scripto concessus ad fundandam vel dotandam Ecclesiam, Castrop. *ibid. n. 2.* citans Barb. *ubi antè n. 24.* Ricc. *in pr. for. eccl. resol. 125.* Quòd si non originalis ipsa Bulla, sed solùm illius exemplar & transumptum ostendatur, ut fidem faciat, debet habere à jure requisita in ejus confectione, extractione, compullatione, juxta *cap. Cùm p. Tabellio, de fide instrum.* (de quibus optimè Covarr. *pract. qq. c. 21.* & Menoch. *de arb. casu 87.*) nimirum ut sit extractum auctoritate judicis, & cum citatione illorum, quorum interest, & insuper originale, nisi antiquissimum sit, recognoscendum, si de ejus fide dubitetur. Castrop. *ibidem*, citans Gonz. *ubi antè à n. 40.*

2. Porrò dum dicta explicita & vera probatio haberi nequit, recurrendum ad præsumptivam seu adminiculativam. Inter quas prima est immemorialis vel centenaria (quæ immemoriali in hoc æquipollet) benè probata, absque eo, quòd constet de initio, infecto, incompatibili; planum est enim eam sufficientem esse, etiam fundationis & dotationis; cùm vi illius optimus & validior titulus allegari valeat. Nisi tamen hæc præsumptio à contraria probatione, vel fortiori præsumptione elidatur; quia nempè qualitas personæ dictam præsumptam probabilitatem excludit, v. gr. quòd jus præsentandi Rectorem hospitalis esse consuevit panes pauperes ibi existentes; cùm præsumi nequeat, eos fundâsse hospitale aut dotâsse. Card. Luca *in sum. jurisp. 51.*

Quæstio 81. Qualiter juspatronatus privatorum ex fundatione vel dotatione probetur ex præsentationibus multiplicatis per antiquissimum temporis cursum; ubi maximè petitur, quot præsentationes requirantur, & qualiter earum immemoriale probetur?

1. Respondeo ad primum: ad hoc requiri ad minùs præsentationes tres; eò quòd dictio *multiplex* in sua propriore significatione non videatur pauciore numero contenta; cùm multiplicari non dicatur illud, quod semel tantùm repetitum est. Et esto, præsentatio bis facta sufficiat, ut dici possit præsentationem multiplicatam esse, non tamen adhuc dici posset multiplicata cum ea quantitate, quam requirit Concilium; nimirùm ut multiplicata sit per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, (quale ad minimum est tempus centenarium, ut Menoch. *de arb. casu 3.* Farinacius *p. 1. prax. crimin. q. 47. n. 112.* Barb. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 35. &c.* apud Castrop. *l. c. num. 4.* nam qui sexagenarium volunt sufficere, intelligendi sunt de depositione testium) intra quod vix contingere potest, quòd præsentatio semel tantùm repetita memoriam hominum excedat: ita tenet Castrop. *loc. cit. contra* Barb. *loc. cit. n. 31.* Riccium *in pr. resol. 127. &c.* sentientes sufficere præsentationes duas, eò quòd pluralis locutio *de reg. juris in 6.* & dictio *multiplex* in duobus verificari possit, præsertim in materia odiosa, & juris communis restrictiva, qualis hæc est.

2. Respondeo ad secundum: licèt per scripturas directè non probetur harum præsentationum immemoriale (cùm scriptura non probet memoriam non esse in contrarium) probari tamen indirectè, si probetur per 100, & plures annos fuisse præsentationes continuatas; cùm sic tacitè innuatur, nihil esse contrarium, Castrop. *n. 5.* juxta Rotam.

3. Probatur etiam per testes, si sint ad minimum quadragenarii & deponant, se toto illo tempore vidisse præsentationes continuatas esse, & insuper addant, se ita audivisse antecedenter factitatum, Castrop. *ibid.* citans Mol. *l. 2. de primogen. c. 6. n. 40.* Necesse tamen est, ut deponant, præsentationes continuatas esse per dictum tempus immemoriale usque ad tempus motæ litis, Castrop. citans Barb. *cit. alleg. 72. n. 38.* Item necesse est, ut non constet de infectæ initio, & nullitate tituli; quia tunc, cùm jam constet de veritate, cessat præsumptio ex immemoriali resultans, Mol. *loc. cit. n. 60.* Gonz. *gl. 18. n. 49.* Covar. apud Castrop. Necesse tamen non est in depositione testium vel scripturæ, fieri mentionem fundationis vel dotationis, sed sufficit deponere de multiplicitate præsentationis, Gonz. *loc. cit. num. 46.* apud Castrop.

Quæstio 82. Qualiter præterea probari possit juspatronatus privatorum ex fundatione vel dotatione?

Respondeo: Omnibus illis modis, quibus aliàs à jure tituli probatio conceditur; id enim innuitur per illa Trid. verba: *Aliásve secundùm juris dispositionem.* Castrop. *n. 6.* citans Gonz. *num. 51. & 58.* Barb. *loc. cit. n. 42.* Sic itaque probari potest primò per famam, cum longissima quasi possessione; quia cùm hæc probatio æquivaleat probationi immemoriali, infert titulum, Barb. *num. 43.* Gonz. *num. 56.* Mascard. *de prob. conclus. 459. num. 20.* apud Castrop. *cit. num. 6.* ita ut opus non sit, ut testes deponentes de fama deponant, competere patronatum ex fundatione vel dotatione; hoc enim in dubio est præsumendum, ne aliàs patronatus pereat, & sint irritæ præsentationes, juxta Trident. auferens omnes patronatus aliâ viâ acquisitos, Castrop. *ibid.* Barb. *n. 44.* Porrò accedente famâ sufficere quadragenariam quasi possessionem, licèt detur una tantùm præsentatio; dum nempè præsentatus possidet per 40 annos, nec unquam interea evenit casus novæ præsentationis, tradit Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 4. n. 5.* citans Roch. *de jurepat. v. Competens, q. 14.* Puteum *l. 1. decis. 87.* & Rotam *in Pergam. Capellania*, 18 *Maji*, 1629. neque enim de necessitate requiritur probatio per multiplicatas præsentationes; cùm Trid. quò ad personas, in quibus non cadit præsumptio usurpationis, nihil immutârit, & sic probetur iisdem modis, quibus probabatur ante Trident. inter quos præcipuus est probatio centenariæ, vel quadragenariæ, cum fama, etiam sine multiplicatione præsentationum; dum enim actus unicus habet causam successivam & permanentem, nec non continuationem temporis requisiti, inducit præsumptionem sufficientem, Corrad. *ibidem num. 6.* quin & Lott. *l. 2. q. 7. n. 47.* absolutè inquit: quemadmodum fama junctâ quasi possessione, etiam ultima præsentatio sufficit ad justificationem patronatûs, ita sine hac possessione non probat juspatronatûs, quomodocunque versemur in antiquis (nisi fortè ubi versaremur in casu, in quo non foret necessaria plena probatio: tunc enim superflueret ipsa quasi possessio præsentandi, & sufficeret sola fama, Lott. *ibid. num. 50.* citans Manric. Cassador. &c.) adeóque requiritur utriùsque concursus, ubi agitur simpliciter de probatione jurispatronatûs, Lott. *n. 48. & 49.*

2. Secundò, per præscriptionem quadragenariam cum titulo colorato, hoc est, qui justam præscriptionis causam præbere potest; cùm hæc probatio æqui-

va-

valeat immemoriali, Mol. *l. c. n.* 52. Gonz. *n.* 57. apud Castrop. Qualiter autem instituenda hæc præscriptio, & ad quid referenda ejus vis, dictum fuit suprà, ubi de acquirendo jurepatronatûs per præscriptionem ex Lott. *l.* 2. *q.* 7. *à num.* 31. quem vide, ubi etiam *num.* 44. *& seq.* quòd justificatâ possessione de præsenti, si cum ea concurrat fama fundationis & dotationis, resultet probata præscriptio, ita ut utramque simul probet præsumptionem, ex qua justificatur patronatus; quia positâ istâ famâ, sequitur ratio, ut qui hodie possidet, præsumatur etiam olim atque ab initio possedisse, atque ita præscriptionem coæquari tempori ipsius erectionis, saltem in potentia. Citat Lott. *nu.* 46. pro hoc Alciat. *de præsump. reg.* 2. *præsump.* 21. *n.* 11. & Menoch. *l.* 6. *præsump.* 65. *n.* 4.

3. Tertiò, per literas inscriptas lapidi publicè posito, in quibus affirmetur jus patronatûs alicui competere; cùm credendum non sit, ministros Ecclesiæ toleraturus fuisse talem scripturam, nisi veritatem contineret, Barb. *n.* 50. Riccius *in pr. for. Eccl. resol.* 125. *n.* 3. Mascard. *de prob. conclus.* 105. *n.* 10. *&c.* apud Castrop. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 149. subjungens, idem ferè esse de descriptione tali in aliquo antiquo libro. Idem dicendum de armis, seu alicujus familiæ insignibus ab antiquo tempore positis in Capella aliqua; sic enim manifestè denotari, non esse liberam, sed subjectam juripatronatûs, ut Castrop. *ibidem*, neque enim talis armorum appositio fieri consuevit in re prorsus aliena, Lott. *l. cit. num.* 147. quod tamen intelligendum, ait, nisi possit assignari alia causa istius appositionis, *num.* 148.

4. Quartò, per literas expeditas ab Ordinario in beneficii institutione, dum is testatur, beneficium jurepatronatûs alicui deberi; sic enim tacitè sonuit talem habere titulum; quia credendum non est, illum taliter concessurum beneficium, nisi sibi de titulo & jure probato talis præsentatoris constaret; cùm talis provisio sibi & successoribus sit damnosa. Paris. *de resig. l.* 8. *q.* 11. *num.* 38. Barb. *n.* 47. apud Castrop. Lott. *loc. cit. num.* 41. qui tamen *num.* 144. secùs ait esse, si Ordinarius in enunciando patronatum usus fuisset termino potiùs sonante in negativam, quàm affirmativam, v. g. si dixisset: *Ut prætenditur*; In hoc enim casu non fore enunciativam illam considerabilem, nisi fortè relatum id esset, non ad existentiam jurispatronatûs, sed ad pertinentiam, non suffecturam unam talem institutionem; cùm dicat Concilium probandam ex multiplicatis præsentationibus, & consequenter ex præsentationibus effectuatis, seu quas institutio subsecuta fuit: quamvis si ex vi talis unius institutionis præsentationem quis faceret, putet, illum quadragenario tempore præscripturum; cùm talis institutio titulum saltem coloratum concedat, & consequenter sufficientem, ut quadragenario tempore præscribatur.

5. Quintò: ex libris visitationum, si in iisdem beneficium subjectum esset juripatronatûs, eò quòd, cùm in hoc patronatu agatur de gravi Ordinariorum præjudicio, credendum non sit, sine sufficiente fundamento visitatores, declaraturos fuisse in favorem patronatus, Castrop. *loc. cit.* Lott. *num.* 151. juxta decisionem Rotæ, quam citat. Item, & quidem à fortiori, idem procedit in sententia Ordinarii super litem motam de beneficii statu, quæ ex testium depositione procedit, Castrop. *ibid.* citans Barb. *num.* 49. consentiente Rotâ apud Farinac. *tom.* 2. *decisione* 567. Lott. *num* 152. qui tamen, dum hæc omnia hucusque enumerata, excepto primo & secundo *num.* 141. vocat adminicula ad coadjuvandam probationem, credo, loquitur respectu probationis illius rigorosæ jurispatronatûs potentium, utpote de qua immediatè ante egerat. Addit etiam idem pro maximo tali adminiculo existentis jurispatronatûs, si beneficium esset in Ecclesia patronata, & aliud contrarium non appareret, *num* 145.

6. Sextò: probari sufficienter illum titulum ex subsidio præstito alicui tanquam patrono, præcipuè si hoc subsidium sit in detrimentum aliorum, quale est, si alicui concessus locus dignus in Ecclesia non nisi patronis concedi solitus; cùm credendum non sit, ceteros id permissuros fuisse, censent Barb. *loc. cit. num.* 46. & Moheda *de jurepatronat. decis.* 10. apud Castrop. quod tamen ipse reprobat, etiam dum fuisset quis in quasi possessione immemoriali talis loci dignioris, eò quòd, cùm beneficium fundari potuerit renunciando juri præsentationis, & solùm admittendo locum honorificum, credendum sit, ita fundatum fuisse. Item, cùm absque fundatione beneficii, & absque jure præsentandi potuerit concedi loci honorificentia, ex illa malè inferatur juspatronatûs quò ad potestatem præsentandi; atque Castrop. favere sibi in hoc textum cum Gl. *in c. Cùm Bertholdus, de sent. & re judicata*, & Rotam *decis.* 1245. *n.* 3. *divers.* Verùm circa hæc aliáque adminicula rectè monet Card. de Luca *in summ. jurispatr. num.* 53. quæ sufficiant, quæ non, certam regulam dari non posse; sed pro facti qualitate decidendum, attentis scilicet more regionis, qualitate Ordinarii, qualitate personæ prætendentis jus patronatûs; an ei magis vel minùs congruat, seu approximetur ratio, quæ movit Concil. Trid ad præscribendam rigorosam illam formam: Unde aliqua in uno casu admittenda, in alio non, ac proinde etiam ponderandum præcipuè, an hic & nunc urgeant alia in contrarium: spectandus etiam effectus, in ordine ad quem probatio ista instituitur, an principaliter cum Ordinario contendat, an cum alio, similiter prætendente patronatum; de quo vide Card. de Luca *num.* 55.

Quæstio 83. Quandonam necessaria probatio jurispatronatus plena, & quando sufficiat semiplena?

Respondeo: quemadmodum requiritur plena probatio dominii, dum de eo agitur principaliter, & sufficit semiplena, dum de eo agitur incidenter, sic etiam in patronatu, Lott. *l.* 2. *q.* 17. *n.* 110. Porrò tunc dicitur incidenter agi de patronato, dum nemo est, qui libertatem Ecclesiæ astruat, seu sibi vendicet, veluti si simpliciter tractetur de justificatione gratiæ, Lott. *loc. cit. n.* 112. citans Mantic. *decis.* 244. *n* 5. Idem est, etiamsi agatur de justificatione clausulæ: *Verificato jurepatronatûs coram Ordinario* consuetæ apponi in literis Apostolicis, dum Papa mandat provideri tanquam de beneficio jurispatronatûs; licèt enim ea clausula contineat conditionem, videaturque ideò justificanda plenè & concludenter; nihilominùs id non obtinet, si simpliciter tractetur de justificatione gratiæ, Lott. *num.* 113. citans Mantic. *decis.* 218. *in principio.* Vel etiam, si agatur ad effectum præeminentiarum, Lott. *num.* 112. juxta decis. Rotæ 548. *num.* 2. *p.* 1. *Recent.* dicetur verò Quæri principaliter de patronatu, si est contradictor, qui libertatem Ecclesiæ vendicet, sive is sit Episcopus, sive provisus ab eo, aut à Papa tanquam de libero; hoc enim casu, quia urget præsumptio pro libertate Ecclesiæ, præcipuè, si concurreret ultimus status, ut Seraphin. *decis.* 1120. *n.* 1. & simul concurrit, qui eam alleget (quod necessarium est juxta Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 48. *num.* 2. *&* 3) exigitur plena probatio, maximè, si contradictor esset provisus à Papa tanquam de reservato; tunc enim illa quasi possessio (quæ aliàs, si incidenter ageretur de patronatu, argueret proprietatem, juxta Seraphin. *decis.* 832. *num* 1.) remanet infecta & nullius considerationis, ut decisum pluries à Rota *decis.* 222. *n.* 1. *decis.* 224. *num.* 3. *p.* 1. *Recent.* Lott. *à num.* 114. qui etiam *num.* 120. addit, hoc postremum, etiam præscindendo ab effectu reservationis, esse quoque admittendum in aliis casibus, ubi vendicatur Ecclesiæ libertas, extra tamen articulum manutentionis; licèt enim præsumptio descendens ex quasi possessione servitutis reputetur potentior eâ, quæ est pro libertate, ut Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 29 *num* 12. id tamen intelligitur respectu rei & possessionis in summariissimo possessorio retinendæ, non tamen respectu actoris inferentis ex tali possessione ad proprietatem.

Quæ-

Quæstio 84. Quò ad probationem jurispatonatus illorum, in quibus plerumque præsumitur usurpatio, in quo fundetur dicta præsumptio, & qui censeantur tales?

1. Respondeo ad primum: fundari illam præsumptionem, vel in potentia personæ, quæ tanta supponitur, ut ex ea possit argui reverentia, vel concussio in eo, qui debuisset defendere libertatem Ecclesiæ, quæque potentia non solùm æstimetur, ut paulò pòst dicetur pluribus, ex jurisdictione, sed etiam ex summa nobilitate alicujus familiæ; cùm æquiparentur ad hunc effectum hujus potentiæ, esse de magna aliqua parentela, & esse Dominum alicujus oppidi aut civitatis, ut Bald. *cons.* 347. *l.* 1. vel in verisimilitudine, quæ maximè deprehenditur, dum plures parochiani, vel familiæ sibi hoc jus vendicant; cùm verisimile non sit, quòd à principio plures familiæ diversæ ita convenerint, ut fundarent, dotarèntve Ecclesiam, ita Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 35.

2. Respondeo secundò: tales, ut censuit sacra Congregatio Concilii, sunt primò: Duces, Marchiones, Comites, aliique Domini Civitatum, locorum, castrorum, perpetuam in Vasallos jurisdictionem habentes, ubi fundatum est beneficium, tametsi ipsi superiorem recognoscant, Castrop. *num.* 2. citans Gonz. *num.* 66. Barb. *num.* 65. Ricc. *resol.* 132. *num.* 1. Card. Luca *in summa de jurep. n.* 72. qui etiam *num.* 73. addit, comprehendi adhuc Duces, & Marchiones veræ, & non abusivæ dignitatis, feuda habentes, etiam cum supremo imperio ac regalibus, etiam majoribus, vel etiam fortalitiorum, & Castrorum possessiones in alodium independenter à quocunque, adeò ut nulli alteri supremo Domino teneantur ullum fidelitatis juramentum, vel servitium præstare: & non excipi nisi Reges, eósque sublimes & supremos principes, qui cum jure belli publici & potentia exercitûs regni jura de facto habent; econtrà verò *num.* 75. ait, à dicta regula inductiva potentiæ ratione dominii ac juris temporalis excipi personas Ecclesiasticas, ratione Ecclesiasticæ dignitatis vel beneficii, seu officii tale dominium vel jurisdictionem temporalem habentes; cùm in iis non ioteret mala præsumptio, quæ causa fuit, ut dicta forma rigidior probationis induceretur, nisi fortè constaret de malo initio; quòd nimirum persona talis Ecclesiastica dominium temporale cum annexo ei jurepatronatûs à domino temporali habuerit, spectatur siquidem, ut idem Card. *n.* 74. origo seu initium; onde licèt juspatronatûs possideatur à privato; si tamen proveniat à potente, rigorosæ huic formæ subjiceretur, nisi adeò diuturna privati possessio hujusmodi maculam purgârit pro qualitate facti; unde etiam, si juspatronatûs originariè possessum per Baronem, seu domicellum inferiorem aliàs, quàm per consolidationem, transiret ad habentem jus regni; nequaquam exciperetur, sed retineret naturam suam. Econtrà nil refert, patronatum possideri à potente, quem constat habuisse causam, seu initium à privato ac ab eo possessum.

3. Secundò: universitates ac civitates, etiamsi dominium & jurisdictionem non habeant, & licèt hæ parvæ sint, quia hoc non tollit potentiam, cui in ista decisione nititur Tridentinum, Castrop. *loc. cit.* Gonz. *num.* 68. Barb. *num.* 62. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 102. Card. Luca *loc. cit. num.* 76. Porrò sub nomine Universitatis vel communitatis venire adhuc universitatem parochianorum, tradit *ibidem* Garcias citans Rotam *in foro Sempron. parochialis.* 4. *Febr.* 1596. in qua dictum, sic resolvisse S. Congreg. non tamen venire Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. Gonz. *loc. cit. num.* 55. juxta Rot. *decis.* 798. *num.* 4. *p.* 1. *divers.* apud Castrop. Idem est de Capitulis aliis, Collegiis vel confraternitatibus; & in genere de quibuscunque Universitatibus Ecclesiasticis, utpote in quibus præter præsumptionem non usurpati jurispatronatûs resultantem à jurisdictione vel visitatione, quâ subjicitur Episcopo, cadit etiam possibilitas fundationis vel dotationis. Card. Luca *loc. cit. num.* 77. ubi etiam, quòd parvæ universitates, etsi non Ecclesiasticæ, in quibus dicta inverisimilitudo locum non habet, sed cadit eadem possibilitas fundandi vel dotandi, ut sunt Collegia vel Universitates quorundam professorum vel mercatorum; secùs enim esset, si caderet in iis, uti etiam in universitatibus parvis Ecclesiasticis dicta inverisimilitudo, quòd talis Universitas fundare potuit, v.g. si pauperes hospitalis haberent præsentare Rectorem. Pro quo

4. Observandum, quòd quamvis, ut pluries firmavit Rota, ut videre est apud Corrad. *l.* 4. *c.* 4. *num.* 43. ad hoc, ut quis dicatur persona potens, adeóque intret præsumptio usurpationis, opus sit, ut in loco beneficii exerceat, vel exercuerit jurisdictionem aliquam, (secùs est, si in hoc ipso loco absque exercito in eo ante hac dominio & jurisdictione censeatur jure privatorum. Card. Luca *loc. cit. num.* 72.) nihilominus cùm quoque hæc potentia probetur ex divitiis, amicis, numerositate familiæ & familiarium, (quam tamen præsumptionem usurpationis ex numerositate familiarium cessare ait Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 137. ubi constaret, eas omnes ab uno stipite descendisse) ac populi existimatione, ut DD. *in l.* 1. *c. ne liceat in potentiorem*; ac proinde potentia illa judici arbitranda relinquitur, Rota ab opinione recessit *in una Ferrariensi Archipresbyt.* 26 *Junii*, 1626. ubi dictum, sufficere, potentiam in loco, quamvis non sit conjuncta cum jurisdictione ex eo, quòd S. Congreg. Concilii sic sæpè censuerit, Corrad. *loc. cit. & num.* 44. cùm & non raro, ut experientiâ constat, etiam sine maxima, imò cum parva potentia videamus usurpari ea; eò quòd nonnulli Ordinarii non audeant contradicere, Corrad. *ibid.* De cætero, tametsi aliàs juspatronatûs fuisset in manu alicujus potentis, ac proinde tunc præsumatur ex usurpatione; cessare tamen istam præsumptionem per contrariam præsumptionem, quæ oritur ex eo, quòd juspatronatûs hujusmodi est translatum in non potentem, tradit *ib.* Corrad. juxta decisionem Rotæ *in una Bononiensi jurispatr. apud* Farinac. *decis.* 191. *n.* 1. *p.* 1. *in posthum.* Similiter cessare præsumptionem usurpationis jurispatronatûs, dum ipsa Ecclesia est patrona Castri & jurisdictionis, Abbatia vel Abbas, exercens ibi jurisdictionem temporalem, censet Corrad. *num.* 42. citans Rotam *in una Papiensi jurispatronatûs*, 18 *Junii*, 1630. & declarationem S. Congreg. *in una Sublacensi*, 12 *Septembr.* 1621. eò quòd de Ecclesia Domina Castri timeri non possit, ne quis ei contradicere audeat; cùm semper subjiciatur suo superiori absque contradictione, nec bona Ecclesiæ usurpare præsumatur, sicut contra laicum suspicari possemus. Cessare hanc præsumptionem usurpationis in supradictis Magnatibus & Communitatibus potentibus, ac consequenter non intrare dispositionem Tridentini, si beneficiorum Collator sit æquè potens, eò quòd tunc ratione æqualis potentiæ non foret permissurus juri debito derogari, tenuit Rota apud Farinac. *decis.* 578. *tom.* 2. Castrop. *cit. num.* 7. Corrad. *loc. cit. num* 14. Quin & hanc præsumptionem regulariter solùm esse in iis locis, in quibus beneficiorum collatores sunt Episcopo inferiores (quod tamen intelligendum, credo, de locis, ubi Episcopi ordinariè sunt potentes, ut in Hispania, Germania) affirmant Barb. *loc. cit. num.* 62. Achilles de Graff. *de jurepatronatûs*, *decis.* 4. Puteus *l.* 1. *decis.* 58. apud Castrop.

Quæstio 85. Quis ergo sit modus probandi juspatronatus, ex fundatione, dotatione dictarum personarum, in quibus est præsumptio usurpationis?

1. Respondeo: Si non fiat per Authenticum instrumentum, sed per probationem immemorialem, (ad cujus immemorialis probationem non tempus ante Concilium, sed tempus decursum usque ad motam litem spectandum est, Castrop. citans Gonz. *num.* 89. juxta declarationem S. Congreg. quæ item im-

immemorialis probari potest per testes subditos, seu Vasallos, præsertim, ubi testium non subditorum mixtura, vel testium qualitas aut numerus, seu alia circumstantia suppler illum defectum, qui timeri posset, Card. de Luca *in summ. jurispatr. n.* 59. item per scripturas, ita etiam, ut hæc probatio in hac materia reputetur melior, idem Card. *n.* 60. quò ad alia verò hujus immemorialis nihil statutum specialiter, sed intrant termini generales, cuique materiæ congrui ad hanc præscriptionem benè concludendam. Idem ibidem) debet huic probationi superaddi probatio per authenticas scripturas continuatarum præsentationum, quæ effectum sortitæ sint per tempus continuum 50 annorum (numerandorum ab illa præsentatione, quæ apparet sortita fuisse effectum, usque ad diem, in quo lis movetur, Castrop. *num.* 12. citans Barb. Gonz. *gl.* 18. *num.* 76. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *à num.* 98. apud Lott. *l.* 2. *q.* 38. *num.* 35. adeóque probatio jurispatronatûs in his potentibus tota quidem (dum deficit publicum instrumentum fundationis & dotationis) attribuatur immemoriali, sed immemoriali qualificatæ, id est, non solùm probatæ ex requisitis per Gl. *c.* 1. *de præscript. in 6. v. Memoria*, sed etiam qualificatæ ex dictis præsentationibus constantibus ex publicis & authenticis instrumentis; atque in hoc consistit nova illa forma probandi immemorialem, quam hoc suo decreto aliter, quàm à jure communi erat dispositum, introduxit quò ad juspatronatûs Tridentinum, Lott. *cit. q.* 38. *à n.* 45. ita ut non sufficiat probâsse præsentationes primas & postremas istius temporis quinquagenarii, si alia intermedia omittatur: nam licèt probatis extremis media præsumantur probata, ut Tiraq. *de præsumpt. gl.* 5. §. 1. & Rota apud Farinac. *tom.* 2. *decis.* 577. non tamen per hoc est probata continuatio, nisi tantùm præsumptivè & arguitivè; Concilium autem non contentum hac præsumptivâ probatione, requirit veram probationem continuatarum præsentationum. Castrop. *num.* 8. citans Gonz. *num.* 73. Barb. *num.* 54. Ricc. *resol.* 133. Paris. *de Confidentia*, *q.* 28. *num.* 255. quamvis Card. de Luca *in summ. jurispatr. num.* 66. dicat contrarium sibi videri probabilius. Item ut non sufficiat probare unam præsentationem, etsi hæc toto dicto spatio quadragenario effectum sortita sit; eò quòd decretum conciliare, nitatur numero plurali, Card. Luca *ibidem num.* 64. quamvis addat, quòd huic opinioni tanquam magis receptæ cedere oporteat in obsequium auctoritatis, quamvis ratio contraria videatur, dum spectato fine, seu effectu, in jure habetur, numerum pluralem verificabilem esse de singulari, & singularem de plurali; & sicut in quadragenaria ad hunc aliosque effectus etiam unicus actus, qui toto tempore durationem habuit, ac effectum sortitus est, sufficit, ita à pari. Item ut non sufficiat continuatas præsentationes probare per authenticas scripturas, nisi hæ effectum sortitæ sint, hoc est, præsentatus vi illarum institutus fuerit, & possessionem acceperit, Castrop. *ibidem*, & apud illum Gonz. *loc. cit. num.* 85. Barb. *num.* 56. Calderin. *de jurepatr. consil.* 12. Castrens. *cit. eodem decis.* 5. Probabile quoque est requiri insuper necessariò, ut per easdem scripturas authenticas probetur hoc ipsum, nimirùm, quòd dictæ præsentationes effectum sortitæ sint; tum quia Concilium requirendo, ut per scripturas probentur præsentationes, quæ effectum sortitæ sunt, vult probari eas unà cum hac qualitate à se requisita: tum quia in hac præsentationum probatione non confidit de testibus, hi induci non debeant ad probandam hanc qualitatem dictarum præsentationum à Concilio requisitam. Gonz. *num.* 82. Barb. *num.* 60. testans sic à Rota decisum, quos citat & sequitur Castrop. contra Card. de Luca *in summ. jurispatr. nu.* 65. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 105. putantes, hanc probationem esse nimium difficilem; cùm dicta effectuatio præsentationum non solùm consistat in institutione, sed etiam in acquisitione possessionis; quamvis addat Castrop. ex Gonz. *num.* 87. hoc ipso, quòd quis probet præsentationes continuatas esse, simul probet effectum sortitas esse; cùm præsentationes continuari nequeant, nisi ad vacationem unius præsentationis alius præsentetur, quod ipsum tradit Garc. *n.* 106. adeoque in re ipsa parum dissidere videntur.

2. Denique, ut Lott. *loc. cit. à n.* 36. citans pro hoc plures Rotæ decisiones, requiritur, ut unaquæque istarum præsentationum constet publico instrumento, id est, rogato per Notarium publicum testibus adhibitis, & cum aliis requisitis per Gloss. *in l.* 10. *c. de Tabularus*, & eo quidem seorsim confecto ab actu institutionis, ita ut non sufficiant literæ patentes cum sigillo, nisi probatâ consuetudine; quidquid sit in patronatibus aliarum personarum, in quibus admittitur probatio præsentationum ex enunciativis in ipsis instrumentis, sive literis institutionum, ut Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 10. *a.* 7. *n.* 6. Paris. *de resig. l.* 8. *q.* 11. *n.* 381. & Rota apud Lott. *num.* 39. siquidem istæ enunciativæ desumptæ ex publicis literis Episcopi, seu ex instrumentis institutionum majorem vim probandi non sortiuntur; quàm testium; quibus in hac materia Concilium non confidit, sed pro forma exigit probationem hanc & authentica instrumenta, & quodvis genus aliud probationis respuit, ut ex mente S. Congr. respondit Rota apud Lott. *num.* 41.

3. Aliud etiam est, si agatur simpliciter de probando facto præsentationis, & in hoc attenditur omnino enunciativa illa Episcopi, & respectu hujus verum est, sic illud probari ex publicis documentis; aliud est, si agitur de probatione actûs præsentationis ad effectum probandi juspatronatûs, sive in possessorio, sive in petitorio, & ad hoc non sufficiunt dictæ enunciativæ; cùm, qualitercunque sit concepta enunciativa in instrumento institutionis, nihil aliud inde resultat, quàm simplex suppositum antecedentis actûs, quod nihil probat, vide de hac distinctione Lott. *loc. cit. num.* 42. & 43. De cætero, dum agitur de probatione etiam ipsius jurispatronatûs in quovis gradu suo coadjuvandâ per adminicula, nullum esse efficacius, & ipsi probationi vicinius, quàm quod sumitur ex antiquis enunciativis, eò quòd hæ habeant vim famæ; cùm non consueverint Ordinarii esse admodum faciles in admittendis præsentationibus, nisi priùs sibi liqueat de jurepatronatûs, ait Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 141. & 142. de cetero Card. de Luca *in summ. jurispatr. num.* 63. ait: Receptum, sufficere scripturam privatam, etiam per epistolas familiares, eò quòd scripturis, etiam privatis recognitis, congruat terminus *authentici instrumenti*, qui etiam *num* 68. ait: Asperum videri, ita literaliter insisti isti formæ, ita, ut si constet de pluribus institutionibus dicto vel majore spatio effectuatis, in quibus præsentationes enuncientur, id non sufficiat, præsertim ubi talis enunciativa in institutionibus coorenta aliorum adminiculorum fomentum habet, seu aliàs ex facti circumstantiis est verisimilis.

Quæstio 86. An igitur in nullo casu admitti & sufficere possit dictarum præsentationum continuatarum probatio per testes? Et in specie in eo casu: Dum testes deponerent de amissionibus scripturarum, in quibus præsentationes continuatæ continebantur, & de contentis in illis?

Respondeo negativè, Castrop. Garc. de Luca, *loc. cit. num.* 62. (ubi dicit hanc probabiliorem, præsertim dum testium dicta aliorum adminiculorum & verisimilitudinis fomentum habent; etsi contraria opinio plures sequaces habeat) contra Gonz. *cit. gl.* 18. *à num.* 75. & 79. hæc enim probatio per testes in dicto casu non obest dispositioni Tridentini requirentis scripturam etiam pro forma, quæ (ut constare videtur ex dictione: *Nec aliter*, tenentque Garc. *loc. cit.* Ricc. *resol.* 134. Barb. *num.* 58. apud Castrop. pluresque alii apud Garciam) proinde servanda est ad unguem, nec adimpletur per æquipollens, juxta *l. cum si, ff. de transaction.* & *l. non dubium, c.*

de

de ll. tales siquidem deponentes de amissione scripturarum & contentis in illis non tam probant præsentationes ex vi suarum depositionum, quàm ex vi scripturarum, de quarum tenore testantur; æquivalent enim eorum depositiones scripturarum exhibitioni; unde & dici potest: Talis probatio facta per scripturas authenticas non realiter exhibitas, sed per testes declaratas, Castrop. quin & in actu exigente pro forma & probatione sui scripturam, & ubi scriptura est de substantia probationis, admitti probationem per testes deponentes de amissione & tenore scripturæ, docent Cynus, Bald. Bartol. Salicet. *in l. testium, C. de testibus.* Felin. *in c. sicut. de sent. & re judicata, n. 2.* Masc. *de prob. consil.* 416. *num.* 11. & *consil.* 809. *num.* 3. Pallac. Castell. & alii; quos citant sequunturque Castrop. & Garc. Porrò hos testes debere insuper deponere, nullum in dictis scripturis apparuisse vitium, sed omnia substantialia habuisse locum, signum Tabellionis vel Notarii, ac proinde hos testes debere esse peritos literarum, v.g. Doctores, Advocatos, Tabelliones vel Notarios, & aliàs non plenè sed semiplenè probaturos, ex Anton. Gomez. *l.* 41. Tauri *n.* 3. tradit Castrop.

Quæstio 87. *Num factâ probatione jurispatronatûs, juxta Decretum Trident. & præsentato per patronum admisso ab Ordinario, si in sequentibus vacationibus dubitetur de validitate jurispatronatûs, patronus possit repelli à sua quasi possessione præsentandi, teneatúrque ante præsentationem de novo probare titulum?*

Respondeo negativè: habet enim tunc patronus in judicio possessorio suam intentionem fundatam, & certè foret id nimis grave, si in singulis præsentationibus hæc authentica tituli probatio requiratur, Gonz. *cit. gl.* 18. *num.* 15. Barb. *in remissione Concilii, sess. 25. c. 9.* testans sic decisum à Sac. Congreg. Castrop. *cit. num.* 12.

Quæstio 88. *Num etiam opus sit rigorosis istis probationibus, & intret dispositio Concilii, dum juspatronatus non adversùs Ecclesiam, sed adversus alium patronum probandum est?*

Respondeo negativè: Concilium enim non loquitur de hac probatione, quæ Ecclesiam uni potiùs, quàm alteri subjicit, sed de ea, quæ Ecclesiam absolutè subjicit alicui patrono, Corrad. *l. 4. c. 4. n. 42. in fine*, testans sic decisum à Rota. Lott. *l. 2. q. 13. num.* 128. citans Zipæum, Castrop. *cit. num.* 12. cum Barb. *cit. alleg.* 72. *num.* 67.

Quæstio 89. *Num opus illis rigorosis probationibus requisitis ad reprobandum juspatronatûs personarum, in quibus præsumitur usurpatio, dum cum tali persona concurrit alia persona, in quam non cadit præsumptio talis, v.g. Ecclesia?*

Respondeo negativè: tunc enim, quia, etiam remotâ istâ personâ suspectâ beneficium non acquirit libertatem, suspicio seu præsumptio illa non relevat, ut intret forma à Concilio præscripta, sed sufficit tantummodò probatio ordinaria, Lott. *l. 2. q. 13. num.* 138. Card. de Luca *in summ. jurisp. n.* 75. ubi, quòd talis mixtura suffragetur compatrono, quamvis potenti, adeóque per se subjecto dictæ formæ rigorosæ, Corrad. *loc. cit.* citans decis. Rotæ *in una Fesulan. jurisp. apud Cavaler. decis. 79. num. 2.* Quod à potiori locum habet, dum Universitas habet tertiam vel quartam partem, reliquæ autem partes spectant ad patronos distinctos, qui non sunt personæ potentes; quia præterquam, quòd, ut est dictum, etiamsi potens excludatur, beneficium tamen per hoc non remanet liberum, sed de jurepatronatûs, isti habentes reliquas illas plures partes non tolerarent in compatrono isto potente usurpationem, Corrad. *loc. cit. n.* 43. citans Gonz. *gl.* 18. *num.* 69.

Quæstio 90. *Num rigorosa illa forma Conciliaris probandi necessaria quoque sit ad effectum etiam juris honorifici?*

Respondeo negativè: opus enim eâ est solùm ad effectum juris præsentandi, utpote quod præsefert veram Ecclesiæ servitutem, Card. de Luca, *loc. cit. num.* 78. ubi etiam, quòd eâ opus non sit, ubi non principaliter, sed incidenter in ordine ad alium effectum, quàm illum libertatis Ecclesiæ, vel beneficii agitur de jurepatronatûs potentûm.

Quæstio 91. *Qualiter doceatur, acquiratur, conservetur, & operetur possessio præsentandi, de qua, ut Corrad.* l. 4. c. 4. n. 4. *non secùs ac de existentia jurispatronatûs docendùm est ad effectum obtinendi institutionem præsentati?*

1. Respondeo primò: dum præsuppositâ jurispatronatûs existentiâ & Ecclesiæ servitute, ita ut nemo contendat de statu libero, agitur tantùm super cumulativo, vel simultaneo concursu patroni cum alio, quem patronus admisit ad præsentandum secum, hæc possessio istius admissi acquiritur, & probatur per unicum actum talis simultaneæ præsentationis, quamvis non effectuatum, sed reprobatum aut ab aliis patronis contradictum. Neque attenditur, an hæc possessio bonâ vel malâ fide quæratur; imputet enim sibi patronus admittens non patronum ad secum præsentandum; cùm id continere videatur quasi implicitam concessionem participationis, non quidem ipsius jurispatronatûs, cujus substantia non transfertur in admissum, quique propterea non efficitur compatronus, sed exercitii tanquam fructûs; modò tamen talis admissio non laboret dolo, fraude, aut falso supposito, & admittens sit imperfecti judicii, sed ex parte admittentis sit perfecta & valida, quæ tamen possessio non præjudicat aliis compatronis vel Ordinario, sed potiùs interest Ordinarii, illam admitti, dum ita ex admisso & admittente (quatenus sit unicus) in diversa abeuntibus vota in præsentando, aperitur Ordinario locus, vel facultas gratificandi, seu etiam liberè conferendi pro ista vice, Card. de Luca *in summ. jurisp. à num.* 79. De cetero

2. Respondeo secundò: dum contentio est inter possessorem & petitorem non admittentem, quorum unus alterum excludere prætendat; unde agatur de concursu privativo; vel etiam, dum contentio est inter possessorem & Ordinarium, vel alium negantem existentiam jurispatronatûs, acquiritur possessio, & docetur de ea, etiam unicâ præsentatione, ita ut is dicatur constitutus in quasi possessione jurispatronatûs, & præsentandi, & consequenter manutenendus, donec in petitorio videatur de vero jure, qui semel præsentavit cum bona fide (quæ quidem bona fides, dum contentio est inter patronos contendentes de pertinentia, præsumitur, donec probetur mala; ubi verò contentio est cum Ordinario contendente de libertate, probanda est à possessore, seu allegante possessionem servitutis ob præsumptionem stantem pro libertate, Card. de Luca *loc. cit. n.* 82.) credendo se esse patronum, & uti jure suo, præsentando privativè ad contendentem, Card. de Luca *ibid.* (quamvis is addat, an unicus actus ad id sufficiat, pendere à facti circumstantiis ac requisitorum istorum aliorum majore vel minore justificatione; ac etiam ex eo, an is, qui scit, & patitur de facili, præjudicare possit; adeóque sibi difficile videri per unicum actum acquiri validam & manutenibi-

lem

lem possessionem contra Ordinarium; item contra successores compatronos venientes independenter ab eo, ob cujus scientiam & patientiam possessio quæsita sit) Corrad. *loc. cit. num. 5. & 6.* dicens, ita fateri DD. omnes *in c. consultationib. hoc tit.*

3. Quæ tamen, ut procedant, insuper requiritur, ut præsentatio ista fuerit clara (maximè, quando titulus præcedens esset contrarius) absolutè admissa, & vi illius secuta institutio cum capta possessione, vi cujus institutus habitus fuerit tanquam Rector vel Capellanus in Rectoria vel Capella, ac denique ut ille, in cujus præjudicium quasi possessio acquiritur, hoc sciat & patiatur. (An autem requiratur scientia vera & expressa, vel sufficiat præsumpta & conjecturalis. Card. Luca ait, pariter à facti qualitate & circumstantiis recipere decisionem.) Lott. *l. 2. q. 21. num.* 53. Corrad. *cit. num.* 6. remittens ad Roch. *h. t. v. competens a. num. 43.* & Paris. *de resign. l. 7. q. 23. num.* 41. Secùs proindè foret, ac non probaretur, aut acquireretur per eam quasi possessio præsentandi, dum præsentatio non fuisset clara, sed intricata & obscura, ac proindè videndum de titulo & super petitorio. Corrad. *pr. benef. l. c. num.* 15. saltem, dum non apparet effectuata per institutionem; sicut enim ex facto puræ electionis non quæritur aliqua quasi possessio eligendi, nisi secutâ confirmatione; ita etiam ex nudo facto præsentationis nulla quæritur quasi possessio præsentandi, nisi appareat effectuata per institutionem. Lott. *l. 2. q. 18. num. 21. & 22.* Item dum præsentatio admissa fuisset, quin & effectuata cum clausula: *Sine præjudicio;* hæc clausula præservat jus tam in petitorio, quàm possessorio, ita ut patronus per patientiam præstitam in illo actu tantùm, non tamen in futuris, sibi præjudicaverit. Corrad. *l. c. num.* 12. ex addit. ad Burat. *decis.* 633. *num.* 15. juxta decis. Rotæ *in una Majoric. jurispat. 4. Decembris.* 1587. Item si præsentatio nec fuit admissa, nec rejecta. Corrad. *num.* 13. citans Roch. *ubi ante num.* 36. Item si præsentatio non est effectuata, nisi in vim concordiæ, veluti si concordia hujusmodi subsecuta inter provisum & adversarium, qui prætendebat, adversarium non esse patronum, quia cùm non constet de acquiescentia, imò constet de contrario, ex illa præsentatione seo provisione non potest resultare contrarius usus. Corrad. *num.* 14. citans Rotam *decis.* 301. *num. 2. p. 2. divers.*

4. Ac denique si ab institutione fuisset appellatum, & in causa appellationis fuisset cassata institutio. Corrad. *num.* 6. Porrò dum præsentantes sunt in hac quasi possessione præsentandi, non tenentur probare descendentiam à fundatore, vel ab illis personis, quæ in antiquioribus vacationibus præsentârunt, seu ab antiquioribus patronis; sed tantummodò, quòd sint in quasi possessione præsentandi. Corrad. *num.* 9. Unde etiam parùm refert, si opponatur de non titulo, cùm titulus non sit necessarius in judicio Summariissimo manutentionis; sed sufficit ad effectum manutentionis unicus actus & ultimus status possessionis, prout id non tantùm procedit in profanis, sed etiam beneficialibus. Corrad. *cit. nu.* 9. ex Gratian. *discep. for. c. 3. num.* 71. & Decio *Cons.* 134. *num.* 11. De cætero rigorosam illam jurispatronatûs probationem in potentibus obtinere quoque seu requiri in possessorio, nisi constaret de præsentatione effectuata post Trid. prævià causæ cognitione in institutione, tradit Lott. *l. 2. q. 13. num.* 139. & 140. citans Ripæ. *in analitic. l. 3. de jurepat. num.* 5. & Gonz *gl.* 18. *num.* 26.

5. Respondeo tertiò: acquiri ac respectivè conservari possessionem non solùm per actus præsentationis, sed etiam per æquipollentes, putà per consensum præstitum permutationi vel resignationi ad favorem & similes concernentes provisionem Ecclesiæ seu beneficii, non tamen per actus honorificos, utpote per quos nequidem ipsi patrono admittenti non patrono præjudicatur, tradit Card. de Luca *l. c. num.* 88.

6. Respondeo quartò: conservatur quoque possessio unius compatroni per actus possessorios alterius, nisi expressè vel præsumptivè constet, illum non cumulativè & pro solo ejus jure, sed in solidum ac privativè illos actus gerere voluisse; in quo casu attendenda sunt eadem requisita pro amissione, quæ antè diximus, requiri ad acquisitionem præsertim bona fides, & scientia, & patientia in altero. Card. de Luca *l. c. num.* 89. sic si unus ex pluribus patronis præsentat, & alii sunt negligentes, propter hoc hi non sunt privati; quinimò per præsentationem factam per unum conservatur quasi possessio aliorum, quod multò magis procedit, ubi patronus, qui præscotavit, non dixit, se esse unicum patronum, sed esse unum ex patronis. Corrad. *l. 4. c. 6. num. 45. & seq.* qui tamen *num.* 47. sic limitat hanc doctrinam, quòd procedat tantùm, ubi patroni non præsentantes veniunt ex eodem jure; secùs, si ex diverso, maximè, dum unum est exclusivum alterius, citat pro hoc Rotam *decis.* 229. *num. 1. p. 1. diversar.* præterea ait, requiri, ut alii patroni non præsentantes sint in quasi possessione præsentandi; aliàs enim præsentatio facta ab uno dici non potest præservare aliorum quasi possessionem; quia quod non est, non potest præservari.

7. Respondeo denique: id operari legitimè quæsitam possessionem, ut prævalere debeat præsentatio facta à possessore contra præsentationem factam ab obtinente proprietatem jurispatronatûs, etiam dum res adhuc est integra, sive necdum effectuata præsentatio per institutionem, quamdiu jus petitoris clarum non est, & in continente probatum; sed turbidum potiùs & altioris indaginis, si verò proprietas clarè & in continente doceatur à petitore, absorbebit illa possessionem re adhuc integrâ, seu beneficio adhuc vacante; si verò re non ampliùs integrâ, sed priùs post secutam & pacificè effectuatam institutionem probetur dicta proprietas, neqnaquam provisus repellendus: adeóque servit quidem dicta probatio pro securis vacationibus, non autem pro jam consumpta per provisionem juxta eam probabilem opinionem, quòd fructus bonâ fide perceptus & consumptus à non domino non restituitur. Card. Luca *l. c. num.* 83. Corrad. *pr. benef. l. 1. c. 6. num.* 360. *& seq.* qui etiam addit *num.* 364. in dubio præferri illum, qui est in quasi possessione præsentandi; etiamsi esset in ea quasi possessione violenta, debet admitti ab eo præsentatus, quòd si tamen postmodum de dicta violenta possessione doceatur, præsentatus ab eo, etiam post institutionem, deponitur, & cassatur collatio, citat pro hoc Paul. de Citad. *de jurep. p. 6. a. 3. q. 7. num.* 16. Archid. *in c. eum, qui de Præb. in* 6. similiter ait *n.* 366. talis violentus invasor, dum de eo non constat, sed pacificè reputatur patronus, etiam dum non possidet, admittitur ejus præsentatio, & præsentatus instituitur, sed dein constito de ejus non jure seu violentia, cassatur ejus præsentatio, & institutus removetur, juxta *C. consultationib. h. t.*

Quæstio 92. Quid probare debeat prætendens juspatronatûs hæreditarium, quid mixtum, quid prætendens gentilitium?

1. Respondeo ad primum: exigitur in hærede, ut probet se esse hæredem universalem, ita ut nequidem sufficiat institutio in majore parte bonorum, etiam in filio. Lott. *l. 2. q. 11. num.* 28. citans Beroium *in rub. de jurep. num.* 22. & Didac. *var. resol, l. 2. c. 28. num.* 7.

2. Respondeo ad secundum: prætendens juspatronatûs mixtum non tenetur probare, se esse hæredem ultimi defuncti, quia nec in emphyteusi aut feudo mixto id requiritur; sed satis est, ut sit hæres ejus, qui feudum primus acquisivit. Lott. *ibid. num.* 47. qui etiam *num.* 48. ait, in docenda hac qualitate non multùm insudandum, eò quòd satis sit, quòd dicat, se paratum hæreditatem adire, si aliquo modo ea sibi deferatur, & sic sufficiet spontanea oblatio, modò non constet ipsum eam hæreditatem primò acquirentis repudiâsse, citat pro hoc Decium *cons.* 288. *num.* 1.

3. Respon-

3. Respondeo ad tertium: prætendens patronatum gentilitium justificare debet suam descendentiam (intellige seclusâ quasi possessione, patronus enim existens in quasi possessione patronatûs non tenetur probare aliquam descendentiam, etiam ad effectum præsentationis, Lott. *l. c. num. 94.* citans Cassador. *de jurep. decis. 9.* Seraph. *decis.* 1334. *num. 8.*) per gradus distinctos, Lott. *ibid. num* 95. citans Gl. *in c. licet ex quadam, de testib. V. gradus,* Anchar. *resol. 52. num. 6.* Decium. *cons. 322. num. 6.* & plures Rotæ decis. Quamvis enim necessitatem illam probandi descendentiam per gradus distinctos quidam restringere videantur ad eum casum, in quo agitur de probanda consanguinitate vel affinitate ad effectum dirimendi matrimonium. Nihilominùs ob paritatem rationis dictæ probationis necessitas locum habet, ubicunque agitur de præjudicio gravi, uti in materia successionis & jurepatronatûs, Lott. *num.* 97. citans Alex. *Cons. 82. num. 6. Vol.* 1. Riminal. & alios juxta decis. Rotæ apud Mantic. *decis.* 307. *num.* 3. Unde licèt cessaret concursus personarum contendentium de hoc jurepatronatûs (in quo concursu videtur fundata dictæ probationis necessitas) adeò ut sufficere videretur probatio descendentiæ generica absque distinctione graduum; quia tamen non cessat præjudicium Ecclesiæ ex eo, quòd non sufficiat generica illa, & qualiscunque descendentia, sed exigatur dependentia legitima, quæ aliter non potest constitui quàm ex positione graduum, non cessat etiam ratio illa probandi per gradus distinctos, Lott. *num.* 98 *&* 99. Porrò, quod attinet qualitatem & mensuram dictæ probationis per gradus distinctos, dum non versamur in antiquis, id est, suprà 100 annos, ita ut sit possibilitas habendi testes de veritate, qui nimirum cognoverint personas, descendentia hæc per eos probatur concludenter, nec admittitur alia probatio, Lott. *num.* 100. *&* 102. dum autem versamur in antiquis, seu suprà 100 annos, descendentia non probatur per solos testes de auditu & fama, ut volunt plures apud Lott. *num.* 102. nisi concurrant adminicula, Lott. *num.* 102. *&* 104. citans Host. & Abb. *in c. licet de testib.* etsi enim fama in antiquis inducat præsumptionem veritatis, ita ut hinc transferatur onus probandi in negantem; id tamen locum non habet, ubi agitur de fundanda intentione actoris contra reum; ubi enim grave infertur præjudicium alicui, non attenditur præsumptiva hæc probatio per famam, Lott. *à num.* 105. citans Achill. *de prob. decis.* 1. *num.* 1. Quapropter ut hæc descendentia antiqua probetur per testes de auditu, hi ad minimum debent esse duo pro singulis gradibus, Lott. *num.* 108. citans Innoc. & Bald. *in c. Series, de test.* Item debent concordare in personis, à quibus audierint; aliàs in probando hujusmodi gradu reputantur singulares, Lott. *num.* 109. citans Alex. *l.* 1. *cons.* 82. *num.* 3. Mareschot. *Var. resol. c.* 70. *num.* 8. Nati. &c. debent esse personæ graves, & hoc in specie deponere, quòd sic audiverint à personis gravibus & fide dignis, Lott. *num.* 110. quin & debent specificare singulos gradus à stipite, & affirmare, se credere ita esse, ac deponere, se vidisse, quòd consanguinei pro talibus se habeant, ut Soc. Sen. *Vol.* 4. *Cons.* 47. *num.* 16. apud Lott. *l. c.* Absque eo tamen, quòd necesse sit, ut istæ qualitates in testibus seorsim articulentur ac probentur, Lott. *l. c.* similiter ut probetur hæc descendentia per enuntiativas antiquas in instrumentis publicis, quæ æquipollent famæ, pro unoquoque gradu debent esse saltem duæ, atque ita debet esse concursus duorum instrumentorum, ita ut unum nullatenus sufficiat, Lott. cit. *num.* 10. ex Aretin. *in c. Cùm causam, de prob. num.* 13. requiritur insuper, ut qualiscunque enuntiativa proponatur, ea sit necessaria ad actum, Lott. *num.* 111. ex Dec. *cons.* 360. *num.* 6. Alex. *l.* 1. *Cons.* 136. *num.* 11. Unde ad probandam hanc descendentiam non sufficeret testamentum, in quo quis esset nominatus tanquam filius, & hæres institutus; utcunque enim probent verba illa contra enunciantem; nullo tamen modo probant in præjudicium tertii, Lott. *num* 112. Gratian. *l.* 1. *Cons.* 140. *num.* 42. Rebuff. *de Nominat. q.* 1. *num.* 4. *&c.* quod tamen intelligendum, dum dicta enunciativa esset nuda & unica; secùs enim dicendum, si esset adminiculata, vel etiam concurrerent plura instrumenta, v. gr. si cum enunciativa unica concurreret in eadem persona enunciata quasi possessio, Rota apud Seraph. *decis.* 1232. *num.* 3. vel si eadem enunciativa coadjuvaretur ex alio instrumento, in quo incurreret eadem enunciatio, v. gr. si post testamentum, in quo quis fuit nominatus & institutus tanquam filius, apparuit aliud testamentum ipsius istius nominati & instituti, in quo ipse alium filium sibi instituerет, etsi in secundo hoc testamento testator non enunciâsset se filium illius, qui primùm testatus est, modò concurrant duæ demonstrationes nominis nimirum, & cognominis, Lott. *num.* 113. qui & *num.* 114. advertendum monet, in deducenda & articulandâ hac descendentia, si appareret in persona alicujus successoris de quasi possessione jurispatronatûs, non esse necessarium exordiri probationem à persona fundatoris, sed sufficere illam articulare per graduum distinctionem à persona talis possessoris, eò quòd licèt ipsa possessio non transeat à persona in personam, atque ita de defuncto in hæredem, *l. cum heredes, de acquiren. poss.* juxta dicta à nobis superius; ex ea tamen resultet probatio pertinentiæ, & consequenter legitimæ descendentiæ illius possessoris à primo stipite; ac proinde satis erit, si vendicans patronatum probet se descendere ab illo quasi possessore, modò removeatur omnis æquivocatio circa identitatem talis personæ, quæ est facilis in antiquis; eò quòd dari possint plures personæ ejusdem nominis, de quo vide Lott. *n.* 102. *& seq.* plura de probanda descendentia, tam in patronatu gentilitio mixto, quàm simplici, vide superiùs, ubi explicatum, quid sit juspatronatûs gentilitium.

Quæstio 93. *Quæ prætendens juspatronatûs ex augmento dotis, adeòque nixus privilegio, propiùs, ut inquit Lott.* l. 2. q. 8. n. 8. n. 32. *ad naturam contractus, quàm gratiæ accedente, justificare teneatur in ordine ad evitandam reservationem & derogationem Apostolicam?*

1. Resp. primò: debere probare duo: nimirùm se fecisse augmentum, & illud tale, seu tantum fuisse, ut inde aucti sint reditus Ecclesiæ, seu beneficii ad medietatem veri valoris; siquidem satis non est probare aliquid, nisi probetur cum sua qualitate, Lott *loc. cit. n.* 60. *&* 61. Hinc

2. Primò satis non est prætendenti ostendere in genere, se dotem auxisse, ita ut, si contra hunc prætendentem allegetur, gratiam patronatûs oneri seu impensis ab eo factis in augmentum præponderare, allegans id teneatur probare, etsi enim sic senserit quandoque Rota apud Seraph. id tamen intelligendum cum grano salis, ut Lott. *ibid. nu.* 70. nimirum ubi privilegiatus, seu talis augmentator dotis juvatur quasi possessione præsentandi; hæc enim satis fundat intentionem dicti prætendentis, ita ut, si tunc objiciatur ei gratiam præponderare oneri, seu augmentum ab eo factum non esse ad medietatem dotis, seu non correspondere gratiæ patronatûs, id probandum sit objicienti, seu replicanti: Ubi tamen non juvatur eâ quasi possessione, teneatur ipse prætendens justificare eam qualitatem, seu factum à se augmentum ad medietatem, quæ uti consuevit semper concipi ad quotam fructuum; ità perpetuò incumbit ei onus liquidandi valorem redituum antiquorum & aliorum ex post à se assignatorum, Lott. *num.* 71. idque procedit, dum ea inspectione privilegii concessi patronatûs non liquet, illud non esse ex causa onerosa, quæ æquivaleat concessioni; si enim de hoc liqueret, possessio illa minimè habenda esset nisi con- fide.

lem possessionem contra Ordinarium ; item contra successores compatronos venientes independenter ab eo, ob cujus scientiam & patientiam possessio quæsita sit) Corrad. *loc. cit. num. 5. & 6.* dicens, ita fateri DD. omnes *in c. consultationib. hoc tit.*

3. Quæ tamen, ut procedant, insuper requiritur, ut præsentatio ista fuerit clara (maximè, quando titulus præcedens esset contrarius) absolutè admissa, & vi illius secuta institutio cum capta possessione, vi cujus institutus habitus fuerit tanquam Rector vel Capellanus in Rectoria vel Capella, ac denique ut ille, in cujus præjudicium quasi possessio acquiritur, hoc sciat & patiatur. (An autem requiratur scientia vera & expressa, vel sufficiat præsumpta & conjecturalis. Card. Luca ait, pariter à facti qualitate & circumstantiis recipere decisionem.) Lott. *l. 2. q. 21. num.* 53. Corrad. *cit. num.* 6. remittens ad Roch. *h. t. v. competens a. num. 43.* & Patis. *de resign. l. 7. q.* 23. *num.* 41. Secùs proindè foret, ac non probaretur, aut acquireretur per eam quasi possessio præsentandi, dum præsentatio non fuisset clara, sed intricata & obscura, et proindè videndum de titulo & super petitorio. Corrad. *pr. benef. l. c. num.* 15. saltem, dum non apparet effectuata per institutionem; sicut enim ex facto puræ electionis non quæritur aliqua quasi possessio eligendi, nisi secutâ confirmatione; ita etiam ex nudo facto præsentationis nulla quæritur quasi possessio præsentandi, nisi appareat effectuata per institutionem. Lott. *l. 2. q.* 18. *num.* 21. & 22. Item dum præsentatio admissa fuisset, quin & effectuata cum clausula: *Sine præjudicio* ; hæc clausula præservat jus tam in petitorio, quàm possessorio, ita ut patronus per patientiam præstitam in illo actu tantùm, non tamen in futuris, sibi præjudicaverit. Corrad. *l. c. num.* 12. ex addit. ad Burat. *decis.* 633. *num.* 15. juxta decis. Rotæ *in una Majoric. juspat. 4. Decembris.* 1587. Item si præsentatio nec fuit admissa, nec rejecta. Corrad. *num.* 13. citans Roch. *ubi antè num.* 36. Item si præsentatio non est effectuata, nisi in vim concordiæ, veluti si concordia hujusmodi subsecuta inter provisum & adversarium, qui prætendebat, adversarium non esse patronum, quia cùm non constet de acquiescentia, imò constet de contrario, ex illa præsentatione seu provisione non potest resultare contrarius usus. Corrad. *num.* 14. citans Rotam *decis.* 301. *num.* 2. *p.* 2. *divers.*

4. Ac denique si ab institutione fuisset appellatum, & in causa appellationis fuisset cassata institutio. Corrad. *num.* 6. Porrò dum præsentantes sunt in hac quasi possessione præsentandi, non tenentur probare descendentiam à fundatore, vel ab illis personis, quæ in antiquioribus vacationibus præsentârunt, seu ab antiquioribus patronis, sed tantummodò, quòd sint in quasi possessione præsentandi. Corrad. *num.* 9. Unde etiam parùm refert, si opponatur de non titulo, cùm titulus non sit necessarius in judicio Summariissimo manutentionis ; sed sufficit ad effectum manutentionis unicus actus & ultimus status possessionis, prout id non tantùm procedit in profanis, sed etiam beneficialibus. Corrad. *cit. num.* 9. ex Gratian. *discep. for. c.* 3. *num.* 71. & Decio *Cons.* 134. *num.* 11. De cætero rigorosam illam jurispatronatûs probationem in potentibus obtinere quoque seu requiri in possessorio, nisi constaret de præsentatione effectuata post Trid. prævia causæ cognitione in institutione, tradit Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 139. & 140. citans Ripæ *in analitic. l.* 3. *de jurepat. num.* 5. & Gonz *gl.* 18. *num.* 26.

5. Respondeo tertiò : acquiri ac respectivè conservari possessionem non solùm per actus præsentationis, sed etiam per æquipollentes, putà per consensum præstitum permutationi vel resignationi ad favorem & similes concernentes provisionem Ecclesiæ seu beneficii, non tamen per actus honorificos, utpote per quos nequidem ipsi patrono admittenti non patroni præjudicatur, tradit Card. de Luca *l. c. num.* 88.

6. Respondeo quartò : conservatur quoque possessio unius compatroni per actus possessorios alterius, nisi expressè vel præsumptivè constet, illum non cumulativè & pro solo ejus jure, sed in solidum ac privativè illos actus gerere voluisse ; in quo casu attendenda sunt eadem requisita pro amissione, quæ antè diximus, requiri ad acquisitionem præsertim bona fides, & scientia, & patientia in altero. Card. de Luca *l. c. num.* 89. sic si unus ex pluribus patronis præsentat, & alii sint negligentes, propter hoc hi non sunt privati ; quinimò per præsentationem factam per unum conservatur quasi possessio aliorum, quod multò magis procedit, ubi patronus, qui præsentavit, non dixit, se esse unicum patronum, sed esse unum ex patronis. Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *num.* 45. & *seq.* qui tamen *num.* 47. sic limitat hanc doctrinam, quòd procedat tantùm, ubi patroni non præsentantes veniunt ex eodem jure ; secùs, si ex diverso, maximè, dum unum est exclusivum alterius, citat pro hoc Rotam *decis.* 229. *num.* 1. *p.* 1. *diversar.* præterea ait, requiri, ut alii patroni non præsentantes sint in quasi possessione præsentandi ; aliàs enim præsentatio facta ab uno dici non potest præservate aliorum quasi possessionem ; quia quod non est, non potest præservari.

7. Respondeo denique : id operari legitimè quæsitam possessionem, ut prævalere debeat præsentatio facta à possessore contra præsentationem factam ab obtinente proprietatem jurispatronatûs, etiam dum res adhuc est integra, sive necdum effectuata præsentatio per institutionem, quamdiu jus petitoris clarum non est, & in continenti probatum ; sed turbidum potiùs & altioris indaginis, si verò proprietas clarè & in continenti doceatur à petitore, absorbebit illa possessionem re adhuc integrâ, seu beneficio adhuc vacante ; si verò re non ampliùs integrâ, sed priùs post secutam & pacificè effectuatam institutionem probetur dicta proprietas, nequaquam provisus repellendus : adeòque servit quidem dicta probatio pro securitate vacationibus, non autem pro jam consummata per provisionem juxta eam probabilem opinionem, quòd fructus bonâ fide perceptus & consumptus à non domino non restituitur. Card. Luca *l. c. num.* 83. Corrad. *pr. benef. l.* 1. *c.* 6. *num.* 360. & *seq.* qui etiam addit *num.* 364. in dubio præferri illum, qui est in quasi possessione præsentandi ; etiamsi esset in ea quasi possessione violenta, debet admitti ab eo præsentatus, quòd si tamen postmodum de dicta violenta possessione doceatur, præsentatus ab eo, etiam post institutionem, deponitur, & cassatur collatio, citat pro hoc Paul. de Citad. *de jurep. p.* 6. *a.* 3. *q.* 7. *num.* 16. Archid. *in c. eum, qui de Præb. in* 6. similiter ait *n.* 366. talis violentus invasor, dum de eo non constat, sed pacificè reputatur patronus, etiam dum non possidet, admittitur ejus præsentatio, & præsentatus instituitur, sed dein constito de ejus non jure seu violentia, cassatur, & institutus removetur, juxta *C. consultationib. h. t.*

Quæstio 92. Quid probare debeat prætendens juspatronatûs hæreditarium, quid mixtum, quid prætendens gentilitium?

1. Respondeo ad primum : exigitur in hærede, ut probet se esse hæredem universalem, ita ut nequidem sufficiat institutio in majore parte bonorum, etiam in filio. Lott. *l.* 2. *q.* 11. *num.* 28. citans Beroium *in rub. de jurep. num.* 22. & Didac. *var. resol, l.* 2. *c.* 18. *num.* 7.

2. Respondeo ad secundum : prætendens juspatronatûs mixtum non tenetur probare, se esse hæredem ultimi defuncti, quia nec in emphyteusi aut feudo mixto id requiritur ; sed satis est, ut sit hæres ejus, qui feudum primus acquisivit. Lott. *ibid. num.* 47. qui etiam *num.* 48. ait, in docenda hac qualitate non multùm insudandum, eò quòd satis sit, quòd dicat, se paratum hæreditatem adire, si aliquo modo ea sibi deferatur, & sic sufficiet spontanea oblatio, modò non constet ipsum eam hæreditatem primò acquirentis repudiâsse, citat pro hoc Decium *cons.* 288. *num.* 1.

3. Respondeo ad tertium: prætendens patronatum gentilitium justificare debet suam descendentiam (intellige seclusâ quasi possessione, patronus enim existens in quasi possessione patronatûs non tenetur probare aliquam descendentiam, etiam ad effectum præsentationis, Lott. *l. c. num.* 94. citans Cassador. *de jurep. decis.* 9. Seraph. *decis.* 1334. *num.* 8.) per gradus distinctos, Lott. *ibid. num.* 95. citans Gl. *in c. licet ex quadam, de testib. V. gradus.* Anchar. *resol.* 52. *num.* 6. Decium. *cons.* 322. *num.* 6. & plures Rotæ decis. Quamvis enim necessitatem illam probandi descendentiam per gradus distinctos quidam restringere videantur ad eum casum, in quo agitur de probanda consanguinitate vel affinitate ad effectum dirimendi matrimonium. Nihilominùs ob paritatem rationis dictæ probationis necessitas locum habet, ubicunque agitur de præjudicio gravi, uti in materia successionis & jurepatronatûs, Lott. *num.* 97. citans Alex. *Cons.* 82. *num.* 6. *Vol.* 1. Riminal. & alios juxta decis. Rotæ apud Mantic. *decis.* 307. *num.* 3. Unde licèt cessaret concursus personarum contendentium de hoc jurepatronatûs (in quo concursu videtur fundata dictæ probationis necessitas) adeò ut sufficere videretur probatio descendentiæ generica absque distinctione graduum; quia tamen non cessat præjudicium Ecclesiæ ex eo, quòd non sufficiat generica illa, & qualiscunque descendentia, sed exigatur dependentia legitima, quæ aliter non potest constitui quàm ex positione graduum, non cessat etiam ratio illa probandi per gradus distinctos, Lott. *num.* 98. & 99. Porrò, quod attinet qualitatem & mensuram dictæ probationis per gradus distinctos, dum non versamur in antiquis, id est, suprà 100 annos, ita ut sit possibilitas habendi testes de veritate, qui nimirum cognoverint personas, descendentia hæc per eos probatur concludenter, nec admittitur alia probatio, Lott. *num.* 100. & 102. dum autem versamur in antiquis, seu suprà 100 annos, descendentia non probatur per solos testes de auditu & fama, ut volunt plures apud Lott. *num.* 102. nisi concurrant adminicula, Lott. *num.* 102. & 104. citans Host. & Abb. *in c. licet de testib.* etsi enim fama in antiquis inducat præsumptionem veritatis, ita ut hinc transferatur onus probandi in negantem; id tamen locum non habet, ubi agitur de fundanda intentione actoris contra reum; ubi enim grave infertur præjudicium alicui, non attenditur præsumptiva hæc probatio per famam, Lott. *à num.* 105. citans Achill. *de prob. decis.* 1. *num.* 1. Quapropter ut hæc descendentia antiqua probetur per testes de auditu, hi ad minimum debent esse duo pro singulis gradibus, Lott. *num.* 108. citans Innoc & Bald. *in c. Series, de test.* Item debent concordare in personis, à quibus audierint; aliàs in probando hujusmodi gradu reputantur singulares, Lott. *num.* 109. citans Alex. *l.* 1. *cons.* 82. *num.* 3. Mateschot. *Var. resol. c.* 70. *num.* 8. Natt. &c. debent esse personæ graves, & hoc in specie deponere, quòd sic audiverint à personis gravibus & fide dignis, Lott. *num.* 110. quin & debent specificare singulos gradus à stipite, & affirmare, se credere ita esse, ac deponere, se vidisse, quòd consanguinei pro talibus se habeant, ut Soc. Sen. *Vol.* 4. *Cons.* 47. *num.* 16. apud Lott. *l. c.* Absque eo tamen, quòd necesse sit, ut istæ qualitates in testibus seorsim articulentur ac probentur, Lott. *l. c.* similiter ut probetur hæc descendentia per enuntiativas antiquas in instrumentis publicis, quæ æquipollent famæ, pro unoquoque gradu debent esse saltem duæ, atque ita debet esse concursus duorum instrumentorum, ita ut unum nullatenus sufficiat, Lott. cit. *num.* 10. ex Aretin. *in c. Cùm causam, de prob. num.* 13. requiritur insuper, ut qualiscunque enuntiativa proponatur, ea sit necessaria ad actum, Lott. *num.* 111. ex Dec. *cons.* 360. *num.* 6. Alex. *l.* 1. *Cons.* 136. *num.* 11. Unde ad probandam hanc descendentiam non sufficeret testamentum, in quo quis esset nominatus tanquam filius, & hæres institutus; utcunque enim probent verba illa contra enunciantem; nullo tamen modo probant in præjudicium tertii, Lott. *num.* 112. Gratian. *l.* 1. *Cons.* 140. *num.* 42. Rebuff. *de Nominat. q.* 1. *num.* 4. *&c.* quod tamen intelligendum, dum dicta enunciativa esset nuda & unica; secùs enim dicendum, si esset adminiculata, vel etiam concurrerent plura instrumenta, v. gr. si cum enonciativa unica concurreret in eadem persona enunciata quasi possessio, Rota apud Seraph. *decis.* 1232. *num.* 3. vel si eadem enunciativa coadjuvaretur ex alio instrumento, in quo incurreret eadem enunciatio, v. gr. si post testamentum, in quo quis fuit nominatus & institutus tanquam filius, apparuit aliud testamentum ipsius istius nominati & instituti, in quo ipse alium filium sibi institueret, etsi in secundo hoc testamento testator non enunciâsset se filium illius, qui primùm testatus est, modò concurrant duæ demonstrationes nominis nimirum, & cognominis, Lott. *num.* 113. qui & *num.* 114. advertendum monet, in deducenda & articulanda hac descendentia, si appareret in persona alicujus successoris de quasi possessione jurispatronatûs, non esse necessarium exordiri probationem à persona fundatoris, sed sufficere illam articulare per graduum distinctionem à persona talis possessoris, eò quòd licèt ipsa possessio non transeat à persona in personam, atque ita de defuncto in hæredem, *l. cum heredes, de acquiren. poss.* juxta dicta à nobis superius; ex ea tamen resultet probatio pertinentiæ, & consequenter legitimæ descendentiæ illius possessoris à primo stipite; ac proinde satis erit, si vendicans patronatum probet se descendere ab illo quasi possessore, modò removeatur omnis æquivocatio circa identitatem talis personæ, quæ est facilis in antiquis; eò quòd dari possint plures personæ ejusdem nominis, de quo vide Lott. *n.* 102. *& seq.* plura de probanda descendentia, tam in patronatu gentilitio mixto, quàm simplici, vide superiùs, ubi explicatum, quid sit juspatronatûs gentilitium.

Quæstio 93. *Quæ prætendens juspatronatûs ex augmento dotis, adeòque nixus privilegio, propiùs, ut inquit Lott.* l. 2. q. 8. n. 8. n. 32. *ad naturam contractus, quàm gratiæ accedente, justificare teneatur in ordine ad evitandam reservationem & derogationem Apostolicam?*

1. Resp. primò: debere probare duo: nimirùm se fecisse augmentum, & illud tale, seu tantum fuisse, ut inde aucti sint reditus Ecclesiæ, seu beneficii ad medietatem veri valoris; siquidem satis non est probare aliquid, nisi probetur cum sua qualitate, Lott *loc. cit. n.* 60. & 61. Hinc

2. Primò satis non est prætendenti ostendere in genere, se dotem auxisse, ita ut, si contra hunc prætendentem allegetur, gratiam patronatûs oneri seu impensis ab eo factis in augmentum præponderare, allegans id teneatur probare, etsi enim sic senserit quandoque Rota apud Seraph. id tamen intelligendum cum grano salis, ut Lott. *ibid. nu.* 70. nimirum ubi privilegiatus, seu talis augmentator dotis juvatur quasi possessione præsentandi; hæc enim satis fundat intentionem dicti prætendentis, ita ut, si tunc objiciatur ei gratiam præponderare oneri, seu augmentum ab eo factum non esse ad medietatem dotis, seu non correspondere gratiæ patronatûs, id probandum sit objicienti, seu replicanti: Ubi tamen non juvatur eâ quasi possessione, teneatur ipse prætendens justificare eam qualitatem, seu factum à se augmentum ad medietatem, quæ uti consuevit semper concipi ad quotam fructuum; ità perpetuò incumbit ei onus liquidandi valorem redituum antiquorum & aliorum ex post à se assignatorum, Lott. *num.* 71. idque procedit, dum ex inspectione privilegii concessi patronatûs non liquet, illud non esse ex causa onerosa, quæ æquivaleat concessioni; si enim de hoc liqueret, possessio illa minimè habenda esset in con-

sideratione, & talis prætendens caderet causâ, ut patet, Lott. *num.* 72.

3. Secundò: satis non est, probare, se pro obtinendo patronatu in Ecclesia solvisse principi concedenti; seu veriùs illius officialibus ingentem pecuniam, quæ etiam valorem prædiorum beneficii superaret: Nam hæc solutio (quam *componendam* vocant) solvitur quidem intuitu hujus gratiæ, seu patronatûs obtinendi; at non ad finem benefaciendi Ecclesiæ, ita ut possit tale beneficium commensurari damno Ecclesiæ, quod ea ex illa reductione in servitutem patitur; non enim apparet, quomodo ista pecunia partita inter officiales tendat in utilitatem Ecclesiæ, aut beneficii, de cujus statu agitur, Lott. *n.* 63. citans Gonz. *gl.* 18. *n.* 27 & Rotam *decis.* 457. *n.* 17. *p.* 1. *divers.*

4. Tertiò: satis non est probare, se partim impendisse in augendis reditibus (etsi non ad medietatem) partim in reparationem Ecclesiæ; quia ut quis acquirat juspatronatûs ex augmento dotis, exigitur pro forma, ut aucti sint fructus, seu reditus beneficii ad medietatem veri valoris, quæ forma præcisè servanda, ita, ut non admittatur ad implementum per æquipollens, adeóque non sufficit impensa facta in quamcunque aliam causam ipsius Ecclesiæ, Lott. *à num.* 65.

5. Quartò: satis non esse probari in augmentum dotis erogatum etiam ultra medietatem; & cum animo inde acquirendi patronatum, sed probandum esse, talem erogationem factam fuisse in executionem talis concessionis & privilegii necessitatem hanc præcisè imponentis: Nam si Papa concessisset patronatum ex mero privilegio, & taliter effectus patronus postmodùm nullâ ad id necessitate compulsus beneficii fructus ad medietatem, vel etiam ultra, augeret, id augmentum ei non suffragabitur, ut dicatur jam obtinere patronatum ob factum tale augmentum dotis. Nam imprimis hoc augmentum consideratum secundùm se, & de jure non est causa sufficiens ad obtinendum juspatronatûs: dein consideratum cum privilegio; etiam privilegium hoc non potest ad illud trahi; cùm illud antecedenter concedens de eo augmento non cogitârit. Unde etiam talis, qui ex post facit tale augmentum sub ista credulitate obtinendi per hoc patronatum, cui Pontifex non derogat, queri non potest, non servatum secum pactum (quæ non servatio esset sola causa retrahens fideles ab augmentandis beneficiorum dotibus) utpote quod, deficiente ob necdum constitutum illud augmentum consensu illius, à quo manavit privilegium, nullum cum eo initum; sed tantùm de se ipso queri potest, qui scire debuit, semel de effecto patrono ex causa privilegii, merè gratiosi, hâc causâ manente integrâ, non posse ex alia fieri patronum; ita ferè Lott. *num.* 80. ubi etiam *in fine* addit, idem esse, si talis post adeptum juspatronatûs ex privilegio merè gratioso bona Ecclesiæ ab aliis occupata recuperâsset suâ pecuniâ; cùm credendum non sit, illum hæc fecisse aliâ mente, quàm acquirendi patronatum; utpote quod sibi erat impossibile; cùm jam illum ex alia causa fuisset assecutus. Quatenus nihilominùs novæ isti liberalitati alia correspondeat compensatio, quatenus nimirum tali juspatronatûs, quod in substantia augeri non potest, augetur in qualitate; dum quò pinguiores sunt reditus, eò honorabilius efficiatur juspatronatûs, Lott. *num.* 81. citans Cassad. *de jurep. decis.* 3. *num.* 2. Quin & tali patrono comparatur firmior statio & refugium in casu inopiæ, juxta *c. Nobis*, *h. t.* Porrò qualiter computanda & æstimanda hæc augmenti quantitas, vide apud Lott. *num.* 89. de quo agemus inferiùs, ubi de reservatione & abrogatione jurispatronatûs.

PARAGRAPHUS VI.

Quid possit, vel non possit patronus.

Quæstio 94. An patronus possit beneficii leges alterare, vel novas inducere?

1. Respondeo primò: Notando ex Card. de Luca *in summa jurispatr. num.* 128. leges & conditiones istiusmodi triplex præjudicium respicere; unum Ecclesiæ, cujus onus vel servitutem ampliant; alterum Ordinarii, alteriùsve superioris, cujus potestatem restringunt; tertium patronorum, seu aliàs ad utrumque juspatronatûs, activum nempè & passivum vocatorum.

2. Notando item ex eodem *num.* 129. de quo dictum sub initium primæ partis, leges in limine fundationis de consensu Ordinarii adjectas, etiam, ubi juri contrariæ sunt, servandas esse, v.g. dum statuitur, quòd præsentatio fieri possit ultra terminum juris: quòd sufficiat minor ætas, quàm præscripta per Tridentinum, vel etiam in casu derogationis jurispatronatûs, seu cujuscunque provisionis aliàs, quàm ad præsentationem factæ, reditus vel emolumenta aliis usibus applicentur: his notatis,

3. Resp. ad quæstionem primò in genere: non conceditur fundatori post factam perfectè erectionem & fundationem beneficii; multoque minùs successori, adjicere novas leges alterativas, nováque onera. Et quidem de patrono, hærede & successore, Corrad. *pr. benef. l.* 2. *c.* 12. *n.* 56. citans Felin. *in c. Significavit, de test.* Immol. *in c. Cùm dilectus, num.* 21. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *num.* 222. quia agitur de mutanda voluntate defuncti circa Deo dicata; quod soli Papæ est permissum. De successore & fundatore ipso Card. de Luc. *de jurep. d.* 15. *num.* 2. citans decis. Rotæ *in Tranensi jurisp.* 10 *Martii*, 1627. item *d.* 18. *num.* 4. citans Ciarlio. *controv.* 69. *n.* 4. Rot. *decis.* 593. *p.* 5. *Recent.* Ita etiam nec spernere potest leges à fundatore positas successor, ita ut, si dum fundator juripatronatûs, v. g. hanc qualitatem passivam adjunxit, ut præsententur certæ personæ de certo genere, vel certam qualitatem habentes, præsentet alium, præsentatio omninò sit invalida, spretóque patrono institui possit alius habens dictam qualitatem tanquam præsentatus ab ipso fundatore talem legem adjiciente, Card. de Luca *cit. d.* 18. *num.* 3. citans Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 8. *a.* 4. *n.* 11. Vivian. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. Butarr. *decis.* 159. *&c.* Hinc jam

4. Respondeo secundò: non posse fundatorem, multóque minùs successorem præter leges adjectas in limine fundationis adjicere alias, concernentes præjudicium illud Ecclesiæ, vel Ordinarii; solùm enim conceditur in limine fundationis, accedente Ordinarii, vel alterius legitimi successoris consensu statuere, seu adjicere leges, quamvis juri contrarias; non autem ex intervallo, seu postmodùm, quando Episcopus vel Prælatus, uti alienare, ita & novas servitutes, vel juris quæsiti præjudicium pati non potest, nisi fortè id, quod ex intervallo agitur, non fiat per modum novæ legis vel conditionis, sed per viam declarationis ambiguæ fundationis: nam etiam in actibus obligatoriis & irretractabilibus admittitur declaratio donatoris, vel alterius contrahentis, modò primus actus ita sit ambiguus, ut rectè cadat terminus *declarationis* seu *interpretationis*, ac etiam declaratio sit verisimilis, vel aliàs adminiculata, ne aliàs indirectè sequatur, quod directè est prohibitum, Card. de Luc. *in summ. jurisp. cit. num.* 129. Hinc v. g. dum juspatronatûs taxativè restrictum esset ad certam familiam seu genus, non potest fundator ejúsve successor deinceps statuere, ut deficiente tali familiâ, seu genere, competeret quoque aliis; cùm sic prorogaretur patronalis qualitas & servitus Ecclesiæ, quæ aliàs deficiente tali familiâ evaderet libera, C. de Luca, *h. t. d.* 18. *n.* 4. Hinc constitui non potest, ut præsentari possint alii, præteritis illis

qui-

quibus jus irrevocabile quæsitum est, dum ii illud non metiuntur ex sola munificentia & liberalitate fundatoris, ita ut irrevocabilitas resultaret à solo vigore legis reddentis perfectas & irrevocabiles donationes, sed proveniret potiùs à contractu quodam correspectivo concessionis factæ ab Episcopo & Capitulo, v. g. dum is & illud consensisset Capellam jam exstructam pro fundando in ea beneficio, vel situ pro construenda Ecclesia eâ lege, ut patroni alium non præsentent, quam presbyterum de gremio dicti Capituli vel Ecclesiæ, jam enim dicta lex non tangeret alicujus commodum vel interesse privatum, sed interesse ipsius Ecclesiæ pro majori cultu, ob cujus finem Episcopus & Capitulum fecerunt talem concessionem; adeóque si jam lex illa alteraretur, & præsentaretur alius non de gremio Ecclesiæ, cederet idipsum in præjudicium Ecclesiæ. C. de Luca *loc. cit. d. 17. num. 4.* Sic beneficiato remitti non possunt onera aliàs in fundatione imposita, statuendo, v. g. ut opus non sit, præsentatum & institutum residere, vel fieri sacerdotem; cùm id cadat in præjudicium cultûs divini & Ecclesiæ. Posse tamen dicta onera minui, v. g. numerum missarum reduci, residentiam remitti, &c. ab Episcopo cum consensu patroni (vel etiam eo irrationabiliter invito sine ejus consensu) in casu necessitatis, v. g. si reditus non sint sufficientes ad tale unus præstandum, eò quòd cessantibus reditibus, cesset ordinario testatoris, docet Pirh. *ad h. t. num. 132.* citans Abb. *in c. nos quidem de testam. n. 6.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 24. q. 6.* Garc. *p. 7. c. 1. n. 224.* & Laym. Idem est de reductione anniversariorum, nisi quòd hæc reductio fieri debeat in synodo diœcesana, juxta decretum Trid. *sess. 25. c. 4.* quod tamen Decretum ait Pirh. teste Garciâ *l. cit. n. 36.* in pluribus Episcopatibus non esse usu receptum. Probabile quoque esse, tradit Pirh. *h. t. n.* 131. quòd quamvis solus Papa ex plenitudine potestatis suæ facere possit in totum & perpetuam mutationem in beneficio patronato ex causa rationabili, etiam contra primi fundatoris voluntatem; possit tamen etiam Episcopus cum consensu patroni seu hæredis fundatoris, utpote qui ipsum fundatorem repræsentat, ex justa causa, ob quam à conditione beneficii in fundatione requisita recedendum videatur, per epikiam interpretari, & interdum etiam pro una alteráve vice dispensare, & sic interpretando aut dispensando, mutationem aliquam quoad unam alterámve conditionem, v. g. ut præsentari possit non sacerdos, contra quod requiritur in fundatione facere, non obstante Trid. *sess. 25. c. 5.* statuente, ut dum qualitates certæ aut onera in erectione beneficiorum ex fundatione requiruntur, eis in collatione seu quacunque alia dispositione dictorum beneficiorum non derogetur, (ubi S. Congr. Conc. declaravit, non licere Episcopis, etiam accedente consensu patroni, iisdem derogare. Vide Gallemart. *num. 3.*) eò quòd exigua aut nulla derogatio censeatur fieri, si Episcopus pro una vice in conditione beneficii dispenset ob justam causam, propter quam fundator, si adhuc viveret, facilè id etiam concessurus esset: citat pro hoc Abb. *in c. cùm accessissent. de constit. n. 5.* Navar. *l. 3. cons. 6. n. 4. de Cleric. non resident.* Laym. *Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 13. n.* 17. Verùm contrarium etiam in hoc probabiliùs sentire videtur cum aliis Garcias. *p. 7. c. 1. num.* 107.

5. Respondeo tertiò: neque etiam, præscindendo ab istiusmodi Ecclesiæ præjudicio, à fundatore ex intervallo, multóque minùs à successore illius, alterari possunt leges fundationis in præjudicium vocatorum tam ad juspatronatûs activum, quàm passivum. Card. de Luca *de jurepatron. d. 16. n. 2. & 3.* citans Decium *l. 4. decis.* 280. Tondut. *qq. beneficialium. p. 1. c. 91. num.* 1. decis. Rotæ. 37. *num. 1. p. 3. recent.* Hinc adjici non potest qualitas illa passiva restringens libertatem patronorum, ut hi teneantur præsentare ex certo genere, vel habentem certam qualitatem, dum id in limine fundationis requisitum non fuit. Card. de Luc. *loc. cit. d.* 18. *n.* 4. ex Vivian. *p. 1. l. 2. c. 8. n. 6.*

6. Veruntamen hanc responsionem sic limitat idem Card. *loc. cit. num. 4.* ut ea procedat, dum agitur de jurepatronatûs gentilitio, aut aliàs ita constituto, ut successor, qui talem alterationem impugnet, veniat jure suo directè ac independenter ab eo, qui talem legem alterativam adjecit; secùs enim est, dum agitur de jurep. hæreditario, ubi successores suum jus metiuntur ab eo, qui talem legem alterativam adjecit; tum namque talis successor fundatoris quoad hæredes & successores suos ab eo causam habentes censendus est jure primi fundatoris; quia si poterat in præjudicium suorum hæredum de ipso jurepatronatûs in genere disponere illud Ecclesiæ remittendo, vel aliis donando, multò magis potuit illud hæredibus relinquere in aliqua parte à suo primævo statu alteratum, juxta regulam communem, quòd impugnari non potest judicium illius, qui dedit minus, dum in ejus libertate erat nihil dare. Citat pro hac sua limitatione & distinctione præter Lamb. Gratian. plures Rotæ decis. atque ita v. g. subsistere legem illam, quâ fundator ipse ex intervallo, seu postmodum, vel successor fundatoris secuturis hæredibus seu patronis necessitatem imponit præferendi (dum de eo nihil expressè dixerat fundator) illos de familia vel sanguine, habentes tamen reliquas qualitates à fundatore requisitas in concursu extraneorum iisdem aliis qualitatibus instructorum; præsertim, cùm hæc lex non videatur exorbitans, quin nec alterativa, sed potiùs declarativa ejus, quod est de jure, seu de jure prætendi posset, unde etiam compatibilis est cum prima lege in fundatione expressa; quatenùs nimirùm non recedendo à dicta lege, quâ v. g. jubebantur præsentari de gremio Ecclesiæ alicujus, fundator postmodum aut ejus successor statuendo, ut si ex gremio essent, qui essent de sanguine, hi aliis præferantur, explicare voluit id, quod de jure prætendi posset, utique & æquitati consonum reputatur, scilicet ut cæteris paribus præferantur, qui sunt de sanguine. Insuper, cùm supposità habilitate nihil Ecclesiæ intersit, beneficium uni vel alteri personæ conferri; quinimò hujusmodi restrictiones Ecclesiæ favorem concernant, ubi videlicet juspatronatûs de hæreditario fit gentilitium, cùm ita faciliùs Ecclesia spetare possit libertatem, sequendo eam opinionem, quòd cessante eo genere, juspatronatûs exspiret; cùm, licèt ea sit minùs recepta, dari tamen possit ejus casus ex clausulis & verbis restrictivis; ita Card. de Luc. *cit. d. 18. n. 4. & 5. & d. 17. n. 5.*

7. Et de hoc patrono, cui juspatronatûs competit ex hæreditate, (non verò de eo, qui patronatum gentilitium obtinet) videntur ea procedere, quæ tradit Laym. *Theolog. moral. lib. 4. c. 13. à num.* 14. nimirùm, quòd patronus ejúsve hæres successor in patronatu, ut renunciare potest juripatronatûs in favorem Ecclesiæ, ita etiam minuere vel tollere eas conditiones, quæ in solum favorem patroni contra vel præter jus commune appositæ sunt à fundatore; non verò eas, quas fundator apposuit ob cultum divinum, vel ob sui memoriam, honorem & commodum familiæ suæ, v. g. non possit, etiam Episcopo consentiente, minuere numerum missarum; sic etiam non possit patronus talis, aut etiam Episcopus (nisi fortè gravissimâ causâ postulante) auferre fundatoris insignia posita in Ecclesia, quam fundavit; multóque minùs, ut Pirh. *h. t. num.* 132. patronus successor, si alterius familiæ sit, sua insignia eo loco ponere potest, ne memoria primi fundatoris aboleatur; neque his obstare decis. Rot. *in una Tranensi* decidentis absolutè, leges à fundatore adjectas alterari non posse, ait de Luca *d. 15. h. t. n. 9.* eò quòd agat de adjectione conditionum dispositioni juris contrariarum, v. g. quòd præsentari quoque possit non habens legitimam ætatem; cùm, dum hoc ipsum fundator non constituit, etiam adversetur menti illius, utpote quam præsumendum est fuisse juris dispositioni conformem, dum aliud non expressit. In aliis verò similibus Rotæ decisionibus agi de quibusdam legibus respicientibus Ecclesiæ servitium. Neque obstare

l. cùm à matre. c. de rei vendicatione. & *c. vendicantem. ff. de evictione*, nimirùm quòd hæres teneatur præcisè servare factum Auctoris seu dispositum ab eo, etiam in juribus propriis, quatenùs vires hæreditatis suppetunt, & quoties non concurrit talis nullitas actûs, vel talis vehemens resistentia juris, ut ipsimet etiam Auctori contra tale à se statutum venire licitum esset: siquidem ex eo, quòd hæc regula procedat in materia existente in privato commercio, & in merè profanis, non rectè arguitur, ut vult Maranta junior *p. 3. resp. c. 3. n. 15.* procedere quoque illam in re beneficiaria Ecclesiastica, utpote in qua jura resistant, & non patiantur quicquam constitui à fundatoribus vel patronis sine consensu Ordinarii, quæ juris resistentia non cadit in istis profanis & privatis commerciis; ac proinde non sequitur: hæres non potest ex se Auctoris statutum impugnare seu immutare: ergo nec patronus successor, etiam cum dicto consensu legitimi superioris, non potest facere dictam mutationem. Card. de Luc. *d. 15. n. 6.*

8. De cætero non posse beneficium perpetuum, etiam de consensu Ordinarii per patronum reddi Manuale; eò quòd immutatio ista sapiat speciem quandam alienationis, & beneficium constitutum in statu perpetuitatis (quæ beneficiis sæcularibus est connaturalis) videatur acquisivisse jus habendi sponsum perpetuum inamovibilem, cum communiore docet idem Card. *loc. cit. n. 11.* contra Navar. *consf. 9.* vel juxta impressionem Venetam *consf. 11. l. 1. de offic. ordinar.* & Gonz. *ad Reg. 8. gl. 5. n. 62.* quamvis idem Card. de Luca *n. 7.* admittat, dum fundator constituit beneficium manuale seu amovibile, posse patronum successorem id ita limitare, ut, quoties contingat, illud possideri per aliquem de familia, is removeri nequeat; eò quòd istiusmodi remotiones dedecus seu aliquod præjudicium quandoque causare soleant: siquidem hæc limitatio non tam alterativa est naturæ beneficii remanentis in terminis manualitatis, quàm suppletiva & declarativa verisimilis voluntatis fundatoris; quâ ille præsumitur voluisse evitare dictum dedecus suorum descendentium vel agnatorum, quod rectè fieri potest per hæredem primum vel executorem voluntatis defuncti aliúmve fiduciarium, utpote illius voluntatis verisimiliter conscium, juxta decis. Rotæ 216. *p. 10. recent.* Denique vide, quæ Laym. *loc. cit. n. 17.* habet, qualiter nimirùm incidente aliquo casu ex epikia Episcopus cum consensu patroni mutare vel tollere possit, saltem pro unica vice conditiones à fundatore appositas contra Garc. *p. 7. c. 1. n. 107.* & plures alios.

Quæstio 95. Quid juris & potestatis habeat patronus circa res temporales Ecclesiæ usurpandas vel curandas?

1. Respondeo primò: Patronus, etiam Ecclesiasticus, non potest reditus Ecclesiæ vel beneficii sub prætextu jurispatronatûs propriis usibus applicare, excepto, si moderatam aliquam præstationem cum eum Episcopi consensu sibi reservâsset, juxta *c. præterea. h. t.* Laym. *in c. sicut. de suppl. neg. prał. num. 1.*

2. Sed neque idipsum potest patronus, advocatus, aliúsve jus custodiæ administrationisve habens fructuum beneficii tempore, quo illud vacat, nisi illi sint valdè modici, & antiqua consuetudo id obtinet, aut tales modici fructus in fundatione sint patrono reservati. Laym. *in c. generali. de elect. in 6. n. 4.* citans Jo. Monachum *ibidem. n. 9.* qui etiam addit, non valere, nec posse prævalere consuetudinem, quamvis immemorialem, utpote Ecclesiæ valdè damnosam, ut fructus omnes, etiam copiosi, vacantis Ecclesiæ à patrono vel administratore, præsertim laico, absumantur, juxta *c. 1. h. t. in 6.* Unde, dum allegatur consuetudo Galliæ, secundùm quam vacante Ecclesiâ Episcopali vel Archi-Episcopali Rex vacantis Ecclesiæ proventus liberè administrat & collocat. Jo. And. *in cit. c. generali. n. 4.* & Chockier. *in reg. 1. cancell. n. 13.* dicendum inquiunt, hanc consuetudinem non mero facto, sed titulo Pontificii privilegii inniti. Porrò statuta est pœna excommunicationis iis, qui sub titulo regaliorum, (quo nomine veniunt collectæ seu steuræ, quas Imperator titulo supremi dominii imponit, quatenus omnes terras Imperii ratione feudi antiquissimi sibi subjectas habet, propter quod generalis quodammodò patronus censeri debet Ecclesiarum, quæ in Imperio sunt, ut Castaldus *q. 100.* videlicet ratione fundi, quæ ex antiquissima origine ad Regem spectabat, secundùm proprietatem, cùm Ecclesiæ fundarentur; etsi interim jus præsentandi pertineat ad eum, qui Ecclesiam fundavit vel dotavit) vel custodiæ seu guardiæ, (quo nomine venit jus custodiendi Ecclesiam aut monasterium, ejúsque bona conservanda, maximè cùm sedes vacat) vel advocationis seu defensionis (quo nomine venit jus competens patrono defendendi Ecclesiarum jura, curandique, ne earum bona dilapidentur) bona Ecclesiarum aliorúmque piorum locorum de novo usurpare præsumant. Laym. *in cit. cap. generali.* Quam tamen excommunicationem ut incurrant, duo requiruntur, nimirùm ut regalia, jus custodiæ vel advocationis sibi de novo sumant, & ut ob eum titulum bona ista usurpent. Laym. *ibid. n. 1.* Quam tamen pœnam non incurrunt, qui ex fundatione vel antiqua & præscripta consuetudine sub dicto titulo vacantis Ecclesiæ bona administrant, & fructus tunc provenientes accipiunt. Laym. *ibid.* citans Navar. *in man. c. 27. n. 123.* & Suar. *de cens. d. 23. s. 4. n. 6.*

3. Respondeo secundò: tametsi patronus, juxta *c. filiis. 16. q. 7.* possit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut, si sacerdotem vel ministrum aliquid ex rebus collatis Ecclesiæ (intellige à se vel majoribus suis; cùm respectu collocatorum ab aliis cesset omne ejus interesse. Lott. *l. c. n. 70.* citans Imol. *in c. mancipia. de rerum perm. n. 4.* & Suar. *de immunit. Ecclesiæ. l. 4. c. 14. n. 21.* Quamvis idipsum restringant ulteriùs alii, ut Jo. Andr. apud Lott. *num. 27.* ad casum singularem, si patroni sint magni principes ob maximum potentatum comparati regibus) viderint defraudare, aut honestâ conventione compescere, aut Episcopo vel judici corrigenda denunciare; hoc ipsum tamen non est nisi simplex jus providentiæ sine cujusvis alterius juris permixtione. Lott. *l. 1. q. 11. n. 64.* citans Bellam. *in c. laicis. eâdem causâ & q.* Unde

4. Respondeo tertiò: tametsi patronus semper possit se opponere, ne res Ecclesiæ dissipentur, aut sine causa distrahantur, debeátque in hoc esse præcipua ejus sollicitudo. Lott. *loc. cit. num. 66.* citans Innoc. *in rub. h. t. n. 1.* Anchar. *consil. 122. n. 5.* & Rot. *in una Calag. erectionis Capellæ* 15. *Nov.* 1624. ita ut secutâ distractione valeat semper patronus urgere illius retractationem, si minùs justa sit. Lott. *ibid.* citans Roch. *de jurepatr. v. honorificum. num. 10.* jus tamen nullum habet circa dispositionem Ecclesiæ vel dotis, juxta *c. noverint. 10. q. 1.* Etiamsi contingat alienatio; cùm inde non lædatur ejus juspatronatûs; ut proinde consensus patroni in istiusmodi alienatione rectè quidem adhibeatur ex urbanitate & honestate quadam; non autem ex necessitate. Lott. *loc. cit. n. 64 & 65.* citans Innoc. in *c. 1. ut Eccl. benefic. sine diminut. confer. n. 6.* & Joan. And. *ibidem. n. 13.*

5. Respondeo quartò: tametsi patronus Ecclesiasticus, secùs est de laico, (ut Auct. paulò pòst citandi) possit videre, & se informare, quomodo expendantur proventus Ecclesiæ, & administrentur. Lott. *n. 67.* citans Roch. *ubi antè.* & Rebuff. *in tr. de congrua num. 14.* & rationem administrationis temporalium exigere à Rectore, præsertim si is ei suspectus est, & patronus v. g. sit Abbas, monasterium aut capitulum collegiatum. Laym. *loc. cit. n. 2.* non potest tamen minutatim exigere rationes. Lott. *ibid.* & citati ab eo AA.

6. Respondeo quintò: de cætero prohibetur, ne patroni, sive clerici, sive laici, cujuscunque sint ordinis & dignitatis, beneficiorum, fructuum aut aliarum obventionum perceptioni ex ulla causa vel occasione, non obstante quâcunque consuetudine, se ingerant, & quòd, si secùs fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subjiciantur, (quæ videtur esse excommunicatio

catio

catio latæ ſententiæ, ut Pirh. *h. t. n. 23.)* & dicto jurepatronatûs ipſo jure privati exiſtant. Trid. *ſeſſ. 25. c. 9.* Unde adminiſtratio gazophylacii non ad patronum, qui Eccleſiam vel capellam fundavit, ſed ad Rectorem & miniſtros Eccleſiæ, vel ab ipſo Rectore deputatos pertinet. Pirh. *ibid.* citans Laym. *Th. Mor. l. 4. Tr. 2. c. 13. n. 11.* præcipit item Trid. *ſeſſ. 24. c. 3.* ut patroni viſitationi ornamentorum Eccleſiæ aut bonorum ſtabilium ſeu fabricarum proventibus ſe non immiſceant, niſi quatenùs id eis ex inſtitutione ac fundatione competit, ait tamen Laym. *ad cit. c. ſicut. n. 3.* quòd, cùm titulus adminiſtrationis in temporalibus tempore vacantis prælaturæ vel beneficii abſolutè cadere poſſit in patronum, etiam laicum, Eccleſiæ, difficilè is ei auferri poſſit, ſi fundetur in conſuetudine immemoriali; ita tamen, ut ea adminiſtratio ſive perceptio fructuum non cadat in gravamen Eccleſiæ, quam ob rem tales patroni aliique vendicantes ſibi tale jus adminiſtrationis curare debent, ne bona vacantis Eccleſiæ alienentur, atque in hujus rei teſtimonium conficere inventarium rerum præſentium; item abſtinere à perceptione fructuum, qui maturi necdum ſunt, ſeu quorum percipiendorum tempus nondum advenit, quales v. g. ſunt ſylvæ cæduæ, quæ tempore vacationis non ſunt in eo ſtatu, ut cædi debeant. Ac denique fructus ac reditus, qui eo tempore proveniunt, ſucceſſori in beneficio reſervare. Ita ferè Laym.

Quæſtio 96. Quid poſſit patronus circa ponendum cuſtodem, inſtituendum vel deſtituendum Rectorem, & diſponendum de beneficio, ac demùm circa præcipiendum Rectori?

1. Reſpondeo ad primum: non poſſe patronum laicum (niſi fortè id habeat ex ſpeciali privilegio Papæ vel conſuetudine legitimè præſcripta) ponere cuſtodem vel œconomum Eccleſiæ. Laym. *ad c. cum nos de off. Jud. ordin. n. 4.* citans Jo. And. *ad id c. n. 5.* poſſe tamen id patronum Eccleſiaſticum; eò quòd is Eccleſiâ beneficióve vacante redituum cuſtodiam & adminiſtrationem habeat: ex eo enim jam etiam œconomum ſeu redituum adminiſtratorem ibi conſtituere poſſit, tenet Laym. citans Abb. *in cit. c. cùm nos. n. 8.* & Jo. And. *ubi antè:* quamvis contrarium etiam de patrono Eccleſiaſtico ſentiat. Lott. *cit. q. 11. n. 68.*

2. Reſpondeo ad ſecundum: Rectorem beneficii, maximè curati, nullatenùs inſtituere poteſt patronus, etiam Eccleſiaſticus, ſed ſolùm præſentare ab Ordinario inſtituendum, multóque minùs illum deſtituere. Laym. *ad c. ſicut. de elect. n. 2.* Barb. *juris Eccleſ. l. 3. c. 12. n. 207.* juxta *c. ſicut. de ſuppl. neg. præl.* & *c. præterea. h. t.* Unde, ſi velit præſentare, ut deſtituatur is, qui beneficium obtinet, adverſatur illi manifeſtus defectus poteſtatis: abſurdum enim eſt cum mutatione voluntatis ipſius patroni mutare etiam Rectorem beneficii. Lott. *l. 2. q. 6. n. 3. & 4.*

3. Reſpondeo ad tertium: non poteſt patronus, etiam Eccleſiaſticus, concedere aut liberè conferre Eccleſias aut beneficia, in quibus juspatronatûs habet. *c. tranſmiſſa. h. t.* Sed neque conceſſio ſeu collatio facta à patrono, etiam Eccleſiaſtico, vim præſentationis habet, ut expreſsè colligitur ex *cit. c. tranſmiſſa.* Pirh. *h. t. n. 28.* Unde Epiſcopus vel alius, ad quem ſpectat inſtitutio, non debet admittere literas præſentationis, in quibus patronus ſive Eccleſiaſticus, ſive laicus ſe vocat collatorem beneficii, vel conceſſionem vel collationem ſibi competere, qualis mos obtinet in quibuſdam diœceſibus Germaniæ, qui aboleri deberet; cùm ex abuſu vocabulorum facilè ſequatur etiam abuſus poteſtatis, maximè in laicis. Pirh. *ibid.* citans Abb. *in c. cùm autem. h. t. n. 5.*

4. Reſpondeo ad quartum: patronus, etiam Eccleſiaſticus, v. g. Abbas, monaſterium vel capitulum collegiatum nihil circa curam plebis & Sacramentorum adminiſtrationem Rectori inſtituto præcipere poteſt, ſed Epiſcopo denunciare debet, ſi officium malè adminiſtret. Laym. *loc. cit.*

Quæſtio 97. Quid poſſit patronus circa electionem Prælati in Eccleſia collegiata vel conventuali?

1. Reſpondeo primò: non permittitur, ut patronus laicus unà cum Clericis tractatui electionis ſe immiſceat, argumento *c. 1.* & *c. ſicut.* & *c. ſacroſancta. de elect.* Laym. *in c. cùm terra. de elect. n. 5.* conſuetudine tamen & fundatione conſtitui poteſt, ut patronus laicus ad electionem prælati vocandus ſit, non ut electionis tractatui ſe interponat, ſed ut ſuâ præſentiâ & auctoritate Clericorum liberam & canonicam electionem defendat. Laym. *ibid. n. 6.* atque ita ſuſtineri poteſt per conſuetudinem & privilegium, vel per fundationis literas, ut mors prælati nunciari debeat patrono laico, ut conſenſus ejus vel potiùs patrocinium ac defenſio petatur ad novam electionem juxta Canones celebrandam. Laym. *ibidem. n. 7.* remittens ad Gregor. Tholoſſ. *tr. de elect. c. 19. n. 15.*

2. Reſpondeo ſecundò: poteſt etiam fundator ſibi & ſucceſſoribus patronis, interveniente auctoritate & conſenſu Epiſcopi, reſervare jus factæ jam electioni conſentiendi, vel etiam interveniendi in electione ſine ſuffragio per modum conſultationis. Lott *l. 2. q. 6. n. 64.* citans Innoc *in rub. de jurepatr. n. 3.* De cætero fundator, multóque magis patroni ſucceſſor, ſive prætendat jus præſentandi, ſive ſimplicem concurſum in jure eligendi, prætenſio habet apertam juris reſiſtentiam; nam præſentationi repugnat ipſa natura beneficii electivi, interventui autem in electione lex ipſa majori vi reſiſtit; cùm jus eligendi non poſſit cadere in laicum, juxta *c. ſacroſancta. de Elect.* redundátque illud in diſpendium libertatis Eccleſiaſticæ, ſive agatur de prælatura ſæculari, ſive regulari. Lott. *loc. cit. à n. 52.* Unde tamen non ſequitur, non poſſe fundatorem laicum acquirere patronatum in Eccleſia conventuali citra privilegium Apoſtolicum; etſi enim hunc unum fructum juriſpatronatûs conſiſtentem in præſentatione vel electione prælati non conſequatur citra dictum privilegium, conſequitur tamen ſine illo jus ipſum patronatûs in ſubſtantia, & prout eſt quid individuum, etſi reſpectu juris præſentandi, quod aliàs eſt unum ex conſecutivis ad illud modificatum; quin & conſequitur juspatronatûs quoad alios quoſcunque illius effectus, putà, honorem, præeminentiam, alimentorum receptionem, jus etiam præſentandi ad præbendas aliáque beneficia inferiora ab ipſa prælatura. Lott. *loc. cit. n. 50. & 65.*

Quæſtio 98. An & qualiter patronus præſentare poſſit, dum beneficium adhuc eſt plenum, vel ad vacaturum?

1. Reſpondeo ad primum: dum beneficium adhuc eſt plenum, ſeu non vacat, patronus habet quidem poteſtatem præſentandi in habitu, ſed non in actu, ſive habet poteſtatem hanc ligatam. Corrad. *l. 4. c. 6. n. 33.* Lott. *cit. q. 6. n. 2.* citans Lamb. *l. 2. p. 1. q. 6. a. 1. n. 2.* Barb. juxta *c. ult. de conceſſ. præb.* non enim poteſt præſentare, ut deſtituatur Rector obtinens beneficium, ut dictum ſuprà. Si autem velit prævenire vacationem, ita ut præſentatio ſortiatur effectum poſt ceſſum vel deceſſum, hoc ipſum repugnat textui *c. 2.* & *c. ex terrore. de conceſſ. præb.* aliiſque juribus votum captandæ mortis ubique deteſtantibus. Et licèt reſpectu præſentantis videatur ceſſare conſideratio hæc; nihilominùs reſpectu præſentati impoſſibile eſt ſeparare hujuſmodi votum & ambitum, ut ait Lott. *n. 7.* citans Ruland. *vol. 1. conſ. 47. n. 53.* & Rotam.

2. Secùs tamen eſt, ſi patronus exiſtimavit beneficium vacare; nam ubicunque ſuccedit vacatio, ſi ipſe patronus præſentationem promoveat petendo inſtitui præſentatum, actus hic habet vim novæ præſentationis; quin &, ſi non ipſe, ſed qui priùs, nempe adhuc pleno beneficio fuit præſentatus, pro eadem inſtitutione, inſiſtat, cenſetur etiam id facere in vim mandati ejuſdem patroni. Lott. *cit. q. 6. n. 19. & 20.* citans aliquot

Rotæ decis. atque ita ipsam quoque præsentationem, quæ à principio nulla erat, convalescere à die veræ vacationis, ait Corrad. *l. 4. c. 6. n. 30.* ex Mareschot. *var. resol. l. 2. c. 33. n. 6.* nisi tamen probetur patroni mutata voluntas, quæ ex actu etiam nullo declaratur, & ideo, si de mutatione non appareat, illa videtur durare; nec voluntatis mutatio præsumitur: ac prætereà præsumendum est, patroni voluntatem mutatam non fuisse. Corrad. *ibid.* citans Paris. *de resignat. l. 9. q. 25. n. 16.* & sic illa patroni voluntas, qui illam non mutavit, declaratur factis potiùs quàm verbis, cùm post dictam vacationem noluit alium præsentare, quàm jam præsentatum. Corrad. *ibidem.* Unde neque in hoc casu suffragari ei potest consensus seu auctoritas ordinarii. Idem *loc. cit. n. 5. & 6.* citans Greg. *decis.* 420. *n.* 4. Quòd si autem patronus non præsentet, sed promittat alicui, se eum præsentaturum in casu futuræ vacationis, quia nihilominus ex hoc actu æquè inducitur votum captandæ mortis, non excusandum illum à peccato mortali, ait Lott. *n. 9. &c.* Spino. *de testam. gl. 4. n.* 102.

Quæstio 99. *Quid possit patronus quoad constituendum procuratorem in ordine ad præsentandum?*

1. Respondet primò Corrad. *l. 4. c. 2. n. 23.* ex Lapo *alleg. 88.* & Roch. *v. honorificum. q. 5. n. 23. & n. 4.* quòd patronus possit, etiamsi non fuerit impeditus, præsentare per procuratorem, & cessante fraude valida sit talis præsentatio facta in vigore mandati, cùm id non repetiatur à jure prohibitum; requiri autem speciale mandatum, cùm præsentatio sit quædam donatio, ad quam requiritur speciale mandatum, juxta *c. fin. de off. vic. in 6.* quódque procurator infra tempus datum ad præsentandum debeat exhibere dictum mandatum, vel patronus factam à procuratore præsentationem ratificare, aliàs præsentationem remanere invalidam, ut Vivian. *l. 6. c. 5. n. 5.* posse nihilominùs in termino dicti temporis fieri productionem verbalem, cum clausula: *Animo exhibendi*, & postmodum extra terminum fieri productionem realem, de cætero

2. Respondeo secundò: non tantùm possunt, sed & consulitur absentibus vel peregrè profecturis patronis, ut procuratorem constituant, qui occurrente vacatione possit præsentare. Lott. *l. 2. q. 14. n. 42.* atque hoc intelligendum de patrono longè absente à beneficio aut peregrè recessuro, ut verisimiliter dubitari possit, quòd beneficium sit vacaturum in ejus absentia. Lott. *l. 2. q. 6. n.* 10. dicens, in eo omnes convenire, posse ab eo institui procuratorem, non solùm, si plura sint beneficia, in quibus habeat juspatronatûs, sed etiam, si unum tantùm: citat pro hoc Jo. And. & Imol. *in c. ult. de concess. preb.* & Lamb. *l. 1. p. 2. q. 4. a. 3.* Etsi ut Jo. And. adhuc magis excludatur fraus omnis, dum eundem procuratorem constituit ad omnia sua negotia: Id tamen necessarium non est, dum est justa causa absentiæ, & plura sunt beneficia ejusdem jurispatronatûs, sed solùm, ubi unicum tantùm esset beneficium. Lott. *cit. q. 6. n. 11.* juxta Abb. *in cit. c. ult. n. 6.* Corrad. *l. 4. c. 6. n.* 34.

3. Respondeo tertiò: etiam dum patronus habet justam causam absentiæ, constituere non potest procuratorem, ad præsentandum (intellige in casu futuræ vacationis) certam personam, dum beneficium adhuc plenum est, eò quòd tunc recurreret eadem ratio inductiva voti captandæ mortis, cujus præsumptio constituitur in ista spe. Lott. *n.* 12. citans Verall. *decis. 282. n. 2. p. 1.* Rotam *in una Pampilon. parochiali* 17. *Maji* 1595. de qua vide Garc. *p. 10. c. 1. n. 22.* & Mareschot. *var. resol. l. 2. c. 33. n. 1.*

4. Respondeo quartò: dum nulla subest necessitas aut justa causa absentiæ, patronúsque non habet, nisi in uno beneficio juspatronatûs, constitutio procuratoris est invalida, etiamsi constituat ad præsentandum ad omnia; dispositio namque etsi generalis, resolvitur in specialem, ubi non potest verificari, nisi in una specie. Lott. *n. 13. & 14.* citans præter plures alios Paris. *cons. 53. n. 12. volum. 3.* Secùs tamen est, dum habet plura beneficia sibi obnoxia, eò quòd datâ pluralitate beneficiorum, & non designatâ personâ, quæ præsentari debeat, excludetur penitùs votum captandæ mortis. Lott. *n.* 16. citans Lamb. *l. 2. p. 1. q. 4. a. 3. n. 9.* Idem tenere necesse est Joan. Andreæ, dum is *in cit. c. fin. n. 3.* dicat, id maximè procedere, dum patronus habet justam causam absentiæ, & adhuc magis, si eundem constituat procuratorem omnium negotiorum; siquidem natura hujus dictionis *maximè* solùm est, exprimere causam minùs dubitabilem in ordine ad magis dubitabilem, ut Lott. *n.* 17. juxta Abb. Imol. &c.

5. Respondeo quintò: quòd si procurator constitutus ad præsentandum pleno adhuc beneficio, in abstinens ab executione hujus sibi dati mandati, non valebit postmodum subsecutâ vacatione in vim illius mandati præsentare, eò quòd illico mandato, hujusmodi concesso, fuerit ejus effectus consummatus in inductione captandæ mortis. Lott. *n.* 10. posse tamen fundatorem adjicere conditionem de consensu Ordinarii in limine fundationis, quòd patronus possit præsentare vel constituere procuratorem ad præsentandum, antequam beneficium vacet, cessante etiam absentiâ ipsius patroni, tradit Corrad. *l. 4. c. 6. n. 35.* juxta decis. Rotæ.

6. Respondeo sextò: in casu primo, dum nimirùm patronus legitimè absens validè constituit procuratorem, ea hujus mandati vis est, ut etiamsi posteà ignoretur, ubi sit patronus, ita ut illius vita revocetur in dubium, semper prævaleat præsumptio vitæ usque ad 100. annos. Lott. *l. 2. q. 14. n. 43.* cùm satis sit ostendi, eum vixisse tempore concessi mandati, ut vita præsumatur. Lott. *n.* 44. juxta binas Rotæ decis. Unde etiam, dum eum hæreditate defertur patronatus alicui absenti, qui nesciatur, ubi sit, vel etiam cujus vita ignoretur, consulitur his, quorum interest, ut curent auctoritate magistratûs deputari administratorem omnium bonorum & jurium hæreditariorum, & hic administrator datâ vacatione præsentat. Lott. *n. 45. & seq.* ex Gamb. *de off. leg. l. 4. rubric. de potest. legati in commendam benef. n. 35.* quin & per præsentationem factam ab hujusmodi procuratore censetur consumptum jus præsentandi pro ista vice, ut deinceps non attendatur præsentatio facta per ipsum principalem supervenientem, eò quòd cùm præsentatio sit fructus jurispatronatûs, non potest administrator amittere perceptionem hujus fructûs interim obventi hæreditati, quam administrat. Lott. *n.* 48.

7. Denique hanc inter procuratorem patroni Ecclesiastici & procuratorem patroni laici facit differentiam. Lott. *l. 2. q. 19. n. 25. & 6.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 14. q. 6.* (qui tamen ibi nihil de hoc) & Rotam *in Calagur. beneficiis.* 14. *Maii* 1619. quòd isti affirmanti medio juramento de legitimo impedimento sui principalis non creditur, nisi ad hoc habeat speciale mandatum.

PARAGRAPHUS VII.

De commodis & prærogativis patronatûs.

Quæstio 100. *An & quæ temporalia ratione jurispatronatus sibi competentis exigere possit patronus ab Ecclesiis, vel etiam præsentatis jure fortè speciali?*

1. Respondeo ad primum: primò prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ, ne patroni vel advocati Ecclesiarum in recognitionem jurispatronatûs vel advocatiæ aliquid ab iis exigant, neque tributa, vel collectas militum, vel ullum servitium, v. g. alendi canes venaticos, vel alia jumenta, iis imponant, neque ullis aliis oneribus vel exactionibus gravent, quia talia à subditis exigi, iisque hujusmodi onera imponi solent, Ecclesiæ autem ejúsque ministri non subjiciuntur sæculari potestati. Pirh. *al-*

lis.

*h.t.n.*42. juxta *c. præterea. h.t.* & Abb. *ibid. n.* 4. item juxta *c.* 1. *de censibus.*

2. Secundò: potest tamen patronus, uti in fundatione, sibi reservare cum auctoritate & consensu Episcopi pensionem aliquam annexam, (quæ tamen moderata esse debet, spectatâ fundationis & redituum Ecclesiæ quantitate; ita ut dos Ecclesiæ necessaria non diminuatur per hoc, & si ex post facto talis reservata & imposita pensio fieret multùm onerosa Ecclesiæ, reducenda erit ad debitam moderationem) ita & eam dein exigere. Pith. *loc. cit.* citans Abb. *in c. præterea. h.t.*

3. Respondeo ad secundum: patronus à præsentando nihil temporale exigere potest, nisi quod in ipsa fundatione constat impositum. *c. sicut. de suppl. neg. præl.* & *c. præterea. h.t.* Barb *juris Ecclesiast. l.* 3. *c.* 12. *n.* 201. Et est simoniaca præsentatio, dum aliquid datur vel promittitur pro præsentatione. Barb. *ibid. num.* 202. citans *c. veniens de testib.* & ibi Decium, & Abbat. Roch. *de jurep. v.* & *utilo. q.* 3. *n.* 19. Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 8. etiamsi id fiat præsentato ignorante. Barb. *ibid. n.* 203. juxta *c. nobis. de simonia.* & *c. permult. de elect.* non tamen erit simoniaca, si fiat sub conditione seu onere celebrandi missas, nisi fortè onus missarum impositum præsentato spectaret ad ipsum præsentantem, cùm per tale pactum is relevaretur ab illo onere. Barb. *n.* 203. juxta decis. Rotæ *in Romana jurisp.* 20. *Decemb.* 1600. multóque minùs erit simoniaca facta sub conditionibus, quæ de jure insunt, seu spectant ad institutom in beneficio, v.g. ut defendat jura beneficii, recuperet bona, congerat in unum scripturas attinentes ad beneficium. Barb. *n.* 204. juxta eandem decis. & Lamb. *l.* 3. *q.* 2. *n.* 2. ac denique simonia non erit, patrono gratis & absque pacto aliquid dare; uti quandoque ob dati exiguitatem præsumi potest fuisse donum liberale & gratuitum. Laym. *in c. præterea. de transact. n.* 2. Verùm vide de hoc dicenda accuratiùs *in parte* 3.

Quæstio 101. *An & qualiter patronus circa dicta commoda temporalia, quæ justè percipere potest; quia v.g. tempore fundationis cum consensu Episcopi sunt reservata, vel ex antiqua consuetudine legitimè præscripta obtenta, possit disponere?*

1. Respondeo primò: Si tales reditus aut commoda sunt certa & determinata, v.g. certa pars fructuum, vel certa pensio annua, tunc possunt vendi aut locari alteri, qui illa percipiat nomine & auctoritate patroni, ita ut titulus seu juspatronatûs maneat penes ipsum venditorem vel locatorem; quemadmodum commoditas ususfructûs vendi potest alteri jure ususfructûs remanente penes usufructuarium. *l. necessario. ff. de peric.* & *comm. rei vend.* Pith. *n.* 41. argumento *c. ultim. ne prælatus vices suas.*

2. Secundò: Si reditus illi aut commoditates sunt incerti, vendi quoque possunt, sicut vendi possunt fructus incerti, aut jactus retis, fructus nascituri. *l. si jactum. ff. de act. empt.* Pith. *ibidem.* citans Jo. And. & Abb. *in c. præterea h. tit.* & Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 22.

3. Tertiò: Si tamen dicta commoda sint operæ seu præstationes, non absolutè reales, sed personales debitæ personæ patroni, v.g. ut alimenta ei præstentur, velut ipso adveniente vel transeunte, Ecclesia vel ejus subditi vecturas aut angarias præstent, hæc vendi non poterunt alteri, quia inhærent personæ patroni, cui talia obsequia debentur; præterquam quòd id cedat in magnum præjudicium Ecclesiæ, si tales exactiones venderentur aliis, qui majoris lucri vel commodi causâ plùs vexare solent Ecclesias & earum subditos. Pith. *ibid.*

Quæstio 102. *Quæ sint commoda patroni ordinaria?*

Respondeo: debita ei honorificentia & præstatio alimentorum, dum eget, *c. nobis. hoc tit.* circa quod secundum observandum: dum plures sunt patroni, omnibus subveniendum esse, secundùm qualitatem personarum, præcipuè tamen ei, qui plus dedit Ecclesiæ, fundando vel dotando. Pith. *n.* 37. citans Zoësium *ad hunc titulum n.* 28. Observandum etiam ex Surdo *de alimentis. tit.* 7. *q.* 32. *n.* 6. patrono ingrato non competere hoc emolumentum alimentorum.

Quæres 103. *In quo consistat debitus patrono honor seu honorificentia, quam, ut Lott.* lib. 2. q. 4. n. 1. *Gelas. Papa* c. piæ mentis. 16. q. 7. *vocat* processionis aditum. *Clem.* 3. in c. nobis. h. t. *honorem processionis?*

1. Respondeo in sequentibus. Primò: quòd debeatur illi honoratior locus in processionibus (v.g. postremus propè Prælatum, nisi in illa provincia sit major honor præcedere, quàm sequi. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 214.) & sessionibus in Ecclesia, aliisque actibus similibus præ cæteris laicis. *c. nobis.* Pith. *n.* 36. Lott. *loc. cit. n.* 2. quamvis Fagnan. *in cit. c. nobis. n.* 12. patet, Dominum temporalem loci, qui contentiosam jurisdictionem fori externi obtinet, etiam in patronata Ecclesia debere præcedere patronum, præsertim si jurisdictionem habeat in ipsum etiam patronum. Idem censet Card. de Luca *in sum. jurisp. n.* 137. dum ait, habere primum locum post principem vel magistratum, primam figuram faciente in distributione palmarum, candelæ, &c. super alios sæculares digniores. Nequaquam tamen ei conceditur locus in sacrario, seu presbyterio, seu diaconio, (quod est locus ante altare majus cancellis divisus à reliqua Ecclesia, ubi presbytero sacra peragenti, qui funguntur diaconi & subdiaconi munere, assistunt. *c.* 1. *de vita & honest. cler.* Lott. *l.* 1. *q.* 13. *n.* 20.) multóque minùs hæc prærogativa indulgeretur fœminæ, si ad eam spectaret juspatronatûs. Lott. *cit. q.* 4. *n.* 4. & *seq. l.* 2. juxta decis. Rotæ *in una Valentina capella* 5. *Martii* 1589. ex mente S. Congregationis rituum; siquidem ibi nulli laicorum est locus. *cit. c.* 1. (intellige quoad effectum sedendi vel standi cum ipsis ministris; secùs ad effectum recipiendi Eucharistiam, vel orandi.) Lott. *cit. q.* 13. *n.* 26. citans Abb. *in cit. c.* & Pavin. *de visitat. p.* 2. *q.* 8. *n.* 36. Ita etiam, ut si laicus diu illuc admissus esset, respectu ministrorum Ecclesiæ semper reputetur actus meræ voluntatis; nec consequenter ex quantocunque tempore intelligeretur ei jus quæsitum, nisi doceatur de quadragenaria cum titulo vel immemoriali, propter juris resistentiam. Lott. *q.* 13. *n.* 27. Quamvis tamen in sacrario ponatur etiam sedes regia è regione sedis Episcopalis, eò quòd is sit persona sacra propter inunctionem in brachio, possitque, etiamsi non habeat sacrum Ordinem, officium simplicis subdiaconi ministrando Episcopo exercere, de quo vide Lott. *cit. q.* 13. *n.* 31. & *seq.*

2. Secundò: quòd ei debeatur præcedentia, dum exhibentur communia obsequia, ut nimirùm primus admittatur ad osculum pacis, primus de laicis thurificetur, primus accipiat palmam, candelam. Card. Luca *loc. cit.* Lott. *loc. cit.* citans Rotam apud Mantic. *decis.* 244. *n.* 1. & Lamb. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 15. Barb. *loc. cit.*

3. Tertiò: quòd si ratione personæ id ei congruat, v.g. dum patronus est Rex vel princeps aliquis magnus aut supremus, ei venienti ad Ecclesiam Clerici debeant obviam ire processionaliter usque ad ambitum Ecclesiæ, eúmque excipere. gl. *magna in c. unicum. hoc tit. in* 6. Pith. *loc. cit.* Lott. *n.* 3. citans Abb. Hostiens. Jo. And. *in c. nobis.* Et Chassan. *in Catal. gloria mundi parte* 4. *consid.* 80. &c. Modò tamen per hoc Ecclesiæ nihil depereat proprii decoris. Unde si patronus vellet quotidie ita solenniter sibi occurri, utique hoc justè ei posset denegari. Lott. *n.* 4. citans Butrio *in c. nobis. n.* 21. An verò prætereà debeatur patrono Ecclesiæ, ut in jus vocari non possit, nisi præmissâ veniæ petitione, sicut de parentibus & patronis libertorum in jure cavetur, dubitari ait Pith *loc. cit.* viderique sibi verius, quòd etsi id decens, non tamen

sit necessarium, cùm nullibi id de patrono, de quo hic, in jure sit expressum; citátque pro hoc Zoës. *l. 1. n. 27.* Porrò observandum ex Card. de Luca *loc. cit.* in suprà dictis præeminentiis seu juribus honorificis certam nihilominùs & determinatam regulam generalem dari non posse; sed pendere decisionem ab observantia particulari, vel à generali more regionis aliisque facti circumstantiis. Item observandum ex eodem *ibidem*, in proposito jurispatronatûs honorifici ac patronalium eminentiarum, non requiri ad justificationem concludentem illam ac exactam probationem, quæ requiritur ad effectum juris præsentandi; sed leviores admitti probationes, etiam in personis potentibus, quæ in hoc non differunt à privatis, cùm rigorosa illa forma Tridentini istum casum solius jurispatronatûs honorifici non percutiat.

Quæstio 104. *Num dicta honoris prærogativa extendat se quoque ad jus sepulturæ?*

1. Respondeo primò: si fundator Ecclesiæ in ipsius fundationis limine reservavit sibi locum pro sepulchro sub expressâ lege, ne ibi aliquis alius sepeliatur, quàm ipse, & qui fuerint patroni Ecclesiæ, hæc lex servanda est, pactióque illa nihil ponit contra juris dispositionem; cùm fiat, antequam locus ille, in quo eligitur sepulchrum, recipiat consecrationem vel benedictionem, atque ita in tempore, quo vel ipsa terra liberè potest vendi, ac emi. Lott. *l. 2. q. 4. n. 9.* citans Boich. *in c. abolendæ. de sepult. n. 8.* sed &, dum jam fundatâ & extructâ Ecclesiâ, atque itâ consecratâ vel benedictâ cum totâ ejus ambitu, aliquis in ea construit capellam aut altare, simúlque paciscitur de habendo in tali capella, vel ad tale altare jus sepulchri, nihil vetat id concedi de consensu Episcopi hujusmodi fundatori, cùm prohibitio, de qua *c. abolendæ.* non extendat se ad simplicem ritum, uti rectè Abb. & Anchar. *ad cit. c. 1. n. 5.* qui usus in hoc consistit, ut extranei prohibeantur in eodem sepulchro sepeliri. Lott. *ibid. n. 10.* Unde etiam præscindendo à casu hoc fundationis beneficii, posse Episcopum, etiam ad solutionem certæ pecuniæ, concedere in tali capella alicui jus sepulturæ absque simonia, tenet idem Lott. *n. 11.* citátque pro hoc Navar. *de sepulturis. cons. 1. n. 1.* & Ledesm. *in sum. p. 2. tr. 12. concl. 34.* qui dicat esse communem Thomist. & Garc. *p. 5. c. 9. n. 137.* eò quòd, ut Ledesm. permisceatur hic honor quidam temporalis, qui non est res spiritualis, ac proinde recipere potest æstimationem & pretium, sitque talis concessio loci, non prout est res sacra, benedicta aut religiosa, (istæ enim qualitates non recipiunt æstimationem, sed veniunt accessoriè ad rem ipsam concessam & alienatam) sed prout profana, cujusmodi res reputatur prærogativa illa loci, in quo alius sepeliri non debeat. Lott. *n. 12.* addens tamen *n. 13.* Hincid, quod solvitur in eam causam, propriè non esse pretium, sed eleemosynam, ut Soto *de just. l. 9. q. 7. art. 3.* Spino *de testam. gl. 2. n. 44.* Gratian. *discep. for. c. 110. n. 6.* Quamvis tamen jus illud sepulturæ à privato, etiamsi hic tanquam fundator id acquisivisset, distrahi aut alienari cum dicta pactione nequeat sine simonia. Lott. *n. 10. 11. 17. & seq.* Qui in hoc sensu intelligendum ait Molin. *de primogen. l. 1. c. 24. n. 40.*

2. Respondeo secundò: de cætero jus sepulturæ à dicto honore procedentis re & ratione diversissimum est. Lott. *c. q 4. n. 7. & seq.* citans Lamb. *l. 1. p. 1. q. 11. a. 13. n. 1.* & in nullo prorsus symbolizat cum jurepatr. de quo vide Lott. *n. 22.* Unde præscindendo à dicto casu expressæ reservationis & acquisitionis juris istius sepulchri à fundatore in limine fundationis pro se & secuturis patronis, certissimè non debetur patrono Ecclesiæ vel altaris. Lott. *n. 21.* citans Rot. *in Toletana Capella & sepulchri. 27. Junii 1616. & in Callagur. jurispatr. 27. Nov. 1617.*

Quæstio 105. *Circa alterum ac præcipuum jurispatronatûs emolumentum, nimirùm perceptionem alimentorum ab Ecclesia in vergentia patroni ad inopiam, de quo statuitur c. quicunque. 16. q. 7. qualiter dicta alimenta præstanda?*

Respondeo: præstanda sunt in domo propria patroni, & non in ipsa Ecclesia. Barb. *juris Ecclesiast. l. 3. c. 12. n. 218.* citans Rebuff. *tr. de congrua port. n. 97.* Surd. *de aliment. tit. 4. q. 14. n. 21.* Secundò: non solùm pro eo, sed & uxore, filiis, familia. Barb. *ibid.* Surd. *loc. cit. q. 18. n. 18.* Grilenzon. *consil. 151. n. 25.* Tertiò: integra, scilicet cibus, potus, vestis, lectus, aliáque omnia, quæ sub alimentorum nomine veniunt, si suppetat ad hæc facultas Ecclesiæ. Barb. *ibid.* Surd. *loc. cit. q. 23. n. 12.* Quartò: præstando ampliora & pinguiora patrono nobili quàm ignobili. Barb. *loc. cit.* Surd. *cit. q. 18. n. 15.*

Quæstio 106. *Quæ conditiones requirantur & justificandæ sint in & à patrono, ut dicta alimenta petere & percipere possit?*

1. Respondeo sequentes: primò, dum in dubium vocatur per Ecclesiam seu ejus Rectorem erectio & dotatio, utpote ex qua debitum illud proficiscitur; de hoc priùs, summariè tamen cognoscendum & statuendum, etsi admittantur leviores & minùs concludentes probationes. Lott. *l. 2. q. 5. n. 2.*

2. Secundò: ut patronus descendat à fundatore, neque enim ad patronos alios, v. g. qui ex mero privilegio, vel jure purè hæreditario, similive alio titulo obtinuêre juspatronatûs, dictus ille fructus seu jus percipiendi alimenta extenditur, ut constat *ex tit. c. quicunque.* Lott. *n. 4.* proinde dum de hoc dubitatur, descendentia hæc probanda; pro hoc autem sufficit quasi possessio alicujus juris, quod non possit convenire alteri personæ, quàm ita descendenti, v. g. quasi possessio recipiendi quot annis in die purificationis candelam ab Ecclesia aliqua, dum constaret teneri talem Ecclesiam candelam istam offerre descendentibus à suo fundatore. Lott. *cit. q. 4. n. 5. juncto n. 8.* Etsi enim probatio præsumptiva resultans ex hujusmodi quasi possessione non sufficiat pro decidendo principali negotio, nisi probetur aliud antecedens coadjuvans ipsum possessorium, & contrariat juris præsumptio illud approbans, ut ait Bald. *l. 2. cons. 189. n. 3.* apud Lott. *n. 6.* sufficit tamen pro summaria illa cognitione status personæ in hoc judicio alimentorum. Lott. *ibid.* juxta decis. Rotæ.

3. Tertiò: ut patronus vergat ad inopiam, non quidem accipiendo de hoc nomen *inopia*, ut volunt gl. *in cit. c. quicunque. v. ad inopiam.* Azor. *l. 6. c. 20. q. 3. &c.* pro egestate somma & arctissima paupertate, seu prout inops in rigore dicitur, qui nihil opis habet, ut Jo. And. *ad cit. c. nobis. h. tit. n. 16.* Et egenus, qui nullius rei vel pecuniæ possessionem habet, ut Cajatius *observat. l. 46. c. 3.* ad differentiam pauperis, qui ita dicitur, quasi parùm habens; sed pro paupertate seu egestate simplice, ita ut patronus inspecto suo statu aliquo modo egeat, hoc est, non possit se, uxorem, filios, familiam ampliùs congruè statui suo sustentare. Pirh. *n. 37.* Barb. *loc. cit. n. 126.* Lott. *n. 24. & 25.* citans Lamb. *l. 3. q. 3. a. 3.* Paul. de Citadin. *de jurepatr. p. 6. a. 4. n. 7.* juxta decis. Rotæ *in una Regien. Prioratûs 1. Julii 1596.* Intellige, ex bonis propriis vel aliunde, putà, ex officio vel opere, quod licitè & honestè exercere posset. Pirh. *loc. cit.* vel ut addit Lott. *n. 27. & seq.* ex recursu ad auxilium necessariorum seu amicorum, eò quòd inopia, quo verbo utitur textus, non tantùm sit referenda ad opus seu divitias, sed & ad opem seu auxilium necessariorum, & hæc demùm sit egestas illa, cui illuvies seu squalor inest, seu egestas summa, de qua in *l. si quis à liberis. ff. de liber. agnosc.* citans pro hoc Bartol. *ibid. n. 2.* Surd. *de aliment. tit. 1. q. 54. n. 16.* Adeóque jam probandum tali non tantùm, quòd ex bonis propriis non possit vivere secundùm gradum & conditionem suam, sed etiam, quòd pro-

ali-

alimentis hujusmodi consequendis nullum sibi pateat juris refugium adversùs alios, unde nihil ageret, qui utcunque pauper, haberet fratrem divitem, vel qui esset professus Religionem, à qua consequi possit alimenta. Lott. *n.* 35. juxta decis. Rotæ 454. *n.* 3. *p.* 4. *recent.*) & quòd industriâ propriâ sibi dicta alimenta comparare nequiret, vel quòd hâc industriâ uti nequeat ob adversam valetudinem aut simile impedimentum corporale, aut quia id repugnat honori suo; id enim absolutè non posse intelligimus, quod salvâ dignitate præstare nequimus. *l. nepos. de verb. signif.* Lott. *num.* 38. Porrò, cùm in arbitrio judicis taxatio illa alimentorum posita sit. Lott. *n.* 32. *&* 39. Covar. *var. resol. l.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Menoch. *de arbit. casu* 65. *n.* 9. Mareschot. *var. resol. l.* 2. *c.* 82. *n.* 12. Anentiùs is nihil considerare debet, quàm dignitatem patroni petentis alimenta, ut vel secundùm ejus intentionem illa taxet, vel eundem rejiciat, ut qui ex propria industria victum sibi quærere possit. Lott. *nu.* 40. Quod judicis arbitrium rectè formari poterit ex iis, quæ fusè Lott. *à n.* 41. de varia populi divisione in nobiles & plebejos; & horum in honestos & viles seu sordidos præclarè disputat, ne ut Lott. *n.* 99. patronus hujusmodi pauper jacturam suæ dignitatis & honoris facere cogatur; quod fiet, ubicunque de superiori aliquo gradu in inferiorem, exercendo officium aut ministerium aliquod pro quærendo victu se indignum, dejicitur; unde etiam limitanda indefinita illa: non est indecorum exercere artem, quam sui majores exercuerunt: ut non procedat, nisi qui rejiciunt ad hujusmodi artem, sæ in eodem gradu & statu, in quo erant sui majores illam exercentes; secùs si sit in altiori gradu, ita ut ei sit summæ verecundiæ tale exercitium. Lott. *n.* 101. qui etiam *n.* 102. ex Roland. *vol* 2. *cons.* 54. *n.* 76. ait, si de exercitio alicujus artis (prout ars distinguitur ab officio) ageretur, incumberet Ecclesiæ jam onus probandi actorem callere hujusmodi artem.

4. Quartò: requiritur, ut justificet dictam inopiam seu lapsum fortunæ contigisse sibi sine sua culpa. Lott. *cit. q.* 1. *n.* 33. juxta decis. Rot. *in Neapolitana alimentorum.* 19. *Aprilis* 1617. Non est enim pium, ut inquit Covar. *var. resol. l.* 2. *c.* 16. *n.* 9. sed fortè impium, de rebus Ecclesiæ subvenire his, qui in paupertatem & carcerem ob propria scelera & luxum inciderunt, & ubicunque egestas obtenditur ad excusandum, non distinguitur, an contigerit culpâ vel sine ea, sed ubi obtenditur ad instruendam actionem, ita ut alteri noceat, debet probari cum hac circumstantia, quòd contigerit sine culpa. Lott. *cit. n.* 33. citans Bald. *in c. qua in Ecclesiarum, de constitut. n.* 3. Tiraq. *in l. si unquam. c. de revocat. donat. v. bona. n.* 5.

5. Denique cùm non teneatur Ecclesia alere patronum, nisi ex bonis superfluis, sive ex iis, quæ supperunt ultra ea, quæ necessaria sunt ad fabricæ & ministrorum sustentationem & cultum divinum: Quippe quibus ante alios ex bonis Ecclesiæ succurri debet, Pith. *n.* 37. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 217. citans Abb. *in c. nobis. n.* 6. Roch. Roland. &c. Hæc superfluitas redituum in Ecclesia detractis expensis necessariis pro servitoribus & aliis necessariis cultui divino necessariò probanda est. Lott. *cit. q.* 5. *n.* 18. citans Abb. *in c. nobis. n.* 6. Butrio *ibid. n.* 22. Surd. *de alim. tit.* 7. *q.* 32. Porrò hæc alimenta præstanda ex fructibus seu reditibus Ecclesiæ, & nequaquam ad ea præstanda vendendam esse proprietatem, tradit Surd. *loc. cit. n.* 6. apud Barb. *loc. cit. n.* 219.

6. Illud hic notandum ex Card. de Luca *in sum. jurispatr. n.* 137. hujusmodi casus alendorum ab Ecclesia patronorum esse raros in foro & praxi, eò quòd frequentiùs juspatronatûs divitum Ecclesiarum, quæ Rectorem suum ac ministros congruè sustentare, ac insuper patrono alimenta præstare valent, ut plurimùm esse soleat apud Magnates, & potentes, divitésque; in exiguis autem beneficiis à personis privatæ fortunæ fundari solitis rarus sit casus ejusmodi exuberantiæ redituum Ecclesiæ.

Quæstio 107. *An & quæ actio competat tali inopi patrono ad petenda alimenta?*

1. Respondeo ad primum: competere ei actionem. Pith. *n.* 37. citans Abb. *in c. nobis. n.* 6. sed latiùs dictum secundùm paulò pòst dicenda.

2. Respondeo ad secundum: non competere ei actionem ex canone suprà citato, sed potiùs officium judicis, (quod est remedium ad instar actionis, & venire potest latâ significatione actionis. Lott. *cit. q.* 5. *n.* 17. citans Ulpian. *in l. actionis. de actione & obligatione.* & Richar. *in rub. instit. de off judic. n.* 1.) sive peti nequeunt aliter, quàm officio judicis. Paul. de Citad. *tr. de jurepatr. p.* 6. *a.* 4. *n.* 8. quem citat & sequitur Lott. *n.* 10. deficiente enim obligatione deficit actio, *l. licet.* ff. *de procur.* Jam verò de his alimentis nulla præexistit obligatio, quamvis enim ea debeantur naturali obligatione, id est, antidorali; hæc tamen obligatio est inefficax, & non consideratur tanquam obligatio; sed tanquam ratio quædam sive æquitas naturalis, quæ illud officium judicis promovet. Lott. *n.* 13. ex Surd. *tit.* 3. *q.* 1. *n.* 10. Nec obstat, quòd, ubi æquitas est à lege approbata, competat condictio ex lege; nam ut respondet Surdus *n.* 19. apud Lott. *n.* 15. condictio ex lege tunc datur, quando nulla prorsùs suberat obligatio, id est, neque civilis, neque naturalis; adeò ut sit prorsùs nova; secùs verò ubi præexistebat obligatio naturalis; cùm tunc non intelligatur per legem nova aliqua obligatio inducta, sed duntaxat excitatum officium judicis pro urgenda ipsa naturali obligatione; quæ tametsi non producat actionem de jure civili, impedit tamen repetitionem soluti quasi indebiti. Neque contrarii sunt Lamb. *cit. a.* 7. *n.* 6. & Joan. Andr. *in c. nobis. n.* 17. cùm solùm istis locis ostendant differentiam inter pauperes alios, quibus subvenire debet Ecclesia ex superfluis, & pauperes patronos, qui insuper ex officio judicis illa alimenta petere possunt. Ita Lott. *n.* 17.

Quæstio 108. *Ad quæ requirendus & obtinendus consensus patroni?*

1. Respond. primò ad alienationem bonorum, seu dotis Ecclesiæ consensus patroni requirendus & adhibendus ex urbanitate & honestate quadam, ut dictum suprà, non autem ex necessitate. Lott. *l.* 1. *q.* 11. *n.* 66. contra Rebuff. *de alien. rer. Eccl. n.* 90. Quamvis autem illius consensus non sit necessarius ad validitatem actûs, potest tamen se patronus semper opponere, ne res Ecclesiæ dissipentur. Lott. *ibid.* ex Innoc. *ad rub. de jurepatron. n.* 1. & Anchar. *cons.* 122. *n.* 5.

2. Secundò ad dismembrationem Ecclesiæ patronatæ non requiritur, nec citatur consensus patroni. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 23.

3. Tertiò: si præbendæ non ab Episcopo, vel capitulo, sed ab alio fundationem acceperunt, supprimi aut diminui non possunt sine patroni consensu, argumento *cap. monasterium.* 16. *q.* 7. Lott. *l.* 2. *q.* 8. *n.* 94. Laym. *in c.* 9. *de constitut.* citans Abbat. *in c. cùm accessissent. de constit. n.* 5. & Jo. And. *ibid. n.* 19. Si tamen necessitas postulet mutationem aliquam instituere in beneficiis, & patronus requisitus consentire nolit, etiam eo invito diminutio beneficii fieri potest; cùm patronus impedire nequeat magnum bonum Ecclesiæ. Laym. *ibid.* juxta Abb. *loc. cit.*

4. Quartò: Ecclesiæ alicujus presbyter ob crimen canonicè amotus vel depositus posteà restitui nequit ab Ordinario sine consensu patroni seu repugnante patrono; partim quia hæc est potiùs nova institutio, quàm juris pristini restitutio; ideoque quodammodò nova patroni præsentatio necessaria; partim, quia vacante beneficio per depositionem, patrono acquiritur jus alium præsentandi, quod jus invito adimi non debet. Laym. *ad c. quamvis. de rescript. n.* 3.

5. Ecclesia patronata erigi non potest in collegiatam absque consensu patroni. Lott. *loc. cit. nu.* 95. citans Jo. And. *in c. nobis. h. t. n.* 8. Et, si erectio hæc fiat,

fiat, intactum tamen durat juspatronatûs in jure præsentandi ad canonicatus. Lott. *n.* 96. citans Seraph. *decis.* 1444. *n.* 11.

6. Sextò: non potest Episcopus Ecclesiam vel beneficium patronatum concedere in proprietatem per modum incorporationis alteri Ecclesiæ seu beneficio, vel etiam unire, aut ex reditibus Ecclesiæ in alia Ecclesia præbendas seu beneficia erigere sine consensu patroni, sive Ecclesiastici, sive laici; nec etiam sufficit ad hoc solum consilium patroni, cùm id cedat in præjudicium patroni, utpote qui per talem incorporationem aut unionem amittit jus præsentandi. Pith. *loc. cit. n.* 122. *c. monasterium.* 16. *q.* 7. ubi gl. *in c. suggestum. h. t.* & ibi Abb. *n.* 1. Rebuff. *in praxi benef. tit. de unionibus. n.* 28. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Gate. *p.* 12. *c.* 2. Laym. *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 12. *coroll.* 2. Et licèt juspatr. non amittat quoad istas præbendas ex reditibus beneficii patronati de novo erectas, (potest enim ad illas præsentare) interest tamen patroni, ut reditus beneficii patronati sibi subjecti non alienentur, uniantur, aut supprimantur: & hinc se opponere potest istis novis erectionibus. Pith. *n.* 123. citans Abb. *ubi antè num.* 3. potest tamen, ut dictum paulò antè, etiam contradicente patrono, Episcopus urgente necessitate talem redituum translationem facere, quin & ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ patronatæ applicare, erigendo v. g. in ea novum beneficium; cùm enim juspatr. sit ipsi concessum ab Ecclesia ex gratia, & non ex absoluto debito, non potest impedire, quò minùs subveniatur magnæ illius aut necessitati aut utilitati. Quin & nullum creatur præjudicium patrono, dum jus præsentandi manet ei integrum, & quia tota ordinatio & dispositio circa bona Ecclesiæ non ad patronum, sed Episcopum spectat, non debet patronus se immiscere, nisi appareat, jura & bona Ecclesiæ patronatæ alienari, perdi, imminui, vel in aliom finem, usum, locum, personam contra institutionem transferri. Pith. *cit. n.* 123. citans Abb. & Laym. *ubi antè.* Iono. *in c.* 3. *de privileg. n.* 3.

7. Septimò: licèt, si parochialis Ecclesia unita sit prælaturæ seu beneficio electivo, in institutione Vicarii requirendus non sit consensus patroni; quia is per unionem, saltem si cum ejus consensu facta fuit, censetur amisisse jus præsentandi, nisi specialiter id sibi reservârit. Laym. *in c. ad hæc. de offic. Vicarii n.* 3. Dum tamen propter amplitudinem parochiæ constituta fuit Capella vel Ecclesia filialis principaliori seu matrici subjecta, ita ut in ea Vicarius à principali Rectore cum consensu Episcopi ponendus sit, patroni requiritur consensus, vel potiùs à patrono & Rectore simul præsentari debet dictus Vicarius; cùm patrono competat præsentare ad titulum parochiæ à se fundatæ, dotatæ, &c. Vicarius autem in parochia in perpetuum constitutus acquirit titulum canonicum, saltem utilem, cùm directus titulus sit penes Rectorem principalem, ita *ibid.* Laym. citans Innoc. Alan. &c. *in cit. c. ad hæc.* Lap. & Zabarell. *in clem. unic. de offic. Vicarii.* contra gl. *in c. ad hæc.*

Quæstio 109. *Qualiter vacante beneficio jurispatronatûs, patronus vocandus, ejúsque voluntas exquirenda ante provisionem, & quid de hoc statuerint jura?*

1. Respondeo primò: dum beneficium tale vacat per obitum aut per modum alium involuntarium liberè & independenter à voluntate patroni, conferre illud nequit Episcopus seu ordinarius collator; quòd si spreto patrono (sperni autem is dicitur, dum, cùm posset commodè vocari, non fuit vocatus, vel vocatus non fuit expectatus, vel præsens fuit repulsus, vel non auditus. Lott. *l.* 2. *q.* 14. *n.* 62. juxta Hugon. Archid. Bellam. Turrec. *in c. decernimus paulò pòst citandum*) Rectorem in Ecclesia ordinare præsumpserit, illius ordinatio irrita erit, & ad verecundiam talis Episcopi alius ordinandus, quem fundator seu patronus elegerit; ita expresè statuitur *c. decernimus.* 16. *q.* 7. & hunc canonem esse latæ sententiæ, non verò ferendæ, ita ut ipso jure talis collatio seu ordinatio sit irrita, fusè ostendit Lott. *loc. cit. n.* 50. Dato enim hujusmodi temerario contemptu & vilipendio personæ & juris alterius, (quod importat vox illa *spreto*, juxta *l. litigatores. ff. de recept. arb.* Lott. *n.* 54.) meritò actus declaratur irritus à principio, cùm nequeat esse de ratione legis, ut sustineat actum injurium & contumeliosum, vel per momentum in statu validitatis, cùm id repugnet juris principiis. *l. justitia. ff. de jure & just.* Lott. *à n.* 57. Quòd si tamen ordinarius collator providerit de tali beneficio nullo opponente vacationi; valere tamen talem provisionem, cùm nulla lex eam irritet ipso jure, nec urgeat ampliùs ratio citati canonis, (cessat enim spretus, etiam in Episcopo habente scientiam jurispatronatûs, dum nemo se opponit vacationi) censet Lott. *à n.* 63. eò quòd censeatur facta talis provisio sub ea conditione, si patrono placuerit. Lott. *n.* 65. *ex l.* 1. *q.* 34. *n.* 62.

2. Respondeo secundò: ad casum, dum beneficium vacat per resignationem, licèt beneficium jurispatronatûs sit ex natura sua resignabile, non vocato patrono. Lott. *cit. q.* 14. *n.* 66. ex Calderin. *consult. de renunc.* & Moheda *de jurepatr. decis.* 6. *n.* 1. resignatum tamen conferibile non est sine consensu patroni. Lott. *n.* 66. Hinc quidem factâ resignatione non simplici, sed ad favorem coram ordinario (uti id fieri potest, juxta *c. unic. de rer. permutat. in* 6.) permutationis gratiâ, dum patronus non repugnat, seu non reclamat, resignatio & permutatio erit valida, ex quo semper est ratificabilis, adeóque tenet mero jure. Lott. *n.* 71. & 72. dicens, esse sententiam verissimam, citánsque pro ea Fed. de Senis *tr. de permut. beneficiorum. q.* 30. *tr.* 52. Felin. *in tr. quando lit. Apostolica præjudic. patrono. ampliatione* 9. *n.* 15. & plures Rotæ decis. citatus enim canon. *decernimus,* provisionem talem non vitiat ipso jure, nisi supposito contemptu & spretu; & quòd patronus ejus causam prosequatur; sed neque negat spretum aut contemptum illum esse remissibilem & actum ratificabilem, ut ex tunc convalescat, fiátque retrotractio ad principium, pro quo satis est, non fuisse submotam spem ratificationis. Lott. *n.* 72. & 73. Reclamante verò patrono, resignatio ex causa permutationis facta coram ordinario ipso jure erit nulla, nisi resignantes ignorârint patronatum. Lott. *n.* 76. *n.* 4. Idque procedit, etiamsi expressissent beneficium esse jurispatr. aut enim id expresserunt apud Ordinarium, & in hoc aliud considerari nequit, quàm contemptus patroni, cùm Ordinarius derogare nequeat juripatronatûs. Adeóque adhuc talis resignatio nulla. Lott. *n.* 78. citans Calderin. aut expresserunt hoc apud Papam, & nisi is deroget juripatronatûs, irrita adhuc est provisio ex defectu voluntatis, cùm intelligatur facta sub conditione, si accedat consensus patroni. Lott. *n.* 79. citans Decium. Neque enim hoc ipso per Papam censetur derogatum juripatron. ut censet Lamb. quòd de ea facta sit mentio apud illum. Lott. *n.* 83. Atque in hoc casu, dum resignatio talis est nulla ipso jure ob contemptum patroni, resignans non revertitur ad beneficium resignatum, sed poterit patronus liberè alium præsentare instituendum in pœnam ingratitudinis resignantis, sive permutantis. Lott. *n.* 84. citans Gemin. *in c. nemo deinceps. de elect. in* 6. *n.* 11. Si autem non est ipso jure irrita, sed venit annullanda, quia resignans vel permutans ignoravit patronatum, seu quia in genere non potest illi adscribi ingratitudo, cassatâ resignatione, poterit resignans reverti ad suum beneficium. Lott. *n.* 85. citans Butrio *in cit. c. nemo deinceps. n.* 10.

3. Respondeo tertiò: sed neque ordinarius collator cogere potest patronum ad non reclamandum seu ad consentiendum. Calderin. *cons.* 2. *de rer. perm.* apud Lott. *n.* 67.

Quæstio 110. *Quæ pœna statuta gravantibus patronos ob certam personam non præsentatam?*

Respon-

Respondeo: excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, quicunque Clericos aliásve personas Ecclesiasticas, (sunt enim aliquæ personæ Ecclesiasticæ absque eo, quòd sint Clerici v. g. moniales, religiosi conversi, religiosi militares, hospitalarii. Laym. *ad c. sciant. de elect. in 6. n. 2.*) ad quas spectat nominatio, institutio, præsentatio, confirmatio, eorumque consanguineos (intellige usque ad quartum gradum. Laym. *ibid. num.* 5. non tamen comprehendendo hoc nomine eorum affines vel personas eis familiariter conjunctas. Laym. *ibid.* nisi fortè ut Suar. *de cens. d. 23. s. 4. n. 4.* eodem modo conjunctæ essent, ut injuria ipsis illata derivetur atque extendatur ad personam Ecclesiasticam) in beneficiis aut quibusvis bonis injustè gravare (qualiter injustè gravari non censebuntur, dum ob eam causam consueta aliàs eis dari eleemosyna, eis subtraheretur. Laym. *ibid. n.* 1. citans Nav. *in manual. c. 27. num. 122.*) præsumpserint per se vel per alios, spoliando, aut aliter injustè persequendo ob eam causam, quòd rogati vel moniti, ut certam personam præsentent, nominent, &c. patroni parere noluerint. Laym. *in cit. c. sciant.* eò quòd, licèt dictum *cap.* loquatur expressè tantùm de electoribus; ob omnimodam tamen æqualitatem comprehendat etiam præsentatores, institutores, confirmatores, postulatores. Laym. *ibid. n. 3.* citans Gloss. & Joannem Monachum *in cit.* c. Suar. & Nav. *ubi antè.* Porrò comprehendi quoque non tantùm mandantes, sed & mandatariòs exequentes hujusmodi gravamen, cùm verè & realiter persequantur & vexent, etsi jussi ab alio, non secùs ac ex mandato alterius per cutiens Clericum unà cum mandante incurrit excommunicationem, docet idem Laym. *ibid. num.* 4. cum Gl. v. alios contra Joannem Monach.

Quæstio III. *Quid possit patronus quoad constituendum procuratorem in ordine ad præsentandum?*

Respondeo: de hoc actum §. *præcedenti.*

PARAGRAPHUS VIII.

De derogatione & amissione jurispatronatûs, &c.

Quæstio 112. *An Papa derogare possit juripatronatûs cuicunque tam laico, quàm Ecclesiastico, & disponere pro libitu suo de beneficiis jurispatronatûs, patronis etiam invitis?*

Respondeo affirmativè. Less. *de just. l. 2. c. 34. n.* 35. Covar. *pract. quæst. c.* 36. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d. 2. p.* 10. *num.* 1. Lott. *l. 2. q. 8. n.* 5. citans Paris. *de resignat. l. 3. q. 4. n. 32.* Monet. *in tr. de commut. vol. c. 10. q. 5. num.* 158. cum communi DD. *in c. cùm dilectus. h. t.* Jus enim hoc est introductum jure canonico, cui derogare potest Papa, concessúmque juspatronatûs à Pontificibus principaliter in bonum Ecclesiæ, ut ea habeat defensores, fundatores, dotatores; secundariò in honorem ipsorum fundatorum, &c. Unde dum Papa judicat Ecclesiæ expedire, ut non expectet patronorum præsentationem, vel alteri non præsentato conferat, potest liberè conferre, cùm semper major debeat haberi ratio finis principalis, quàm secundarii. Less. *ibid.* Sed & ex eo, quòd hoc jus concesserit aliis, non censetur se ipsum in omni eventu voluisse spoliare suâ conferendi potestate; sed sufficit, ut regulariter præsentationes patronorum admittat, ita Less. Et, si supremus princeps sæcularis (dum non obstat Ecclesiæ vel piæ causæ ratio) habeat potestatem dispensandi & derogandi supremis defunctorum voluntatibus ac legibus ex ea ratione, quòd facultas disponendi de bonis post mortem tanquam in tempore inhabili, quo mortuus jam annihilatus est, neque ampliùs illorum dominium habet, proveniat à gratia & benignitate legis positivæ, cui derogare potest, multò magis majorémque potestatem commutandi ultimas defunctorum voluntates, vel eis derogandi habet supremus Princeps Ecclesiasticus, præsertim contra hæc jura spiritualia non competentia ex privatis dispositionibus, neque sub eis cadentia sine Ecclesiæ consensu. Card. de Luca *in summ. jurisp. n. 6.* Nihilominùs usque adeò constans est Papa in non præjudicando jurip. dum hoc competit de jure communi, scilicet ex fundatione, dotatione, &c. ut ne quidem patiatur illud includi in reservatione majore, hoc est, inclusa seu expressa in corpore juris. Lott. *num.* 6. juxta Gl. Gemin. & alios passim *in c. 2. de concess. prabend in 6.* Idque, ne homines retrahantur ab oblatione seu holocausto, hoc est, fundandis, dotandis Ecclesiis; quæ ratio cessat in jurepatronatûs concesso ex privilegio, aut alio jure singulari. Lott. *num.* 10. & 11. Sed & ob datam rationem non tantùm in suis constitutionibus Papa parcit patronatibus; verùm etiam multò magis in beneficiorum provisionibus tanta est modestia Sedis Apostolicæ, tantúsque zelus conservandi patronatus laicorum, ut mirum sit, quàm religiosè fundatorum voluntates hac in parte illibatas haberi velit. Lott. *cit. q. 8. n* 93. Nam in quacunque resignatione, etiam permutationis gratiâ, adjicitur clausula: *Accedente consensu patroni:* & si non fieret mentio de patronatu, gratia esset nulla, nisi ex tacito saltem consensu patroni convalesceret. Lott. *ibidem.* Paris. *de resign. l. 2. q. 4. n. 4.* Similiter in unionibus & suppressionibus hoc tenacissimè servatur, ut Lott. *num.* 94. citans Paris. *num.* 11. Roch. *h. tr. v. honorificum. num. 8. &c.* Item si erigatur Ecclesia patronata in Collegiatam, de quo dictum suprà. Porrò ut valida sit hujusmodi derogatio, nulla requiritur causa; ut verò licita, requiritur causa rationabilis & justa, respiciens utilitatem Ecclesiæ, cùm juri alterius quæsito derogare sine causa non sit justum, causáque requiritur diversa & major pro derogatione jurispatronatûs laicalis, quàm Ecclesiastici, cùm sit privilegium omninò gratuitum: illud verò onerosum & remuneratorium, & quasi ex contractu. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 113. *Quid possint in hac parte Nuntii Apostolici & Episcopi?*

1. Respondeo primò: Legatum à Latere, & consequenter Nuncium Apostolicum cum potestate Legati de Latere, posse derogare patronatui Ecclesiastico, seu conferre beneficium certæ personæ irrequisito patrono Ecclesiastico, nullâ etiam factâ mentione aut derogatione dicti jurispatronatûs. Tond. *qq. benef p. 2. c. 2. §. 6. n. 27.* Gigas. *de pens. q. 24. num.* 1. Rebuff. *in pr. 3. p. signatura. v. nec non. n.* 6. Garc. *p. 5. c. 3. n.* 17. citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 1. a. 6. n. 4.* Corras. Gamb. Curtium & plures alios. Nullatenùs verò laicali seu irrequisito patrono laico, vel etiam Clerico, cui juspatronatûs competit ratione patrimonii sui, quia tunc præsentat ut laicus. Pirh. *num.* 135. Less. *loc. cit. num.* 38. Barb. *juris Eccl. l. 3. c.* 12. Castrop. *de benef. tr. 13. d. 2. p. 25. num.* 11. Garc. *p. 5. c. 3. n.* 63. (ubi tamen *num.* 66. ait, posse Legatum conferre beneficia jurispatronatûs laicorum, dum illa devoluta ad Episcopum ex negligentiâ patroni, de quo inferiùs) Lott. *l. 2. q. 10. n.* 72. juxta *c. dilectus. de offic. delegati.* cum communi DD. *ibid.*

2. Sed neque ligatus derogare potest juripatronatûs mixto. Pirh. *ad h. t. num.* 136. etiam dum plures sunt patroni Clerici, quàm laici. Pirh. *num.* 137. Potest tamen derogare juripatronatûs competenti etiam laico solùm per præscriptionem, vel ex privilegio (intellige mero.) Less. *loc. cit. num.* 42. Pirh. *num.* 136. citans Azor. *l. 6. c. 28. q.* 12. Castrop. Lott. *ll. cit.* Covar. *pract. qq. c. 36. n.* 6. Tusc. *v. Legatus. conclus.* 172. Barb. *in cit. c. cùm dilectus. num.* 3.

3. Respondeo secundò: Episcopum juripatr. neque laicali, neque Ecclesiastico derogare posse. Less. *loc. cit. n.* 39. ubi, quòd si tamen præveniendo præ-

sentationem

sentationem patroni, conferat beneficium, collatio non sit irrita; verùm secutâ præsentatione patroni intra tempus à jure præscriptum evanescat dicta collatio, juxta *c. decernimus. 16. q. 7.* Si autem intra illud tempus patronus neminem præsentavit, vel se non opposuit, collatio manebit valida, quia jam ad Episcopum est devoluta, & prior collatio non fuit irrita, nisi subsecutâ præsentatione patroni intra tempus.

Quæstio 114. Qualiter & quando Papa consueverit absolutè derogare jurispatronatûs laicorum?

1. Respondeo: duplici modo, in totum & in parte. In totum derogatur isti patronatui, dum beneficium vacat in Curia, seu apud Sedem Apostolicam per obitum. Card. Luc. *in summ. jurispatronatûs. num. 7.* Lott. *cit. q. 8. num. 89.* citans Paris. *d. q. 4. num. 44.* Mandos. *de signat. gratia. v. derogationes jurispatronatûs.* Staph. *de mod. & for. provid. sect. sequitur videre. num. 10.* Et hoc quidem ex eo congruentiæ motivo, quòd indecorum videatur Pontificiam Majestatem privati patroni voluntati subjacere debere in iis, quæ ab ipsiusmet Pontificis gratia obtinet privatus. Card. de Luca *ibidem.* Sed nec ista derogatio est contraria voluntati fundatoris, eò quòd licet istiusmodi beneficia patronata vacantia per obitum ad Sedem Apostolicam non cadant sub reservatione clausâ in corpore juris, censeatur tamen in casu talis vacationis fundator se voluisse accommodare consuetudini, de qua in textu *cit. c. de præb. in 6.* ac illius rationi, nimirùm, ne quisquam inferior Papâ in reverentiam Sedis Apostolicæ se ingerat in provisione beneficii apud ipsam vacantis. Lott. *num. 99.* Non solet tamen etiam, quamvis possit, in hoc casu vacantis apud Curiam beneficii hanc potestatem exercere cum Regibus & Principibus jura regni habentibus. Card. de Luc. *loc. cit.*

2. Secundò: dum patroni impediuntur præsentare propter litem in Curia, juxta *c. 2. ut lite pendente. in 6.* Et quia hoc casu nemini patronorum infertur injuria, propter impedimentum litis, cessat omne præjudicium, etiam in tantum, ut nec opus sit in provisione beneficii facere mentionem jurispatronatûs. Lott. *num. 100.* citans Cassad. *decis. 3. ut lite pend. per tot.* Gomes. *in reg. Cancell. de impetrant. per obitum fam.* Azor. *l. 6. c. 23. q. 8.* & alii apud Castrop. *loc. cit. num. 9.* Verùm circa hoc varios casus distinguit Covar. *pract. qq. c. 36. n. 1.* quorum primus est, dum duo præsentati, quorum neuter institutus, litigant in Curia super beneficio, aitque Gl. *in eadem c. lite pend.* non posse Papam tale beneficium providere, eò quòd nulla sit vacatio beneficii, cujus nulla est institutio, & consequenter non sit reservata Papæ. Neque sit locus Clem. 1. *ut lite pend.* Secundus: si duo præsentati & instituti litigent in Curia, & uterque moriatur Romæ, vel possessor beneficii Romæ, & alter alibi, aitque Covar. tunc posse Papam beneficium providere, si sit patronatus Ecclesiastici; quia locus est *Clem. ut lite pendente:* si est laici, non posse id Papam sine expressâ illius derogatione, eò quòd tunc beneficium vacet, lisque omnis finita, & spectet ad laicum ejus præsentatio. Tertius: dum duo præsentati à patronis discordibus litigant Romæ, & alter eorum ibi vel alibi moritur, altero manente superstite, & tunc non posse Papam alteri superstiti absque expressâ derogatione jurispatr. conferre beneficium, tenent Jo. Andr. Card. Lamb. relati à Covar. eò quòd hi AA. teneant, patronum loco præsentati mortui præsentare alium, nec impediri, ob litis pendentiam, quoties ab eo præsentatus institutus non est, eò quòd litis pendentia tantùm impediat novam electionem aut collationem, non præsentationem. Econtrà ipse Covar. cum aliis à se relatis, quia censet lite pendente non posse alium præsentari in locum demortui collitigantis, sive is institutus fuerit, sive non, eò quòd textus *c. ut lite pend. in 6.* loquatur expressè etiam de præsentatione, ne lites prorogentur cum damno Ecclesiæ; hinc, inquam, tenet Covar. posse Papam, etiam absque consensu patroni, subrogare collitigantem alium, ut is loco defuncti litem prosequatur, ab eo statu, in quo lis remansit à tempore vacationis; non posse tamen Papam, spectato jure communi, beneficium alteri tertio vel collitiganti providere, quin priùs definiat litem, juxta *cit. Clem. 1.* eò quòd ex definitione litis constare debeat, cui competat beneficium: si enim pro defuncto fertur sententia, providendom est, ut omninò vacans; (idem est, si decisum est, ad neutrum litigantem pertinere beneficium) si autem pro litigante superstite, hic est instituendus, si institutus non fuerit, vel, si jam fuerit institutus, est firmandus; ita Covar. apud Castrop. *num. 9.*

3. Dum autem derogat patronatui pro majore parte præsentantium, aut etiam pro medietate, nihil in se amari habet hæc derogatio: non prima, quia dum is, qui impetrat, supponit se præsentatum à majore parte, de jure clarum est, non habendam rationem minoris partis. Lott. *num. 101.* non secunda; si enim, qui impetrat, profiteatur se præsentatum à medietate patronorum existentium in quasi possessione præsentandi, & sic saltem se esse positum in æquilibrio cum alio; tunc neque fit in articulo patronatûs contra voluntatem fundatoris, neque in articulo præsentationis fit injuria aliis patronis, aut præsentato ab eis; quia, cùm sit locus gratiæ, nemini dicitur jus quæsitum, cui præjudicium fiat. Ita Lott. *num. 102.* & si quod in hoc committeretur præjudicium, illud solum est Ordinarii, vel alterius, cui competit jus instituendi, ita eum præveniendo in ea gratificandi, aut aliàs conferendi facultate, quam hic haberet, dum datâ plurium coæquali præsentatione, nulla fit coolusa, quæ sit arctativa superioris ad instituendum, adeòque patroni in tali casu suæ discordiæ id sibi imputent. Card. Luca *loc. cit. n. 11.*

4. Simile quid est, & derogari quasi videtur jurispatronatûs, dum conceditur retentio beneficii jurispatronatûs alicui promoto ad Episcopatum, vel etiam assequenti secundum beneficium incompatibile; nam neque in hoc casu adversatur voluntati fundatoris, aut præjudicatur patronis; cùm ipsi semel approbaverint personam, & non dicitur vacatio de facto. Lott. *num. 103.* juxta decis. Rotæ: Sed neque hoc est conferre, vel providere, aut tollere patrono jus præsentandi, sed solùm occurrere principio vacationis, ne ea sequatur tanquam per remotionem obstaculi decernendo, ut non sequatur vacatio. Unde & dispensatus non dicitur assequi vel obtinere ex novo jure, sed retinere sed continuare jure primævo. Card. de Luca *in sum. jurispatronatûs. n. 10.* De cætero, si qui abi contingunt, quamvis nimium rari, casus derogationis justam habent causam, v. g. expellendi intrusum, seu provisionaliter ad tollendas lites, scandala seu scandalorum occasiones inter contendentes & pertinentia juris præsentandi. Idem Card. *ibid.*

Quæstio 115. An & qualiter Papa deroget patronatibus Ecclesiasticis?

Respondeo: illis solere Papam in totum derogare, eò quòd cessent ibi dictæ illæ rationes, nimirùm ut homines non retrahantur à fundandis Ecclesiis, utpote quæ non considerantur, nisi in patronatibus laicorum, hoc est, fundatorum ex bonis patrimonialibus. Lott. *n. 103. & 104.* juxta gl. *in c. dilectus. h. t.* qui etiam dicto *n. 103.* idem censet de patronatibus ita mixtis, ut non præponderet qualitas laicalis, vel etiam spectantibus ad alios jure speciali.

Quæstio 116. An & quibus patronatibus derogaverit, eos revocando, Trident.?

1. Respondeo primò: Trid. *sess. 25. c. 9.* patronatus reliquos (intellige non competentes verè ac realiter ex fundatione & dotatione) omnes tam in beneficiis sæcularibus, quàm regularibus, parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscunque aliis beneficiis in

Ca-

Cathedrali vel collegiata Ecclesia, seu facultates & privilegia concessa, tam in vim patronatûs, quàm alio quocunque jure nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cùm vacant, (exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliósque sublimes ac supremos Principes jura Imperii in suis dominiis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsùs abrogata & irrita, cum quasi possessione inde secuta decernit, verba hæc sunt Tridentini.

2. Sic itaque vi præsentis decreti sublati sunt patronatus ex privilegio, non autem ex fundatione & dotatione, uti expressè S. Congregatio Conc. 4. *Decemb.* 1586. & juxta hanc Lott. *l.* 2. *q.* 8. *n.* 12. Garc. *p.* 5. *c.* 9 *n.* 115. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 63. citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 18. *n.* 97. Parif. &c. Procedítque idipsum, etiamsi in privilegio diceretur, quòd juspatronatûs concessum esset ejusdem prorsùs naturæ ac roboris, ac si ex fundatione & dotatione competeret, vel quale est Regum. Barb *loc. cit.* ex Garc. *n.* 118. juxta ejusdem S. Congregationis decis. quam recitat, & Gonz. *ubi antè. n.* 102. Cùm enim sit adinstar, & non propriè Regum, aut ex fundatione, non comprehenduntur sub exceptuatis. Garc. *loc. cit.* juxta eandem S. Congreg. declar. Quin & quò prægnantiores sunt clausulæ & decreta hujusmodi, eò magis in privilegium sonant, consuetáque illa clausula: *Perinde ac si ex dotatione*, ex vi & proprietate dictionis illius: *Perinde*, resolvitur tota in improprietatem & fictionem. Lott. *cit. q.* 8. *n.* 23. & 24. juxta plures Rotæ decis. quod idem observandum circa id, quod mox subsequitur. Item procedit, etiamsi in privilegio diceretur, juspatronatûs competere non solùm ex privilegio, sed ex vera & reali fundatione & dotatione. Barb. *ibid.* ex Garc. *n.* 117. & Gonz. *n.* 97. juxta decis. Rotæ *in una Placent. parochialis.* 29. & *ult. Jan.* 1594. quam fusè recitat Garc. in qua etiam dicitur, nihil obstare, quòd sic loquatur privilegium, cùm clausulâ illâ non obstante, patronatus hujusmodi passim dicuntur ex privilegio, licèt habeant aliquid plus prærogativæ, quàm patronatus ex simplici privilegio, ut Moheda *de jurep. decis.* 11. Puteus *decis.* 322. *l.* 1. ita tamen, ut tantæ non sint potentiæ, ut per hoc à Concilio præserventur, maximè cùm Concilium loquatur per verba importantia veritatem, illum vult, quòd titulus sit ex fundatione & dotatione; unde impossibile est, ut porrigatur ad patronatus, qui sunt tales per fictionem, ut in simili receptum est, dum Papa per suam constitutionem decernit Notarios non participantes esse veros & non fictos familiares; nam non minùs ideo dicuntur ficti per privilegium, & non veri, ut Castrens. *cons.* 340. *vol.* 1. Ideóque licèt princeps veritatem mutare non potest, licèt possit contra veritatem fingere. Atque ita dictæ clausulæ insertæ privilegio non derogant futuris constitutionibus, quia non porriguntur ad constitutiones conciliares, nisi earum nominatim facta mentio, ut Oldrad. *cons.* 226. *n.* 1. Calderin. *cons.* 11. *de privilegio.* Item procedit, dum constat de origine privilegii, vel juspatronatûs præsumitur esse ex privilegio, & adest immemorialis; hæc enim non prodest propter appositam in dicto Trid. decreto clausulam: *Non obstantibus quibuscunque consuetudinibus.* Barbos. *n* 64. citans Massobr. *in pr. habendi concurs. prælud.* 7. *dub.* 3. *n.* 81. Garc. *n.* 119. juxta decis. S. Congreg. Concilii, quam *ibidem* refert.

3. Respondeo secundò: nequaquam tamen Trid. dicto decreto aut alibi revocat juspatronatûs ex privilegio, dum privilegium concessum ex causa onerosa, v. g. ex causa dotis, seu ex nova constructione vel alia simili causa. Lott. *loc. cit.* Barb. *cit. n.* 64. Garc. *n.* 120. testans sic tentum à Rota in pluribus decis. quas recitat, siquidem privilegia hujusmodi Concilium *dicto c.* 9. *circa finem* mandat examinari per Ordinarios, & quos patronatus non repererint constitutos esse in evidentem Ecclesiæ vel beneficii utilitatem, seu dignitatis necessitatem, hos in totum revocent, atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium, & restituto patronis eo, quod ab eis idcircò datum est, in pristinum libertatis statum reducant, &c. In quo decreto ait Lott. apertè dignoscitur præservatos fuisse patronatus ex privilegio oneroso, juxta repetitas Rotæ decis. Porrò ut privilegium tale concessum censeatur ex causa onerosa, & concessio non reputetur tota gratiosa, exigitur, ut onus, sive quod expensum est, æquivalet concessioni. Barb. *n.* 65. Lott. *cit. q.* 8. *n.* 21. Qualiter æquivalebit, si aucti sint fructus ad medietatem veri valoris annui. Lott. *n.* 20. & 24. Quæ verò requirantur circumstantiæ & conditiones, ut censeatur acquisitus patronatus per privilegium ex augmento dotis ad medietatem, non abrogatus, vide apud Lott. *à n.* 30. & dictum fuit suprà. Sed neque talia jurapatronatûs ad beneficia non electiva concessa per privilegium ex dicta tali causa onerosa abrogantur; sed præservantur per constitutiones Innoc. VIII. & Adrian. VI. præter decretum Trid. emanatas, illa *anno* 1485. 10. *Kal. Decemb.* hæc *Anno* 1522. 9. *Decemb.* Lott. *n.* 25. & 29. Transeunt enim istiusmodi privilegia in vim contractûs (qui, ut Lott. *n.* 27. ex Mandos. *ad rom. cons.* 352. *n.* 24. sunt de jure gentium, & per principem æquè ac privatum servari debent) ac proinde, ut cadant sub decretis abrogatoriis, necesse est, ut in individuo de hoc fiat mentio, Lott. *n.* 25. & 26. citans Marcschot. *var. resol. l.* 2. *c.* 40. *n.* 28. Felin. *in C. Cum olim, de sent. & re judic. n.* 5. &c. Dixi ad beneficia non electiva; vi enim dictarum constitutionum quæcunque concessiones & privilegia ante illam Innocentii constitutionem præcipuè à 20 annis & infra, etiam motu proprio, cuivis personæ, Universitati, Collegio, Marchioni, Duci ac Regi super jure præsentandi ac eligendi ad monasteria & alia quævis beneficia electiva, quacunque in causa, & sub quovis onere & conditione concessa, abrogata sint & omnino annullata, etiamsi conditiones, sub quibus concessa verè ac realiter servatæ ac impletæ, Lott. *n.* 16.

4. Respondeo tertiò: de cetero patronatus concessi, etiam à Papa, propter augmentum dotis, dum ea aucta non est ad medietatem, sed v. gr. ad tertiam tantùm partem, subjacent revisioni & examini Ordinarii, de quo Trid. *loc. cit.* & nos paulò antè, si concessio facta infra annos 40 à die confirmationis dicti Concilii; non verò subjacent dictæ revisioni, si concessio facta ante annos 40, à dicta confirmatione, Garc. *loc. cit. n.* 124. juxta expressam sacræ Congreg. declarationem, quam *ibidem* recitat, & decis. Rotæ *in una Lucanâ canonicatûs*, quam quoque recitat. Addit etiam *n.* 126. juxta decis. Rotæ *in una Melphiensi jurispatronatûs*. 19 *Junii*. 1594. quòd jurepatronatûs à Papa concesso propter fructus beneficii ad tertiam partem auctos debeat probari implementum concessionis; & *n.* 127. quòd patronatus concessus à Leone X. Anno 1515. ob augmentum dotis, quæ 130 ducatos non excedebat in annuis redditibus 10 ducatorum redditibus, etiamsi hujusmodi implementum esset sufficienter probatum, adhuc subjaceret regulæ Adrian. VI. qua nimirum, ut Lott *loc. cit. n.* 16 abrogata fuêre privilegia super jure præsentandi, etiam ad non electiva, nisi eorum fructus, reditus & proventus aucti fuerint bonis propriis privilegiatorum ad medietatem veri annui valoris.

Quæstio 117. An juspatronatûs cadat sub reservationes Apostolicas? &c.

1. Respondeo: Reservationes apostolicas beneficiorum, quæ fiunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud Sedem Apostolicam (quamvis de his contrarium sentire videatur Lott. *cit. q* 8. *n.* 98) vel ob aliam rationem ex juris cōmunis, vel regularum Cancellariæ dispositione, non comprehendere beneficia jurispatronatûs laicorum quoad eorum præsentationem tollendam, Less. *l. c. n.* 32. secus est de beneficiis jurispatronatûs Ecclesiastici; quod autem dicitur ab eodem ex mente glossæ *in reg.* 40 *Cancell.* comprehendi tamen beneficia ista jurispatronatûs laicalis, quoad institutionem, quæ tunc à Papa peti debet, & non à prælato, ad quem aliàs spectant, Covar. *loc.*

loc. cit. n. 5. intelligit de Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Decanatibus & aliis dignitatibus, quæ Papæ per regulam secundam reservantur; non verò de beneficiis minoribus, eò quòd hæc dicat in omnibus reservationibus, etiam quoad institutionem, esse exempta.

Quæstio 118. *An etiam patronatus hujusmodi concessi per privilegium ex causa onerosa, nimirùm ex aucta dote, saltem ad medietatem tametsi præservati, ut dictum à supra dicto decreto Concilii, cadant nihilominùs sub reservationibus Apostolicis, præcipuè regulæ de mensibus?*

1. Respondeo: istiusmodi patronatus laicos ad non electiva nullatenùs cadere sub regulis reservatoriis, etiamsi hæ emanârint, ut possit provideri pauperibus & aliis personis benemeritis, cùm tanti non sit faciendus favor pauperum Clericorum & benemeritorum, ut aliis injuria fiat. Lott. *cit. q.* 8. *n.* 28. *&* 29. Estque in hoc summa æquitas & ratio; nam uti parcitur hac in parte patronatibus acquisitis ex totali dotatione & fundatione, ne laici ab his retrahantur, ita etiam parcendum patronatibus acquisitis ex justo augmento dotis; in utroque enim casu laicus proprium exhaurit patrimonium in utilitatem Ecclesiæ, eadémque ideo militat ratio conservandi, quod semel ei concessum est, ac proinde tale privilegium correspectivum beneficii talis collati in Ecclesiam habens perpetuam commensurationem cum re concessa, ipsum quoque inviolabile est, non secùs ac contractus celebratus cum ipso concedente, ad cujus naturam magis accedit: pendet enim tunc privilegium non ex concedentis auctoritate, sed ex jure alteri quæsito; & in hoc consistit vis irretractabilitatis & irrevocabilitatis ita ferè Lott. *n.* 56. *&* 57. dicens, ita quoque ex mente Rotæ notâsse Beltramin. ad Gregor. c. 397. Proinde non subsistit, quòd aliqui plus æquo adversantes hujusmodi patronatibus inquiunt apud Lott. *n.* 38. nimirùm à constitutione Adriani, in qua dicti patronatus revocantur, non arguendum ad regulam reservatoriam, quia dicta prima privilegia non extinguuntur, sed suspenduntur, ac veluti consopiuntur tantisper, donec reservatio consumatur: quod præjudicium dilativum non habetur in tanta consideratione, nec habet tantum amaritudinis, quam habet extinctio seu revocatio privilegii, utpote quod concessum à principe decet manere, ut ait Pontifex *c. decet. de reg. juris in* 6. & per ejus successorem non revocari, ut Paris. *l.* 4. *cons.* 37. *n.* 4. Nam rectè quidem procedit hæc differentia inter præjudicium extinctivum juris alterius & dilativum, ut Lott. *n.* 47. Verùm in præsenti etiam in ipso articulo istius dilationis jurispatronatûs, seu potiùs juris præsentandi, usque dum consumatur reservatio, est jus quæsitum; (secus ac contingit in gratia expectativa, dum eâ concessâ, expectans tantùm præteritur pro una alterâve vice in collatione beneficii; siquidem per illam expectanti non est quæsitum jus aliquod in re, vel ad rem ante ejus acceptationem. Lott. *n.* 48.) dum in hujusmodi privilegiis perpetuò inseritur decretum, ne adversùs hujusmodi patronatum ullæ reservationes prævaleant. Lott. *n* 49. Præterea in hac ipsa suspensione includitur re ipsâ privilegii revocatio, dum licèt non revocetur absolutè privilegium, ita ut dici possit extinctum & peremptum; revocatur tamen promissio illa explicata, ne subjiciatur reservationibus; siquidem posito, quòd privilegium contineat promissionem, ut tutum sit adversùs reservationes, non potest intrare reservatio, quin inducatur revocatio, si non destructiva privilegii, saltem destructiva illius pacti, diciturque ideo dispositio revocatoria. Lott. *n.* 52. juxta Bald *in l. si cùm mihi. ff. de dolo. n.* 1. *&* 2. Quin & dari facilè potest casus, ut semel apertâ viâ providendi per Papam vi reservationis, patronus frustrà etiam per integrum sæculum expectet, ut consumatur reservatio, cùm consueverint provideri Curiales aliæve personæ, in quibus reservationes perpetuantur; & præscindendo etiam ab hoc casu, expectandum etiam sit, ut vacatio incidat in uno ex 4. mensibus, quod durum est, & ejus juris penè totaliter extinctivum, dum paria reputantur: non habere, & habere, & frui non posse. Lott. *n.* 59. Et inde gravia scandala, dum laici vident à se auferri sine sua culpa, quod multis sudoribus & sumptibus acquisiverunt. Lott. *n.* 58. Sed neque dici potest, non esse hujusmodi privilegium jurispatronatûs (etsi ei, ut solet, perpetuò inseratur decretum, ne adversùs concessum patronatum ullæ prævaleant reservationes) sic interpretandum, ut obstet potestati principis, qui semper majorem potestatem reservare sibi censeatur. Nam hîc non quæritur de potestate, sed de voluntate principis, qui ipse, etsi absolutè id revocare possit, aut alterare vel differre, minimè tamen ea voluntas præsumitur, ut Surd. *cons.* 19. *n.* 50. Et certè cùm per dictam concessionem privilegiato jus quæsitum sit, minimè in dubio censetur hoc revocatum velle, cùm nusquam illa sit admittenda interpretatio, per quam quis censeatur tollere, quod semel concessit. Lott. *n.* 49. *&* 53. Quin & successor, dum expressè non revocat, quod concessit ejus præcessor, videtur in eadem opinione & voluntate perseverare; nec dicitur tunc obstringi decreto sui præcessoris, sed suâ propriâ voluntate. Lott. *cit. num.* 53. juxta Gemin. *in c.* 1. *de præbend. in* 6. *n.* 14.

2. De cætero clausula adjecta derogatoria in regula mensium revocatoria tollit omnia alia privilegia & jura prætensa per eos, qui sibi vendicant aut solidam collationem, aut præsentationem ex privilegio Apostolico, alióve jure singulari, exceptis his, de quibus in regula. Et hæc, etiamsi privilegia dicta essent cum clausula derogatoria derogationum, etiam ad futuras regulas, qualia plures, præcipuè religiosi (qui non prohibentur habere beneficia, quæ aliis conferant in titulum perpetuum) consueverunt obtinere præservativa à reservationibus Apostolicis & amplissimis clausulis, quæ tamen omnia per hanc clausulam derogatoriam contentam in regula mensium censentur abrogata. Lott. *l.* 2. *q.* 38. *n.* 32. juxta decis. Rotæ 578. *n.* 2. *p.* 1. *recent.*

Quæstio 119. *An & qualiter de facto censeatur derogatum juri patronatûs per collationem beneficii factam à Papa?*

1. Respondeo primò: dum Pontifex confert alicui beneficium jurispatronatûs laicalis, acquisiti de jure communi, hoc est, ex fundatione, dotatione, non censetur rata esse collatio, & pro ista vice derogatum juri patronatûs, nisi id disertè in literis per clausulam derogatoriam exprimatur. Pith. *h. t. n* 33. Card. de Luca *in sum. jurispatr. n* 10. Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 36. juxta communem Doctorum *in c.* 2. *de præb. in* 6. Nec sufficit, ut in literis collationis dicatur: *Conferimus Petro hoc beneficium, ad cujuscunque præsentationem vel collationem pertineat*: sed expressè debet derogare patronatui laico, addendo v. g. *Ad cujuscunque præsentationem, etiam laici, pertineat.* Castrop. *loc. cit. n.* 4. Less. *loc. cit.* ex Covar. *qq. pract. c.* 36. *n.* 2. Derogatio enim hæc, utpote odiosa, strictè est interpretanda, ut, quantum fieri potest, minimum lædat; cùm ergo dicta clausula generalis derogatoria intelligi possit de solo patrono Ecclesiastico, ita ut sensus sit ad cujuscunque, sive Episcopi, sive eo inferioris, sive collegii, sive Universitatis præsentationem pertineat, non est extendenda ad patronum laicum. Castrop. *loc. cit.* Quin &, si præsentatio spectet ad Regem, Ducem, Marchionem, debet idipsum exprimi, juxta Reg. Cancell. 43. horum enim jus fortius est, utpotè qui benè meriti sunt de Ecclesia; ac proinde sub nomine illo generali *laici* non comprehenduntur. Less. Castrop. *ll. cit.* & apud hunc Azor. *p.* 2 *l.* 6. *c.* 23. *q.* 3. Idem est, dum juspatronatûs laical. quæsitum est ex augmento dotationis; etsi enim hoc juspatronatûs sit ex privilegio,

&

& de jurepatr. quod constat, seu habetur ex privilegio, opus non sit fieri mentionem in literis collationis; id tamen solùm locum habet in casu meri privilegii, & secùs in casu privilegii ex causa onerosa. Lott. *cit. q. 8. n. 50. & 51.* citans Mohedam *de jurepatronatus decis. 11.* Et hæc procedunt de patrono laico, qui bonâ fide patronatum possidet, etsi verè patronus non sit; quia, dum est in possessione, jus habet quasi nun præsentationis; fructibus enim & commoditatibus rei alienæ fruitur possessor bonæ fidei. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *ubi antè. q. 6.* Vasq. *opusc. de beneficiis. c. 2. §. 1. dub. 11. n. 28.*

2. Secundò similiter, si beneficium est jurispatronatûs mixti, non censebitur ei derogatum per clausulam generalem sine expressâ & speciali clausula, seu speciali mentione factâ patronatûs laicalis, perinde ac si esset patronatus purè laicalis. Pirh. *n. 134.* Less. *loc. cit. n. 40.* Covar. *loc. cit. n. 4.* Castrop. *loc. cit. n. 6.* citans Azor. *ubi antè. c. 26. q. 5.* Vasq. *dub. 9. num. 24.* Gonz. *gl. 8. à n. 12.* contra Staphil. *de literis gratia. tit. de modo & form. impetrandi. §. sed dubium. n. 3. &c.* eò quòd par non sit, ut laicus ratione socii Ecclesiastici incommodum in re seu jure individuo patiatur, manente eâdem ratione, ne laici à fundatione Ecclesiarum hâc ratione avocentur. Less. *loc. cit.* Et licèt istiusmodi patronatus mixtus quoad commoda & privilegia Ecclesiasticus censeatur, quoad damna verò, onera & pœnas, & consequenter quoad derogationes & reservationes periode habeatur ac patronatus merè laicalis. Pirh. *loc. cit.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 23. q. 5.* Contrarium tamen dicendum, ubi Ecclesiastici sunt plures, v. g. tres & laici duo, tenent Azor. Vasq. Gonz. apud Castrop. *n. 7.* Less. *loc. cit. n. 41.* ubi etiam, quòd si patronatus spectet ad plures merè laicos, non sit rata derogatio, nisi major eorum pars consentiat; verùm nec in hoc casu, etiam dum unus esset patronus laicus, & cæteri omnes Ecclesiastici, censeri derogatum esse patronatui per dictam clausulam generalem, probabilius tenet Pirh. *n. 137.* citans pro hac Fagnan. *in c. cùm propter. h. t. n. 26. & seq.* eò quòd, an patronatus talis in iactus hîc & nunc censeri debeat Ecclesiasticus, an laicalis, attendendum sit, quænam qualitas in eo casu, de quo quæritur, sit magis favorabilis patronatui, & secundùm illam judicandum esse Ecclesiasticum vel laicalem; & sic v. g. censetur laicalis, dum v. g. tres patronorum sint Ecclesiastici, & unus laicus quoad effectum derogationis. Econtrà dum tres patroni sunt laici, & unus Ecclesiasticus, censetur Ecclesiasticus quoad semestre datum ad præsentandum, cujus (nimirùm quòd in patronatu mixto prævaleat conditio hîc & nunc magis favorabilis) hanc dat rationem; quòd, dum non privilegiatus concurrit in materia individua cum privilegiato, ille utitur privilegio istius, quod ipsum pluribus exemplis ostendit.

3. Tertiò: dum beneficium est jurispatronatûs meri Ecclesiastici, sive id competat jure speciali, sive etiam jure communi, cadit illud sub reservationibus Apostolicis & affectionibus generalibus, & huic juripatronatûs per specialem provisionem derogatum censetur, quamvis nulla ejus mentio fiat in dictâ provisione, sed literis collationis. Castrop. *loc. cit. n. 5.* Card. de Luc. *in sum. jurispatr. n. 8.* Utitur enim Papa in hoc jure suo, & nemini præjudicat; nam cùm omnium bonorum ac jurium Ecclesiasticorum sit supremus moderator ac arbiter, cujus vice inferiores prælati aliæque personæ Ecclesiasticæ talia jura exercent; conqueri non potest minister, quòd dominus faciat per se ipsum id, quod aliàs commissum est ministro. C. Luca *loc. cit.* Ac proinde per solam simplicem collationem beneficii factam à Papa, sciente, tale beneficium ad patronos Ecclesiasticos pertinere, derogatur tali juripatronatûs. Castrop. *loc. cit. num. 5.* citans Azor. *ubi antè. q. 2.* & Vasq. *dub. 8. num. 22.* Estque etiam ratio disparitatis hac in parte inter patronatum Ecclesiasticum & laicum; quòd, cùm Papa plus juris habeat in bona Ecclesiastica, quàm in bona secularium seu laicorum, æquum est, ut faciliùs derogare censeatur patronatibus, qui ex bonis Ecclesiasticis, quàm qui ex bonis sæcularibus & laicorum patrimonialibus originem duxerunt.

4. Quartò: si ex mero privilegio, aut etiam ex vi consuetudinis, & solius præscriptionis competit etiam laico absque eo, quòd constet à laico fundatum, (vel etiam, ut Card. de Luca *num. 9.* absque eo, quòd præscriptio sit talis, ut titulus veteræ fundationis allegari possit, qualis est immemorialis) censetur etiam ei derogatum absque expressâ clausula derogatoria inserta collationi. Card. de Luca *loc. cit. num. 42.* Lott. *sub q. 8. num. 50.* Azor. Vasq. apud Castrop. *loc. cit. num. 8.* ad minimum, ut Pirh. *num. 134.* per clausulam generalem v. g. hanc: *Ad cujuscunque patronus præsentationem beneficium pertineat*, eò quòd tum cessat ratio, ob quam aliàs à similibus reservationibus præservantur patronatus laici; quia minimùm laici nihil ad illas Ecclesias seu beneficia de suis bonis contulerunt.

Quæstio 120. *Quibus modis extinguatur juspatronatûs?*

1. Respondeo sequentibus: primò per liberam cessionem alteri factam, vel per remissionem hujus juris, juxta *c. 1. h. tit.* Potest enim patronus fundator, ejúsque hæres successor (secùs est de successore in jurepatronatûs gentilitio) pro arbitratu suo renunciare juripatronatûs, & collationem Ecclesiæ vel beneficii liberam efficere; quia in hoc casu proprio juri renuntiat, & talis renuntiatio cedit in favorem Ecclesiæ. Layin. *Theol moral. l. 4. tr. 2. c. 13. num. 14.* & ex eo Pirh. *num. 138.* Adde, quòd etiam non cedat in præjudicium alterius vocati, uti fieret in patronatu gentilitio; sic etiam juspatronatûs omninò extinguitur, fitque beneficium liberæ collationis, dum in ipsam Ecclesiam seu capellam patronatam transmittitur jure hæreditario aut alio quodam titulo. Lott. *l. 2. q. 14. num. 15.* juxta decis. Rotæ 726. *num. 2. p. 2. Recent.* Jus namque patronatûs causam perpetuam durationis habet ex traductione de persona in personam, nisi ea traductio impediatur, uti fit in dicto casu, & uti etiam quandoque lex impedit talem transitum ob crimen v. g. in odium illius, in quem transire deberet. Lott. *ibidem. num. 26.*

2. Secundò extinguitur extinctâ familiâ fundatoris, si juspatronatûs est gentilitium, seu institutum pro illis, qui sunt de familia seu agnati fundatoris. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 12. n. 258.* Pirh. *loc. cit.*

3. Tertiò: si Ecclesia patronatui obnoxia penitùs destruatur sine spe reædificationis. Barb. *loc. cit. num. 154.* Pirh. *loc. cit.* citans Zoël. *h. t.* Idem est, dum reditus beneficii omninò tolluntur, quia tunc destruuntur ipsa subjecta beneficii, & rei non existentis nullæ sunt qualitates. Pirh. & Barb. *loc. cit.* Lott. *num. 12. loc. cit.* ita ut, nisi ab eodem restituatur & redotetur, juspatronatûs nunquam ad eum redeat. Barbos. citans Roch. *V. construxit. q. 8 num. 12.* Vivian. *in praxi jurispatronatûs. l. 15. c. 1. num. 3.* Secùs est, ubi dos solum imminuitur, cùm diminutio dotis fundatori nusquam imputetur. Lott. *num. 13.* juxta decis. Rotæ 521. *num. 2. p. 2. recent.* Sed neque extinguitur juspatronatûs, dum eadem dos applicaretur pro dote alterius beneficii vel dignitatis aut canonicatûs; licèt enim extinguatur ipsum beneficium per unionem vel suppressionem, jus tamen patronatûs non extinguitur, sed transfertur ad beneficium, cui ea applicatio fit. Lott. *loc. cit. nu. 14.* citans Seraph. *decis. 1444. num. 11.* & Rotam *in una Lancian. Archipresbyteratûs 2. Maii* 1616. quidquid sit, ut *ibidem* Lott. si fieret pro dote prælati Ecclesiæ cathedralis refragante textu *c. nobis. h. tit.*

4. Quartò: nihilominùs extingueretur juspatronatûs, si patronus absque reservatione jurispatronatûs permitteret seu consentiret Ecclesiam seu beneficium patronatum conferri vel uniri monasterio. Laym. *in c. sicut. de suppl. negl. præl. num. 4.* Item *in c. ad hæc. de offic. Vicarii. num. 3.* Pirh. *num. 138.* citans Zoës. *h. tit. num. 5.* Barb. *num. 155.* citans *c. nobis. h. tit.* & gl. 161. *V. Capella.* & Massobr. *in pr.* ha-

habendi concurs. pral. 7. dub. 5. num. 5. Vivian. *de jurepat. l. 15. c. 1. num. 12.* Idem est juxta hos AA. si absque reservatione jurispatronatûs pateretur Ecclesiam patronatam converti in Collegiatam; secùs videtur, si patrono invito vel præterito fieret dicta unitario, argumento *c. Monasterium. & c. seq. 16. q. 7.* ubi dicitur, quòd Episcopus non possit auferre Ecclesiam à dispositione patroni eo invito, adeóque sicut invito patrono non potest auferri jus præsentandi, ita nec indirectè, covertendo Ecclesiam patronatam in Collegiatam. Pith. *h. tit. num. 35.* Si tamen ob aliquam necessitatem talis Ecclesia convertatur in Collegiatam, ita ut patronus, etsi vellet, non posset contradicere, quia non potest impedire majus bonum Ecclesiæ, hoc casu non tantùm ad canonicatus & beneficia simplicia, sed etiam ad prælaturam in eadem Ecclesia patronus retinebit jus præsentandi. Pith. *ibidem.* Card. Luca *in sum. Jurispatro. num. 136.* nisi tamen, ut Pith. tempore fundationis vel posteà consenserit, ut fieret Ecclesia Collegiata sine protestatione seu reservatione juris sui: tunc enim electio Prælati seu Rectoris spectabit ad Collegium Clericorum: proceditque idipsum, ut rectè notat C. Luca *loc. cit.* tantùm respectu Canonicatuum & beneficiorum, quæ ex ipsius Ecclesiæ antiquæ patronatæ dote & redditibus erecta sunt, excepto Episcopo seu majore Prælato, cujus mensæ bona Ecclesiæ patronatæ applicata sint, nisi aliter in ipsa erectione ex Apostolica auctoritate cautum sit, ut quandoque, præsertim in Ecclesiis de regio patronatu, praxis docet.

5. Quintò: amittitur patronatus, si ipse in fiscum redigatur, sive facta sit confiscatio omnium bonorum & jurium per judicem Ecclesiasticum, sive generalis confiscatio per judicem laicum, & specialis per Ecclesiam. Lott. *cit. q. 14. num. 21.* citans Imol. *in Clem. pastoralis. num. 71. de sentent. & re judic.* & Rotam *decis. 53. num. 5. p. 1. recent.* In quo casu si patronatus est gentilitius, pergit durare, si quis supersit de genere. Lott. *ibid. num. 22.* ita enim confiscatio tunc non præjudicat filiis aliisve consanguineis, qui tunc non dicuntur habere patronatum à patre, qui deliquit, sed à genere & majoribus. Lott. *num. 23.* citans Molin. *de primogen. l. 5. c. 11. nu. 2.* &c. atque *num. 24.* id procedere etiam in crimine læsæ majestatis. Porrò dum confiscatio fit tantùm à judice laico, & juspatronatûs est annexum castello confiscato, transit in fiscum laicum. Lott. *num. 26.* juxta decis. Rotæ. Si verò cesset hujusmodi annexio, adeóque & necessitas transitûs vi annexi, non transit in fiscum laicum, Lott. *num. 28. & 29.* citans Cardin. *in Clem. plures. num. 8.* gl. & Imol. *in Clem. pastoralis.* Roch. &c. Sed ubi delictum, ob quod facta confiscatio, commissum est in Ecclesiam, rectè juspatronatûs applicatur Ecclesiæ, etiam in præjudicium vocatorum; adeóque prorsùs extinguitur, & Ecclesia acquirit statum libertatis, facta tamen declaratione ipsius delicti per Ecclesiam. Lott. *n. 30.* juxta Imol. *loc. cit. num. 72.* Si autem delictum non est commissum in Ecclesiam, juspatronatûs non applicabitur Ecclesiæ, sed pertinebit ad vocatos. Lott. *num. 31.* ita tamen, ut, dum vivit delinquens, fiscus admitti possit ad præsentandum pro ipso, non in præjudicium Ecclesiæ, sed vocatorum. Lott. *n. 32.* citans Peregrin. *de jurep. l. 5. tit. 1. n. 42.* Roch. *v. ipse velis. n. 68.* delinquente verò defuncto, redeat juspatronatûs ad vocatos: & si nullus eorum existeret, Ecclesia evaderet libera. Lott. *n. 33.* citans Archidiac. *in c. considerandum. 16. q. 7. n. 1.* quod nisi fieret, sequerentur duo maximè absurda; & quòd Ecclesiæ præcluderetur spes libertatis. Lott. *num. 34.* juxta Cardin. *in cit. Clem. plures.* Et quòd ipsa canonizaret sententiam laici in puncto privationis juris a se ipsa concessi, & in quo ideo prorsùs deficiebat potestas laici. Lott. citans Barbat. *in c. quanto. de judic. num. 17.* Vide de hoc plura suprà, ubi de translatione jurispatronatûs.

6. Sextò per præscriptionem; licèt enim ex sola negligentia in non præsentando juspatronatûs de jure communi competens non amittatur, tamen ubi datur formalis præscriptio contrarii statûs, nempe libertatis; dum nimirùm apparent collationes factæ tanquam de beneficio libero, sciente & patiente patrono. Lott. *loc. cit. num. 36.* juxta decis. Rot. 615. *num. 1. p. 1. Recent.* sufficit autem tempus quadragenarium. Lott. *num. 39.* juxta *c. cùm de beneficio. de prabendis in 6.* & decis. Rotæ *in Salernitan. Rectoria 22. Martii 1591.* Porrò remanet hæc præscriptionis deductio, si provisiones fuerint Apostolicæ. Lott. *num. 40.* Rota *decis. 77. nu. 4. p. 1. Recent.* Item si appareret, patronum percepisse alios fructus jurispatronatûs vel in exhibitione honorificentiæ, vel in suffragio alimentorum. Lott. *num 41.* citans Mohed. *de jurepat. decis. 19. num. 4.* De cætero hic notandum, quod ait de Luca *in sum. jurispat. num. 133.* in hac præscriptione attendenda principaliter persona negligentis, contra quam præscriptum esse prætenditur, an scilicet sit talis, ut jus suum remittere vel alienare possit in præjudicium successorum, vel contrà, ita ut in primo casu non procedant termini aliàs generales in præscriptione adimente jus, si habeat omnia requisita; secùs in secundo casu; qui enim alienare non potest, minùs pati potest præscriptionem, quæ proinde inducta contra prædecessorem non præjudicat successori venienti independenter ab eo ex propria persona, seu jure suo, tum ex dicta ratione, tum etiam ex eo, quòd non valenti agere non currat præscriptio; adeóque ut aliqui credant, quòd, etsi centenaria concurrat, ea successoribus in gentilitio præjudicare nequeat. Quod tamen circumspectè intelligendum ait de Luca; quatenùs nimirùm constet de initio infecto, quòd possessor non alium alleget titulum, nisi illum, quem sibi tribuit præscriptio ex sola dispositione legis, ita ad tollendam incertitudinem dominiorum diuturnam negligentiam puniendo: secùs autem ubi allegaretur aliquis legitimus titulus, quem centenarius possessor justificare non tenetur, quia potest allegare quemcunque optimum. Porrò, ut pergit Card. de Luca: etsi hæc non tantùm procedant, dum compatronus contra compatronum præscriptionem prætendit; verùm etiam, dum ea allegatur per Ordinarium vel alium de beneficii libertate contendentem, seu allegantem illam ex parte Ecclesiæ. In tantum verò hic casus patitur majorem difficultatem, ad inducendam præscriptionem, quia actus collativi facti per superiorem, præsertim Papam, solent esse æquivoci, utpote ad devolutionem vel derogationem pro ista vice referibiles, ubi præsertim essent ex causa resignationis vel permutationis; ideóque constare debet de animo privandi. Eodem modo aliàs dictum de præscriptione patroni contra compatronum, cujus non præsentantis jus, non constito de dicto animo, potiùs à præsentatione compatroni conservatur. In tantum verò minorem patitur difficultatem, quia minùs rigorosè justificanda aliàs ad præscriptionem requisita, cùm non agatur de præscriptione odiosa continente quandam speciem punitionis negligentiæ, sed de favorabili, per quam Ecclesia suæ naturali libertati restituatur; ac etiam, quia ea potiùs continere videtur remissionem: ita ille.

7. Septimò: amittitur juspatronatûs, dum patronus labitur in hæresin. Lott. *citatâ q. 14. nu. 18.* Barbos. *loc. cit. num. 260.* Pith. *num. 238.* Quippe ex hoc crimine non tantùm redditur incapax juspatronatûs; sed, si quod prius habebat, amittit, etiamsi ipse fuisset dotator, quia ob enormitatem sceleris lex illum fingit incapacem usque ab initio. Lott. *ibidem.* citans Lamb. *l. 3. q. 8. a. 1. num. 4.* & Rotam *decis. 6. num. 2. p. 3. Recent.* Idem est, dum patronus transtulisset juspatronatûs in infectum hæresi. Lott. *ibidem.* Item de schismaticis, & Apostatis, & receptatoribus, & defensoribus seu fautoribus hæreticorum. Barb. & Pith. *ll. cit.* Item de insordescentibus in excommunicatione majore per annum, quando censentur ut hæretici, juxta Mareschot. *Var. resol. l. 1. c. 83. num. 13. & 14.* Monet. *de commune. ult. volunt. c. 11. num. 158.* Vivian. *l. 15. c. 6. num. 6.* apud Barb. *cit. num. 260.* Porrò abjuratâ hæresi, illud recuperat.

Ar-

Archid. & Bellamet. *in c. Decernimus*, 16. *q.* 7. apud Lott. *n.* 81. Id tamen solùm intelligendum, si restituator in integrum; nisi enim restitueretur, ex sola abjuratione non recuperaret juspatronatûs, excepto casu, quo in specie non fuisset lata sententia super ipso privationis, Lott. *ibid.* & *num.* 20. juxta Gl. *in c. Maximum*, *V. Dignitate*, 1. *q.* 6.

8. Octavò: per occisionem vel mutilationem Rectoris vel alterius Clerici ipsius Ecclesiæ jure ipso privatur patronus patronatu, devolveturque is ad Ecclesiam, cui facta injuria, Pith. *loc. cit. num.* 138. Barb. *num.* 159. citans Vivian. *l.* 15. *c.* 2. *n.* 9. juxta *c. Quibusdam*, & Capit. *ad aures de pœnis.*

9. Nonò: per simoniam commissam in ejus cessione, donatione, venditione, (v. gr. dum venditur æquè principaliter cum universitate, Corrad. *l.* 4. *c.* 5. *num.* 47.) non solùm translatio jurispatronatûs impeditur, *c. De jure*, & *c. Præterea*, *h. t.* Lott. *num.* 16. citans Abb. *in c. Veniens, de restit. n.* 1. Roch. *de jurepatronatûs*, *v. Et accedit*, verùm etiam amittitur, *c. Quia Clerici, h. tit.* Card. de Luca, *in summ. jurispatron. num.* 135. Lott. *num.* 17. citans Paul. de Citad. *de jurepatr. p.* 9. *num.* 11. Roch. *v. Ipse*, *v. Is*, *num.* 54. Pith. *cit. num.* 138. eo privandum ait.

10. Decimò: jure novo Trid. *sess.* 22. *c.* 11. per hoc, quòd patronus se ingerat in perceptionem fructuum beneficii patronati, aut ipsius bona usurpârit, ipso jure privatur patronatu, & incurrit excommunicationem reservatam, Card. de Luca, *cit. num.* 135. Barb. *num.* 162. citans Vivian. *cit. l.* 15. *c.* 2. *num.* 13. Franc. Leon. *in thes. fori Eccles. p.* 2. *c.* 21. *num.* 31. semper tamen cum hac limitatione (quod observandum circa casum subsequentem; & plures ex antecedentibus, nimirùm quintum, sextum, septimum, octavum, nonum; ut benè monet Card. de Luca, *loc. cit. num.* 134. & 135.) ut patronatus amittatur in præjudicium tantùm hæredum, & successorum; quibus ipse delinquens præjudicare potest; non verò venientium independenter & jure suo; in quorum præjudicium expressam alienationem, vel remissionem facere non possit.

11. Undecimò per hoc, quòd patronus ingratus fit Ecclesiæ, juxta Surdum *de aliment. tit.* 7. *q.* 32. *num.* 9. & *q.* 38. *num.* 2. Vivian. *loc. cit. n.* 4. apud Barb. *num.* 261.

12. Denique amittitur, & Ecclesia evadit libera per non usum longissimi, vel etiam longi temporis; dum nimirum patronus, cessante impedimento, nullum rectorem præsentavit ad Ecclesiam vacantem; & interea, saltem duabus vicibus, rector fuit institutus sine præsentatione, Pith. *loc. cit.* ex Barb. *num.* 257. Verùm id intelligendum de jure patronatûs competente ex mero privilegio; censet Lott. *sup. cit. num.* 36. citans Puteum *h. tit. decis.* 7. & Mohedam. *eodem tit. decis.* 10. Item *l.* 2. *q.* 7. *num.* 22. & *seq.* citans Felin. *in c. Cùm accessissent, de constitut. n.* 2. Decian. *vol.* 2. *cons.* 2. *n.* 125. & alios adductos per Surdum *cons.* 419. *n.* 5. Si verò est de jure communi, nunquàm amitti per talem non usum, ait Lott. *cit. q.* 5. *n.* 25. ex Puteo. *decis.* 369. eò quòd faciliùs perdatur privilegium merum, quàm privilegium clausum in corpore juris; quod reputatur jus commune; juxta *l. ejus militis*, *ff. de testam. milit.* quapropter etiam videtur potiùs hoc jus patronatûs conservatum in præsumpta voluntate conferentis beneficium, Lott. *ibidem*, *num.* 26. citans seipsum *l.* 1. *q.* 34. *n.* 62. ubi, quòd, si Episcopus contulerit beneficium non factâ mentione jurispatronatûs, non censebitur mutatus status, nec interturbata possessio patroni; sumitur enim interpretatio, quòd contulerit, si patrono placuerit, & ita Veral. *decis.* 189. *num.* 2. *p.* 3. Porrò notat Laym. *in c. sicut, de suppl. negl. prælat. in* 6. jus præsentandi amissum, vel potiùs devolutum ad superiorem, ob non factam præsentationem intra tempus, factâ unicâ collatione, etiam sine effectu, recuperari à Patrono; citátque pro hoc Azor.

CAPUT SECUNDUM.

De præsentatione ipsa.

PARAGRAPHUS I.

De effectu & modo præsentationis faciendæ & admittendæ.

Quæstio 121. *Quale jus præsentato conferat præsentatio?*

1. Respondeo primò: confert illi jus ad beneficium, ut dictum suprà.

2. Respondeo secundò: jus illud, quod quæritur præsentato, resolvitur in simplicissimam habilitatem personæ ad obtinendam institutionem, Lott. *l.* 2. *q.* 9. *num.* 20. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 2. unde in effectu non censetur ei jus aliud quæsitum, quàm ut possit agere pro ipsa institutione, Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 14. citans Abb. *in c. Cùm Berthol. num.* 12. *de sent.* & *re judicat.* éstque ante institutionem minimè perfectum; sed subjacet periculo, ne patronus variet accumulando, Lott. *ibid.* qui etiam *l.* 2. *q.* 20. *n.* 33. & 35. quòd licèt præsentatus instans pro institutione non habeat adhuc jus in re perfectè quæsitum, sed tantùm jus ad rem, & hinc petere non potest beneficium tanquam suum, sed tanquam sibi debitum; nihilominùs, dum jus illud ad rem prosequitur, dirigit actionem non in personam, ad qualem duntaxat is dirigit, qui habet nudum mandatum de providendo, sed etiam dirigit in rem, ut res ipsa, id est, beneficium sibi tradatur.

Quæstio 122. *Quid requiratur, ut præsentatio tribuat ipsum jus?*

1. Respondeo primò: debet à præsentato esse acceptata; seu præsentatus consensisse in præsentationem sui (intellige intra terminum concessum patrono ad præsentandum, Lott. *l.* 2. *q.* 6. *num.* 38.) Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. Jus ad rem*, *n.* 2. citans Gomes. *q.* 23. *in reg. de triennali.* Garc. *p.* 4. *c.* 3. *num.* 11. citans Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 23. *n.* 12. Roch. &c. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 1. *num.* 7. Corrad. *pr. benef. l.* 4. *c.* 2. *num.* 15. Eò quòd hæc acceptatio facta à præsentato sit pars præsentationis, Garc. & reputetur unicus actus, Castrop. Corrad. *ll. cit.* Nec sufficit scientia præsentati sine illius acceptatione, Corrad. *loc. cit.* citans Calder. *de jurepatr. cons.* 9. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *num.* 1. &c. Non tamen requiritur acceptatio ad partem, si nominatus sit præsens; quia cùm se tunc præsentari ferat, intelligitur consentire & acceptare, Corrad. *loc. cit. num.* 16. citans Lap. *alleg.* 8. *circa med.* Cardin. *in c. fin. h. t.* Neque sufficit, dum præsentatur absens, Notarium, conficiendo instrumentum præsentationis, dicere: *Coram me Notario pro eo acceptante & stipulante;* quia talis stipulatio nihil prodest in hac materia, licèt operetur quoad alios actus, veluti etiam in ipsa donatione jurispatronatûs; quæ valet, & est perfecta facta absenti per stipulationem Notarii; Notarius enim tanquam servus publicus potest stipulari & acquirere absenti, & sufficit ratihabitio absentis, etiam non expressa, sed tacita, si ex factis conjici potest; nam ex scientia rei favorabilis inducitur, Corrad. *cit. num.* 16. Sed nec sufficit acceptatio præsentatio-

nis facta à patre pro filio, vel à consanguineo pro consanguineo, Corrad. *ibidem*, & videtur id verum, etiamsi acceptaret pater aliàve persona conjuncta eum cautione de rato, propter eandem rationem, quam dat Garc. *p. 5. c. 9. num.* 203. cur pater pro filio præsentare nequeat; nimirum quia in causa spirituali, qualis est hæc, pater vel conjuncta persona non admittitur sine speciali mandato. Item idem valere videtur, quod Garc. *ibidem* de præsentatione habet, nimirum si admitteretur talis acceptatio patris, alteriùsve personæ conjunctæ, ita demum valeret, si ratificatio fieret intra tempus datum ad præsentandum. Sufficit tamen & non aliter tunc acceptatio facta per procuratorem habentem speciale mandatum ad acceptandum beneficium in specie vel in genere, Garc. *p. 4. c. 1. num.* 21. citans Lamb. *p. 2. l. q. 5. a. 2. num* 2. Corrad. *loc. cit.* ubi etiam ex Lamb. quòd id intelligatur tam de jurepatronatûs laicorum, quàm Ecclesiasticorum. Porrò de dicta acceptatione constare debet per literas, vel procuratorem, Corrad. *ibidem*, Garc. *p. 4. c. 2. num.* 23. ex Lamb. Denique quòd si intra tempus datum ad præsentandum non acceptârit, & patronus alium non præsentavit, (quod potest) collatio beneficii devolvitur ad Superiorem, Corrad. *cit. num. 15.* ex Lamb. *p. 1. l. 1. a.* 21. *num.* 5. Quod Garc. *loc. cit.* ex Lamb. ait: Quòd dicta acceptatio requiratur intra quadrimestre, intelligendus est de patronatu laicorum tantùm.

2. Secundò: præsentatio à patrono facta, seu potiùs nominatio firma non est, neque jus præsentato ad beneficium confert, quousque habenti instituere præsentetur; quia hoc est de ratione præsentationis, Castrop. *loc. cit. p. 8. n. 1.* citans Abb. *in c. Ea noscitur, de his, quæ fiunt à prælat.* Garc. *p. 4. c. 1. n. 16.* Barb. *p. 3. de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 12. *&c.* Non tamen requiritur, ut præsentatio sit acceptata ab habente instituere, sed sufficit asse ei factam, etsi is eam non admittat, Zerol. *loc. cit.* citans Geminian. *in c. 1. de postulat. in 6.* Garc. *loc. cit. n.* 11. Rebuff. *de nominatione, q. 4. n. 6.* Selva, &c.

3. Tertiò: requiritur, ut præsentatio valida insuper talis sit, cui necessariò debeatur institutio: Nam si liberum sit instituenti præsentatum rejicere, nullum jus considerabile ex tali præsentatione habebit præsentatus, Castrop. *loc. cit. num.* 8. Hinc dum plures sunt præsentati per unum eundémque patronum, nulli eorum est jus quæsitum ad rem; etsi omnes in communi habeant jus & actionem, ut unus eorum ab habente instituere instituatur, Garc. *num.* 13. citans Abb. *in c. Cum Berthold. n. 12.* Mohed. Roch. contra Lamb. Idem est, dum plures sunt præsentati à diversis patronis in æquali semper numero, v. gr. singuli habeant duo suffragia; nam ut unus præsentatorum dicatur habere jus ad rem, requiritur major pars patronorum, seu vocum, Garc. *num.* 14. citans Rotam. *in una Mediolan. Capellaniæ, 27 Martii,* 1602. & plures alias ejusdem decisiones; præter quæ specialiter

Quæres 123. *Coràm quo fieri debeat præsentatio?*

1. Respondeo: necessariò debet fieri coram habente instituere, Castrop. *cit. p. 1. num.* 5. Lott. *l. 2. q. 6. num.* 33. & *q.* 13. *num.* 103. pendet enim validitas præsentationis, seu ea suscipit formam ex concursu trium personarum, præsentantis, præsentati, & habentis instituere, Lott. *cit. num.* 33. Unde actus præsentationis factæ extra præsentiam habentis instituere, resolvitur in simplicem nominationem, per quam non quæritur jus aliquod considerabile aut præservabile ipsi ita præsentato, vel potiùs nominato, Lott. *num.* 35. citans Rot. *in una. Hipporegien. plebania*, 25 *Junii*, 1610. cùm sit potiùs quædam impropria & verbalis electio personæ, ut præsentetur, quàm præsentatio, Lott. *num.* 36. & Abb. *in c. ult. h. tit. num.* 4. & veriùs actus præsentationis inchoatus, quàm consummatus, nullatenus impediens variationem, Lott. *ibid.* ex Lamb. *p. 2. l. 2. q. 7. a. 2. n. 2. & 5.* Proceditque responsio, etiamsi habens instituere sit inferior Episcopo; ita etiam, ut non excusaretur patronus, qui neglecto præsentare coram tali inferiore institutore, præsentandum subjecisset Episcopo pro examine, Lott. *num.* 46. citans Rot. *in Mediol. jurispatronatûs,* 22 *Maji*, 1575. Nihilominùs excusandum patronum à devolutione, si præsentâsset alteri, quem ex rationabili causa credidisset habere jus instituendi, v. gr. Ordinario (cùm enim inferiores habeant jus instituendi non ex jure communi, sicut Ordinarii, sed ex legitima præscriptione, privilegio, vel lege fundatoris; facile est patronum hoc ignorare; cùm nemo teneatur, nec valeat quandoque scire jura privatorum, Corrad. *in pr. benefic. l. 4. c. 6. num. 2. & 3.*) etiamsi is illud in veritate non habeat; tradit Lott. *num.* 48. citans Rebuff. *in prax. de devolut. num.* 26. Lap. &c. Garc. *p. 10. c. 3. num. 7.* citans claram desuper Rotæ decis. Corrad. *loc. cit.* Porrò in dicto casu ignorantiæ potest patronus iteratò præsentare, habétque aliud semestre vel quadrimestre, prout est laicus vel Ecclesiasticus, à die scientiæ nullitatis præsentationis, Corrad. *cit. num.* 2. citans Roch. *de jurepatronatûs, v. Honorificum, q. 37. num. 63.* Vivian. *in pr. jurispatronatûs, l. 5. c. 2. num. 27. & num. 5.* citans Barb. *de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 141. secùs verò, si scienter & dolosè præsentavit coram non habente instituere; quia tunc devolvitur collatio ad superiorem; sed de hoc pluribus infrà.

2. Sed neque præsentatio, quæ fit in Curia pro obtinenda institutione à Papa, exigit præsentiam Papæ, aut alterius superioris, qui illam excipiat, ut Lott. *num.* 49. Corrad. *l. 4. c. 7. n.* 33. Papa enim ut totius mundi negotiorum mole pressus non potest vacare receptioni hujusmodi præsentationum; unde nec præsentatus debet sensibus corporeis se coram Papa sistere, qui propterea suis officialibus hujusmodi negotium demandavit; quare videmus passim supplicas signari per Prælatum habentem à Papa potestatem signandi istiusmodi supplicas; etiam in privata domo ipsius Prælati, Corrad. *ibid.*

Quæstio 124. *Num ad validam præsentationem requiratur, ut fiat per patronum corporaliter præsentem habenti instituere?*

Respondeo negativè: sed sufficit facere præsentationem medio procuratore, vel missis litteris, Castrop. *loc. cit. num. 5.* & apud illum Tusch. *l. 3. conclus.* 592. *num.* 24. Barb. *p. 3. de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 116. juxta clarum textum *c. Ea noscitur, de his, quæ fiunt à præl.* Porrò hoc intelligendum de constituto procuratore, postquam vacavit beneficium, an enim, & qualiter, & in quibus casibus constituere possit procuratorem, antequam vacet beneficium, in ordine ad præsentandum, & valeat per eum facta præsentatio, dictum fuit suprà.

Quæstio 125. *Num ad validitatem præsentationis requiratur, ut præsentandus corporaliter exhibeatur, & sistatur præsens habenti instituere?*

1. Respondeo negativè: potest enim institutori validè præsentari per literas, vel procuratorem, à patrono, vel à seipso: ita absolutè docent Castrop. *loc. cit. num. 6.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 6.* Card. Luca *de jurep. d. 64. n. 30.* citans Lap. *alleg. 75.* contra Abb. *in C. Ea noscitur.* Corrad. *l. 4. c. 2. num. 1. & seq.* Lott. *l. 2. q. 6. num. 33. & 34.* Garciam *p. 4. c. 1. num.* 16. Lamb. *l. 2. q. 11. a. 2.* Barb. *3. p. de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 110. Zerol. *v. jusp. §. 7.* Tusch. *L. B. conclus.* 191. Corras. *p. 4. c. ult num.* 18. & alios, quorum sententiam communem dicit Castrop. è quibus tamen plerique, ut Abb. *p. 2. consil.* 70. Garc. *loc. cit. num.* 18. & 25. Barb. *loc. cit. num.*

num. 118. Lamb. Zernl. admittunt, valere præsentationem absentis, si eam admittat Ordinarius, seu habens instituere, (etiam cum clausula: *Salvo jure alterius*; vel etiam, si eam non rejiciat: hoc ipso enim censetur admissa. Lott. *num.* 43. & 44. citans plures Rot. decis.) non tantùm ubi absentis qualitas seu idoneitas ei nota esset, sed etiam, ubi is ei ignotus est, nisi quòd Barbosa excipiat præsentatum ad parochiales, eò quòd tunc examen præsentati sit de forma: Quin & eorum aliqui doceant simpliciter, valere absentis præsentationem, dum is notus est habenti instituere, ut Lott. *loc. cit. num.* 37. citans Abb. & Lamb. intellige eâ notitiâ, quæ concludat ad idoneitatem, ut non egeat examine. Lott. *num.* 40. Qualis notitia præsumitur in Ordinario ex eo, quòd præsentatus sit diœcesanus, juxta Rotam *in Amerina jurispatronatûs.* 17. *Novemb.* 1614. Quod etsi sibi durum videri dicat Lott. *num.* 41. putat tamen hanc præsumptionem prævalere, si concurrat talis præsentationis admissio, eò quòd, dum habens instituere talem admisit, præsumatur habere sufficientem notitiam absentis. Verùm valere præsentationem absentis, etiam independenter ab admissione Ordinarii & notitia præsentandi, benè probat Castrop. ex eo, quòd nullus juris textus hanc corporalem præsentiam præsentandi requirat pro præsentatione, sed ad summum pro institutione, cùm ne quidem aliàs præsentatio absentis, etiam admissa ab Ordinario, valeret. Hinc ex eo, quòd Trid. *sess.* 24. *c.* 18. decernit, præsentatum admitti non debere, nisi ab Ordinario examinatus & idoneus repertus fuerit, id necessarium sit, non tantùm in parochialibus, (in quibus de forma & substantia est dictum examen) sed etiam in simplicibus, non infertur, dictam præsentiam præsentationi, sed institutioni faciendæ necessariam esse, ut rectè notat Garc. *cit. num.* 25. Quin &, si ad valorem præsentationis jura exigerent hanc præsentiam, jam nequidem Ordinarius, etsi vellet, posset validè, (quod docent suprà dicti AA. & præter eos Riccius *in pr. resol.* 139. & 141. Innoc. *in c. in Lateranensi. de præbend. &c.*) saltem dum is cognitus est, admittere præsentationem absentis, quia ea de jure est invalida. Castrop. *num.* 6. Tametsi autem detur verbum illud: *Repræsentent*, quo utitur textus *c. cùm & plantare. de privileg.* denotare corporalem præsentiam (ut probant plures textus juris civil. *l. consentaneum. c. quomodo & qualiter Judex*, & *l.* 1. *ff. de verb. oblig.* & tradit Gl. *repræsentare*, *in Clem. dudum. de sepult.* Tiraq. *de jure mariti. gl.* 6. *num.* 31. Selv. *p.* 3. *q.* 6. *num.* 7. *&c.*) adhuc non significare præsentiam corporalem præsentati, sed procuratoris per ipsum. Castrop. *cit. num.* 6. Idem dici posset de verbo illo: *Exhibitio*, dum definitur præsentatio, esse exhibitio personæ facta per patronum Episcopo; quamvis non minùs rectè dicatur quoque persona præsentanda exhiberi mediis literis, vel procuratore eam repræsentante. Porrò si valida est præsentatio absentis, & aliunde nihil obstet, non video, cur in libertate Ordinarii seu habentis instituere sit, eam non admittere, cùm possit præsentatum ad examen vocare, aut curare examinari, & disquirere de ejus idoneitate, antequam eum instituat.

2. De cætero non attendi istam absentiam, dum pro institutione seu provisione facienda recurritur ad Papam; (eò quòd subsit aliquid impedimenti, v. g. defectus ætatis vel qualitatis requisitæ in præsentando à fundatore, super quo Ordinarius non potest dispensare instituendo talem præsentatum) sed satis est, constare tunc de consensu patroni, (qui etiam consensus patronorum præstitus provisionibus Apostolicis habet vim præsentationis; quin & sufficit ad acquirendam quasi possessionem præsentandi, ut Corrad. *in pr. benef. l.* 4. *c.* 2. *num.* 7. & 8. juxta plures decis. Rot. quas citat) docet idem Corrad. *ibidem* ex Lott. Additque *num.* 9. quòd, quando absens potest præsentari, posse patrem pro filio, fratrem pro fratre, consanguineum pro consanguineo, amicum pro amico, cum promissione & cautione de rato petere præsentatum institui, & causam institutionis prosequi, & institutionem obtinere: si tamen præsentatus tanquam notus non eget examine; citátque pro hoc Vivian. *in pr. jurisp. l.* 11. *c.* 1. *n.* 3. & 4.

Quæstio 126. In qua forma debeat fieri præsentatio, an scripto, an per libellum, vel oretenùs certâ formâ verborum?

1. Respondeo: non requiri, ut fiat per libellum penes acta Judicii, neque ut fiat per scripturam publicam, seu instrumentum publicum; sed fieri potest per scripturam privatam, imò per literas familiares, & absque omni scriptura oretenùs. Card. de Luca *de jurep. d.* 64. *num.* 21. & 23.

2. Neque certa verborum forma requiritur, modò sufficienter exprimatur voluntas actualis, quâ actu præsentetur. Card. Luca *ibid.* Porrò ubi uteretur patronus verbis, potiùs velleitatem, quàm perfectam dispositionem ac determinatam voluntatem significantibus, v. g. dicendo: *Volo præsentare Titium*; vel *nomino Titium in præsentandum*; vel *præsento Titium*, non exprimendo, ad quid, Card. Luca *loc. cit. n.* 24. ait; cùm hæc sit quæstio facti & voluntati potiùs, quàm juris, decidendum, & de dicta voluntate judicandum cum regulis generalibus, secundùm quas solemus istiusmodi voluntatum perfectionem tam in actibus viventium, quàm morientium dijudicare. Illud solùm in præsenti observandum, quòd debeat intra terminum à jure præscriptum probari talis voluntas coram habente instituere.

Quæstio 127. An & qualiter præsentatio possit esse conditionata?

1. Respondeo primò: per præsentationem (contrarium est in institutione, collatione & electione, de quo vide AA. paulò pòst citandos) fieri posse conditionatam, seu sub conditione; quin & dubiam & obscuram, v. g. si diceret patronus, ut Card. de Luca *loc. cit. n.* 25. *Præsento mihi proximiorem in parentela, vel illum, qui me baptizavit.* Vel relativè ad tertium: *Præsento illum, quem Titius præsentabit, &c.* modò intra tempus concessum ad præsentandum conditio purificetur, incertitudo & obscuritas certificetur, & fiat clara coram institutore. Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 26. citans Vivian. *l.* 6. *c.* 6. *n.* 24. Card. de Luca *loc. cit.* Garc. *p.* 8. *c.* 2. *n.* 42. citans Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 3. *a.* 5. *n.* 5. Porrò si conditio vel incertitudo venit purificanda vel certificanda per habentem instituere, statim dicitur purificata & certa præsentatio. AA. iidem. *loc. cit.* Hinc

2. Respondeo secundò: potest præsentari inhabilis (hoc est, cui deest aliquid à jure vel fundatore requisitum) sub expressa conditione impetrandi à Sede Apostolica dispensationem super isto defectu, v. g. super ætate vel qualitate sacerdotis requisita à fundatore, intra tempus tamen datum ad præsentationem patronis, qui proinde pro ea vice privari non possunt potestate præsentandi, tanquam si inhabilem præsentâssent; ac proinde collatio devoluta ad superiorem, cujus est instituere, cùm præsentatio facta fuerit sub conditione. Corrad. *in pr. benefic. l.* 4. *c.* 6. *n.* 4. & 26. juxta decis. Rotæ *n.* 1173. apud Seraphin. Nequaquam autem in hoc casu impetrandæ hujusmodi dispensationis pro præsentando inhabili sufficit, fuisse intra dictum tempus datum patronis ad præsentandum porrectam Pontifici supplicam, ac de hoc docere coram Ordinario, nisi fuerit etiam signata, ac saltem datata, licèt nondum registrata. Corrad. *n.* 5. Tempus verò devolutionis factæ ad institutorem incipit à die nulliter obtentæ vel etiam denegatæ dispensationis. Corrad. *ibid.*

3. Porrò hîc observandum ex eodem Corrad. *cit. n.* 4. citante seipsum *in praxi dispens. apost. l.* 4. *c.* 2. *n.* 14. *& seq.* primò nunquam aut rarò dari istiusmodi dispensationem ad patrem sine provisione; (nisi fortè sint nepotes Cardinalium, aliæve personæ qualificatæ,

ut Principum filii, cum quibus ad partem dispensare consuevit; ut nimirùm non obstante v. g. defectu ætatis, tunc expressè obtinere possint beneficia simplicia non habentia annexum S. Ordinem; sed solere dari dictam dispensationem certam in literis provisionis Apostolicæ de beneficio, ad quod orator est præsentatus, perinde ac si collatio ipsa simpliciter spectasset ad ipsum Pontificem, & eum solutione omnium jurium Officialibus Cancellariæ Apostolicæ debitorum. Secundò: quotiescunque Orator ratione alicujus impedimenti sive defectûs, sive is sit alicujus à jure, sive à fundatore requisiti, non potest ab Ordinario obtinere collationem vel institutionem, ad quem ea aliàs de jure spectaret; recurrendum ad Sedem Apostolicam, sive pro nova & simplice provisione cum dispensatione aut etiam gratia *perinde valere*. Quòd si beneficium pingue est, etiamsi sit juris patronatûs, etiam laicorum, solere Papam super hujusmodi redditibus aliquam, licèt modicam, pensionem, ob favorem personæ sibi benè visæ, reservare. Tertiò hodie, dum petitur dispensatio super defectu ætatis, etiam præsentati ad beneficium jurispatronatûs vacans, sive per obitum, sive per resignationem, regulariter non dari dispensationem ultra annum super dicto defectu.

4. De cætero, quid sit specialiter circa adjectam in præsentatione conditionem reservationis pensionis in favorem præsentantis, vel alterius ab eo nominati, vide Card. de Luca *loc. cit. n. 27.* ubi ait, decisionem pendere ab ea distinctione, quæ adhiberi solet circa conventiones inter resignantem & resignatarium, & breviter quoad præsens: dictam conditionem esse licitam, si fiat sub expressâ reservatione beneplaciti Apostolici, & non vitiare actum præsentationis vel collationis; habetur enim pro non adjecta, si Papa neget, qui tamen requirendus est; si tamen adjiciatur sine hujusmodi reservatione beneplaciti Apostolici, nisi adsit clausula: *Non aliàs*, sive *non aliter*, vel *alio modo*, seu alia æquipollens, quæ adimat consensum ab actu, potiùs talis conditio habeatur pro inutiliter adjecta, quàm ipsa vitiet talem actum præsentationis, collationis, &c. Procedit que id multò magis, si adjiciatur clausula: *Omni meliori modo*. Ita Card. de Luc. *cit. n. 27.* ubi & *in sum. jurispatr. n. 107.* ubi hanc doctrinam extendit ad omnem conditionem à jure reprobatam, quòd illa adjecta actui, & in præsente præsentationi potiùs viciata seu nulliter adjecta habeatur, quàm actum vitiet.

Quæstio 128. *An & qualiter præsentatio facta pro forma requirat examen præsentati?*

1. Respondeo primò: facta præsentatio ad parochialem requirit essentialiter seu pro forma examen præsentati. Lott. *l. 2. q. 8. n. 45.* Patis. *de resig. l. 8 q. 5. n. 37.* & de hoc dictum alibi, ubi de consensu instituendo videri etiam poterunt Barb. *de off. parochi. p. 1. c. 2. n. 124.* Garc. *p. 4. c. 2. n. 22. & seq.* Less. *l. 2. c. 34. n. 81.*

2. Respondeo secundò: non requiri hoc examen pro detegenda habilitate præsentati in ordine, ut præsentatio admittatur, sed in ordine, ut institutio fieri possit, & hæc suum effectum consequatur; unde licèt notitia, quam habet Ordinatius, non suppleat hanc formam, ut sine ea possit instituere, licèt ea suppleat examen, ut præsentatum recipere possit. Lott. *loc. cit. n. 46.* ubi etiam, quòd satis sit, præsentatum ad parochialem posteà subjici examini requisito pro forma ante institutionem.

Quæstio 129. *An præsentatio vitietur, si patronus dicat*: Eligo Titium in præsentandum?

Respondeo negativè. Laym. *ad c. perpetuo. de postul. n. 4.* citans Jo. Andr. Franch. *in idem c.* cùm enim præsentatio diversa sit ab electione & postulatione, neque iisdem regulis juris definiatur, ea, quæ aliàs hac in parte de electione & postulatione dicta sunt, ad præsentationem transferri non debent. Unde dum constat de voluntate præsentare volentis, dicta verborum forma est sufficiens. Laym. *ibid.* Porrò præsentationis formulam tam, dum ea fit per patronum ipsum, quàm per ejus procuratorem, vide apud Corr. *l. 4. c. 6. n. 4.*

Quæstio 130. *Qualiter præsentatio ex præscripto fundationis aut aliàs facienda coram Papa fiat?*

Respondeo: si patronus in Romana Curia præsens est per se, vel si ab ea absens est, per constitutum ad hoc procuratorem præstare debet consensum suum, præsentando Oratorem coram Notario Cancellariæ vel Cameræ ad recipiendos hujusmodi consensus beneficiales deputato & habenti facultatem à Papa; qui consensus sic in manibus prædicti Notarii præstitus per patronos habet vim præsentationis, juxta decis. Rotæ 532. *n. 4. p. 1. divers.* valetque præsentatio perinde, ac si fuisset facta coram ipsomet Papa, etiamsi in mandato dicatur ad præsentandum coram Papa, vel, ut etiam dici quandoque solet, coram illius Datario, ut Vivian. *in pr. jurupatr. l. 6. c. 8. n. 23.* apud Cortad. *l. 4. c. 7. n. 34.* Licèt enim præsentatio & consensus hujusmodi fuerit receptus per Notarium suprà dictum à Papa ad id deputatum, non tamen iste actus attribuitur Notario, sed Papæ, ut dictum *in una Florent. parochialis. decis. 92. n. 12.* ac ita præsentatio in manibus Papæ sit per instrumentum, & sufficit consensus præstitus in Cancellaria vel Cameta per patronos, valetque præsentatio de absente, nec requiritur iste ordo, quo utimur aliàs, quando fit præsentatio coram inferiore servatâ formâ & apposito edicto, juxta text. *c. fin. in 6.* Ita ferè ad hanc quæstionem respondet Cortad. *cit. n. 34. & seq.* qui etiam *n. 35.* hanc ponit formulam hunc præstandi consensum ac præsentandi, nec non admittendi prædictam præsentationem, quæ extendi consuevit à tergo literarum Apostolicarum, continentium talis beneficii patronati collationem, nimirùm: *Anno Dominicæ Incarnationis, Die N. Titius, ad quem juspatr. & præsentandi personam idoneam ad beneficium N. ut prætenditur, spectat per D. Caium procuratorem ejus ad beneficium dictum vacans Sempronium sanctissimo præsentavit, præsentationique hujusmodi ac literarum expeditioni consenserant, &c.*

Quæstio 131. *Qualiter, dum plures sunt patroni, facienda & admittenda præsentatio?*

1. Respondeo primò: sive plures præsentent per modum unius, (hoc est, quatenùs unum corpus commune efficiunt, seu unum collegium aliámve communitatem constituunt; quò spectat etiam, dum præsentatio est penes plures hæredes unius ex patronis) hi enim habentur pro uno, & habent unam tantùm vocem, adeóque respectu illorum præsentatio non competit pluribus ut singulis, sed pluribus tanquam uni, ac si competeret pluribus ut collegio. Garc. *p. 5. c. 9. n. 225.* qui proinde debent simul convenire ad præsentandum, ut Paul. de Citadin. paulò pòst citand.) sive præsentent per modum plurium, omnes vocandi, ita ut, si unus, qui possit vocari, spernatur, præsentatio sit nulla. Castrop. *loc. cit. p. 8. n. 1. & 2.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 21.* & Abb. *in c. quoniam. h. t.* contra Jo. And. *in c. quoniam.* Sylv. *v. juspatr. q. 11.* Vasq. *opusc. de benef. c. 1. §. 1. dub. 7. n. 18.* Less. *l. 2. c. 34. n. 34.* censentes, non esse necesse vocari omnes, dum non per modum unius, sed per modum plurium (juxta pr. nimirùm spectante ad eos ut singulos) concurrunt plures ad præsentandum; sed sufficere esse præsentationem factam à majore parte, quibus accedit Garc. *p. 5. c. 9. n. 222.* citans insuper Paul. de Citad. *p. 6. q. 19. n. 3.* Lamb. *p. 1. l. 2. q. 2. a. 8.* (qui etiam dicit esse sententiam communem) & alios, & plures Rotæ decis. præcipuè *in una*

Callagur. beneficii, 4 *Mart.* 1594. *coram Mantica*, quam fusè refert Garc. *n.* 227. qui omnes dicunt, quòd, ubi ſunt plures patroni, poſſunt ſinguli præſentare, aliis non requiſitis, quando juspatr. ſpectat ad eos uti ſingulos (quod in dubio ſemper præſumitur) & non ut univerſos, ſeu jure collegii; & ſententiam contrariam Abbatis, Felin. Rochi procedere, quando, etſi juspatr. pertinet ad plures ut ſingulos, vigore tamen inſtituti vel conſuetudinis ſolíti ſunt convenire. Item in præſentatione ſeu nominatione facienda ad Capellaniam, in qua non debet fieri inſtitutio à ſuperiore, uti in capellania non collativa. Item in electione ad eleëmoſynam aliquam faciendam, ſeu opus pium; quia hic ulterior actus non requiritur, ſed ſufficit ſola nominatio; adeóque factâ hac electione per majorem partem, minor pars non habet ampliùs, quod faciat; adeóque aliquo non vocato ſeu contempto, actus non valebit, etiam contempto non reclamante, Garc. *n.* 228. Verùm rationem hanc dat Caſtrop. quòd quilibet patronorum, etiam concurrentium per modum plurium ad præſentandum, habeat jus præſentandi intra tempus à jure conceſſum, quem voluerit: nemo autem privandus ſit jure ſuo ſine culpa, qualiter in præſente, ſi valida foret præſentatio majoris partis patronorum, aliis patronis non præſentantibus, dum adhuc tempus currit ad præſentandum, hi non præſentantes privantur jure ſuo. Aliam rationem dat Abbas, Roch. Felin. apud Garc. *n.* 223. nimirum ex regula Bartol. *in l. Omnes populi, ff. de juſtitia & jure*, quam probant ibidem alii DD. quòd in his, in quibus conſenſus majoris partis præjudicat minori, etiamſi pertineat ad plures ut ſingulos, requiratur, ut actus fiat ſimul, & debent ſimul convenire, *l. ut ſunm, ff. de pactis*, *l. fin. c. Qui bonis cedere poſſint*, & ibi Greg. Lopez. Straca *de decoctoribus 6 p. n. 9.* Ad quam tamen rationem reſpondet Garc. *n.* 224. ea Lamb. & de Citadinis, regulam illam procedere, quando factum majoris partis præjudicat minori circa eundem actum; in præſente autem præſentatio majoris partis non præjudicat minori quòad actum præſentandi; quia quilibet poteſt præſentare, quem voluerit.

2. Porrò neceſſe non eſt, ut fiat hæc vocatio per citationem perſonalem; ſed ſufficit, ſi edicta ab inſtituente ſeu Ordinario publicentur de vacatione talis beneficii, ita ut in notitiam patronorum omnium poſſit devenire: hac enim publicatione factâ erit in culpa, adeóque imputet ſibi patronus, quòd non præſentârit, dum tamen per modum unius facienda à pluribus præſentatio, omnes, quorum intereſt vocandi, ut determinato tempore congregentur, aliàs nulla erit nominatio; quia congregatio legitima non erit, ita Caſtrop. *loc. cit. n.* 2. Dum autem aliqui nollent convenire, (intellige, dum neceſſarium eſt, ut conveniatur in unum) ſi præſentatio ſpectet ad plures ut plures, & ſint verum collegium, recurrendum eſt ad ea, quæ tradunt Doctores, maximè Felin. *in c. Cum omnes. d. c. conſtitut.* Si verò non ſunt Collegium, Judex ad inſtantiam aliorum ſtatuet illis terminum & locum, ubi conveniant (niſi in fundatione ſit ſtatutus) & tunc non comparentes faciunt ſe alienos, & præſentes poterunt actum celebrare, ſicut tradit de capitulo & collegio, Garc. *n.* 229. & 230.

3. Reſpondeo ſecundò: ad validam præſentationem requiritur, ut major pars patronorum conſentiat in unum; quod ita intelligendum, ut dum communitas aliqua præſentat, major abſolutè pars illius conſentire debet, eùm aliàs verum non ſit, communitatem illam præſentâſſe; dum verò non à communitate, ſed à pluribus ut ſingulis & ſeorſim ſumptis fit præſentatio, illa præſentatio valebit & ſortietur effectum, quæ comparatione aliarum partium major eſt, ſeu plura complectitur ſuffragia, v. gr. dum novem ſunt patroni, & ab eorum duobus præſentatur Titius, ab eorum tribus præſentatur Cajus, ab eorum quatuor Sempronius, valida tantùm erit præſentatio Sempronii, quia eſto, non ſit facta à majore parte patronorum computatis omnibus patronis, eſt tamen facta à majore parte patronorum, quatenus præſentationem faciunt ſeu comparatione aliarum partium, Caſtrop. *n.* 4. citans Vaſq. *ubi antè num.* 20. Azor. *ubi antè q.* 20. Jo. And. Sylv. &c. juxta quæ

4. Reſpondeo tertiò: dum plures communitates tanquam diverſa corpora concurrunt ad præſentandum, quodlibet corpus unam vocem integram habet, iſque cenſebitur nominatus ab uno integro tali corpore, qui majorem partem conſtituentium tale corpus pro ſe habuerit, & is in hoc caſu plurium corporum diverſorum facientium præſentationem cenſetur habere pluralitatem ſuffragiorum, adeóque illius valebit præſentatio, non qui a pluribus abſolutè perſonis horum corporum, ſed qui ab integris pluribus corporibus fuerit nominatus, v. gr. tria collegia habent jus præſentandi: primum collegium continens 40 perſonas unanimiter nullo excepto conſentit in Titium. Secundum, quod habet 20 perſonas unanimiter conſentit in Cajum. Tertium habens 20 perſonas ſecundùm minorem ſuam partem, v. g. novem ex iſtis 20 conſentiunt in Titium, reliqui in Cajum. Titius non habebit majorem numerum ſuffragiorum, ſed Cajus, Laym. *ad c. Paſtoralis, de reſcrip. n.* 9. Idem docet Lott. *paulò pòſt citandus.*

5. Reſpondeo quartò: dum vota patronorum ſunt æqualia, v. gr. duo præſentant Titium, & duo alii Cajum, neutra præſentatio prævalebit; ſed eſt locus gratificationi, poteſtque habens inſtituere, quem maluerit, inſtituere, *c. Cum autem, h. t.* Lott. *l.* 2. *q.* 11. *n.* 134. Circa quod notandum, quod habet *n.* 135. nimirum non omnem vocum præponderantiam vel pluralitatem (intellige materialiter acceptam) ſolvere talem æqualitatem; dum enim v. gr. Patronus habens ſemiſſem votorum (hoc eſt, cujus unius ſuffragium tantundem valet, quàm reliquorum patronorum ſimul ſumpta ſuffragia, in caſu nimirum dum hi repræſentant unum ſtipitem) præſentat Titium; ea reliquis verò decem habentibus alteram ſemiſſem, octo præſentant Cajum, cæteri duo prædictum Titium, non propterea Titius jam habet majorem partem ſuffragiorum (uti eam haberet, ſi quoque ex iſtis decem haberet 6. ſuffragia) ſed manet æqualitas; Cajus namque præſentatus ab illis octo, cenſetur habere vota totius dictæ ſemiſſis, eâ ratione, quâ habens majorem partem corporis, interpretativè dicitur habere conſenſum omnium. Denique quid ſpeciale ſit hac in parte circa religioſum mendicantem reſpectu religioſi non mendicantis, dum præſentatur ad prælaturam extra ſuum Ordinem, vide apud Laym. *in c. Quorundam, de Elect.* §. *circa n.* 2.

Quæſtio 132. *An & qualiter præſentatio admitti debeat ab habente inſtituere?*

1. Reſpondeo primò: præſentatio legitimè facta, & quoties non ſubeſt vel ex parte præſentantis vel præſentati legitima cauſa eam repellendi, debet admitti ab habente inſtituere, Corrad. *l.* 4. *c.* 13. *n.* 1. Proinde

2. Reſpondeo ſecundò: teneri illum admittere præſentatum cum iisdem qualitatibus & conditionibus ipſius beneficii in limine fundationis adjectis, etiamſi illæ ſint juri communi contrariæ, Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 42. citans Felin. cum communi; ſed neque illam poteſt aliter admittere. Unde plurimum intereſt habentem inſtituere perſcrutari, an præſentatio ſuerit facta ſervatâ formâ traditâ à teſtatore ſeu fundatore beneficii, Corrad. *ibidem n.* 41.

3. Reſpondeo tertiò: non debere illum præſentationem factam per patronos & acceptatam per præſentatum admittere abſolutè, ſed ſemper qualificativè, & cum adjectione clauſulæ: *Si, & in quantum*; quæ clauſula id in ſe continet, ſeu ſignificat; ſi & in quantum à jure admitti debeat, ac præſentandi jus competat, & præſentato nihil de jure objici poſſit. Unde & ſequitur citatio particularis vel generalis, diſcutientur jura præſentantium, ac præſentati idoneitas, ſive præſentatio ipſa fiat in concordia, ſive in diſcordia, Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 2. ubi etiam addit, præſentationem ſecundùm omnium Eccleſiaſticarum

cu-

curiarum usum non consuevisse aliter, nisi cum dicta clausula admitti, etiamsi certò sciat habens instituere, præsentantem ac præsentatum, nec non ipsum juspatronatûs nullis laborare defectibus, quò minùs ipsa præsentatio admitti queat. Porrò dicta clausula, cùm omninò ad juris dispositionem referatur, ut Barb. *de clausulis*, *claus.* 88. *n.* 2. Menoch. *cons.* 2. *n.* 360. Campan. Maranta, &c. apud Corrad. *loc. c. n.* 4. adeòque importet admissionem in his, quæ veniunt admittenda in casu præsentationis, in qua concurrunt omnia requisita, quæque propterea debet admitti, importat admissionem, & non operatur dispositionem conditionalem, adeòque præsentatio censetur admissa, sicuti è contra importat rejectionem præsentationis, quatenus præsentatio non habet omnia requisita, sive de jure non est admittenda, Corrad. *cit. n.* 4. citans Ricc. *in collectan. decis. p.* 2. *claus.* 99. *in fine.* Menoch. *cons.* 174. *n.* 31. *&c.*

Quæstio 133. *Quid agendum, dum habens instituere non admisit præsentationem, vel eam rejecit, dicendo*: Non admitto talem præsentationem?

1. Respondeo primò: patronus in eo casu non tenetur alium præsentare; si enim postea coram judice appellationis constiterit hujusmodi præsentationem fuisse legitimè factam, ille, qui erat præsentatus, debet institui, Corrad. *l.* 4. c. 3. *n.* 4. citans Roch. *de jurepatr. v. Honorificum*, *q.* 46. Barb. *de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 167.

2. Respondeo secundò: dum absque patronorum culpa & vitio legitimè facta præsentatio fuit rejecta, potest patronus & præsentatus agere contra hujusmodi recusantem admittere præsentationem apud superiorem illius, ut cogatur eam admittere, & instituere præsentatum, & ad reficienda damna & expensas, si quæ inde orta patrono & præsentato, Corrad. *cit. q.* 3. *n.* 5. De modo autem, quo in dicto casu procedere debeat ad consequendam institutionem, vide eundem Corrad. *ibid. n.* 6. *& seq.* & dicenda *inferiùs de institut.*

Quæstio 134. *An, & qualiter præsentatus legitimè renunciare, seu resignare possit?*

Respondeo: posse præsentatum ad beneficium jurispatronatûs, antequam instituatur ab habente instituere, renunciare præsentationi in manibus patronorum, etiamsi stetisset per annum; quia jus ad rem, quale tantùm acquiritur per præsentationem, etiam à superiore acceptatam ad beneficium, necesse non est renunciare in manibus superiorum, Corr. *l.* 5. c. 1. *n.* 4. citans Lamb. *l.* 3. *a.* 5. *q.* 3. ubi etiam subdit, idem esse, etiamsi Episcopus jam admisisset præsentationem. Quin & potest idem præsentatus non solùm renunciare in manibus patronorum, sed & in manibus cujuscunque simplicis Notarii; quo casu patroni habebunt integrum tempus ad præsentandum; quia per eos non stetit, quò minùs præsentatio sit consecuta effectum, Corrad. *ibid.*

PARAGRAPHUS II.

De tempore, quo vel intra quod fieri debet præsentatio.

Quæstio 135. *Intra quod tempus fieri debeat præsentatio?*

1. Respondeo: patrono laico conceduntur 4 menses, Ecclesiastico 6. c. *Quoniam*, c. *Cùm propter*, c. *Cum te*, *h. t.* Patronatui verò mixto ex laicis & Ecclesiasticis, communis sententia tenet, concessum esse semestre; tametsi laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent (saltem dum mixtura æqualis est; dum enim mixtura inæqualis est, attendendam præponderantiam, v. g. si plures sint laici, concessum tantùm esse quadrimestre, tenent Lott. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 61. Gonz. &c. apud Card. de Luca, *de jurep. d.* 64. *n.* 4.) quia ratione communionis privilegium concessum Ecclesiasticis communicatur laicis, Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 26. Bassæ. *loc. cit.* Barb. *juris Eccles. l.* 3. c. 12. *n.* 168. quam sententiam etsi communem fateatur Castrop. *cit. tr.* 13. *d.* 2. *p.* 5. *n.* 2. citatque pro ea Abb. *in c. Cum te.* Selv. *p.* 3. *q.* 31. *n.* 18. Garc. *p.* 5. c. 9. *n.* 210. Ricc. *in pr. resol.* 458. Barb. *p.* 3. *de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 131. Vasq. *opusc. de benef.* c. 2. §. 1. *du.* 3. Ipse tamen probabiliùs censet, saltem dum laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent, patronatui mixto non concedi nisi quadrimestre. Concedique adhuc semestre patronatui mixto, etiamsi laici essent plures, quàm Ecclesiastici, censet Card. de Luca *loc. cit. n.* 4. Vivian. *in pr. jurisp.* 67. c. 1. *n.* 9. Pasis. *de resig. l.* 2. *q.* 4. *n.* 50. apud Barb. *loc. cit. n.* 169. quamvis ipsa id neget *de potest. Ep. p.* 3. *alleg.* 60. *n.* 17. citetque pro se Pereiram, &c.

2. Porrò cùm rege non curari de tempore & termino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, quàm aliis ex Cabedo *de patronatibus regiæ coronæ*, *c.* 28. *n.* 5. ait Garc. *p.* 10. *c.* 2. *n.* 34. *in fine.* Card. de Luca *loc. cit. n.* 13. ait sic usu receptum esse. Idem de summis principibus esse ait Castrop. *loc. cit. n.* 5. rationem hujus hanc dat, quòd in regibus & summis principibus præsumatur semper impedimentum ob plura, quibus implicantur negotia, secùs ac accidit in aliis patronis, ubi dictum impedimentum, quia non præsumitur, probari debet.

3. Denique dicta de tempore concesso ad præsentandum intelligenda tantùm esse quoad beneficia simplicia, & secus esse de curatis & parochialibus, siquidem patronos, sive Laici, sive Ecclesiastici, sive sæculares, sive regulares sint, habentes jus præsentandi ad parochias patronatas teneri intra 10 dies à die verisimilis notitiæ vacationis capellanos præsentare, juxta constitutionem Pii V. (quæ incipit: *In conferendis beneficiis*, habeturque apud Quarantam *in Summar. Bullarii*, *V. beneficior. paroch. collatio*, & in qua prohibetur expressè Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis & patronis à Trid. ad nominandum idoneos ad Ecclesiam regendam coram deputatis examinatoribus præfixum, ultra alios 10 dies prorogare præsumant, ac præsentati, examinari & approbari debent intra duos menses à die præsentationis, & habiti examinis instituti, aliter beneficium devolvi ad Papam) habet Bassæus iisdem ferè verbis, *To.* 2. *v. Beneficium*, §. 5. *n.* 5. de hoc apud alios non invenio.

Quæstio 136. *Num sufficiat patronum intra tempus sibi datum ad præsentandum præsentâsse à se delectum Ordinario ut examinetur, dum collatio seu institutio facienda est per inferiorem?*

Respondeo negativè: sed debet eundem actualiter intra dictum tempus præsentâsse coram illo, qui facturus est collationem seu institutionem, Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 6. testans sic resolutum *in Mediolan. jurispatr.* 22 *Maji*, 1595.

Quæstio 137. *An, & à quo concessum à jure tempus patronis ad præsentandum abbreviari aut prorogari possit?*

1. Respondeo primò: patronus, sive is Laicus, sive Ecclesiasticus fuerit, potest cum consensu Episcopi in limine fundationis dictum tempus tam prorogare quàm abbreviare, *v. gr.* dum est Ecclesiasticus, statuere, ut præsentatio à suis successoribus patronis Ecclesiasticis debeat fieri ante semestre, quin & præfigere præsentationi faciendæ unicum solum mensem, ut Marius Antonin. *variar. resol. l.* 1. *resol.* 112. *casu* 15. *vers.* 5. Similiter ut possit fieri post elapsum jam semestre. Et dum patronus est laicus,

sta-

ſtatuere, ut debeat fieri præſentatio ante, vel ut poſſit fieri etiam poſt quadrimeſtre; poteſt enim, ut ſæpè dictum, fundator apponere modum vel conditionem non ſolùm citra vel præter, ſed etiam contra jus commune, adeóque tenor fundationis quò ad dictum tempus attendendus & ſervandus, Card. de Luca *loc. cit. n. 14.* citans Vivian. *l. 7. c. 1. n. 16.* Corr. *l. 4. c. 2. n. 61. & 62.* ubi etiam addit ex Mario. Anton. *loc. cit.* poſſe tamen tunc poſtmodum tempus à fundatore præfixum prolongari ab Epiſcopo, uti & ab eodem tempus à jure conceſſum abbreviari; cùm contrariorum eadem ſit diſciplina. Verùm cùm in primo ageretur hac ratione contra voluntatem fundatoris, in ſecundo verò contra jus commune, permittens totum illud tempus patrono, non video quo modo hæc poſſit Epiſcopus; niſi fortè dicatur, quod ait Corrad. *loc. cit. n. 66.* poſſe judicem ob cauſam terminum à jure ſtatutum abbreviare & prorogare, ut Doctores *in l. 2. de re judic.* de cetero

2. Reſpondeo ſecundò: poteſt Ordinarius (idem videtur de inferiore Epiſcopo habente inſtituere) prorogare quadrimeſtre illud & ſemeſtre etiam ad aliud ſemeſtre; cùm prorogatio iſta in ſolius habentis inſtituere cedat præjudicium, utpote in cujus favorem determinatio illa temporis à jure facta eſt, cui favori ipſe cedere poteſt, cùm unusquisque rei ſuæ ſit moderator & arbiter, Card. de Luca *loc. cit. n. 16.* Corr. *cit. n. 66.* Caſtrop. *cit. p. 5. n. 8.* citans Ugolin. *de pot. Ep. c. 51. §. 1. n. 4.* Ricc. *in pr. fori Eccl. reſol.* 195. Pariſ. *de reſign. l. 7. q. ult. n. ult.* Barb *cit. alleg. 72. n. 143.* Unde jam etſi patrono lapſus fuerit terminus datus à jure ad præſentandum, adhuc Ordinarius ſeu habens inſtituere, ad quem jure devoluta eſt collatio, permittere poteſt patrono, ut præſentet; cùm devolutio hæc lata ſit in favorem Ordinarii, cui cedere poteſt, Caſtrop. *loc. cit.* citans Lamb. *l. 2. p. 2. a. 27. n. 3.* Barb. *loc. cit. n.* 170. Card. de Luca *cit. n. 16.* citans Vivian. &c. *&c. 2. de ſuppl. neglig. prælat.* in quo dicitur: Si non præſentent patroni intra tempus, liceat tibi ordinare in iis Rectores; verbum enim: *Licet*; favorem & licentiam, non neceſſitatem imponit. Sed neque per hoc fit injuria ſuperiori, utpote ad quem non fit devolutio collationis, niſi poſt dilatam per 6 menſes à facta præſentatione, quæ fieri poterat ultimâ horâ quadrimeſtris vel ſemeſtris illius, inſtitutionem. Neque dici poteſt creari per hoc præjudicium Eccleſiis, quibus diuturna vacatio ſolet eſſe damnoſa, & propterea ob utilitatem publicam, ſeu dictum damnum evitandum præfixum eſſe patronis quadrimeſtre vel ſemeſtre. Nam præterquam, quòd abſque eo Ordinarius poſt factam jam præſentationem poſſit differre inſtitutionem ſeu proviſionem, nec ante ad alium ſuperiorem devolvatur poteſtas conferendi, dum juspatronatus eſt laicorum, cuſtodia Eccleſiæ ſpectat ad Epiſcopum; ſi Clericorum, ſpectet ad eoſdem clericos, adeóque ex tali vacatione Eccleſia non patitur notabile damnum; præſertim, cùm tales Eccleſiæ, in quibus cadit præſentatio, non ſint cathedrales aut collegiatæ, Corrad. *loc. cit.* citans Lamb. *p. 2. l. 2. a. 7. q. 1. n. 686.*

3. Non poterit tamen illud prorogare plus, quàm ad 6 menſes; quia non poteſt ultra 6 menſes inſtitutionem differre, quin ad alium ſuperiorem devolvatur inſtitutio, Caſtrop. *loc. cit.* citans *c. 2. de conceſſ. præb.* & Barb. *ubi antè n. 170.*

4. Porrò requiri ad hanc prorogationem cauſam aliquam, ſatis indicat Corrad. *loc. cit.* dum inquit: poſſe prorogari tempus illud ad effectum, ut patroni poſſint meliùs pro idoneo præſentando deliberare, & judex non niſi ex cauſa poſſit terminum à jure ſtatutum prorogare; & ſic videmus juſtâ causâ interveniente, maximè, quæ utilitatem Eccleſiæ, cui providendum de rectore, reſpicit, concedi dictam prorogationem à Pontifice, dum ad eum recurritur; non enim, ut inquit Corrad. *loc. cit. n. 68.* Epiſcopus ſemper hac urbanitate uti conſuevit, quæ eſt in prorogando patronis tempus ad præſentandum, in quo caſu peti poterit ea prorogatio à pontifice. Sed crederem, non adeò magnam neceſſe eſſe intervenire cauſam, ut Ordinarius hac in parte gratificetur patronis, cùm prorſus in ejus libitu ſit inſtitutionem ipſam, ſaltem ad aliquod tempus intra 6 menſes differre.

Quæſtio 138. Quo tempore intra dictum quadrimeſtre vel ſemeſtre fieri poſſit præſentatio?

1. Reſpondeo primò: præſentationem poſſe fieri validè & licitè quocunque die, etiam feſto intra dictum tempus; cùm tempus illud quadrimeſtre vel ſemeſtre ſemper ſit continuum, & quocunque die currat, etiam diebus feſtivis, juxta *c. 3. h. t.* Caſtrop. *cit. p. 5. n. 4.* citans Barb. Garc &c. *l. 4. c. 2. n. 79.* citans Vivian. *l. 8. c. 1. n. 6. & 7.* Adeoque etiam fieri poteſt die Nativitatis Domini aut Paſchatis; cùm ſit quid ſpirituale, & actus voluntarius extrajudicialis; quamvis, dum litigatur ſuper beneficio, vel præſentationis legitimitate, velletque eam examinare Ordinarius ex officio in forma judicii, vel ſuper ipſo jurepatronatûs quoad proprietatem, vel quaſi poſſeſſionem illius, talis proceſſus nequeat fieri diebus feſtis, Corrad. *ibid. & n. 83.* citans Gemin. *in C. Concertatum, de appell. in 6.* Barb. *dicta alleg. 72. n.* 144. Quare ulteriùs

2. Reſpondeo ſecundò: poteſt fieri etiam de nocte ob eandem rationem; quia dictum tempus eſt continuum, & currit de momento in momentum, & computatur per menſes, & menſis per dies 24 horarum, ac ita incluſâ nocte, Corrad. *loc. cit. n. 80. & 81.* citans Lamb. *ubi antè.* Unde, ut *ibidem* Corrad. ſi Epiſcopus jure devoluto confert beneficium jurispatronatûs laicorum ultimâ die quadrimeſtris, & ſi patronus ultrà non præſentat, & alter illud impetravit à Papa, obtinebit illa impetratio; quia collatio facta ab Epiſcopo eſt ipſo jure nulla; nec conſenſus patroni ex poſt præſtitus poteſt illam ratificare; cùm fuerit nulla, maximè in præjudicium impetrantis; quia etiam ultima dies ſpectabat ad patronum. Idem procedit in patrono Eccleſiaſtico de ultima hora ſemeſtris ob eandem rationem, etſi plerique Doctores loquantur ferè ubique de ultima die quadrimeſtris; quin & à potiore, juxta deciſ. 518. *de jurepatr. in antiq.* quia patroni Eccleſiaſtici habent majus jus ad beneficia quàm laici, adeóque nunquam poteſt Ordinarius jure devoluto providere Eccleſiæ, ſeu conferre ante elapſam etiam ultimam diem, eritque aliàs collatio nulla, Corrad. *cit. n. 82.*

3. Reſpondeo tertiò: poſſe præſentationem (idem eſt de inſtitutione, & qualibet alia proviſione beneficii; ſecùs tamen eſt de electione, quæ fieri nequit, ut Majol. *de irregul. l. 4. c. 35. n. 6.* Rodriq. *qq. reg. to. 2. q. 53. a. 13.* inſepulto rectore) mox à morte & ante ſepulturam defuncti Rectoris; cùm totum tempus datum à jure patronis ad præſentandum, ſit eorum, & iis currat ab hora mortis defuncti Rectoris beneficii, Corrad. *l. 4. c. 6. n. 39. & 40* citans *C. Bona de elect.* Garc. *p. 10. c. 1. n. 38.* Etſi de honeſtate ſit exſpectare, donec defunctus Rector ſit ſepultus: Auctores iidem cum communi ex *C. Nullus, 2. diſt.* 79. quin & ſic fieri poteſt collatio, ſimul ac beneficiatus mortuus eſt, vel alio modo vacat beneficium, Ordinario etiam ignorante mortem vel vacationem (intellige, ſub conditione, ſi vacet) ut Garc. *l. c. n. 37.* citans Corra. *de benef. p. 1. c. 7. n. 7.* & ſeipſum. *p. 8. c. 2. n. 4.* Idem dicendum videtur de præſentatione.

Quæſtio 139. Quomodo computetur dictum tempus?

1. Reſpondeo primò: computatur per menſes, ſecundùm quod hi occurrunt in calendario, & non ut ſingulis menſibus attribuantur dies 31, Garc. *p. 10. c. 2. n. 42.* citans Sanch. *l. 2. de matrim. d. 24. n. 14.* Menoch. *de arb. l. 2. Caſu 50. num. 21.* Mandoſ. *de elect. p. 1. c. 3.* Boërium, & plures alios contra Hoſtienſem *in C. Licèt, de ſupplend. negl.* Quintinum *in repet. C. De multa, n. 97.* Proceditque id, etiamſi

an-

annus sit bissextilis, v. g. si beneficium cœpit vacare primâ Januarii, finitur semestre ultimâ mensis Junii, & possunt præsentare patroni usque ad primam Julii exclusivè, & si vacârit primâ Januarii horâ octavâ manè, finitur primâ Julii horâ septimâ, seu octavâ matutinâ exclusivè, etiamsi annus sit bissextilis. Auctores iidem, Castrop. *loc. cit. n.* 4. Secundò: computatur hoc tempus continuum diésque singuli ad 24 horas, ut dictum paulò antè.

2. Resp. secundò: tempus, sive à jure, sive à fundatore datum ad præsentandum computatur seu incipit currere, non ab hora, quâ beneficium vacat, sed ab hora, quâ patronus cœpit habere notitiam istius vacationis, Corrad. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 73. dicens, etsi olim contrarium senserit Rota, aut etiam antiqua jura, nempe *c.* 2. *de suppl. c.* 2. *de concess. preb.* id hodie non tenere, Lott. *l.* 2. *q.* 6. *n.* 23. Garc. *loc. cit. n.* 34. Castrop. *loc. cit. n.* 3. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 11. Barb. *de pot. Ep. p.* 5. *alleg.* 72. *n.* 134. Tiraq. *de retract. tit.* 2 §. 35. *num.* 7. *&c.* contra Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 1. *a.* 8. Florent. Mena. *q.* 3. *n.* 20. & alios apud Garc. Hujus enim temporis determinatio est in odium negligentiæ patronorum; negligentiam autem habere non possunt, nisi vacationem sciant, Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 16. quamvis ibi agat de collatione, eadem tamen est ratio. Sic etiam tempus dictum currit patrono à die scientiæ commissi criminis, ob quod quis ipso jure seu facto privatur beneficio; ignoranti tamen justè non currit, Corrad. *loc. cit.* citans Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 1. Proceditque id ipsum, etiamsi fundator mandâsset præsentationem faciendam esse infra 4 menses à die mortis vel vacationis; quia debet intelligi & suppleri à die notitiæ; cùm voluntas fundatoris semper intelligatur secundùm juris communis dispositionem, dum aliud non est expressum, Corrad. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 74. Idem est, ut *ibidem* Corrad. etiamsi in Bulla collationis factæ à Papa per devolutionem ob non servatum tempus datum ad præsentandum dicatur: *à die vacationis.* Garc. *cit. n.* 34. citans Roch. *v. Honorificum, q.* 27. & Abb. *in c. Nos quidem, de testam.* Quin etiam procedit, etiamsi fundator præfixisset tempus quantumcunque breve, v. gr. unum mensem, nam ubicunque à lege præfigitur terminus certus, necesse est, ut præcedat notitia, cùm, ut dictum, sine illa dari nequeat negligentia, Corrad. *loc. cit.* citans plures Rotæ decisiones.

3. Quare jam objiciens patronum non præsentâsse in tempore (idem est de impetrante, dum nimirum impetratur beneficium jurispatronatûs laicorum per devolutionem ad sedem apostolicam ob non factam præsentationem intra tempus statutum, Corrad. *cit. n.* 74. Ubi etiam, quòd propterea malè agant Executores literarum apostolicarum super provisionibus beneficiorum per devolutionem impetratorum; dum vix literis ipsis sibi præsentatis, procedunt ad collationem, non examinato an præsentator vel collator omittens præsentare habuerit veram scientiam vacationis, nec ne; cùm hæc scientia determinari debeat per judicem, sive delegatum, sive ordinarium) debet probare, patronum habuisse scientiam vacationis; quia quamdiu hæc scientia non probatur, præsumitur ignorantia; cùm credendum non sit, patronum scientem beneficii vacationem jus suum omittere, Corrad. *loc. cit. num.* 75. Castrop. *cit. n.* 3. citans Barb. *ubi ante n.* 136. Garc. *cit. n.* 34. *&* 37. citans desuper claram Rotæ decisionem *in una Firmiana altaris, 5 Decemb.* 1594. Quin & scientiæ hujus tempus probandum est plenè; cùm sit de substantia, ut Gabriel. Spino &c. paulò pòst citandi.

4. Scientiam verò hanc seu notitiam debere esse & probari veram, indubitatam & certam, & non sufficere præsumptam & verisimilem, eò quòd, dum agitur de puniendo negligentiam alicujus, non sufficit scientia præsumpta, etiam ex eo, quòd publicum est, tenent Corrad. *loc. cit. n.* 74 (etsi *ibidem* dicat, quòd cùm paria sint scire, & debere scire, ideò receptum esse currere tempus collatori à tempore, quo scire debuit) Lott. *loc. cit. n.* 24. citans Puteum *l.* 2. *in correct. decis.* 142. *n.* 2. Lap. *alleg.* 78. *n.* 12. Mohed. *de prob. decis.* 4. Et dicens etsi olim aliter visum Rotæ *decis.* 1. *de jurepatr. in antiq.* eam tamen decisionem hodiedum non servari. His accedunt Tiraq. *de retractu*, §. 35. *gl.* 4. *n.* 7. dicens, requiri veram & certam scientiam, & non sufficere interpretativam, Card. de Luca *de jurepatr. d.* 64. *n.* 5. dicens: Non sufficere nec præsumptam, nec interpretativam, nisi facti circumstantiæ probent, quòd allegata ignorantia esset inverisimilis, seu ut alii vocant, crassa & supina (super quo, utpote consistente in facto, determinata regula dari non possit; cùm pendeat à circumstantiis, inter quas ponderandæ, an patroni essent in loco, nec ne, in eadem vel diversa diœcesi, &c.) adeóque, ut addit *n.* 7. invaluisse hanc opinionem, ut probabilis ignorantia impediat lapsum termini, Paul. de Citadin. *p.* 6. *a.* 3. *n.* 42. Berojus *in C. Quoniam, b.* 1. *n.* 52. Delphin. *de jurepatr. l.* 2. *n.* 178. Grinon. &c. apud Garc. *cit. n.* 34. dicentes: Requiri scientiam veram, non interpretativam. Item Hieronymus Gabriel. *l.* 2. *cons.* 185. Spino *de testam. gl.* 4. *n.* 21. apud Garc. quatenus dicunt: Quòd quamvis Ordinario, qui visitare debet & perquirere, imputetur negligentia, si nesciat beneficium vacâsse, cùm de facto vacat; patronus tamen non debeat censeri negligens, si nesciat vacationem, tametsi notam in loco vel Ecclesia beneficii ejus jurisdictioni non subjectis. Econtrà sufficere scientiam veram vel præsumptam, tenent Selva. *p.* 3. *q.* 9. Garc. *loc. cit. n.* 38. ubi: Quòd aliud sit scientia præsumpta, aliud interpretativa: neque excludi scientiam præsumptam ab AA. negantibus sufficere interpretativam. His accedunt Zerol. *in pr. Ep. p.* 1. *v. Juspatr.* §. 8. *du.* 2. *&c.* dicentes: Sufficere tempus verisimilis notitiæ, uti & Castrop. *loc. cit.* testatur plures Doctores censere patrono currere tempus à die, quo verisimile, scientiam habuisse; cùm rarò possit esse probatio certæ scientiæ: hanc autem scientiam præsumptam conjecturis attentâ distantiâ loci, in quo situm beneficium, qualitate ipsius beneficii, longitudine temporis ac vacationis famâ, aliisque probandam, & à judice determinandam esse, ajunt Garc. *cit. n.* 34. Castrop. *cit. n.* 3.

5. Porrò quamvis Officiales Regum sciant vacationem, negligentiam tamen illorum non nocere Regi; quin & regi ipsi scienti vacationem non currere tempus quatuor mensium ex legitima præscriptione ex Cabedo suprà docent Garc. *cit n.* 34. Corrad. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 64. De pupillis autem vel amentibus aliisque imperfecti judicii habentibus tutorem vel curatorem, seu alium legitimum administratorem, scientiam certam tutoris, curatoris, &c. præjudicare, & lapsum termini inducere, tradit Card. de Luca *loc. cit. n.* 9. & eò quidem fortiùs, dum pupilli hac ratione damnum non patiuntur, dum Ordinarius salvo pro aliis vacationibus jure præsentandi pupilli, providendo ea jure devoluto suppleat vices administratoris, nisi fortè id redundaret in ejusdem pupilli alteriùsve sub administratore viventis supplantationem & bursale præjudicium.

6. Ac denique, dum plures sunt patroni, unusque ex illis ignoravit vacationem (aut ei probari non potest scientia vacationis) & hinc præsentare omisit, reliqui verò scientes vacationem præsentare omiserint, unus ille ad præsentandum admittitur, etiam post elapsum tempus præfixum aliàs, aliis exclusis à præsentando, Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *ubi suprà, n.* 137. Garc. *loc. cit. n.* 41. recitans desuper claram Rotæ decisionem, Corrad. *cit. n.* 74. Dum tamen inter hos patronos sunt pupilli, eorum ignorantiâ, quæ resultat à pupillari ætate, non impediri in isto casu devolutionem collationis ad Ordinarium, eò quòd aliàs Ecclesiæ & beneficia perpetuam vacationem pati cogerentur, ait Card. de Luca *loc. cit. n.* 8.

Quæstio 140. *Qualiter dictum tempus, quod aliàs per se loquendo currit continuum, seu est continuum & non utile, non currat patrono impedito?*

1.

1. Respondeo primò in genere: quotiescunque occurrit impedimentum legitimum, sive juris, sive facti (sive sub initium vacationis beneficii, sive ex intervallo) impediens, quò minùs patronus præsentare possit, non currit illi tempus; non enim quis sine culpa omittens quid, puniri debet. Garc. *p.* 10. *c.* 2. *n.* 17. citans Abb. *in c. quia diversitatem. de concess. præb. n.* 3. Guttier. *can. qq. l.* 1. *c.* 28. Roch. *v. honorificum. q.* 28. *n.* 58. Boëtium, Selvam, &c. Castrop. *loc. cit. n.* 5. citans insuper Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 13. *n.* 11. Menoch. &c. Barb. *de pot. Ep. p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 138. Item *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 170. citans Rebuff. *de pacif. poss. n.* 304. Flores de Mena. *var. q.* 3. *n.* 4. *&c.* Ubi varia enumerat impedimenta, nimirùm legitimam patroni absentiam, (quam etiam præsumi in dubio, ait Flores de Mena apud Barb. *loc. cit.*) v. g. Reip. causâ, vel ut Garc. *n.* 18. pro absolutione obtinenda, injustam incarcerationem, perhorrescentiam alicujus inimici, propter quem non haberet tutum accessum, vel etiam, ut Card. Luca *loc. cit. num.* 11. citans Lott. Barb. Garc. &c. errorem, dum nimirùm erroneè facta est præsentatio coram alio, quàm coram quo fieri debebat. Sic & inter legitima impedimenta numerari, dum factâ præsentatione in tempore de persona idonea, præsentatus acceptare noluit, seu aliàs citra culpam præsentantis præsentatio effectum sortiri non potuit, ait Card. Luca *loc. cit. n.* 15. citans Vivian. *l.* 5. *c.* 2. *n.* 27. Barb. *cit. alleg.* 72. *n.* 163.

2. Respondeo secundò in specie: motâ & pendente lite, dum lis est inter patronos, quolibet prætendente sibi competere præsentationem, currit illis tempus ita, ut si intra tempus à jure datum ad præsentandum lis non fuerit finita, & ob hanc causam omiserint præsentare, Ordinarius pro libitu suo conferre possit beneficium. Garc. *p.* 10. *c.* 2. *n.* 19. inquiens, durante lite super jure conferendi seu eligendi non currit tempus, licèt secùs sit in patronis. Lott. *l.* 2. *q.* 6. *nu.* 26. (qui etiam ait, in hoc casu discordiæ super jurispatronatûs pertinentia, etiamsi facta fuisset præsentatio intra terminum juris, hanc elidi, & ad Episcopum devolvi collationem, si intra dictum terminum lis non finiatur.) Ubi etiam eam elidi, ait, si Episcopus ex duobus præsentatis alterum præeligere non posset sine scandalo, (intelligendo non scandalum simplex ex lite, vel scandalum juris; sed scandalum facti, & quidem actionis, & cui judex ipse occurrere nequeat.) Castrop. *loc. cit. num.* 6. & apud illum Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 12. juxta *c. quoniam.* & *c. cum te. h. t.* Proceditque hoc ipsum tantùm, dum nullus contendentium patronorum est in possessione præsentandi, aut super possessione lis movetur. Secùs enim est, dum lis est super proprietate, & constat unum illorum esse in possessione; hic enim validè præsentare potest, juxta dicta superiùs. Castrop. *loc. cit.* citans Abb. Roch. Gregor. Lopez. &c.

3. Principalem nihilominùs responsionem sic limitare videtur Card. Luca *loc. cit num.* 12. Quòd licèt textus *cit. c. quoniam.* in casu litis inter patronos non terminatæ intra terminum datum ad præsentandum deferat collationem Ordinario pro illa vice, non tamen id concedat, nisi urgeret ratio scandali, ne aliàs Ordinarii affectarent excitari lites, & lites excitatas non terminarent, citátque pro hoc Lap. & ait, litem inter patronos tunc præcipuè facere, ut illis non currat tempus, dum collitigantes patroni protestarentur, quòd interim pendente lite non debeat iis currere tempus. Dum verò lis est inter patronos & Ordinarium super ipso jurepatronatûs, Ordinario contendente Ecclesiam liberam, patronis sustinentibus esse subjectam, non currit patronis tempus, ne aliàs absque sententia Ordinarius vinceret, & patroni succumberent. Unde in isto casu Episcopus Oeconomum seu Vicarium constituere debet, quousque lis finiatur. Castrop. *loc. cit. num.* 7. citans Ricc. *in pr. fori Eccl. resol.* 170. *num.* 2. Barb. *cit. alleg.* 72. *num.* 140. Idem est: nimirùm non currit patronis tempus, dum lis est inter ipsos præsentatos, quolibet prætendente se præferendum; debet enim tunc Ordinarius cujusque jura examinare, & pronunciatâ sententiâ in favorem illius, qui potius jus habet, facere institutionem, & non antè, ne aliàs injustus sit, privando præsentatum jure quæsito. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *ubi antè*: quamvis nec tunc patroni durante lite alium tertium præsentare sine vitio attentati possint, ut Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 173. citans Lancelot. *de attentatis. c.* 4. *in præf. num.* 608. Covar. *pract. qq. c.* 36. *num.* 7. *&c.* Uti nec alium in locum unius præsentati mortui sufficere. Barb. *ibidem* citans Calderin. Cassador. &c. Item dum inter patronos est discordia, non super jure præsentandi, sed super habilitate præsentati; debet enim priùs hæc lis definiri, cùm dubium sit de jure quæsito præsentati, & textus suprà citati loquentes de contentione patronorum super jure præsentandi, non debent trahi ad jus quæsitum præsentati. Castrop. & Barb. *ll. cit.*

Quæstio 141. *An & qualiter currat patronis dictum tempus, dum intra illud nominatus ab illis intra idem tempus non consentit vel renuntiat factæ de se præsentationi, aut diem suum obit, aut occultum ejus vitium detegitur, ob quod facta præsentatio irritatur?*

Respondeo: incipere iterùm de novo illis currere illud integrum à die dissensûs, renunciationis, mortis, irritationis illis notæ, ac si vacatio nova accidisset, hoc est, patronus laicus iterùm habet quadrimestre totum, Ecclesiasticus semestre, dummodò nihil fraudulenter egerint. Corrad. *pr. benef. l.* 4. *c.* 3. *num.* 19. citans Vivian. *l.* 7. *c.* 4. *num.* 30. Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 17. juxta c. *si electio. de elect. in* 6. nam etsi hic textus expressè loquatur de electione, extendi tamen etiam eundem ad præsentationem, ait Corradus.

Quæstio 142. *A quo die incipiat currere patrono tempus, dum præsentatio facienda ad beneficium a primæva erectione vacans, hoc est, cui primâ vice seu primus à fundatione dandus Rector?*

Respondeo: faciendam esse post, & non ante decretum erectionis beneficii, incipitque currere tempus datum patronis ad præsentandum à die, vel etiam ab hora præstiti consensûs Ordinarii in fundationem beneficii patronati; hic enim consensus est causa beneficii & patronatûs efficiens, illóque præstito, incontinente incipit quis esse patronus; tempus autem dictum incipit currere mox, & non ante, ut actus perfectus est. Corrad. *l.* 4. *c.* 1. *num* 5. *&* 6. citans Vivian. *l.* 5. *c.* 2. *num.* 25. Lamb. *p.* 1. *l.* 1. *a.* 9. *q.* 4. *n.* 1. Intelligendúmque id pari modo de beneficiis in abstracto erectis, consistentibus in certis reditibus, sub onere v. g. celebrandi tot missas in tali Ecclesia vel Capella; absque eo, quòd interveniat ædificatio, doratio, consecratio Ecclesiæ vel Capellæ; ex eo námque, quòd spiritualia non occupant locum, possunt beneficia dicto modo erigi sub diversis invocationibus, etiam ad idem altare, & consuetudo admittit talia beneficia, quæ constant ex sola dote, efficitúrque fundator ob talem fundationem in abstracto factam patronus. Corrad. *ibid. num.* 7. ex eodem Lamb. *&* *n.* 11. *& seq.* Hinc jam, dum beneficii erectio facienda esset auctoritate Pontificiâ, & executio literarum committeretur Ordinario, qui dictâ auctoritate erigat, tempus patroni ad præsentandum non currit, nisi mox à decreto ejusdem Ordinarii continente dictam erectionem, causâ cognitâ ac precibus verificatis; non enim dici potest, illud currere à die datæ dictarum literarum, cùm Pontifex tunc non faciat erectionem, sed mandet eam fieri per executorem. Corrad. *ibid nu.* 9. Quòd si autem (uti regulariter fieri consuevit) non ab ipso Papa fieret erectio, dic erec-

túrque in prædictis literis: *Instituimus, erigimus,* cùm jam tum erectio & fundatio sit perfecta, nibil est, quò minùs dictum tempus incipiat currere à die datæ. Corrad. *ibidem.*

Quæstio 143. Num præsentatio fieri possit post terminum edicti, (de quo edicto est c. fin. de elect. in 6. *& de quo fusiùs, ubi de tempore institutionis) & quomodo sustineatur facta pendente termino edicti?*

Respondeo: cùm literæ edictales seu edictum proponatur nonnisi post præsentationem factam, ac præsentati acceptationem. Corrad. *l. 4. c. 3. num.* 19. Lott. *l. 2. q.* 13. *num.* 53. adeóque supponat præsentationem factam per aliquem, sive ille verus, sive putatitius fuerit patronus, præsentatio fieri non potest post propositum edictum, ut constat. Sed & ea est præcipua hujus edicti virtus, ut factâ præsentatione, etiam per patronum putatum, & post lapsum termini in edicto propositi, subsecutâ institutione, patronus verus & legitimus superveniat, non audiatur; sed pro ea vice præjudicium illud sibi imputet. Lott. *l. 2. q.* 13. *num.* 50. Gemin. *in c. 2. de off. Vicar. in 6.* Oldra. *cons.* 3. *n.* 1. Lamb. *l. 2. p. 2. q. 6. a.* 27. Neque illi, ut *ibidem* Lott. *num.* 51. suffragatur, nondum esse elapsum quadrimestre aut semestre à jure concessum ad præsentandum, (quamvis id plurimùm controversum dicat ex deductis per Lamb. *loc. cit. q. 1. a.* 28. *per tot.*) cùm non proponatur edictum, nisi post factam præsentationem per aliquem, & sic in eo actu præsentationis consummatur dilatio illa quadrimestris vel semestris patronis concessâ, & in ipso edicto proponatur terminus contra omnes in genere. Unde, licèt patrono posteà comparenti non imputetur, quòd non præsentaverit in termino edicti, cùm edictum id non contineat, imputatur tamen, cur in termino edicti non comparuerit, & deduxerit jus suum. Ita Lott. *num.* 53. ex Lamb. *cit. a.* 28. Verùm hæc procedere ait Lott. *num.* 54. & 55. non nisi suppositâ validitate edicti & institutionis; si enim institutio fuisset invalida, v. g. quia præcipitata aut facta contra legem fundationis, aut etiam ipso edicto existente nullo inficeretur, non foret attendenda, & nullum præstaret impedimentum, résque reputaretur integra, & deberet admitti ad præsentandum, qui se opponeret; citat pro hoc Lott. aliquot Rotæ decisiones. Nihilominùs si validum edictum, & sola institutio aliunde invalida, catenùs comparens post terminum edicti admittendus est, si justum impedimentum, quò minùs compareret intra terminum edicti, adduxerit. Lott. *num.* 56. citans Old. *cons.* 3. *num.* 3. & Rotam *in Valentina beneficii* 31. *Jan.* 1622.

Quæstio 144. Num possit patronus præsentare per seipsum vel procuratorem ante obitum beneficiati, seu antequam vacet beneficium?

Respondeo negativè: nisi fortè sic instituisset fundator in limine fundationis. Verùm de hoc satis suprà, ubi quid possit patronus.

PARAGRAPHUS III.
De mutatione & variatione præsentationis factæ.

Quæstio 145. An & qualiter liberum sit patrono in præsentatione variare?

1. Respondeo primò: post institutionem legitimam nulli patrono licet mutare, seu alium instituendum præsentare, cùm jam institutus habeat jus in re, nimirùm in beneficio. Castrop. *loc. cit. p. 6.* cum communi, juxta *c. quòd autem. h. t.* & *c. si tibi asserenti. de prab. in 6.* Idque verum, etiamsi realis institutio seu possessionis traditio necdum facta, cùm in rebus & juribus spiritualibus per solam etiam verbalem institutionem seu collationem jus in re acquiritur, tametsi actualis immissio necdum secuta, juxta *c. si tibi. de prabendis in 6.* Pirh. *ad h. t. n.* 98.

2. Secundò: post factam nominationem re adhuc integrâ, seu præsentatione nondum factâ superiori, resilire potest patronus, & alium præsentare, & quidem expresè do Capitulo, ubi id jus habet præsentandi, & jam capitulariter consensit in nominationem Titii: id asserit Laym. *ad tit. de elect. sub initium. num.* 3. Secùs ac accidit in electione, ubi publicatum in Capitulo electionis scrutinium revocari ampliùs nequit.

3. Tertiò: patronus laicus, si præsentavit indignum seu inhabilem, potest, intra tempus tamen datum ad præsentandum, corrigere errorem, & alium habilem præsentare. Corrad. *l. 4. c. 6. n.* 41. seu mandari ei debet, ut alium idoneum præsentet. Pirh. *ad hunc tit. num.* 104. juxta *c. cùm vos. de off. Jud. Ordinar.* Si enim patronus laicus mutare potest, dum præsentavit idoneum, ut paulò pòst dicetur; multò magis id poterit, dum inscienter, adeóque absque culpa sua præsentavit inidoneum. Pirh. *ibid.* Quòd si autem mooitus, aut aliunde resciens errorem suum intra quadrimestre ipsi ad præsentandum designatum, alium idoneum non præsentavit, libera collatio ordinario collatori relinquitur, eò quòd paria sint: nullum præseotare, & inhabilem præsentare. Laym. *ad c. cùm vos. de off. Ord. num.* 2. cum communi. Hoc idem, quòd nimirùm, dum inscienter præsentâunt inhabilem, substituere possint alium, absque eo, quòd pro illa vice devolvatur collatio ad Ordinarium, ad patronos Ecclesiasticos extendit Barb. *juris Eccles. lib. 3. cap. 12. n.* 174. Argumento *cit. c. cùm vos.* ubi etiam *n.* 176. quòd patronis laicis, etiam elapso tempore aliàs dato ad præsentandum, permittatur alterius idonei præsentatio, modò intra terminum aliquem præsentârint, & interim, ne Ecclesia diutiùs vacans dispendium patiatur, idoneus io ea Vicarius aut Oeconomus constituendus, juxta *cit. c. cùm vos.* Unde etiam colligi videtur, post detectum errorem Inidoneitatis habere patronos illos integrum iterùm tempus. Sed posse quoque patronum laicum, etiam dum scienter præsentavit inidoneum, substituere alium, & non esse pro ea vice ipso jure privatum potestate præsentandi, tenet Pith. *l. cit.* citans Fagn. *in cit. c. cùm vos. num.* 39. cum gl. Imol. Archid. *in c. cum vos.* apud C. de Luca, eò quòd, cùm hæc pœna privationis statuta eligentibus scienter indignum nullibi in jure intentetur præsentantibus scienter indignum, ad hos, dum laici sunt, extendenda non sit; & *LL.* civiles contrarium statuentes scienter præsentantibus indignum attendendæ non sint, utpote disponentes in materia Ecclesiastica seu spirituali, vel spirituali annexa, scilicet de jurepatronatûs. Pith. *ibid.* ex Fagn. *loc. cit. num.* 46. testante, hanc sententiam approbatam à S. Congreg. Coocilii. Contrarium tameo tanquam communiùs receptum sequuntur Card. Luca *de jurep. d. 47. num.* 2. & apud illum Barb. *cit. alleg.* 72. *num.* 105. Roch. Lamb. &c. additque etiam Card. de Luca, multò magis id procedere, & esse locum devolutioni, quando indignitas non solùm provenit à dispositione juris communis, sed etiam à lege fundatoris, cujus ignorantia allegari non potest à præsentante, utpote qui ex illa suum jus metitur, cùm id implicare videatur abusum facultatis sibi competentis, & consequenter delictum positivum minùs excusabile, citátque pro hoc Barb. *loc. cit.* & Vivian. Idem tradit Corrad. *l. 4. c. 6. num.* 31. & 41. quamvis is sibi hoc *num.* 41. nonnihil videatur contradicere, dum ait: & cùm patronus laicus teneatur scire qualitatem requisitam in fundatione, si intra tempus datum ad præsentandum errorem non correxerit, habilem præsentando, devolutio fiat ad Superiorem; adeóque videtur supponere, non eo ipso, quòd scientes indignum præsenter, hæc devolutio fiat. Certò & indubitatò contrarium dicendum de patrono Ecclesiastico, seu persona Ecclesiastica, cui competit

jus-

jurispatronatûs nomine Ecclesiæ, nimirùm illum, qui præsentavit indignum, non posse substituere alium, sed pro ista vice privatum (vel, ut ait Pirh. saltem privandum per sententiam judicis) potestate præsentandi, collatione liberâ devolutâ ad proximum Superiorem. Less. *lib.* 2. *c.* 34. *num.* 29. Barb. *loc. cit. num.* 175. citans Ugol. *de potest. Episc. c.* 51. §. 1. *n.* 6. Gratian. *discep. forens. c.* 58. *n.* 11. &c. Pirh. *loc. cit.* citans Laym. *l.* 4. *Theol. moral. tr.* 2. *c.* 13. *num.* 7. Innoc. & Abb. *in c. cùm vos.* Barbosam *in collect. ad c. cùm autem. h. t.* Hanc tamen pœnam privationis pro ista vice non incurrere (adeóque, quod sequitur, posse mutare) patronos Ecclesiasticos, qui indignum ex sola confessione notum præsentârunt, cùm hæc pœna spectet ad solum forum externum, tradit Barb. *cit. num.* 176. citans Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 16. *n.* 6. Fagund. *in præcept. Eccles. præcept.* 2. *l.* 6. *c.* 2. *n.* 7. Vide dicenda §. *seq.*

4. Quartò: potest patronus laicus, (contrarium est de Ecclesiastico) postquam jam præsentavit idoneum, re adhuc integrâ, seu non secutâ adhuc institutione variare, & præsentare alium. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 211. Barb. *loc. cit. num.* 177. citans Sanch. *in cons. mor. l.* 2. *c.* 3. *dub.* 65. *num.* 2. Pirh. *h. t. n.* 96. & gl. Castrop. *cit. p.* 6. *a.* 1. citans Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 23. *num.* 13. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 13. juxta *c. cùm autem h. t.* Ratio disparitatis hæc datur communiter ex Abb. & Innoc. *in c. cùm autem*: quòd præsentatio facta ab Ecclesiasticis patronis videatur habere in hoc vim electionis, (in quam non cadit mutatio, juxta *c. publicato. de elect.*) quatenùs nimirùm, ut Pirh. *loc. cit. num.* 103. hi præsentantes nomine & jure Ecclesiæ tales actus quasi ex officio exercent, ideóque, cùm officio suo semel functi sunt, acquiescere debent: quæ ratio in patrono laico locum non habet, quia is potiùs suo proprio jure ac nomine præsentat, ideóque fortiùs juspatronatûs habere censetur. Sed nec obstat huic variationi, quòd per eam acceptatam & factam institutori acquisitum sit præsentato jus ad rem; id enim limitandum, modò patronus laicus voluntatem suam non mutet præsentando alium idoneum; tunc enim conceditur optio Episcopo, ut instituat, quem maluerit, sive primum, sive secundum, juxta *c. cùm autem.* & *c. quòd autem. h. t.* acquiriturque in hoc casu utrique præsentato jus & actio, sed indeterminatè solùm, ita ut unus eorum ab Episcopo institui debeat. Pirh. *cit. n.* 103.

5. Verùm hæc variatio laicis aliter permissa non est, quàm cumulativè, non privativè, hoc est, quòd possint successivè nominare alium idoneum, non recedendo à prima jam facta præsentatione, seu excludendo jam præsentatum à se, sed accumulando seu adjungendo illi alterum, ita ut si primum præsentatum excluderet, secunda præsentatio esset nulla. Abb. *in cit. c. cùm autem. num.* 2. Gutier. *de juram. confirm. p.* 3. *num.* 4. & 5. Barb. *cit. num.* 177. Castrop. *loc. cit. num.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 213. Unde quotiescunque præsentatur secundus, non excludendo expressè primum, tametsi dicat patronus, se velle variare, intelligitur tantùm de variatione cumulativa, non exclusiva, quia præsumi non potest, velle nulliter variare & contra juris permissionem. Castrop. Gutier. Barb. *loc. cit.* Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 22. *num.* 7. Campan. &c. apud Barb. Hanc variationem cumulativam fieri posse semel tantùm, seu pro unica vice, tenent Garc. *loc. cit. n.* 214. citans Gutt. *loc. cit.* Lamb. *loc. cit. a.* 23. & plures alios. Pirh. *num.* 99. citans Fagn. *in c. cùm autem. num.* 8. cum communiore, eò quòd, ut Castrop. *loc. cit. num.* 3. facultas simpliciter data, dum odiosa est, uti est in præsenti, adeóque restringenda, primo actu finitur seu consumitur, juxta *l. dotis promissio. ff. de jure dotium.* & *l. boves. ff. de verb. signif.* Ad hæc æquitas sic suadeat ad vitandam infinitatem & confusionem, ut Pirh. proinde etiam *Clem. plures. h. t.* dicens, plures nominari posse, intelligenda sit de nominatione plurium, non successivè, sed simultaneè facienda, ut idem Castrop. & Pirh. Nihilominùs contrarium, nimirùm posse patronum laicum non solùm bis, sed ter vel quater seu pluries tam simul, quàm successivè, quot voluerit, præsentare, tenent Castrop. *loc. cit.* Azor. *loc. cit. q.* 13. *in fine.* Spino. *de testam. gl.* 4. *num.* 75. Gl. *in Clem. plures. h. t. v. præsentare.* Decius *in c. quanto. de judic.* Abb. *ibidem.* &c. & alii, quos citat Castrop. qui hanc dat rationem, quòd dicta accumulativa variatio, seu plurium successivè facta & sæpiùs repetita præsentatio, non minùs quàm facta præsentatio plurium simul, sit utilis Ecclesiæ: quò enim offeruntur plures, eò majorem delectum habet Episcopus, ut ex illis eligere possit, quem videt Ecclesiæ aptiorem. Et licèt sæpè contingat patronum, postquam præsentavit aliquem valdè idoneum, posteà in gratiam amici præsentet superaddendo alium multò inferiorem, non minuit dictam Ecclesiæ utilitatem; cùm, præterquam quòd pari modo contingere possit, ut accumulando præsentationes & præsentatos præsentet meliorem, nunquam tollitur Episcopo potestas instituendi primum præsentatum. Castrop. *cit. p.* 6. *num.* 3. Quòd si autem prima præsentatio fuisset invalida, v. g. si facta coram non habente instituere, tunc sicut patronus potest præsentare secundum rejecto primo, ita potest accumulando præsentare tertium cum secundo, cùm prima præsentatio, utpote nulla, non debeat computari in numerum præsentationum, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, tenent pariter omnes, & expressè Pirh. *num.* 99. citans Fagn. *in c. cùm autem. num.* 9. Idem ob eandem causam ait Pirh. citans eundem Fagn. *ibidem. num.* 23. fieri posse etiam in totam aliam præsentationem, recedendo à primo, & præsentando alium, & dein accumulando successivè tertium, dum à pluribus compatronis in pari numero duo sunt præsentati, eò quòd utriusque præsentatio fuerit invalida; cùm ad validam præsentationem requiratur, ut sit facta à majore parte patronorum.

Quæstio 146. *An post obitum præsentantis, factâ jam ab eo præsentatione, patronus successor variare possit?*

Respondeo: si patronus successor est laicus, & adhuc duret tempus ad præsentandum, potest variare, (intellige accumulando) quia dicitur una eadémque persona successor cum prædecessore. Conrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 23. citans Vivian. *l.* 12. *c.* 5. *n.* 35.

Quæstio 147. *In specie: An ergo & qualiter etiam permissum patronis laicis dicto modo variare, lite pendente?*

1. Respondeo primò: pro fundamento ad sequentia: constitutionem, quâ Bonif. VIII. *in c.* 1. *ut lite pendente. in* 6. statuit, ut duobus litigantibus super electionibus de se in discordia habitis, si contingat aliquem eorum mori, vel suo juri renunciare, aut à prosecutione illius quoquo modo excludi, ad electionem aliam (lite super electione superstitis adhuc pendente) non procedatur, aliàs attentata foret, & ipso jure irrita, idque, ut dispendiis, quæ Ecclesiæ inde patiuntur, occurratur, locum pari modo habere in præsentationibus propter omnimodam rationis paritatem, sive tractetur de jurepatronatûs Ecclesiastico, sive laico, sive contingat mors vel alius casus ex præmissis post tempus datum ad præsentandum, sive ante illud. Lott. *l.* 2. *q.* 20. *num.* 2. Idque non per modum extensionis hujus nimirùm constitutionis, sed per modum conclusionis sub dicta eadem ratione. Lott. *num.* 3. citans Calderin. *cons.* 1. *ut lite pendente.* Lap. *alleg.* 2. *num.* 3. & Rotam *decis.* 306. *p.* 1. *recent. n.* 1. & quidem etiam in tantum, ut, cùm à Papa impetratur beneficium litigiosum, minimè sit facienda mentio jurispatronatûs, etsi esset alicujus Regis. Lott. *num.* 4. citans Cassad. *decis.* 9. *num.* 5. *ut lite pendente.* Id verò intelligendum, si lis sit inter ipsos præsentatos principaliter, secùs si inter patronos & Ordinarium asserentem beneficii libertatem. Lott. *num.* 5. citans Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 9. *n.* 14.

vel inter ipsos patronos super pertinentia. Quinimò etiam secùs esse, si lis sit quidem inter præsentatos, sed accessoriè ad litem principaliter motam inter præsentantes. Lott. *num.* 7. citans Archid. *in c.* 2. *ut lite pend. num.* 1. & Rotam *decis.* 426. *num.* 5. *p.* 1. *recent.* Rationem autem hujus constitutionis hanc assignat Lott. *num.* 8. non quòd beneficium, dum lis est principaliter inter præsentatos, efficiatur litigiosum, aliàs non; sed quòd, dum versamur in lite principaliter mota inter præsentatos, si mortuo uno, alter in ejus locum præsentetur, adhuc erit discutiendum jus illius defuncti; secùs verò, si lis sit inter patronos adinvicem, vel inter eos & defendentem, beneficium esse liberæ collationis, quia tunc jus præsentantis rapit in se jus præsentati, sive demortui, sive superstitis. Unde non militat ampliùs ratio dictæ constitutionis. Quæstio autem de jure defuncti ideo necessaria est, ut sciatur de jure superstitis, ne, si jam sit intrusus, in sua intrusione toleretur. Lott. *num.* 9. His præmissis,

2. Respondeo secundò: cùm litigatur cum eo, qui beneficium jam adeptus est, adeóque contra præsentatum jam institutum, clarum est, patronum non posse hâc lite pendente alium præsentare. Castrop. *loc. cit. num.* 4. Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 218. juxta *c.* 2. *ut lite pendente. in* 6. citans pro hoc plures Rotæ decisiones & Lamb.

3. Respondeo tertiò: lite adhuc pendente, sive extra, sive in Curia, institutione necdum factâ, non potest patronus, etiam laicus, alium præsentare, neque recedendo à jam præsentato, neque accumulando. Argumento *c.* 1. *ut lite pend. in* 6. ubi licèt id statuatur de electione, quòd lite pendente super alicujus electione, non possit procedi ad aliam, seu alius eligi, cùm eadem tamen sit ratio, nimirùm ne lite pendente aliqua fiat mutatio, & ut Garc. ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat in grave dispendium Ecclesiæ, de præsentatione pariter est intelligendum. Garc. *num.* 217. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 12. *num.* 177. Castrop. *loc. cit. num.* 5. citantes Covar. *pract. qq. c.* 36. *num.* 7. Paris. *de resign. l.* 12. *q.* 3. Lancellot. *de attentatis. p.* 2. *c.* 4. *in præf. n.* 560. Ricc. *in pr. resol.* 159. *n.* 4. contra Card. *in c. pastoralis. h. t. q. ult.* Jo. Andr. *in c.* 1. *ne lite pend. in* 6. & alios, quos citat & sequitur Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 6. *a.* 12. apud Castrop. Hinc jam in particulari, ubi lis movetur præsentato necdum instituto, de ejus inhabilitate, non potest præsentati alius, eo relicto, aut etiam ei accumulari alter. Pith. *num.* 102. Item dum plures sunt patroni, & unus præsentavit Cajum, alter Titium, neutri patronorum licet aliom subrogare. Castrop. *loc. cit. num.* 4. Item uno ex præsentatis defuncto, non licet patrono loco illius alium subrogare, quousque lis pendens finiatur; tametsi aliàs, dum lis non penderet, liceret tunc, etiam patrono Ecclesiastico, alium nominare, cùm nominatio facta omninò finita sit. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Porrò procedit hæc responsio secunda tam in vacatione per resignationem vel assecutionem alterius beneficii, quàm in vacatione per mortem, cùm dicta ratio, ne lites prorogentur, in utroque casu pariter militet. Castrop. *ibidem.* Garc. *num.* 29. citans Lancell. &c.

4. Respondeo quartò: posse nihilominùs patronum, præsentato altero mortuo, lite nondum finitâ, præsentare colligantem, eò quòd id non adversetur dispositioni cit. Text. *c.* 1. *&* 2. *ut lite pend.* cùm hâc ratione lites vitentur, neque litigantes augeantur, sed minuantur potiùs; non enim creatur novus litigator, sed ille, qui antè erat, alio exstincto roboratur; quin & verba ipsius textus: *Donec contra superstites lis finita fuerit, aliis nullatenùs conferantur, neque ad ea eligatur quisquam, vel etiam præsentetur*: satis declarant non esse sermonem de collatione, præsentatione, &c. facienda in aliquo ex colligantibus, sed in alio à colligantibus distincto, atque ita dispositionem dicti *cap.* 2. esse quidem generalem, seu generaliter intelligendam de subrogatione alterius à colligantibus; non verò excludendo pariter subrogationem ipsius colligantis; ita docent Garc. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 220. affirmans à Rota pluries sic definitum. Barb. *cit. num.* 177. Castrop. *loc. cit. num.* 6. citans Rochum *de jurep. v. honorificum. q.* 23. *num.* 53. Paris. *cons.* 30. *num.* 4. Lancell. *loc. cit. num.* 688. *&c.* contra Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 51. *num.* 114. Limitat hanc responsionem Barb. *loc. cit.* nimirùm lite pendente super beneficii titulo non licere etiam cumulando colligantem præsentare, eò quòd per illam præsentationem daretur occasio, ne lis finiatur. Crescentius etiam *de jurep. decis.* 8. apud Garc. *num.* 221. ait, non posse patronum post factam ante litem præsentationem de uno, post litem præsentare alterum colligantem, aliàs voces patronorum non habentem, eò quòd nunc daretur potiùs occasio litigandi. Vide de his plura infrà, ubi: qualiter collator conferre possit lite pendente.

Quæstio 148. *An locus quoque sit dictæ variationi cumulativæ in patronatu mixto?*

Respondeo: in discordia, dum nimirùm patronus laicus præsentavit Cajum, & compatronus Ecclesiasticus Titium, poterit dicto modo variare patronus laicus, cùm ob conjunctionem in patronatu cum Ecclesiastico non perdat suum privilegium, præcipuè cùm in præsentatione nulla sit conjunctio. Castrop. *loc. cit. num.* 7. citans Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 7. *a.* 13. Barb. *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 166. In concordia verò, sive dum uterque eundem præsentavit, sic variare non posse laicum, eò quòd per talem concordiam videatur laicus se tacitè obligâsse ad perseverandum in ista voluntate, & à compatroni voluntate non recedere, tenet Castrop. *cit. num.* 7. citans Abb. *in c. cùm autem. h. t. num.* 4. Tiraq. *de jure primog. q.* 17. *opin.* 11. Barb. *ubi antè. &c.* Quin & propter eandem rationem rationem neutri, etiam dum uterque patronus est laicus, & præsentârunt concorditer, licere variare. Veruntamen videtur intelligendum id neutri licere altero invito. Quin &, dum laicus accumulando variaret, adeóque non recederet à primo præsentato, non videtur propriè dici posse mutâsse mentem suam, aut etiam recessisse à voluntate compatroni sui laici vel Ecclesiastici.

Quæstio 149. *Quid si juraverit patronus, se non velle variare præsentationem, an poterit adhuc postmodum contra hoc suum juramentum validè variare? Dico validè; nam licitè id eum non posse, sed fieri perjurum & simul infidelem, si sub juramento promisit compatrono vel nominato à se, patet.*

1. Respondeo primò: si simpliciter juravit, se non velle revocare factam de Titio præsentationem, valida erit præsentatio secunda, quâ non recedendo à Titio, sed accumulando, præsentat Cajum; quia reverà non revocat primam præsentationem, ita ut stante etiam secundâ illâ præsentatione, Ordinarius possit adhuc primum præsentatum instituere. Barb. *cit. n.* 177. citans Castrens. *l.* 1. *cons.* 361. *num.* 4. Bursatt. *l.* 4. *cons.* 369. *n.* 14. Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 4. *a.* 13. *num.* 3.

2. Respondeo secundò: si juravit, se neque velle revocare, neque accumulare, vel etiam si simpliciter juravit, se non velle variare, (quia in præsentationibus non est alia permissa & valida variatio, quàm illa, quæ fit per accumulationem; adeóque dum jurando se nolle variare per juramentum hoc primæ præsentationi adjecit firmitatem aliquam, solam illam accumulativam variationem intellexit. Castrop. *loc. cit. num.* 8.) secunda præsentatio accumulativa probabiliter est nulla. Covar. *in c. quamvis pactum. de pactis. p.* 2. *§.* 2. *num.* 5. Gutt. *de juram. confirm. p.* 3. *c.* 13. *num.* 13. Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 16. & alii, uti & Rota *in Compostellana paroch.* 20. *Februar.* 1630. quos & quam citat & sequitur Barb. uti & Castrop. *loc. cit.* qui tamen posterior ait, se potiùs moveri aucto-

ritate communis sententiæ, quàm ratione, utpote minùs efficace: hanc tamen dat utriusque rationem, quam Castrop. dicit, etsi non convincat, esse tamen satis probabilem, & suppositâ auctoritate Doctorum tenendam in judicando & consulendo, quòd licèt regulariter sustineatur, & validus sit actus gestus contra juramentum; sic v. g. si quis juraverit, se non revocaturum procuratorem, revocatio facta contra hoc juramentum est valida. Covar. *in rubr. de testam. p. 2. num. 15.* Si celebrans sponsalia juret se non ducturum aliam, matrimonium cum alia est validum. *c. sicut ex literis. de sponsalib.* Si is, ad quem spectat collatio libera beneficii, juravit se non collaturum illud nisi digniori, valida est collatio, quâ illud confert digno præterito digniore. Selva. *p. 3. q. 27.* Covar. apud Castrop. Quin & , si vacante beneficio ante factam præsentationem patronus juravit, se alium non præsentaturum, quàm Titium, adhuc validè præsentaret Cajum, ut Castrop. *ibid.* (qui tamen *n. 9.* quoad hoc ultimum exemplum aliam etiam dat disparitatem de juramento confirmante præsentationem primam jam liberè factam, & juramento impediente libertatem primò præsentandi) actus tamen, qui ad sui perfectionem non pendet à sola voluntate facientis, sed vel infringitur à jure, vel exspectat approbationem & factum judicis, vel ad sui valorem requirit auctoritatem vel præsentiam superioris, (qualis est actus præsentationis, utpote quæ fieri debet necessariò apud habentem instituere ut superiorem; cùm, ut Lott. *l. 2. q. 18. n. 26.* Cortad. *l. 1. c. 5. num.* 175. denotet subjectionem præsentati respectu instituentis, & secundùm plures ad sui perfectionem & valorem tanquam partem requirit acceptationem instituentis) ita firmatur per accidens seu cadens super eum juramentum, ut irrevocabilis fiat, juxta gl. & text. *c. licèt mulieres de jurejurando in 6.* impeditque dictum juramentum, ut Barb. & Castrop. ne habens instituere auctoritate suâ actum factum contra dictum juramentum approbare possit, ne sit perjurii cooperator; & si celetur factum desuper juramentum, actus tanquam dolosus & subrepititius reddatur invalidus; ad quod tamen postremum ait Castrop. ex nullo constare, quòd propter celationem juramenti talis præsentatio reddatur subreptitia, cùm hæc non videatur qualitas necessariò exprimenda, uti nec quòd ob antecedens juramentum reddatur invalida secunda præsentatio, dum hæc, eo non obstante, ab Ordinario admissa est. Unde etiam ait Covar. Lopez. Martienz. &c. admittere non obstante juramento, validam esse secundam præsentationem, si expressè vel tacitè eam approbaverit Ordinarius.

3. Porrò illud hîc observandum ex Card. de Luc. *de jurep. d. 43. num.* 10. quòd, quoniam id, quod dictum est, juramentum reddere invalidam secundam præsentationem, dispositum est in gratiam ejus, cujus favore adjectum est juramentum, ipso non curante vel relaxante, non videri, quid prohibeat, quò minùs talis secunda præsentatio sit valida, citátque pro hoc Rotam.

Quæstio 150. Num etiam simplex promissio de non variando invalidet pari modo secundam præsentationem?

Respondent affirmativè Castrop. *cit. num. 7.* citátque Lap. *allegat. 78. nu. 4.* Gutier. *cit. n. 13.* & Gregor. Lap. eò quòd factâ promissione cedat quis juri, quod habebat ad variandum.

Quæstio 151. Num si quis retento patronatu cesserit juri præsentandi, possit dicto modo variare?

Respondeo affirmativè: Castrop. *num.* 10. eò quòd dupliciter fieri possit hæc cessio retento patronatu. Primò: si quis potestatem præsentandi alteri sine limitatione committat. Secundò: si tantùm pro illo beneficio vacante quomodocunque quis cedat; utraque autem hæc cessio juris præsentandi, retento patronatu, aliter fieri non potest, quàm constituendo procuratorem; sed hunc revocare quis possit validè, etsi juraverit, se non revocaturum.

PARAGRAPHUS IV.

De personis præsentandis.

Quæres 152. In genere: An & qualiter patronus præsentare debeat habilem?

1. Respondeo primò: tenetur præsentare idoneum, hoc est, habentem omnia requisita, tam quæ ex natura beneficii, quàm quæ ex lege fundationis desiderantur. Less. *l. 2. c. 34. n. 19.* Card. Luc. *de jurep. d. 64. num.* 28. cum communi. Peccare etiam patronum mortaliter, qui indignum præsentat, eò quòd muneri suo non satisfaciat, & Ecclesiæ creet magnum incommodum; adeóque etiam teneri patronum inquirere in vitam & mores Clerici, antequam eum præsentet, tradit Pirh. *h. t. n. 45.* ex Azor. quem citat *p. 2. l. 6. c. 21. q. 4.*

2. Respondeo secundò: requiritur, ut præsentandus dignus & idoneus sit tempore præsentationis. Pirh. *loc. cit.* citans Barb. *in c. significavit. h. t. n. 8.* Non tamen prohibitum est præsentare inhabilem sub conditione habilitatis seu capacitatis, modò hæc intra juris terminum superveniat, ac verificetur, cùm censeatur præsentationem facere de hoc tempore, quo conditio purificatur. Card. Luc. *in sum. jurep. num.* 109. (ubi tamen id limitat hoc modo: nisi agatur de præjudicio illius habilis, cui secutâ vacatione jus quæsitum esset, quod per supervenientem alterius habilitatem tolli non debeat) & *de jurep. d. 45. num. 7.* atque ita præsentari poterit inhabilis sub conditione impetrandi dispensationem super aliquo requisito à jure vel lege fundatoris. Corrad. *l. 4. c. 6. num. 26.* vide dicta suprà de præsentatione conditionata. Veruntamen meliùs faciet patronus differendo præsentationem ad ultimum usque diem vel horam termini à lege præfiniti ad præsentandum; atque ita exspectando capacitatem personæ sibi placitæ, quæ ob superventam capacitatem possit validè præsentari, cùm non interveniatur in jure cautum, ut illicò secutâ vacatione teneatur præsentare, vel nominare eum, qui tunc capax & habilis reperitur; nam licèt in beneficiis Ecclesiasticis non detur illa suspensio, quæ datur in fideicommissis; (de quo vide Card. Luc. *tit. de fideicomm. d. 7. & 8.*) id tamen intelligitur ultra terminum à jure præfinitum, ac pro magis diuturna vacatione, non autem ipso termino durante. Card. de Luc. *de jurep. d. 45. num.* 8. Licèt autem hoc modo differre possit præsentationem, & exspectare capacitatem, ad hoc tamen non tenetur, nec cogi potest. Card. Luc. *ibidem.* Ex quibus sequi videtur, quòd, dum patronus vi fundationis tenetur præsentare aliquem de certa familia; is autem nonnisi ad finem termini dati ad præsentandum sit capax, non teneatur patronus exspectare, sed possit præcipitare præsentationem, & primo etiam mense à vacatione beneficii præsentare alium capacem, etsi is non sit de familia. Porrò in genere illos omnes incapaces esse ad hoc, ut præsentari possint, qui incapaces sunt institui; & sic præsentari non posse illegitimos, neophytos, servos, excommunicatos, irregulares, ait Castrop. *loc. cit. p. 7. num.* 1. circa quod revidenda, quæ dicta sunt de incapacibus eligi, aut aliter promoveri ad beneficia Ecclesiastica, quorum plura & hîc locum habent.

Quæstio 153. An, & quando, seu qualiter privetur patronus jure præsentandi ob præsentatum inhabilem?

1. Respondeo: quotiescunque patronus scienter præsentavit indignum vel incapacem ad modum electionis factæ de indigno vel incapace, non solùm actus præsentationis est, & remanet infectus seu malus, sed etiam pro ea vice privatus est potestate præsentandi; devolvitúrque collatio ad Superiorem,

riorem, Card. Luc. *in summ. jurisp. num.* 109. cujus tamen contrarium de patrono laico tenet Pirh. suprà citatus: ubi quando variare possit patronus. De cætero, proscindendo à dicta positiva scientia indignitatis, tenet Less. *l. 2. de just. c. 34. num.* 18. neque patronum laicum, neque Ecclesiasticum, dum præsentâtunt indignum, pro ea vice privari potestate præsentandi: Rationem dat, quòd, licèt in *Authent. de sanctiss. Episc.* dicatur: Patrono præsentante indignum, debere Episcopum procurare, ut dignus instituatur, id tamen optimè intelligi possit de procuratione per solicitudinem & mandatum; sollicitando nimirum & mandando patrono, ut dignum præsentet, uti hunc textum explicat Jo. Andr. Item quòd constitutio *in C. In cunctis, de elect.* loquatur de Electoribus, & quidem Episcopi, adeóque, cùm sit pœnalis, extendenda non sit ad patronos. Ac denique quòd patronus tam laicus, quàm Ecclesiasticus præsentatum examinandum & approbandum remittit Ordinario, juxta Trid. *sess.* 7. *c.* 13. adeóque in culpa non sit, quòd nominârit indignum, & consequenter privandus non sit potestate præsentandi alium, si præsentatus repudietur, quia præsumi non debet culpa in tali præsentatione; esto enim quilibet præsentans videatur teneri aptitudinem præsentandi cognoscere, id tamen limitandum hoc modo: nisi alteri à patrono cognitio aptitudinis præsentati remissa sit, ut in præsenti à Trid. ea remittitur Ordinario. Hanc rationem approbat Castrop. *cit. d. 2. p. 7. num. 8.* & fatetur eam efficacem esse ad probandum, quòd quoties per patronum laicum non steterit, quò minùs intra quadrimestre aptitudo præsentati ab Ordinario explorata sit, posse illo repulso præsentare alium. Quin & addit, idem dicendum de patrono Ecclesiastico ob dictam rationem, nimirùm, quòd si intra semestre præsentatus ab habente instituere fuerit repulsus, possit præsentare alium, & minimè privandus sit pro ista vice potestate præsentandi; eò quòd non sibi, sed instituenti sit commissa exploratio aptitudinis præsentati. Addendumque insuper dicit, quòd, cùm in beneficiis curatis non possit patronus Ecclesiasticus nominare, nisi ex approbatis ab Ordinario, non possit habere culpam in nominando indigno; eùm indignum nominare nequeat, dum omnes judicati digni ab Ordinario. Ac denique *num.* 9. ait Castrop. solùm in hac doctrina excipi posse, si Episcopus esset patronus, & nominaret Clericum suæ diœcesis instituendum ab Episcopo alterius diœcesis; eùm enim talis nominatus, utpote subditus Episcopi deberet eidem esse cognitus, ac proinde nominans indignum in culpa foret; & hinc ait censere graves Auctores, in hoc casu non debere talem nominatum ab Episcopo, examinari ab Episcopo instituente, sed ipsam nominationem esse approbationem, citátque pro hoc Abb. *in C. Significasti, h. t.* & Azor. *p. 2. l. 6. q.* 21. *num.* 17.

2. Porrò his addendum primò: quòd necessarium sit, ut Episcopus seu institutor mox significet patrono, præsentatum indignum esse. Et si patronus contendat dignum & idoneum esse, providere non posse Episcopum, donec ea lis decidatur, sed interim cogitur Oeconomum constituere, Laym. *ad C. Cùm vos, de off. jud. Ordinar. num.* 2. citans Jo. And. & Imol. *in cit. C. Cùm vos.* Secundò: si proponatur indignitas ex aliquo crimine canonico, requiri sententiam condemnatoriam pro tali crimine in specie, ita ut non sufficiat, delictum fuisse perspectum & secutam condemnationem, sed exigatur condemnatio pro ipso delicto, Lott. *l. 2. q. 6. n.* 29. ubi etiam, quòd pro æstimanda omni alia indignitate perpetuò sit procedendum secundùm distinctiones & declarationes, quas in unum collegit Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 10. *a.* 4. *num.* 21. Tertiò: quòd ubi devolutiò ob non præsentatum idoneum fit ad superiorem, ea fiat cum omnibus suis qualitatibus, hoc est, is non possit conferre beneficium, nisi tali, si adsit, qualem requisivis fundator, Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 41.

Quæstio 154. *Qualiter patronus teneatur præsentare digniorem?*

1. Respondeo primò: dum præsentatio facienda est de persona determinati alicujus collegii, civitatis, loci, familiæ, &c. sufficit, si patronus præsentet idoneum de tali loco, collegio, &c. etiamsi extra sint magis idonei; justæ enim, & servandæ sunt leges statuentes, ut aliqua certa beneficia obveniant solùm personis ex tali loco, genere, &c. eùm id spectet ad bonum commune, Bass. *to.* 2. *V. benefic.* 9. *5. num.* 12. Quòd si in tali collegio, familia, &c. duo sunt, unus idoneus, & alter magis idoneus, debet præsentare magis idoneum; alioquin non videtur fidelis erga Ecclesiam, nec in officio sibi commisso utiliter agere negotium Ecclesiæ, quæ illud ipsi commisit, Bass. *ibid.* qui etiam ait idem esse, ubi præsentatio est omnino libera; quamvis dicat non improbabile, patronum laicum non teneri præsentare digniorem, etiam ad beneficia curata, cùm Trid. *sess.* 24. *c.* 18. mandet, præsentandos à patronis laicis examinandos & approbandos ab Examinatoribus synodalibus; unde, eùm non arctet patronos ad præsentandum digniores, neque nos arctare debemus. Item cùm Trid. non irritet præsentationem digni factam à patrono laico, & illa valida sit, etiam in conscientia tenetur illam Episcopus confirmare, seu præsentatum instituere, & si nollet, posset cogi à superiore, Bass. *ibid.* citans Dian. *p. 2. tr.* 15. *resol.* 37. Garc. *p. 7. c.* 16. *n.* 19.

2. Verùm tamen Garc. *cit. c. num.* 2. ait: Docere Theologos communiter promoventem, eligentem, præsentantem dignum omisso notabiliter digniore peccare mortaliter, licèt provisio, electio, præsentatio talis sit valida, citátque pro hoc D. Th. 2.2. *q.* 63. *a.* 9. & *quodlib.* 8. *a.* 6. Sotum *de jure & just. l. 3. q. 6. a.* 2. & *l.* 10. *q.* 2. *a.* 3. Valent. *To. 3. d. 5. q. 7. p.* 2. *num.* 2. Nav. *in man. c.* 17. *num.* 73. Azor. *p. 2. l. 6. c.* 15. *q.* 18. & *c.* 21. *q.* 5. Paris. *de resign. l.* 4. *q. ult. n.* 35. Abb. Decium, Covar. & plurimos alios, contra gl. *in C. Licèt*, & *C. Monasterium*, 16. *q.* 7. Imol. Franc. Roch. quos citat *n.* 11. sentientes contrarium. Rationem dat, quam dicit esse communem Theologorum, quòd violetur hoc modo justitia distributiva, & committatur peccatum acceptionis personarum illi oppositum, quod ex genere suo est mortale; eùm beneficia sint bona communia & præmia meritorum. Addit & aliam ex Soto, Aragon. Salon. Bannez & Rebello *de oblig. Just. p.* 1. *l.* 3. *q.* 4. *n.* 11. & 12. quòd violetur etiam justitia commutativa; cùm beneficia sint instituta in stipendium laborantium, & Elector seu provisor (idem est de præsentatore) beneficiorum non sit Dominus, sed dispensator & administrator institutus in bonum Ecclesiæ, tenetur ex officio & fidelitate debita Ecclesiæ, adeóque ex justitia commutativa consulere Ecclesiæ, providendo ei optimum ministrum.

3. Limitant hanc doctrinam Guttier. *can. qq. l.* 2. *c.* 11. *num.* 12. & 28. addens: Quòd si aliud dicatur, prælatos fore omnes in statu damnationis, providentes beneficia simplicia dignis, prætermissis dignioribus, Nav. Ledesm. Vega & alii, quos citat & sequitur Garc. *loc. cit. num.* 16. & 17. Sub mortali ad Episcopatus & beneficia curata ex præscripto Tridentini esse eligendos digniores; non verò ad simplicia, nisi aliquâ lege vel constitutione particulari, aut juramento aliud cautum sit in beneficiis simplicibus; eò quòd hæc, ut Garc. *num.* 23. & 24. non sint bona communia, aut præmia meritorum, & non violetur etiam justitia distributiva, nisi Ecclesia expresè præcipiat suis dispensatoribus, ut ei dent optimos & magis idoneos ministros, sed satis impleant officium suum & fidelitatem, procurando ministros idoneos. Addit quoque Garc. *num.* 18. & 19. procedere id quoque in patronis Ecclesiasticis, quin & videri probabile in patronis laicis sufficere, dignum præsentare etiam ad curata, citatque pro hoc Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 10. *a.* 3. *num.* 17. Rodriq. *in sum. To.* 1. *c.* 106. *nu.* 8. Ledesm. *in sum. p. 2. tr.* 7.

c. 2.

c. 2. concluſ. 79. Bannez &c. dans rationem ex Trid. juxta paulò ſuprà relata ex Baſſæo, argumenta in contrarium ſolvit *à num. 20.* Idem abſolutè docet Caſtrop. *cit. d. 2. p. 7. num. 6.* Nimirum patronum Eccleſiaſticum ad beneficia ſimplicia, & laicum equidem ad curata teneri eligere digniorem; citat pro hoc Pet. Navar. *de reſtit. l. 2. q. 10. a. 3. num. 17.* Paulò aliter prædictam ſententiam limitat Leſſ. *l. 2. c. 34. du. 14.* apud Garc. *num.* 15. dum docet eſſe mortale eligere, poſtulare, præſentare (idem eſt de collatione libera) dignum omiſſo digniore ad beneficia habentia curam animarum, vel aliam functionem magni momenti; in aliis verò, ut Canonicatibus, capellaniis ſemel vel bis prætermittere digniorem, non eſſe mortale; cùm id non cenſeatur notabile incommodum, aut notabilis injuria in Eccleſiam, (paucorum enim mediocritas aliorum virtute facilè compenſatur) nec ſit propriè injuria dignioris: Secùs verò eſſe, ſeu eſſe peccatum mortale contra fidelitatem Eccleſiæ debitam, ſi quis paſſim id faciat, etiam in his beneficiis, & rarò curet, ut digniores præferantur. Porrò qualiter eligens dignum prætermiſſo digniore teneatur illi vel Eccleſiæ ad reſtitutionem, vide Garc *à num.* 26. & dicta à nobis alibi.

Quæſtio 155. *An, & qualiter, etiam dum unus patronorum præſentat indignum, devolvatur collatio ad ſuperiorem?*

1. Reſpondeo: dum plures ſunt patroni, pênes quorum ſingulos in ſolidum eſt juspatronatûs, exercitiúmque ſolùm diviſum eſt inter plures, & per unum eorum præſentatus eſt indignus, aliis non nocet hujuſmodi præſentatio, & minimè devolvitur collatio ad Superiorem. Proceditque etiamſi plures patronorum præſentâſſent indignum; non enim poſſunt ii, qui nondum præſentârunt, aut præſentârunt dignum, puniri ex delicto alterius, aut aliorum, cùmque juspatronatûs ſingulis in ſolidum inſit, nec inter ſe faciant partes aliter, quàm per concurſum ſeu exercitium præſentandi, totum hoc jus etiam in uno, nimirum non præſentante indignum ſolidatur per jus non decreſcendi, Lott. *l. 2. q. 6. num. 30. & 32.* citans Lamb. *cit. q. 10. a. 5. nu. 10.* & *l. 2. p. 2. q. 4. a. 5. n. 4.*

2. Quin etiam idem eſt, ſive non ſit devolutio, etiamſi præſentans indignum habuiſſet mandatum (indeterminatum tamen) ad præſentandum ab alio compatrono; cùm, ut gl. & Imol. *in c. Dilecto, de preb.* Mandatum non debet trahi ad factum, unde mandans incidat in pœnam; dum enim veriſimile non eſt, datum eſſe mandatum ad præſentandum indignum, ſed potiùs dignum, ſi illud aliter interpretaremur, extenderetur actus ultra intentionem agentis, quod non eſt dicendum, adeóque ſemotâ omni culpâ mandantis, is non poteſt puniri ex delicto alterius patroni mandatarii, Lott. *loc. cit. num.* 32. juxta Rotam *in Vercell. Capellan. 19 Jun. 1656.*

Quæſtio 156. *in ſpecie: An, & qualiter patronus præſentare debeat proximiorem?*

1. Reſpondeo: dum lex fundatoris in jurepatronatûs paſſivi non vocat proximiorem, ſed ſolùm mandat præſentari aliquem de ſua parentela, vel de certo genere; habens poteſtatem præſentandi ſatisfacit præſentando unum de genere, quamvis remotiorem, C. Luc. *de jurepatro. d. 45. num. 3.* idipſum probabilitate non carere, ait Caſtrop. *de benef. d. 4. p. 9. nu. 5.* eò quòd, dum fundator dixit, ut patronus provideat unum de conſanguineis, videatur electionem reliquiſſe ejus voluntati, & tacitè dixiſſe, ut præſentet, quem maluerit; citat pro hoc Rodriq. *in ſum. To. 1. c.* 106. etſi dicat contrarium, nempè quòd in eo caſu teneatur patronus eligere proximiorem, eſſe ſententiam communem; eò quòd tunc intelligatur electio non voluntati, ſed judicio & arbitrio patroni commiſſa, quod regulariter eſſe debet, ac proinde eligendus, quem fundator præſumitur magis diligere, qui eſt ei propinquior, pro hac communi ſententia citat Garciam *p. 7. c. 15. num.* 17. Gutt. *can. qq. l. 15. c.* 11. *num. 38.* & *conſ. 26. num.* 11.

2. Si verò lex fundatoris habet, ut in parentela ſeu deſcendentia proximior præſentetur, is neceſſariò præſentandus eſt, C. Luc. *loc. cit. num. 6.* ſed & proximior fundatoris, non verò proximior ultimi poſſeſſoris beneficii eſt eligendus; quia beneficium non ſucceſſione hæreditariâ, & quaſi majoratus ad hæredes transfertur, ſed ex collatione Ordinarii, ſpectatâ voluntate fundatoris, quæ ſemper præſumitur eſſe de ſibi propinquiore, Caſtrop. *loc. cit. num. 6.* citans Lamb. *l. 2. p. 3. q. 5. a. 4. nu. 12. & 15.* Garc. *p. 7. c. 11. num. 20.* Vaſq. *de teſtam. c. 8. §. 3. du. 2. num.* 48.

3. Quòd ſi ſint duo æquè propinqui, unus deſcendens per lineam maſculinam, alter per fœmininam, ſtare penes patronum eligere, quem maluerit; & non teneri illum præferre deſcendentem per lineam maſculinam; eò quòd in beneficiis non tractetur de conſervanda agnatione, tenet Garc. *p. 7. c.* 15. *num.* 21. apud Caſtrop. *loc. cit. num.* 7. etſi is contrarium exiſtimet verius; eò quòd conſanguineus per lineam maſculinam ſemper præſumatur magis dilectus & affectus fundatori, utpote qui ejus agnationem excellentiori viâ conſervat. Unde etiam docet idem Caſtrop. *num.* 8. & apud illum Zevallos *in com. contra communem q. 265. num.* 13. Lopez contra Garc. *p. 7. c. 15. num. 22.* quòd dum uxor & maritus ex bonis communibus fundârunt capellaniam conferendam utriuſque conſanguineis, præferendus ſit in gradu æquali conſanguineus mariti, eò quòd maritus in fundatione videatur præcipua perſona; niſi fortè conſanguinei uxoris prius nominati eſſent, eò quòd tunc ex ſcripturæ nominatione prævia colligatur mens mariti fuiſſe, ut conſanguinei uxoris præferantur, Caſtrop. *loc. cit. num. 9.* citans Feltn. *in c. Diluta, de reſcrip. num. 4. & ſeq.* Gutt. *conſ. 26. num.* 10. Gomeſ. *to. 1. var. c. 2. num. 2.*

4. Porrò computationem proximitatis faciendam eſſe potiùs ſecundùm jus civile, quàm Canonicum, cenſet Caſtrop. *num.* 10. citans Garc. *ubi antè num.* 25. niſi fortè fundator conſanguineos intra quartum gradum determinâſſet; quia tunc ratione hujus determinationis canonicam computationem videtur attendiſſe, in qua ſolùm Conſanguinitas ad quartum gradum extenditur. Pari modo, quæ hic dicuntur de præſentatione, accipienda quoque ſunt de collatione, ubi fundator abſque eo quòd beneficium ſubjecerit ulli juripatronatûs, conſtituit conferendum conſanguineo ſuo.

5. Denique illud hîc notandum: Semper proximior intelligitur ille, qui eſt habilis tempore præſentationis, etiamſi aliàs, attentâ numeratione graduum, ſit remotior: & ſuperveniens habilitas aliàs quoad gradus proximioris, quoties agitur de iis, quæ ſtare non poſſunt in ſuſpenſo, non tollit jus quæſitum remotiori, C. Luc. *ibid. num. 6.*

Quæſtio 157. *An ad beneficium, quod fundator reliquit pro ſuis conſanguineis, præſentari poſſit illegitimus, aut illud conferri illegitimo; ſi is aliàs habilis ſit, & ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica diſpenſatus?*

1. Reſpondeo: legitimato non ſolùm à Papa (cujus legitimatio præſtat in rebus Eccleſiaſticis, quidquid vera naturalis legitimitas præſtaret, ut Caſtrop. *loc. cit. num.* 11.) ſed & à principe ſæculari, conferri poteſt beneficium tale, ſi aliàs habilis ſit, & diſpenſatus ad beneficia conſequenda; eſto enim, ſæcularis princeps legitimare poſſit ſolùm ad temporalia; concedens tamen legitimationem ad temporalia, hoc ipſo illegitimum facit eſſe de familia, genere, & parentela fundatoris, adeóque habilem reddit, ut ac-

cedente dispensatione, beneficium tale relictom consanguineis consequi possit, Castrop. *ibid.* citans pro utroque Garc. *p. 7. c. 15. num.*46. Nihilominùs spectato jure communi inspicienda esse verba fundatoris, qui si usus fuerit verbis juris seu civilibus (qualia sunt dum usus fuit verbis vel nomine *familia*, *cognationis*, *stirpis*, *consanguinitatis*, utpote quæ verba à jure inventa sunt) locum non esse tali illegitimo, etsi aliàs dispensato; secus si fundator usus verbis naturalibus seu naturæ, & naturaliter cognationem significantibus, dicendu v. g. *Providendum aliquem ex suis descendentibus*, docent Garc. *loc. cit. num.*39. Perez de Lara *l. 2. de capell. & anniverſ. c.*25. *num.*25. nti regulariter, ut iidem auctores, præsumendum est, illum usum verbis naturaliter significantibus, utpote quæ in dispositione hominis attenduntur, quando aliud expresſè non constat, Castrop. tamen ex Gonz. *gl. 5. à num.* 123. ait: Spectandum esse communem loquendi modum, & an materia subjecta petat excludi, vel potiùs admitti spurium; adeóque adhuc admittendum esse spurium & illegitimum aliàs habilem ad beneficium relictum pro iis, qui sunt de genere & cognatione fundatoris, eò quòd licèt hæc verba sint civilia; quia tamen ex communi modo loquendi, & materia subjecta non excluditur, debet admitti.

2. Porrò existentibus legitimis, nunquam posse eligi seu provideri illegitimum, etiamsi propinquiorem, tradit Castrop. *loc. cit. n.* 13. citans Gutt. *qq. pract. l. 2. q. 67. num. 4.* Peregrin. *de fideicomm. tr.* 22. *num.*89. Man. Rodriq. *to. 1. sum. c.*106. *num.*4. contra Garc. *p. 7. c. 15. num.* 53. admittentem cum Gonz. *gl. 5. num.* 124. dum in gradu æquali stant legitimus & illegitimus, hunc admitti non posse, *num.* tamen 47. dicentem præferendum illegitimum, ubi fundator dixit, proximiori consanguineo conferendum beneficium. Rationem dat Castrop. quòd legitimus remotior nobilior sit quolibet propinquiore illegitimo, & propinquitas proveniens ex legitimitate, quamvis remota, vincat quamlibet propinquitatem illegitimi. Vide de his plura, ubi de jurep. gentilitio.

Quæstio 158. *An, & qualiter præsentatus debeat esse clericus, & incedere in habitu clericali?*

1. Respondeo ad primum: certum est de jure, quòd laicus non possit præsentari in beneficio Ecclesiastico, C. Luc. *de jurep. d.* 46. *num.*4. citans Vivian. *l. 6. c. 3. num.* 12. Sicut enim laicus non est capax collationis, ita nec præsentationis, licèt velit se promovere; & sicut quis esse debet clericus tempore dictæ collationis, ita & tempore præsentationis, Lamb. *l. 2. p. 1. q. 7. a. 2. num. 15.* & *a. 7. num. 7.* & *n.* 29. apud Corrad. *l. 1. c. 5. num.*111. Unde etiamsi quis habeat ætatem legitimam ad beneficium simplex obtinendum, ad illud tamen præsentari nequit, & est præsentatio invalida; si actu non sit clericus, licèt in continenti mox à præsentatione fiat clericus, Corrad. *ibid. num.* 109. *& seq.* (tametsi idem Corrad. *l. 4. c. 6. num.* 31. dicat: Non prorsus tamen excludi laicum, quin præsentari possit, cum expressa tamen conditione, quòd teneatur quamprimum assumere clericatum; eò quòd licèt laicus sit beneficiorum incapax, idipsum tamen limitatum fuerit per Rotam *in Una Imol. jurisp.* 19 *Nov.* 1584. coram Orano, in qua dictum, id non procedere, ubi præsentatus laicus de proximo tamen clericandus; quia hoc casu præsentatus non est penitus indignus, cùm ante institutionem fiat clericus) Garc. *p. 7. c. 1. num.* 25. citans Lamb. *cit. q. 7. a. 2.* & *a. 7. & 29.* Hojedam *de incom. p. 1. c. fin. nu.* 72. Gutt. *conf. 2. nu.* 21. &c. qui cum Garc. *num.* 31. id intelligunt, nimirum præsentationem esse nullam & factam de indigno & incapaci, dum non habens primam tonsuram præsentaretur absolutè; eò quòd clericatio subsequens, etiam de proximo, non possit retrotrahi ad tempus præsentationis, in quo requiritur capacitas & habilitas præsentari; cùm ex præsentatione jus ei quæratur ad beneficium. Tenent proinde hi AA. allatam paulo antè à Corrad. & aliis ex Rota limitationem tunc solùm procedere, quando proximè clericandus expresſè vel tacitè præsentaretur in tempus, quo esset clericus, & sic in tempus habile, quo casu præsentato facto clerico intra tempus datum ad præsentandum, præsentatio valeret ex tunc, Garc. *num.* 28. ex Lamb. *l. 2. p. 2. q. 3. a. 9.* Sic autem dicendum tacitè præsentari in dictum tempus illum, quem patronus præsentaret, non absolutè, sed dicendo: *Præsento talem de proximo clericandum*; vel: *Præsento talem, & peto ei dari primam tonsuram*, ait Garc. *num.* 29. & juxta hæc accipiendam illam S. Congregationis concilii declarationem *ad c. 10. sess. 7.* quæ dicit: Vicarius capituli sede vacante intra annum concedere potest dimissorias ad primam tonsuram ei, qui est præsentatus à patronis laicis ad beneficium Ecclesiasticum jurispatronatûs ipsorum.

2. Porrò responsionem nostram procedere quoque de clerico conjugato, & eum incapacem esse, ut præsentetur ad beneficium Ecclesiasticum, utpote qui reputatur laicus in omnibus, præterquam in privilegio canonis & fori in criminalibus, juxta *c. unicum, de clericis conjugatis, in 6.* tradit Corrad. *cit. l. 1. c. 5. num.* 113.

3. De cetero valet præsentatio facta per literas vel instrumentum de eo, qui tempore factæ hujus scripturæ seu nominationis non erat clericus; modò, dum hæc scriptura actu exhibetur superiori, sit clericus, quia non ista nominatio vel scripturæ confectio, sed illius coram habente instituere exhibitio est verè præsentatio, Garc. *num.* 32. ubi ostendit, de tali præsentatione seu potiùs nominatione loqui citatam paulò antè decisionem Rotæ.

4. Respondeo ad secundum: clericus non incedens in habitu & tonsura clericali non est inhabilis ad obtinendam præsentationem; cùm id nullibi in jure cautum sit. Sed neque Trid. aliquid circa hoc innovavit. Dispositio verò Sixti V. loquitur, non de præsentatione, sed institutione, Corrad. *l. 4. c. 6. num.* 32.

Quæstio 159. *An, & quando præsentatus habere debeat ætatem requisitam à Trid. ad consecutionem beneficii, ad quod præsentatur?*

Respondeo: Debere adesse illam ætatem non solùm tempore collationis, institutionis, sed etiam electionis, præsentationis, impetrationis, quibus jus ad beneficium acquiritur; quia verè sic electus & præsentatus beneficium obtinet, & concilium consecutionem verbis generalibus prohibet ante ætatem ab ipso statutam, Castrop. *tr. 13. de benef. d. 4. p. 3. num. 20.* citans Nav. *conf. 2. num. 1. de ætate & qualitate.* Barb. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 60. num. 78.* Vasq. *de benef. c. 3. §. 2. du. 3. num.* 23. ubi etiam addit, idem esse de tempore oppositionis, seu quo quis legitimè se opponere potest, citátque pro hoc Gutt. *conf. 44. num. 7.* Zevall. *q.* 693. *n.* 7. Perez de Lara. Proinde præsentatio non secùs ac collatio beneficii facta de eo, qui legitimam ætatem non habet, est irrita, utpote de persona inhabili, & contra formam à Concilio statutam, Castrop. *ibidem num.* 21. citans Paris. *de resign. l. 4. q. 9. num.* 20. Ugol. *de off. Episc. c. 50. §. 8. num.* 3. Axor. *p. 2. l. 6. c. 5. q.* 12. Garc. &c. Unde & illud sequi videtur, habere locum etiam in præsentatione, quod Corrad. *l. 3. c. 7. num. 5.* & alii passim tradunt de impetratione seu provisione beneficii; nimirum, quòd si quis tempore suæ impetrationis, seu provisionis, licèt minor ætate requisitâ, reperiatur dispensativè promotus ad sacros Ordines, etiam presbyteratûs, quos tale beneficium, quod impetrat, requirit, adhuc impetratio & provisio sit nulla.

Quæ-

Quæſtio 160. magìs adhuc in ſpecie: An, & quando minores 14 annis (quæ eſt ætas jure novo Tridentini requiſita ad beneficia ſimplicia, & de cætero etiam locum habet, etiamſi ea ſint jurispatronatûs, etiam laicalis, Luc. de jurep. d, 20. n. 3. *Barb.* juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 157.) *poſſint præſentari?*

1. Reſpondeo primò: Poſſe præſentari, quin & inſtitui in beneficio minorem 14 annis, quin & puerum & infantem, ubi fundator in limine fundationis ſic conſtituiſſet; cùm enim lex vetans pueris conferri beneficia Eccleſiaſtica ſit variabilis, veluti à mero jure poſitivo dependens, juxta *c. 2. & 3. de ætat. & qualit.* eſſet hæc conſtitutio fundatoris valida, nec ei derogatur per Trid. ut declaravit S. Congregatio Concilii, Barb. *loc. cit. num.* 158. Garc. *p. 7. c. 4. n. 9.* Corrad. *l. 4. c. 6. num.* 23. citans Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 60. *n.* 73. & plures Rotæ deciſiones, Lott. *l. 1. q.* 32. *num.* 34. qui etiam ait, id procedere, etiamſi fundator aliàs voluiſſet beneficium eſſe ſacerdotale, prout Rot. *deciſ. 14. de teſtam. in antiquis.*

2. Reſpondeo ſecundò: quòd ſi tamen fundator mandavit præſentari Clericum in minoribus conſtitutum, vel Clericum primæ tonſuræ; tunc, ſi fundatio beneficii facta eſſet ante Trid. (quandò ſecundùm juris communis diſpoſitionem Clericus primæ tonſuræ in ſeptimo anno ætatis capax erat beneficii ſimplicis) non intraret diſpoſitio Tridentini; cùm, ut dictum, talibus fundatorum diſpoſitionibus non derogârit; adeòque adhuc modò poſt Trid. præſentari poſſet minor 14. annis, ſicut is ante illud, ex mente fundatoris, utpote conformantis ſe dictæ juris communis diſpoſitioni ſeu permiſſioni præſentare poterat, Barb. *loc. cit. num.* 160. Corrad. *loc. cit. num.* 24. & 25. Si verò fundatio facta poſt dictum Concilium, & fundator non expreſsè in ea cavit, quòd minor 14 annis præſentari poſſit, ſed tantùm dixit: *Præſentetur Clericus primæ tonſuræ*; jam talis minor præſentari nequeat; ſubintelligeretur enim in illa fundatoris conſtitutione; modò dictus Clericus habeat 14 annos requiſitos à Trid. cujus diſpoſitio tunc vigebat, & cum qua cenſetur fundator ſe voluiſſe conformare; cùm verba debeant intelligi in terminis habilibus, & ſecundùm diſpoſitionem legalem, limiteturque voluntas teſtatoris per juris communis diſpoſitionem, ſeu ſit regulare, diſpoſitionem hominis regulari in dubio cum diſpoſitione legis, cui cenſetur ſe voluiſſe conformare, Corrad. *ibid.* citans Cæſar. de Graſſis *de jurep. deciſ. 1. n. 6.* Card. Luc. *de jurep. d. 45. num. 10. & d. 70. num.* 13. Num autem ſufficiat præſentandum attigiſſe, an verò requiratur compleviſſe annum 14. colligendum ex iis, quæ dicta ſunt aliàs, ubi de ætate requiſita ad ſingula beneficia. Vide Garc. *p. 7. c. 4. n. 11. & ſeq.*

3. Illud hîc notandum, quòd ſi ad ætatem requiſitam deſit, quamvis parum, vel unus dies, vel hora, proviſio facta ſit nulla, eò quòd in his, quæ à jure determinata & limitata, non liceat arbitrari, Garc. *loc. cit. nu.* 84. citans Sanch. *de matrim. l. 1. d.* 16. *num.* 4. extenditque idipſum expreſsè ad præſentationem *num.* 85. citans pro hoc Nav. *conſ. 2. n. 1. de ætat. & qualit.* Sufficere tamen ubi patronus præſentat abſentem, quòd tempore, quo accedit nuncius cum ſcheda, præſentatus habeat ætatem requiſitam, tenent Rodriq. *in ſumm. tom.* 1. *c.* 30. *num.* 10. & Vega apud Garc. *loc. cit. num.* 88. qui tamen id accipiendum ait, juxta dicta à ſe *p. 7. c. 1. nu.* 31. hoc eſt, dicta à nobis *q. præced. in reſp. prima.*

Quæſtio 161. Quæ ætas requiratur in præſentando ad beneficium curatum, aut non curatum ſacerdotale?

1. Reſpondeo: dum quis præſentatur ad beneficium parochiale, aut etiam ad capellaniam, quæ ſacerdotalem Ordinem, etiamſi habitu annexum habet, requiritur, ut tempore præſentationis realiter actu ſit conſtitutus in 25 anno ætatis, id eſt, quòd illum attigerit, & in genere, debet quis tempore præſentationis eſſe in ea ætate, quam annexus beneficio, ad quod præſentatur, Ordo requirit.

2. Etiamſi de cætero jura concedant, non tantùm præſentato, ſed actu inſtituto ad parochiam annum integrum, ut interea ad ſacerdotium promoveri poſſit; cùm dictus annus non detur ad complendam dictam ætatem, ſed, ut Abb. *in c. cùm in cunctis, num.* 20. ut qui tempore præſentationis eſt legitimæ ætatis, quantò citiùs, ſtatis tamen temporibus, ſe promoveri faciat, Corrad. *l. 3. c. 7. num.* 3. Garc. *p. 7. c. 1. num. 8.* juxta *Clem. ult. de ætat. & qual.* & claram Rotæ deciſ. *in una Firmiana juriſp.* 14 *Novembr.* 1586. *coram Orano*, & Gl. *in c. Et, cui, de preb. in 6.* quam, ut ait Garc. ſequuntur omnes, & expreſsè Jo And. *num.* 1. ubi ait: Licèt hæc opinio non modicum rigoris habeat in eo, qui eſt omniò proximus ætati legitimæ, nimis tamen præſumptuoſum eſſe, hoc aſſertivè dicere, & conditoris eſſe, non gloſſatoris, huic æquitati providere. Idem tenet Franch. *in cit. c. Et, cui,* & ex eo Lott. *l. 2. q. 47. num.* 18. dum ait: Jus commune in hac materia uſque adeo rigorem ſervat, ut dum ætatem in promoto exigit, non contentetur, ut is valde proximus ſit ætati idoneæ, v. gr. etiamſi ante prima Ordinationum tempora completurus eſſet ætatem requiſitam.

Quæſtio 162. Præſentandus ad beneficium ſacerdotale, an & quando debeat eſſe actu ſacerdos?

Reſpondeo: Sicuti, num beneficium ſacerdotalem Ordinem annexum habeat, nec ne, ita num præſentatus habere debeat tempore præſentationis dictum Ordinem; an verò ſufficiat habere illum habitu, ſeu talis ſit præſentatus, ut intra annum ad presbyterium promoveri poſſit, pendet ex mente ſeu voluntate, fundatoris, (vel etiam ſtatuti, ſi exinde requiratur) Corrad. & Lott. paulò poſt citandi. Quæ mens ex verbis fundatoris eſt metienda & colligenda; de quo plura ſub initium primæ partis. Illud hîc breviter repetendum, quòd, dum verba fundationis vel ſtatuti reſpiciunt actum præſentationis, v. g. diceretur: *Præſentetur presbyter*; vel: *Præſentetur ſacerdos, qui Miſſas celebret*; præſentandus neceſſariò tempore præſentationis debet eſſe ſacerdos; & non ſufficit habere ætatem requiſitam ad ſacerdotium. Si verò verba non reſpiciunt actum præſentationis, ſed potiùs proſecutionem illius, v. gr. ſi diceretur: *Præſentetur, qui miſſas celebret*; vel etiam: *qui miſſas per ſe celebret*; vel: *Quòd obtinens beneficium miſſas dicat*; vel: *Præſentetur, qui miſſas celebrare teneatur*; vel ſi ſimpliciter conſtituat fundator, & exprimat beneficium eſſe ſacerdotale; cùm hæc omnia ſignificent & reſpiciant proſecutionem ipſius præſentationis, & tempus poſt inſtitutionem, non requiritur, ut ſit actu presbyter; ſed ſufficit, ut talis ſit habitu tempore præſentationis, ſeu habeat ætatem, ut poſſit promoveri tunc ad ſacerdotium, hoc eſt, attigerit 25 annum, & intra annum fieri ſacerdos; qualitas enim juxta verba intelligitur ſecundùm ſtatum illius, Corrad. *l. 3. c. 7. num. 4.* Garc. *p. 7. c. 1. num. 79. & ſeq.* Lott. *l. 2. q. 47. à num. 8.* Sed neque in hoc facienda eſt diſtinctio inter fundationem laici & Eccleſiaſtici, ita ut ex fundatione laici requiratur tunc actu ſacerdotium; ex fundatione autem Eccleſiaſtici tunc ſufficiat eſſe habitu presbyterum; eò quòd Eccleſiaſticus cenſeatur ſe voluiſſe conformare diſpoſitioni juris canonici, quod, dum ſimpliciter exigit Ordinem aliquem in promovendo ad beneficium, cenſetur contentari, quòd quis habeat talem Ordinem habitu, ſeu ut habeat ætatem requiſitam ad talem Ordinem, eumque ſuſcipiat, quamprimùm poſſit, ut docere videntur Gutt. Lamb. Ferrer. Azor. *p. 2. l. 6. c. 24. q. 3. & 4.* apud Garc. *n.* 82. & apud Lott. *num.* 15. Barbat. & Rota. Nam ſi in

fun-

fundationc laici ista verba importent, quòd requiratur actu sacerdotium, idem etiam importabunt in fundatione Ecclesiastici, & econtrà; si id non importent in fundatione Ecclesiastici, etiam non importabunt in fundatione laici, Garc. *loc. cit. num.* 83. Lott. *loc. cit. num.* 16. dicens: Dictam distinctionem nullo jure aut ratione fultam esse.

Quæstio 163. *Præsentatio illiterati quandonam sit jure ipso irrita?*

Respondeo: Si quis omninò illiteratus sit, ut literas latinas nequidem legere sciat, illius, uti electio & provisio, ita etiam præsentatio ipso jure irrita est. Argumento *c. ult. de temp. ord. in 6.* quia ut dicitur *c. Illiteratos, dist.* 36. *literis carens sacris non potest esse aptus officiis.* Laym. *in c. Cùm in cunctis, de elect.* §. *Inferiora*, *num.* 10. Si quis tamen legere & scribere sciat, licèt non intelligat, ejus præsentatio, uti & facta ei aliàs collatio beneficii, videtur ipso jure esse valida: etsi, ut colligitur ex Trident *sess.* 7. *c.* 3. & *sess.* 24. *c.* 12. rescindi debeat, Laym. *ibid. num.* 11. citans Nav. *in c. Si quando, de rescript. except.* 12. *num.* 8. si tamen beneficium est curatum, aut Ecclesiæ Cathedralis, ad quam ita illiteratus promovetur, ipso jure irrita est promotio, Argumento *c. Cùm in cunctis, & c. ult. de atat.* & *qualit.* Laym. *ibid.* Porrò de literatura requisita ad beneficia, vide Lott. *l.* 2. *q.* 50. & quæ *p.* 1. dicta sunt, item dicenda infrà de collatione.

Quæstio 164. *Num patronus, dum idoneus est, præsentare possit se ipsum per se, vel per alium ad beneficium sui juris patronatûs?*

1. Respondeo ad primum negativè; ita enim expressè decisum est *c. Per nostras, h. t.* debet enim esse distinctio, ut gl. *in cit. c. v. Præsentare*, inter præsentantem & præsentatum, sicut inter dantem & recipientem, inter baptizantem & baptizatum, Corrad. *l.* 4. *c.* 2. *num.* 12. Castrop. *cit. p.* 7. *n.* 2. Pirh. *h. t. num.* 89. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *num.* 193. citans quamplurimos cum communi. Proceditque idipsum etiam in beneficiis simplicibus; tametsi enim in *cit. c. Per nostras*, sermo sit de personatu; eadem tamen ratio, in qua fundatur decisio *dicti cap.* ne scilicet Clerici seipsos præsentantes incidant in vitium ambitionis, etiam locum habet in beneficiis simplicibus, Jo. And. *in cit. c. num.* 3. Abb. *n.* 2. Barb. *num.* 7. quos citant & sequuntur Corrad. *num.* 16. Pirh. *num.* 90.

2. Poterit nihilominus patronus, quando jam esset præsentatus ab alio compatrono (posse enim patronos, dum plures sunt, unum ex seipsis nominare seu præsentare, Argumento *c. congregato*, 16. *q. ult.* & *c. Quia propter*, & *c. Ne pro defectu de elect.* ubi permittitur electoribus unum ex se deligere, tradit Castrop. *cit. p.* 7. *n.* 3. citàtque gl. *in c. Consuluit, h. t.* Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 81. *a.* 5. Ricc. *in pr. resol.* 174. *num.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 3. Tusch. *lit. P. concl.* 595. Barb.) præsentationi jam de se factæ consentire, (quia tum se non ingessit, neque ambitiosus reputabitur, sed magis vocatus ab aliis) non quidem dicendo: *Præsento meipsum*; sed: *Consentio præsentationi de me factæ*; ac proinde debet præcedere aliorum patronorum de eo facta præsentatio, & ei de hac constare, uti ei constaret, dum præsentatio facta fuit palàm per vota aperta; non autem, quòd illa fiat eodem tempore; si enim is unà cum aliis, absque eo, quòd scire poterat, si ab aliis præsentatum (ut fieret, dum præsentatio facta per viam secreti scrutinii) adhuc nulla foret præsentatio, & juxta decis. Rotæ *in Pergam. Capellania coram Buratto decis.* 316. *num.* 2. locus esset dispositioni *c. per nostras*; adeòque ut ambitiosus repellendus, Corrad. *à num.* 14. Atque hic patroni consensus habetur pro una voce, & facit numerum, illumque auger, ita ut, si vota fiot æqualiter divisa in duos; quia nimirum una pars accessit ad compatronum, & alia ad alium, consensus ille patroni augebit numerum præsentantium illum, adeóque illius præsentatio debet prævalere, & is instituì. Quinimò si processum sit in dicta nominatione per scrutinium privatum, posset, publicato scrutinio, visâ præsentatione de se factâ à medietate patronorum recedere ab eo, cui suum in scrutinio suffragium dederat, & suæ præsentationi consentiendo, augere numerum, & constituere majorem partem. Secùs autem foret, si per hunc accessum suum tantùm constitueret paritatem votorum; censeretur enim tunc adhuc ambitiosus, consentiendo præsentationi suæ, Corrad. *num.* 16. citans Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *a.* 8. *q.* 8. *n.* 2. & 3. ubi etiam: Quòd hæc sicut in electione, ita etiam in præsentatione, & quidem à fortiori locum habeant, utpote quæ jus tam forte non tribuit præsentato, quàm electio electo. Porrò ubi non appareret, an ille patronus seipsum cum aliis principaliter præsentàrit, an verò potiùs accesserit consentiendo præsentationi de se factæ, præsumi debere, fecisse illum istum actum eo modo, quo melius & utilius sibi de jure permittebatur, adeòque censendum, illum in sui præsentationem conspirâsse, non principaliter, sed per viam accessionis; dicta enim interpretatio & præsumptio, cùm tendat ad validandum, non autem ad destruendum actum, tenenda est, Corrad. *cit. n.* 16. citans decis. Rotæ 285. *n.* 4. *p.* 2. *divers.* & *cit. suprà in una Pergam.*

3. Poterit etiam patronus clericus, dum unicus est, seu non babet compatronos, & habilis ad illud beneficium, recurrere ad sedem apostolicam, ab eáque obtinere tale beneficium cum narrativa, quòd patronus sit unicus, & beneficium jurispatronatûs laicalis. Et sic servati in praxi, ait Corrad. *cit. n.* 21. Additque *n.* 22. talem collationem habere vim institutionis absque alia præsentatione.

4. Quin & poterit talis patronus unicus, dum pauper est, obtinere idem beneficium, dum simplex est, & non curatum, ab Ordinario per viam deprecationis & supplicationis Ordinario faciendæ; porrigendo nimirum ei libellum supplicem, ut attentâ vacatione talis beneficii de suo jure patronatûs, cùm sit unicus, & hinc ab alio compatrono præsentari, prout aliàs requiritur, nequeat, nec habeat, unde commodè sustentari possit, dignetur sibi dictum beneficium sine præjudicio sui juris patronatûs conferre, seu in dicto beneficio instituere. Poteritque ad has preces Ordinarius ei gratificando eundem admittere, & in illo beneficio instituere; cùm jam non obstet ratio ambitionis, quæ omnino excluditur à necessitate, & in casu dictæ necessitatis seu egestatis locum non haberet dictum illud: quòd nemo à seipso oriri possit. Cùmque patrono laico egeno debeantur ab Ecclesia alimenta, hac ratione per collationem talis beneficii optimè succurratur huic alimentorum necessitati, cui aliàs aliunde succurrere deberet Ecclesia, Corrad. *cit. num.* 21. citans Abb. *in c. Per nostras.* Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 1. & Ror. Pirh. *n.* 91. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 199. citans plures alios, & non faciens mentionem paupertatis aut beneficii curati.

5. Limitat tamen hoc ipsum ulterius Card. de Luc. *d.* 45. *de jurepatr. n.* 8. dicendo: Id rectè procedere, dum alterius præjudicium non concurrat, qualiter id concurreret, dum adessent alii habentes jus passivum ad hoc, ut ipsi præsentari deberent. Addit tamen, quòd licèt de stricto juris rigore id ita sit, nimium tamen in contrarium urgere æquitatem ac humanam rationem, ob quam probabilius videatur, etiam tunc hujusmodi preces admittendas esse: citat seipsum pro hoc *d.* 31. *de jurepatr.*

6. Respondeo ad secundum etiam negativè: non posse patronum per alium à se delegatum, sive cui pro ea vice potestatem præsentandi commisit, præsentari; seu etiam procuratorem constitutum à patrono ad præsentandum non posse virtute dicti mandati præsentare ipsum patronum, Castrop. & Pirh. *ll. cit.* citantes Paris. *de resig. l.* 6. vel ut Pirh. *l.* 9. *q.* 17. *n.* 113. Corrad. *n.* 17. dicens contrarium, quod tenet Riccius *in pr. fori Eccl. decis.* 197. *n.* 216. nullo modo

mado subsistere, quia est contra innumeras Rotæ decisiones, & omnium DD. opiniones *in cit. c. Per nostras*, & in *c. fin. de instit.* Nec praxis illud nunquam admiserit: Ratio est, quòd patronus sic saltam virtualiter præsentaret seipsum, ut Castrop. quia delegatus & procurator quidquid agat quà talis, non suo, sed sui principalis nomine agit, cujus vices gerit, Pith. *loc. cit.* adeóque idem esset, ac si præsentatio facta ab ipso patrono, qui hâc ratione ambitionis notam non evitat, Corrad. *n.* 18.

7. Nihilominùs si patronus alteri potestatem præsentandi legitimè concessisset, & totaliter in eum transtulisset, ita ut se omnino abdicaverit eâ potestate, & alter possit saltem pro ea vice nomine proprio præsentare, posse tunc ab eo adhuc præsentari illum, qui hoc jus in alterum transtulit, ait Pith. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. Ex insinuatione, h. t. n.* 3.

8. Quin & dum plures essent patroni, qui unanimiter constituissent unum procuratorem ad præsentandum omnium nomine, posse adhuc per dictum procuratorem præsentari unum ex dictis patronis; eò quòd, cùm dictus procurator non præsenter solùm nomine illius, quem præsentavit, sed nomine omnium, possit præsentatus acceptare præsentationem de se factam nomine aliorum, non suo, absque eo, quòd notam ambitionis incurrat; sitque hac ratione adhuc sufficiens distinctio inter præsentantem & præsentatum, tradit Corrad. *n.* 21. juxta cit. decis. Rotæ 185. *p.* 2. *divers.*

9. Denique, dum is, ad quem spectat institutio, motu proprio vocat patronum clericum, eique ultroneè beneficium jurispatronatûs ipsius vacans confert (quod duplici modo contingere posset, ut Pith. *n.* 91. Si nimirum patronus pro ea vice liberè renunciet juri suo præsentandi, & institutor absolutè sine ullo pacto præcedente beneficium patrono conferat: vel si institutor absque tali prævia patroni renunciatione beneficium patrono conferre velit, isque consentiat) valida & licita erit institutio, vel potiùs collatio; quia facta ex consensu patroni; non tamen ex ejus præsentatione, qui etiam hac ratione censetur non tam se ingerere, quàm ab Ordinario vocari, cui vocationi consentire potest, ne aliàs patronus sit deterioris conditionis, quàm alii clerici, Pith. *cit. n.* 21. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 28. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Abb. *in c. Per nostras, num.* 3. Barb. *p.* 3. *de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 88. Vasq. *opusc. de benef. l.* 2. *c.* 1. §. 1. *du.* 4.

Quæstio 165. An procurator aut alius à patrono substitutus possit seipsum præsentare?

Respondeo negativè: Non enim beneficium à propria cujusque voluntate originem habere debet; quia esset locus ambitioni, Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 2. *n.* 27. Castrop. *loc. cit. p.* 7. *n.* 2. citans *c. Didicimus*, 24. *q.* 1. Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 8. *a.* 9. & 10. Barb. *p.* 3. *de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 88. & *seq.*

Quæstio 166. An patronus possit præsentare filium suum?

Respondeo affirmativè: nullibi enim talis præsentatio prohibetur; cùm pater & filius sint personæ distinctæ, & licèt quandoque in jure pro eadem persona usurpentur, ut *l. fin. c. de impub. & alus substit. c. contradicimus*, 35. *q.* 3. hujusmodi tamen fictio juris, quâ reputantur una persona, in spiritualibus, & nominatim in electione & præsentatione, non attenditur, Abb. *in c. consuluit, h. t.* Barb. *p.* 3. *de pot. Ep. alleg.* 72. *num.* 94. Azoc. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 2. quos citat & sequitur Castrop. Corrad. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 20. citans Paul. de Citad. *tr. de jurepatr. q.* 11. *n.* 95. Similiter avus præsentare potest nepotem, seu alios consanguineos, Corrad. *ibid. gl. in cit. c. Consuluit.* Vivian. *l.* 6. *c.* 6. *n.* 23.

Quæstio 167. An donatarius præsentare possit donantem juspatronatûs?

Respondeo, posse: Modò donatio hæc jurispatronatûs careat omni vitio suspicionis & fraudis. Proinde debet esse non tantùm libera totius jurispatronatûs cum consensu Episcopi facta donatio, ut Paul. de Citad. ex Jo. And. *in c. Ex insinuatione, h. t.* Sed debet insuper esse ita absoluta & perpetua, ut omne jus, quod donans in illo jurepatr. habet, ab ipso plenè ac perpetuò translatum, ac penitus & in totum abdicatum esse censeatur, ita ut nullum jus, sive cumulativè, sive privativè donanti reservatum censeatur (adeoque idipsum exprimi debet, quòd privativè donetur, cùm ut dictum aliàs, si patronus donet juspatr. simpliciter, id intelligatur cumulativè, non privativè) ut proinde donatarius sit effectus, & privativè (intellige respectu donantis) patronus, & proprio nomine præsentare possit, non pro unica vice tantùm (tunc enim præsentare non poterit donatorem, quia hoc modo non erit vera donatio) sed pro quavis vice, seu quoties beneficium vacârit, Corrad. *loc. cit. num.* 24. ubi insuper requirit, ut hæc donatio jurispatr. facta sit, antequam Ecclesia patronata vacet, nec adsit suspicio vacationis. Et licèt hæc donatio fieret per patronum, postquam beneficium vacavit, vel cùm instaret tempus vacationis, efficique facta donatio expressè vel implicitè ad effectum, ut donans præsentetur à donatario, nullatenus subsisteret, foretque pactum & conditio fraudulenta & simoniaca, juxta Corrad. *ibid.* ubi citat pro hoc *c. fin. de preb. in* 6. Lamb. &c.

Quæstio 168. An præsentatus invalidè ob crimen, emendatus dein, possit præsentari denuò?

Respondeo: Videri posse, quæ in simili dicta sunt de electione, quæ etiam in præsentatione habere locum videntur, & sic expressè docet Abb. *in c. super eo, de elect. n.* 4. apud Laym. *in idem c. n.* 2. extendendum etiam ad præsentationem & collationem, quod communiter docent AA. quòd repulsus semel ob crimen eligendus aut promovendus non sit; hoc ipsum tamen, quia nullo textu juris vetatur, dum crimen plenè emendatum & sublatum supponitur, Laym. *loc. cit.* non nisi sub hac limitatione recipit; quòd talis repulsus non sit denuo promovendus, nisi superioris dispensatio, præmissâ cognitione de præsente habilitate personæ, accedat: cujus hanc reddit rationem, quòd negari non possit per ejusmodi repulsam, renunciationem, depositionem personæ, æstimationem non parum gravari, ut nova promotio non ita facilè sit admittenda, sicut etiam quis ob crimen commissum circa ipsam electionem, præcipuè simoniam, redditur denuò ineligibilis; donec cum eo dispensetur, argumento *c. Quisquis, de elect.* Laym. *loc. cit.* vide de his plura *in* 1. *parte*, ubi de personis, quibus conferenda beneficia, ubi etiam de vitiatis corpore, infamibus, censura notatis, bigamis, &c.



C A-

CAPUT TERTIUM.
De Institutione.

PARAGRAPHUS I.
De habente instituere.

Quæstio 169. An, & qualiter Episcopo competat jus instituendi præsentatos à patronis?

1. Respondeo primò: competit jure communi Episcopo omnes præsentatos à patronis ad quæcunque beneficia suæ diœcesis instituere, c. *Ex frequentibus de instit.* Abb. *ibid. n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 2. Pirh. *ad tit de institut. n.* 1. cum communi. Competitque hoc jus Episcopo etiam nondum consecrato; quia non spectat ad Ordinem, & institutio non est actus Ordinis, Baffæ. *To.* 2. *v. Beneficium,* §. 5. *n.* 13. cum communi. Et sicut mox ab electione confirmata conferre potest beneficia, juxta c. *Nosti, de elect.* ita multò magis in iis instituere, utpote quod minus est. Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 9. competitque hæc potestas instituendi, uti & confirmandi jure magistratûs, reputaturque inter jurisdictionalia tanquam fructus jurisdictionis, Lott. *ibid. num.* 17. citans Bellam. *cons.* 20. *num.* 13. Gamb. *de off. leg. l.* 3. *n.* 222. Secus ac contingit in potestate conferendi; hanc enim nulla ratione competere Episcopo ratione magistratûs, seu spectare ad ejus jurisdictionem, ait Lott. *n.* 5. Sed esse potestatis accidentalis ejusdem, eodem nihilominus tempore concessæ, quo conceduntur seu imprimuntur ei jurisdictionalia; nimirum ex speciali concessione legis, Can. *Omnes Basilicæ,* 16. *q.* 7. Lott. *n.* 12. ex Butrio *cons.* 19. *num.* 20. citante seipsum *l.* 1. *q.* 21. non enim omnia, quæ competunt magistratui alicui, competunt Jure magistratûs, sed aliqua possunt competere à lege citra imperium, & omnem jurisdictionem, Lott. *ib. n.* 11. qui & *n.* 16. *& seq.* ait: in hoc jus conferendi esse quid longè majus, & superare jus quodcunque eligendi, confirmandi, instituendi, quod non solùm reputetur inter fructus Episcopales, sed & contineat meram gratiam, seu potestatem gratificandi, dum jus instituendi, confirmandi sint de mera justitia, citat pro hoc Puteum *decis.* 396. *n.* 2. *l.* 1. *in noviss.* Felin. *in c. cum olim, n.* 2. Bellam. *ubi antè.* Porrò quomodo institutio auctorizabilis competat soli Episcopo, & ab eo auferri nequeat, vide Lott. *l.* 2. *q.* 12. & dicta à nobis suprà.

Quæstio 170. An, & qualiter instituere competat capitulo sede vacante?

1. Respondeo: Spectat ad capitulum sede vacante (seu ejus vicarium, Cotrad. paulò post citandus) uti electos in beneficiis electivis confirmare, ita & præsentatos instituere, c. 1. *h. t.* instituere enim & confirmare minimè sunt libera, sed necessaria electo & præsentato debita; unde etiam, ut Pirh. *n.* 5. *h. t.* per institutionem factam à capitulo sede vacante non creatur præjudicium Episcopo successori; utpote cui hac ratione nulla donationem seu liberalitatem exercendi aufertur occasio; dependétque potestas confirmandi & instituendi à jurisdictione; succedit autem capitulum Episcopo mortuo & sede vacante in omnia jurisdictionalia, maximè, quæ sunt jurisdictionis necessariæ, Pirh. *loc. cit.* Cotrad. *in pr. benef. l.* 2. *c.* 1. *num.* 78. *& seq.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 3. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 54. *& c.* Quale quid, cùm non sit collatio, ut dictum, necessarium non est, quòd potestas conferendi beneficia, etsi eodem tempore cum jurisdictionalibus oriatur Episcopo, tamen unà cum jurisdictionalibus, transeat io capitulum sede vacante, Lott. *loc. cit. n.* 13.

2. Censet tamen Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 34. quòd, dum institutio spectat ad Episcopum, & sunt plures præsentati in concursu, ita ut sit locus gratificationi, collatio seu institutio tunc non transeat ad capitulum sede vacante: eò quòd licèt tunc collatio non sit libera propter necessitatem providendi uni ex præsentatis, sit tamen in individuo facultatem hanc gratificandi præservet Episcopo, in c. *Cum autem, de jurepatr.* Et sic electa censetur ad hoc industria personæ Episcopi. An autem potestas faciendi alias collationes necessarias beneficiorum transeat quoque ad capitulum, dicetur, ubi agemus de collatione. Vide tantisper Lott. *loc. cit. à n.* 23. & Garc. *à n.* 55.

Quæstio 171. An, & qualiter instituere competat Vicario generali Episcopi?

1. Respondeo: Etiamsi is jus non habeat conferendi beneficia sine speciali mandato Episcopi, c. *fin. de off. vic. in* 6. (de quo vide tantisper Garc. *n.* 81. & Laym. paulò post cit.) potest tamen ratione officii generatim commissi expedire ea, quæ sunt justitiæ & necessitatis, adeòque potest canonicè electos confirmare, & à patronis præsentatos instituere absque speciali commissione, argumento c. *Ex frequentibus, h. t.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 3. Laym. *ad c. Cum in generali, de off. vicar. n.* 9. citans Pasif. *l.* 7. *q.* 24. *n.* 27. Bertachinum, *de Episcopis l.* 4. *p.* 7. *q.* 16. & plures alios. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *num* 84. *& seq.* citans Zerol. *l.* 3. *var. c.* 9. *num.* 7. Quilot adven. *l.* 1. *Ecclesiastic. c.* 5. *n.* 7. pluresque alios, & insuper declarat S. Congreg. Concil. *de anno* 1593. quam dicit habuisse se authenticam, additque Garc. *n.* 88. idem procedere, dum esset locus gratificationi inter plures præsentatos æquè idoneos, citátque pro hac decis. Rotæ.

2. Idem quod hac in parte dicitur de vicario generali Episcopi, locum habet in vicario capituli sede vacante, ut Corr. suprà; cùm eo ipso, quòd is eligatur à capitulo, transeat in eum tota jurisdictio competens ipsi capitulo sede vacante. Unde nec videtur ad instituendum necessaria aliqua specialis commissio, Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 28. quamvis si de facto capitulum det vicario à se electo limitatum mandatum, reservando sibi aliqua, non videntur vicarius posse exercere potestatem in illis, quæ sibi capitulum reservavit, ut Garc. *ibid. n.* 30. *& seq.* citans Sua. *To.* 5. *d.* 7. *s.* 3. *n.* 13. Guttier. &c. contra Ugolin. qui vult, non pendere talem vicarium omnino ab auctoritate capituli, cùm datus sit auctoritate Trident. quod Suar. *loc. cit.* refutat.

3. Denique potest quoque fieri institutio præsentati, etiam per vicarium foraneum Episcopi in loco diœcesis deputatum, si ea vi suæ deputationis ibi exerceat jurisdictionem; siquidem præsentatio etiam facta coram vicario foraneo tribuit jus; & quia talis vicarius jurisdictionem habet in illo loco, ibi facere poterit omnia, quæ Vicarius generalis totius diœcesis, Corr. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 26. citans Rot. *in una Agrigent. beneficii* 12 *Nov.* 1601. & Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 123.

Quæstio 172. An, & qualiter jus instituendi competat aliis Episcopo inferioribus?

1. Respondeo: Clericis aliis Episcopo inferioribus jus instituendi, etsi non competat de jure communi, competere tamen potest de jure vel causa speciali, putà ex fundatione, donatione, privilegio, præscriptione, consuetudine, statuto, &c. Cotrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 2. Baffæus *to.* 2. *v. benef.* §. 5. *n.* 12. Pirh. *h. t. n.* 6. Card. de Luc. *de jurep. d. l.* 4. *n.* 32. citans Barb. *de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 176. Lott. 62. *q.* 12. Azor.

Azor. *cit. c. 22. q. 3.* Et hoc extendendum etiam ad beneficia curata, ut Laym. *ad. c. cùm satis. de off. Archid.* Sic itaque competere potest ex fundatione, dum fundator beneficium eâ conditione adjectâ ex consensu Episcopi, ut institutio illius sit penes Decanum, Præpositum certæ Ecclesiæ, vel Archidiaconum, &c. Vel penes certum conventum Clericorum, vel Universitatem Scholasticorum. Auctores iidem, vel etiam ad simplicem Canonicum, vel Prælatum, etiam regularem; quamvis agatur etiam de beneficio sæculari. Card. de Luc. *loc. cit.* Quod attinet ad Concilium Trid. *sess. 14. c. 12.* dicens: in caso fundationis aut dotationis hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur, ait Card. de Luca. *ad Trid. d. 11. n. 27.* Concilium non alterâsse per hæc legem particularem fundationis aut consuetudinariam seu privilegiatam instituendi potestatem. In declarationibus etiam S. Concilii apud Gallemart. ad dictum locum dicitur: in Ecclesiis exemptis non potest reservari institutio alteri, quàm Episcopo, nisi Rector illius loci fuerit ordinarius, ordinariâque fungatur jurisdictione; neque Vicarius Episcopi potest sede vacante instituere præsentatum à præsentis patronis.

2\. Nihilominùs Corrad. *l. 4. c. 3. n. 27.* inquit: licèt fundator de consensu Ordinarii possit in limine fundationis apponere quascunque conditiones, etiam contra jus; post Trid. tamen expresse prohibens reservari inferiori Episcopo hanc facultatem instituendi, non potest, etiam cum consensu Ordinarii, dicta facultas inferiori reservari, quamvis nonnulli contrarium tenuerint, visúmque non semel fuerit, per summos Pontifices hanc instituendi facultatem Ordinario inferioribus fuisse reservatam, Papâ contra Concilii decreta in favorem patronorum laicorum sic volentium disponente. Idem cum Corrad. tenet Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 208.* inquiens: potest etiam apponi in fundatione conditio, ut institutio spectet ad inferiorem personam Ecclesiasticam; id tamen hodie per Trid. corrigitur, quo cavetur, ut deinceps in fundatione vel dotatione Ecclesiæ institutio Rectoris Episcopo, non alteri inferiori sit reservanda.

3\. Sic competere ex donatione; potest enim Episcopus cum consensu Capituli inferiori prælato ejusque dignitati conferre jus spectans ad dignitatem Episcopalem, & nominatim jus instituendi, argumento *c. cùm venissent. h. t.* Pirh. *n. 9.* citans Abb. *in cit. c. n. 4.* Sic per præscriptionem seu præscriptam consuetudinem jus instituendi potest obvenire Abbati, præposito juxta *c. cùm olim.* & *c. auditis. de præscript.* ut Pirh. *n. 6.* citans Abb. *in c. ex frequentibus. h. t. n. 3.* Sic ad prælatos, etiam regulares, in Ecclesiis pleno jure subjectis (secùs est de Ecclesiis iis subjectis non pleno jure) spectat jus instituendi, argumento *Clem. unic. de excessibus præl.* Pirh. *cit. n. 6.* citans Barb. Pass. *loc. cit.* citans gl. *in c. Abbatis. v. pleno jure. de privileg. in 6.* An autem & qualiter institutio auctorizabilis transire possit in monasterium, dictum est suprà ex Lott. *l. 2. q. 12.*

4\. Porrò posse spectare jus instituendi ad duos, & posse inferiorem acquirere jus instituendi cumulativè ad Ordinarium, refert Garc. *p. 5. c. 9. n. 94. & 95.* & ex eo Corrad. *l. 4. c. 7. n. 22.* juxta decis. Rotæ *in una Lomensi Capellaniæ. 17. Junii* 1591. & in eadem coram eodem Penna 29. *Maji* 1592. in qua citatur Paris. *in c. auditis. de præscript. n. 12.* Felin. *in c. pastoralis. de off. Ordinar. n. 2.*

Quæstio 173. *Num instituere possint Abbatissæ & Priorissæ?*

Respondeo: illas etsi jurisdictionis spiritualis, ejus præsertim, quæ est clavis Ecclesiasticæ, ad solvendum & ligandum sint incapaces, nihilominùs ex commissione Prælatorum habere usum quendam seu exercitium spiritualis jurisdictionis, ita ut Clericos, etiam ad parochias aliáque beneficia sibi pleno jure subjecta instituant. Laym. *in c. dilecta. de majoritate & obed. n. 1. & 2.* citans Sylv. *v. Abbatissa.* Azor. *p. 2. l. 13. c. 10. q. 6.* & se ipsum *Th. Mor. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 4.*

Quæstio 174. *An & qualiter potestas instituendi competere possit laico?*

1\. Respondeo primò: competere potest, & quandoque, etsi rarissimè, solet laico potestas instituendi ex privilegio speciali Sedis Apostolicæ, utentis plenitudine potestatis. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 18.* Laym. *in c. nullus. de elect. n. 15. & 17.* Si enim à Papa iis concedi potest, & quandoque solet, potestas conferendi liberè. Laym. *ibid. n. 14.* multò magis id dicendum videtur de potestate instituendi seu conferendi necessariò ad præsentationem patronorum, quia hæc potestas minor est.

2\. Respondeo secundò: de cætero nullatenùs laici (intelligendo hoc de meris laicis & sæcularibus personis; secùs enim est de laicis, qui Religionem professi censentur personæ Ecclesiasticæ. Laym. *cit. n. 14.* in fine citans Selvam *p. 2. q. 19.*) per consuetudinem etiam immemorialem jus instituendi (idem est de jure conferendi) præscribere possunt. Laym. *loc. cit. num. 15.* Corrad. *cit. n. 28.* ubi tamen ait, posse laicum instituere ex consuetudine immemoriali, modò ea fuerit per Papam approbata, citátque Lamb *p. 3. l. 2. a. 12.* Ratio responsionis est, quòd, cùm jus instituendi, non secùs ac conferendi & eligendi (quin & magis, quàm jus eligendi, ut notant AA. *in c. si tibi. de præb. in 6.* & specialiter Selva *loc. cit. n. 5.* apud Laym. *cit. n. 15.*) sit spirituale, à laico possideri nequit, juxta *c. sacrosancta. c. Messana. de elect.* qui autem est incapax possessionis, est etiam incapax præscriptionis; cùm, ut habetur *reg. 3. de reg. juris. in 6.* sine possessione præscriptio non procedit. Laym. *ibid.* citans Abb. Hostien. &c. Unde licèt verum sit, quòd si unà cum tempore immemoriali fuit in quasi possessione conferendi vel instituendi, (tunc enim allegare poterit titulum optimum, adeóque in præsenti unicum, nempè concessionem Apostolicam.) Laicus ob difficultatem exhibendi privilegii relinquendus sit in exercitio juris instituendi aut conferendi propter præsumptionem, quæ in tali casu pro ipso est; non tamen ideo dicendum, illum præscripsisse, seu in vi præscriptionis obtinuisse hanc potestatem; si enim constiterit postmodum nullum reverà illi desuper datum privilegium, potestas hæc instituendi illi auferenda. Proindè si solam consuetudinem immemorialem, (quæ abusus & corruptela dici debet, juxta *c. sacrosancta. & c. Messana.*) non tantùm in conscientia tutus esse non potest, sed & subjacebit pœnis Ecclesiasticis istiusmodi usurpatoribus statutis. Laym. *loc. cit.* qui etiam *n. 17.* addit, quòd licèt per speciale privilegium institutio seu collatio laico concessa esset, non debere tamen eam extendi ad destituendum seu deponendum, & removendum institutum, citat Abb. *in c. cùm ex injuncto. de hæreticis. n. 3.*

Quæstio 175. *An & qualiter valeat institutio facta ab inferiore existente in quasi possessione instituendi, etsi reverà à parte rei non habeat jus instituendi?*

Respondeo: valere à tali factam institutionem, & esse à tali institutum non minùs tutum, quàm electum vel præsentatum, vel provisum ab existentibus in quasi possessione eligendi, præsentandi, conferendi. Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 4. num. 11.* citans Lamb. *p. 2. l. 2. a. 9. q. 4.*

Quæstio 176. *An & qualiter reservetur institutio Papæ, & qualiter is tunc procedat in institutione?*

Respondeo: reservari quandoque facultatem instituendi à fundatore ipsi Papæ, ita ut à patrono nominata persona præsentetur Papæ ab illo instituenda. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 29.* In quo casu etsi porrigenda sit Papæ supplicatio, (cujus formulam ibidem apponit Corrad.)

rad.) quæ juxta stylum Datariæ contineat admissionem præsentationis, ac petitionem institutionis; nihilominùs postmodum literæ Apostolicæ super ea sub alia formula quoad institutionem prædictam per Cancellariam Apostolicam expediuntur, nimirùm in iis fit tantùm mentio præsentationis, non autem institutionis, sed tantùm collationis, v. g. si dictæ literæ expediantur in forma *dignum* seu commissaria, dicitur: *Auctoritate nostrâ conferas & assignes*; si in forma gratiosa, dicitur: *Conferimus*, vel *providemus*; non autem dicitur: *Instituas*, seu *instituimus*. Collatio enim Papæ comprehendit in se provisionem, electionem, præsentationem, confirmationem, institutionem: atque ita provisio Papæ sufficit pro institutione. Corrad. *ibidem.* citans Rotam *in una Cortonensi plebaniæ. 1. Julii* 1633. coram Ghislero. Idem fusè habet Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 21. ubi etiam dat rationem, quare Papa in provisione hujusmodi beneficiorum jurispatr. non servet aut servare teneatur formam *c. fin. de elect. in* 6. quia nimirùm in provisionibus Apostolicis de beneficiis jurispatronatûs, sive laicalis, sive Ecclesiastici, non proceditur per viam confirmationis, quod tantùm locum habet in Ordinario, qui præsentationem patronorum debet confirmare, præsentatum instituendo, citat pro hoc Abb. *in c. nihil. de elect.* De cætero, quænam institutio in beneficiis patronatis vacantibus sit reservata per regulam 3. vide apud Lott. *l.* 2. *q.* 8. *n.* 8. qui ex Covar. *pract. qq. c.* 36. *n.* 5. ait, id intelligendum de Episcopatibus & dignitatibus, de quibus dicta regula.

Quæstio 177. *Qualiter & ad quos devolvatur jus instituendi?*

1. Respondeo primò: ob non factam à patrono præsentationem potestas liberè conferendi devoluta est ad Ordinarium; & si is non contulit intra 6. menses, fit devolutio ad Superiorem ejusdem beneficii patronati. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 60. Verùm sic non tam institutio respiciens præsentationem factam, quàm institutio sine præsentatione; adeóque magis propriè dicenda collatio, devolvitur ad dictum Superiorem.

2. Secundò: in casu, dum factâ legitimè præsentatione, patronus vel etiam præsentatus ob plus æquo dilatam institutionem ab habente instituere appellationem, aut querelam prosequitur apud Superiorem seu judicem, potestas instituendi non devolvitur ad dictum judicem, qui de gravamine cognoscit, vel querelam recipit, nisi per indirectum; si enim procedatur per viam querelæ; (cui tunc est locus, ubi nullum gravamen positivè supponitur, sed solùm negligentia & mora in instituendo) poterit aditus Superior præfigere terminum habenti instituere, intra quem, si nolit instituere, tunc ipse loco illius poterit instituere. Lott. *loc. cit. n.* 65. & 66. juxta decis. Rotæ. 4. *de jurepatronatûs. in novis.* & ex eo Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 12. Si autem procedatur per viam appellationis à gravamine positivè illato, sive quia expressè sit denegata institutio, sive quia ter solenniter requisitus obstinatè distulit, facultas instituendi videtur devolvi ad dictum Judicem appellationis, seu judicem ad quem, eò quòd, ut Franc. *in c. bona de appell. n.* 12. hic præcipuus sit effectus appellationis, ut negotium, de quo appellatum, devolvat. Lott. *n.* 67. & hanc sententiam tenet gl. *in Clement. auditor. v. debitum de rescript.* & Card. *ibidem. n.* 12. Veruntamen, quòd nunquam potestas instituendi vel conferendi, (quidquid sit de potestate confirmandi, de qua videtur esse textus *in c. significaverunt. de excep.*) etiamsi appellatio pronuncietur legitima, devolvatur ad dictum judicem aut alios delegatos, nec aliter posse eos concipere sententiam suam, quàm remittendo præsentatum ad Ordinarium, seu habentem instituere, ut ipse eum instituat, tenet ipse Lott. *n.* 70. & 72. citans pro hoc Innoc. *in c. dudum.* 2. *de elect. n.* 5. & 6. Jo. And. *in c. M. Ferrarien. de constitut. n.* 21. Franc. *ubi antè.* & Rotam *in Aretina Capellania.* 4. *Julii* 1603. *&c.* Nihilominùs tradit Lott. *num.* 71. in dicto casu appellationis devolvi & spectare jus instituendi ad auditores Rotæ, in quorum favorem emanavit *Clem. auditor. de rescript.* de iis solùm, & nullatenùs etiam de aliis auditoribus ejusdem Curiæ, v. g. Auditore Cameræ, Auditore contradictarum, ut ait Lott. *n.* 74. juxta gl. *in eandem Clem.* & Gonz. *gl.* 23. *num.* 16. intelligenda. Quamvis *citato n.* dicat idem Lott. ex Franc. *ubi antè. n.* 27. dictam *Clem.* non procedere ex suppositione simplicis appellationis à gravamine, sed ex suppositione commissionis Papæ super toto negotio; quin & *n.* 76. & 77. addat, facultatem hanc instituendi non esse singulariter concessam Auditoribus Rotæ per dictam *Clem.* eò quòd, dum Auditor in eo casu instituit, non nitatur privilegio dictæ *Clem.* (utpote concedentis privilegium longè pinguius, nimirùm facultatem conferendi) sed potiùs facultate sibi competente de jure communi tanquam delegato. Unde etiam *n.* 79. ait idem Lott. quotiescunque supponitur appellatum in ipso articulo denegatæ institutionis, & causa per speciale rescriptum commissa extra Rotam, sive etiam extra Curiam cum clausula consueta devolutionis totius negotii principalis, se tenere, posse judicem institutionem facere ei, cui ea de jure debita, atque ita de jure salvari posse, quod ad simplicem usum & praxin retulit Riccius *collect.* 1598. Quibus addit Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 12. quòd testetur Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 103. servari in praxi, quòd delegati à Nuncio in causis Capellaniarum & beneficiorum jurispatronatûs, in gradu appellationis faciant institutionem & collationem, possitque hæc praxis salvari & sustineri ex clausulis commissionum cum incidentibus dependentibus annexis, &c. quas clausulas semper adjicit Papa, dando similes commissiones in gradu appellationis, ex qua Curiæ Romanæ observantia tenuerint nonnulli, quòd vigore dictæ clausulæ delegatus per Papam ad hujusmodi causam possit etiam procedere ad institutionem præsentati; quod tamen ait Corrad. non videri sibi tutum.

PARAGRAPHUS II.

De necessitate, modo ac tempore faciendæ institutionis.

Quæstio 178. *An & quando institutio sit debita præsentato?*

Respondeo: tunc demùm esse debitam, ubi apud habentem instituere hæc 4. liquent, nempè vacatio beneficii, existentia jurispatronatûs, habilitas præsentati, & præsentatio facta in tempore. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 19. citans Rotam *decis.* 337. *n.* 1. *p.* 2. *recent.*

Quæstio 179. *Qualiter subveniatur, si negetur aut differatur institutio?*

Respondeo: satis id indicatum *q. ult.* §. *præcedentis*, quibus addendum, quod ait Lott. *cit. q.* 13. *n.* 63. in casu non denegatæ, sed simpliciter plus æquo dilatæ institutionis frequentiùs & tutiùs practicari, ut impetretur provisio à Papa, asserendo simpliciter, se præsentatum à patronis.

Quæstio 180. *An per appellationem suspendatur executio institutionis?*

Respondeo: dum processum & appellatum est extrajudicialiter, appellatio non suspendit executionem institutionis. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 81. Garc. *p.* 9. *c.* 4. *n.* 19. ex Lancell. *de attentatis. p.* 2. *c.* 4. *n.* 614. & 627. Cucho, &c. Qui de appellatione extrajudiciali intelligunt *c. constitutis. de appell.* Unde addit Garc. *n.* 20. ex eodem Lancell. quòd dum institutio non habet vim diffinitivæ, sed fuit facta extrajudicialiter sine contradictore, & capta possessio pendente tali appellatione, nequaquam censeri debeant pro attentatis, cùm eo casu appellatio tanquam interlocutoria non debeat facere attentata, ut Lancell. Quòd si tamen processum judicialiter, & institutio

tutio facta in contradictorio judicio seu sententia lata super ea facienda, (licèt enim isti actus electivi & provisivi sint extrajudiciales, nihil tamen est, quin etiam judicialiter promoveri possint ex alterius legitima, vel saltem colorata contradictione. Lott. *n.* 85. *&* 86. afferens decis. Rotæ) causa est appellabilis, & appellatio suspendit executionem institutionis, & institutio facta pendente tali appellatione à sententia Ordinarii, vel & subsecuta acceptio possessionis sunt attentata. Lott. *loc. cit. à n.* 80. juxta plures Rotæ decis. Garc. *loc. cit. n.* 16. citans Jo. And. Lap. Franc. &c. Item *n.* 21. citans Brederod. *tr. de appell. p.* 1. *tit.* 20. Marcum, Ant. Genuens. &c.

Quæstio 181. *An & qualiter institutio sit irrita, si facta neglecto præsentato, vel etiam absque consensu & præsentatione patroni?*

Respondeo: esse irritam ipso jure, si fiat neglecto vel spreto patrono. Barb. *l.* 3. *juris Eccl. c.* 12. *num.* 163. Castrop. *cit. p.* 9. *n.* 5. juxta *c. decernimus.* 16. *q.* 7. & gl. *ibidem.* Nec obstat *c. illud. de jurepatronatûs,* ubi institutio facta sine præsentatione illorum, ad quos pertinebat, non dicitur irrita, sed irritanda, cùm satis tritum sit in jure, *To irritanda* sæpè sumi pro *declaranda irrita.* Castrop. *ibid.* sic inquiens, notâsse Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 8. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 56. *n.* 78. Unde id sic limitat, vel potiùs declarat Barbos. quòd talis institutio seu potiùs collatio facta ab Episcopo vel alio inferiore, ad quem spectat institutio, sine consensu & præsentatione patroni, sit & maneat firma, patrono non reclamante vel præsentante alium intra terminum datum ad præsentandum; irritetur autem, & ex tunc à jure reputetur irrita, ex quo patronus præsentat alium, aut exprèssè contradicit, eò quòd tunc & non aliter spernatur patronus, citat pro hoc Garc. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 232. Riccium *in pr. fori Eccles. resol.* 154. Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 10. *n.* 11. Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. juspatronatûs.* §. 8. *dub.* 8. *&c.* Idem tenet Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 39. inquiens, talem collationem evanescere, si patronus intra tempus sibi datum se opponat; si autem se non opponat, manere validam. Unde etiam valebit institutio facta inscio patrono, si is postmodum in eam consentiat. Item si Episcopus, præsente & tacente patrono, aliquem instituat, Bassæ. *To.* 2. *v. benef.* §. 5. *n.* 14. citans Lambertinum.

Quæstio 182. *Cum quibus qualitatibus fieri debeat institutio, & quæ inutiliter ei adjiciantur conditiones?*

1. Respondeo ad primum: quemadmodum præsentatio, ita & institutio fieri nequit, nisi cum qualitatibus requisitis secundùm institutionem & naturam beneficii, sive requisitis à fundatore in limine fundationis, etsi juri communi contrariis, aut aliàs à jure communi, dum ex legibus fundationis non contrariantur. Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 41. *&* 42. cum communi.

2. Respondeo ad secundum: eæ conditiones inutiliter adjiciuntur institutioni, (intellige à fundatore) quæ vel naturâ seu secundùm rerum naturam sunt impossibiles, aut impossibilibus æquiparantur ob nimiam difficultatem, vel impossibiles sunt, aut contra substantiam beneficii, vel contra substantiam testamenti, vel denique contra perpetuam legum prohibitionem eas improbantium. Lott. *l.* 1. *q.* 32. *n.* 21. *& seq.* Vide dicta sub initium *part.* 1. de legibus adjectis fundationi beneficii.

Quæstio 183. *An & qualiter institutio fieri possit extra territorium & diœcesin habentium instituere?*

Respondeo: quemadmodum Episcopus extra propriam diœcesin electiones confirmare vel infirmare, ita etiam instituere potest in beneficiis, contradictore tamen non apparente; ac sic non instituere in judicin contradictorio. Idem est de aliis inferioribus institutoribus; (& nominatim de Vicario generali Episcopi. Castrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 2. *p.* 30. *n.* 17. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 138. *juncto* 142) est enim institutio actus voluntarius & extrajudicialis. Corrad. *in pr. benef. l.* 4. *c.* 2. *n.* 84. citans Franc. *in c. fin. de elect. n.* 9. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 62. *n.* 9. *&c.* Garc. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit.* Quòd si autem ad institutionem procederetur (idem est de confirmatione) cum causæ cognitione & discussione, intellige, judiciali contradictore apparente, non potest fieri extra territorium, nec causæ cognitio seu processus, nec institutio, nec confirmatio, si fit in sententia, nisi de consensu judicis loci & partibus non contradicentibus, quamvis latâ sententiâ intra territorium de instituendo, institutio ipsa fieri possit extra territorium, quia jam est actus extrajudicialis & voluntariæ jurisdictionis. Garc. *loc. cit.* citans Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 2. *a.* 6. *&* 3. & Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 8. *n.* 6.

Quæstio 184. *Qualiter facienda institutio, dum ex diversis qualitatibus spectat ad eundem præsentare & instituere?*

1. Respondeo: secundùm diversos casus, quos congerit Lamb. *h. tr. p.* 3. *c.* 2. *a.* 19. apud Corrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 20. non debere unico actu expediri institutionem & præsentationem, sed separatim, priùs nimirùm faciendo præsentationem, & posteà institutionem: primò dum Episcopus foret simul Abbas alterius Ecclesiæ, in qua Episcopus haberet jus instituendi in aliqua Ecclesia patronata, & quà Abbas juspatronatûs in eadem Ecclesia; quamvis, ut ait Corrad. citans pro hoc *c. olim. de sent. & re jud.* & ibi Felin. *n.* 1. *&* 2. in hoc casu meliùs esset, ut quà Abbas per procuratorem suum præsentet, & ipse quà Episcopus præsentatum instituat. Secundò: dum quis ratione suæ prælaturæ haberet instituere in beneficio, in quo ratione patrimonii sui habet juspatronatûs; est enim hoc juspatronatûs laicale, & sic separatum ab Ecclesia & dicta prælatura. Tertiò: dum quis habens juspatronatûs & simul instituere, habet compatronos; tunc enim ut compatronus præsentabit cum aliis compatronis, & dein instituit. Quartò: dum compromittitur jus præsentandi seu præsentare in habentem instituere. Quintò: dum Episcopo tanquam privatæ personæ esset facta donatio jurispatronatûs. Sextò: dum juspatronatûs translatum est in aliquem habentem instituere cum reservatione, ut præsentet cum consilio alicujus, vel præsentet aliquem de tali familia; ait enim Corrad. in hoc casu actus præsentationis & institutionis esse separatim expediendos. Septimò: dum ad Superiorem jure devoluto, patronis v. g. negligentibus præsentare, spectaret provisio, præsentatio autem fieri debuisset sub certa forma, quæ observanda quoque veniret per illum, ad quem devolveretur provisio, ne illis præjudicetur, qui in præsentatione debebant intervenire; necessarium enim tum ait Corrad. ut provisio fiat duobus actibus, & non esse in optione dicti Superioris, facere illam duobus vel unico actu.

2. Econtrà habens instituere & simul præsentare diverso jure seu ex diversis qualitatibus, poterit unico actu expedire provisionem. Primò: si prælato habenti instituere, non tanquam privatæ personæ, sed tanquam Rectori, seu ratione Ecclesiæ transcriptum à laico fuisset juspatronatûs integrum, erit in ejus arbitrio, an velit providere unico actu, ut Corrad. quamvis dicant alii confundendam tunc institutionem cum collatione, & unico actu absolvendam provisionem. Secundò: dum jure devoluto provisio beneficii patronati spectaret ad habentem instituere. Denique dum quis eodem jure haberet utramque potestatem instituendi & præsentandi, posse illum eodem contextu se expedire, dicit Corrad. eò quòd collatio habeat vim electionis, præsentationis, confirmationis & institutionis.

Quæstio 185. An & qualiter institutioni præmittendum examen & approbatio?

1. Respondeo ad primum: prævié ad institutionem requiritur examen habitum à locorum Ordinariis super instituendi idoneitate. *c. ex frequentibus. h. tit.* in quo, ut observat Pith. *h. t. num.* 3. nomen institutionis accipitur latiùs pro omni provisione non libera, hoc est, non solùm pro ea, quæ fit ad nominationem seu præsentationem aliorum, sed etiam ad electionem. Sic quoque in Trident. *sess. 7. c.* 13. præcipitur, ut præsentati vel nominati à quibuscunque personis Ecclesiasticis, (multò magis ergo à laicis. Pith. *h. c. n.* 3.) etiam Sedis Apostolicæ Nunciis ad quævis Ecclesiastica beneficia, non instituantur, nec confirmentur, nec admittantur cum prætextu cujuscunque privilegii aut consuetudinis, etiam immemorialis, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti, & nullus appellationis remedio se tueri possit, quò minùs examen subire teneatur. Pith. *loc. cit.* citans Garc. *p. 9. c. 3. n.* 5. Qualiter autem in provisione beneficiorum curatorum seu parochialium examen præmitti debeat, explicat Trident. *sess. 24. c.* 18.

2. Respondeo secundò: prævié ad institutionem in beneficio curato requiritur quoque approbatio Ordinarii, ita ut nulla consuetudine induci possit, ut in Ecclesiis Episcopo subjectis ministri curati sine ejusdem approbatione instituantur. Laym. *ad c. cum satis. de offic. Archid.* citans Trident. *sess. 7. c.* 13. Azor. *p. 1. l. 5. c. 19. §. consuetudo*; consuetudo enim perniciosa Ecclesiis prævalere nequit; esset autem perniciosissimum Ecclesiis, si sine cognitione & consensu supremi in diœcesi pastoris, nempè Episcopi, inferiores curati instituerentur. Item Episcopus curam parochiarum sibi subjectarum deponere nequit, sed providere debet, ut populus benè pascatur in spiritualibus, sacra legitimè administrentur, &c. Quod curare non potest, nisi sciat, qui & quales curati præficiantur. Unde, licèt inferior Prælatus per consuetudinem acquirere possit jus instituendi, etiam ad curata beneficia, sed non sine examine & approbatione Episcopi. Laym. *loc. cit. juxta c. ad hæc. de off. Archid.* Et sic in specie non valet, ut Archidiaconus curata beneficia conferat sine consensu Episcopi. Laym. *in paraphrasi ad tit. c. cum satis. de off. Archid.* Vide tamen, quæ hanc in rem dicta fuerunt ex Castrop. *cap. praced. ad q. qualiter patronus privetur jure præsentandi ob præsentatum inhabilem*, nimirùm dum Episcopus patronus præsentat Clericum suæ diœcesis instituendum ab alterius diœcesis Episcopo, non debere hunc examinari ab Episcopo instituente, sed ipsam nominationem esse illius approbationem. Vide etiam, quæ habet Corrad. *l. 4. c. 2. n.* 5. ubi quòd si præsentatus absens notus est Ordinario, non requiritur examen ad finem institutionis faciendæ, citat pro hoc *c. constitutus. de appell. c. nullus. d.* 24. & Lamb. *p. 1. l. 2. a. 2. n. 1.* qui etiam id hac ratione confirmat: quòd si Ordinarius absenti conferre (intellige liberè) possit beneficium, juxta *c. si tibi absenti. de præb. in 6.* possit etiam illud conferre absenti præsentato noto; Habebunt autem hæc præcipuè locum, ut Corrad. ubi instituendus est diœcesanus instituentis, quia tunc idoneitas illius præsumitur nota Ordinario, cùm de illo possit habere perfectam notitiam, ut Gonz. *ad reg. 8. gl. 4. num.* 18. maximè si præsentatus suscepit Ordines ab Episcopo instituente.

Quæstio 186. An ad valorem institutionis requiratur scriptura seu literæ institutionales, opúsque sit certâ cæremoniâ?

1. Respondeo ad primum negativè: quia literæ non tam requiruntur ad essentiam institutionis, quàm ad probationem: potest proinde institutio non secùs ac collatio libera fieri verbo vel scripturâ, & non minùs per factam verbo, quàm per factam scripto consequitur quis titulum beneficii. Laym. *ad c. nostri. de elect. n.* 4. Nihilominùs bonum est scripturam adhiberi, servaturque in praxi de communi stylo, ut institutio semper fiat in scriptis; quin & cum interventu & rogatu Notarii in præsentia duorum testium, ut ita semper illa faciliùs probari possit. Corrad. *l. 4. c. 7. n.* 21. ex Vivian. *l. 13. c. 1. n.* 5. Istiusmodi verò formulam institutionalem subjicit Corrad. *num.* 24. quam usitatam ait *in Curia Archiep. Neapolit.* Aliámque satis amplam formulam, ex qua aliæ formulæ concipi possint secundùm diversitatem casuum, ait haberi apud Lamb. *p. 3. l. 2. a. 25. n.* 11.

2. Occasione quorum notandum, institutionem distingui in verbalem, per quam jus & titulus beneficii confertur, & realem, per quam fit introductio in possessionem, Pith. *ad h. t. n.* 3. & alii, in qua divisione videtur institutio verbalis comprehendere illam, quæ fit oretenùs, & quæ fit in scripto seu verbo scripto; & sic opponi institutioni reali, quæ videtur simul habere vim institutionis & missionis in possessionem, uti suprà de investitura dicitur.

3. Dum jus instituendi ad duos cumulativè spectat, facienda est sententia, & subscribendum ab utroque. Corrad. *cit. n.* 21. juxta decis. Rot. *in una Comensi Capellaniæ.*

4. Respondeo ad secundum etiam negativè: dum autem quandoque unà cum institutione verbali seu traditione tituli datur investitura per impositionem bireti, vel quid simile, id institutioni quà tali est per accidens.

Quæstio 187. Num canonicè institutus, etiam verbaliter solùm, statim capere possit possessionem, administrare, & jura beneficio suo competentia exercere?

Respondeo ad hoc respondendum infrà, ubi de possessione beneficii.

Quæstio 188. Num, si quis præsentatus semel coram Episcopo, & dein coram alio inferiore ab eodem patrono, eò quòd is verisimiliter putavit pertinere instituere ad inferiorem, ad quem tamen re ipsa non spectat, possit regredi ad priorem præsentationem, & vi illius validè institui?

Respondeo: posse talem juvari ex priore valida præsentatione, ob probabilem errorem facti circa jus singulare, & hoc supposito, non arctari præsentatum alterutram præsentationem eligere, sed posse utramque prosequi. Lott. *l. 2. q. 13. n. 89. & seq.* eò quòd licèt remittentibus jus suum non detur regressus; hoc tamen semper intelligatur, nisi remittens esset aliquo modo excusabilis; sicut in simili, licèt in judiciis non permittatur variatio circa actionem, ea tamen adhuc conceditur, dum quis justo errore incompetentem actionem elegisset. Lott. *num. 92. & seq.* Sed neque obstare videtur textus *c. ut quis duas. de elect. in 6.* ubi dicitur habentem duas electiones in eadem Ecclesia non posse nisi unam prosequi, petendo illius confirmationem, adeóque compellendum eligere alterutram, ne cum ipsius Ecclesiæ vel adversarii sui, si quem habet, discrimine incerto vagetur; (quippè dum petitio vagatur in incerto, si sub ea obtineatur confirmatio vel institutio, hæc quoque erit super incerto) unde sequitur, per optionem factam de una electione prosequenda ita extingui effectum alterius, ut ad eam non detur regressus; nam id applicari nequit terminis *præsentationis & institutionis*; dum enim quis duas habet præsentationes, sive ab uno, sive à duobus patronis coram diversis prætendentibus jus instituendi fit, ut, licèt utramque quis promoveat, eo ipso tamen, quòd eas non promovet, coram uno eodémque habente instituere, sed singulas singulariter coram singulis institutoribus, prorsùs cesset illa ratio incertitudinis, atque ita dispositio citati textûs. Lott. *à num.* 69. Sed & ut per electionem unius viæ præcludatur altera, seu

re-

recessus ad alteram, requiritur, ut ista electio fieri debeat juris necessitate, & non sit purè in simplici arbitrio alicujus uti, quâ ipse velit, viâ; necessitas enim electionis, quæ consumit optionem, differt ab ipsa potestate eligendi: cùm hæc oriatur ex mera voluntate, ista ex facto extrinseco jubentis: Item ut denegetur regressus, requiritur, rem desiisse esse integram; uti fit, dum per electionem unius viæ quæritur alteri jus respectu alterius; cessant autem hæc omnia in præsenti controversia prosecutionis plurium præsentationum; cùm nullibi injecta sit hæc necessitas eligendi unam viam à jure aut jussione alterius, neque per talem optionem alicui jus respectu alterius, Lott. *à num.* 105.

Quæstio 189. *Intra quod tempus fieri debeat institutio?*

1. Respondeo primò: à jure communi nullum præfixum esse tempus instituenti ad instituendum, tradit Corrad. *l.* 4. *c.* 7. *num.* 11. Lott. *cit. q.* 13. *num.* 59. citans Abb. *conf.* 28. *num.* 2. *p.* 2. & aliquot Rotæ decis. non debere tamen æquò longius protrahi institutionem; quin &, dum nihil obstat, quod superiorem à facienda sententia institutionis retrahat, omnibus probatis teneri illum eam ferre, & compilato processu statim præsentatum instituere, ait *ibid.* Corrad. (quamvis *ibid. num.* 16. dicat: Remanere in arbitrio superioris, an velit statim probatis omnibus de jure requisitis instituere præsentatum, necne; cùm ei non sit tempus statutum ad instituendum, sicuti est patrono ad præsentandum.) Item ex Rocho. *v. Honorificum, q.* 25. *num.* 15. & Abb. *in c.* 2. *de concess. præb.* quòd habens instituere non habet tempus prolixum, sicut is, qui habet conferre; cùm institutio fiat de persona præsentata; unde nihil superest superiori faciendum, nisi præsentatum examinare. Concedere nihilominùs semestre institutori videtur Castrop. *loc. cit. p.* 5. *n.* 8. dum ait: Non posse enim ultra semestre prorogare institutionem, quin ea devolvatur ad Superiorem.

2. Notandum etiam, quòd Castrop. *de benef. d.* 3. *p.* 4. *num.* 10. ait: Institutionem beneficiorum jurispatronatûs non esse faciendam durante termino concesso patronis ad præsentandum, eò quòd durante illo tempore possit fortè alius patronus apparere, & præsentationem facere, cui juri derogandum non est; præterquam quòd patroni laici possint durante quadrimestri variare; quare si de facto contingeret præsentationem ante lapsum quadrimestre vel semestre fieri, & illâ factâ novus appareret patronus, & poterit revocari, revocanda esset.

3. Respondeo secundò: Solere quandoque fundatores in fundatione præfigere certum terminum, intra quem institui debeat præsentandus: Item in Dataria Apostolica concedi quandoque solent erectiones beneficiorum cum reservatione jurispatronatûs adjectâ temporis, etiam parvi, præfinitione ad instituendum, qui terminus quantumcunque parvus servandus est, ne aliàs devolvatur institutio ad alium, Corra. *cit. n.* 11. Interim patrono jus suum perire nequit ex quacunque procrastinatione institutoris, Lott. *cit. n.* 59. Non tamen licebit præsentato, quantumcunque institutor differat institutionem, sed in beneficio ingerere ante ipsam institutionem; aliàs omne jus sibi quæsitum per præsentationem amittit, & non evadit pœnas contentas in *c. avaritiæ, de elect. in* 6. quidquid aliqui quò ad hoc postremum dixerint in contrarium contra communiorem opinionem & praxin, Corrad. *à n.* 13.

Quæstio 190. *Num institutio fieri possit diebus feriatis seu festivis, vel etiam post obitum præsentantium?*

1. Respondeo ad primum affirmativè: cùm similes actus provisivi sint extrajudiciales, Lott. *cit. q.* 13. *num.* 85. citans Gemin. *in c. Concertationi, de appell. in* 6. *num.* 3.

2. Respondeo ad secundum etiam affirmativè: idque verum, etiamsi jam alii patroni successerint, Corrad. *cit. q.* 7. *n.* 23. citans Vivian. *l.* 12. *c.* 5. *num.* 35.

Quæstio 191. *An institutio fieri possit ante lapsum terminum edicti, & sic facta sit nulla?*

Respondeo: Institutio facta ante lapsum terminum edicti, est nulla, Corrad. *l.* 4. c. 3. *n.* 30. & 28. citans Riccium *in pr. fori Eccl. decis.* 161. Quin & facta vix elapso termino habetur pro præcipitata, & est nulla tanquam facta non adhibita cognitione causæ; ad validitatem enim institutionis pertinet, ut præmittatur cognitio horum 4 vacationis beneficii, claræ existentiæ jurispatronatûs, habilitatis præsentati, præsentationis factæ in tempore, quæ licèt supponi videantur in ipso actu præsentationis valido; supponuntur quidem simpliciter in isto actu, discutienda tamen, antequam deveniatur ad institutionem, Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 57. & 58.

Quæstio 192. *An necessariò, qualiter, quo fine, & Ordine, ad quem effectum ante institutionem præmittendum edictum?*

1. Respondeo ad primum: Post factam præsentationem, & præsentati acceptationem necessariò expediendæ sunt literæ edictales seu edictum, quo citentur, seu vocentur omnes, quorum interest; ita ut sine hujus edicti citatorii legitima publicatione factâ institutio sit nulla, Pirh. *ad h. t. num.* 3. Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *num.* 28. citans Riccium, Garc. *p.* 9. *c.* 4. *num.* 1. (qui etiam *num.* 2. ait: Expressè id procedere in Canonicatibus, aliisque simplicibus beneficiis; citans pro hac Jo. Andr. Anchar.) Lott. *l.* 2. *q.* 13. *nu.* 20. & 29. ubi ait: Quòd propter omissionem dicti edicti vitietur actus institutionis ipso jure propter decretum irritans appositum in *can.* paulò post citando, ut communiter DD. (quorum plures citat, uti & plures Rotæ decis.) *in c. finale, de elect.* quem textum, etsi expressè non nisi de confirmatione electionis loquatur, extendi tamen ad institutionem, uno ore, ut ait Corrad. *nu.* 20. fatentur AA. & nominatim Garc. *loc. cit.* citans gl. Jo. Andr. &c. *in cit. c.* Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 6. *a.* 2. *q.* 12. Flores de Mena. Roch. &c. contra Bellamet. *decis.* 619. & quosdam alios. Ait nihilominus Lott. *num.* 24 & *seq* quòd etsi eadem ratio, super qua fundatur dispositio *cit. c.* (nimirum quòd nemini, ut ait Apostolus, citò manus imponendæ; ne competitor aliquis seu oppositor legitimus supplantetur) locum habere videatur in institutione, sicut in electionis confirmatione; & hinc dictum textum sic interpretentur de institutione quoque DD. hoc tamen inductum per interpretationem non habeat tantam vim, quantam haberet, si specialiter quoque sic statutum de institutione in *dicto cap.* Eò quòd licèt quælibet institutio amplietur & restringatur ad limites rationis in ea expressæ, adeo etiam, ut eadem ratio decidat omnes casus, non per extensionem, sed per comprehensionem, ad instar generis complectentis omnes suas species; id tamen procedit in ratione identifica, non in similitudinaria, ut Suar. *de ll. l.* 6. *c.* 3. *num.* 3. & 4. & quidem non nisi in identifica adæquata, & usque adeò intrinseca & universali, ut omnes casus, qui ejus vi in lege comprehenduntur, in ordine ad justitiam & prudentiam legis necessariò connectantur; ita ut sit contra rectam rationem & prudentiam, in quibusdam casibus tantùm, & non in omnibus eandem rationem participantibus disposuisse, ut Suar. *loc. cit. num.* 20. & 21. Quapropter ait Lott. *à n.* 28. quantùm pertinet ad vim obligativam, non videtur in hac materia institutionis, & sic diversa à materia confirmationis pluris æstimanda ea interpretatio, sive extensiva, sive comprehensiva, quàm simplex interpretatio probabilis, non necessaria; utpote quæ à prudentum interpretatione tantùm dependet, cùm necessaria ad solùm principem spectet; uti etiam, quòd nomine *electionis* latè sumpto veniat ipsa præsentatio, & quòd dicta ratio non vi-

videatur extranea ab actu institutionis, non tam necessariò, quàm probabiliter tantùm, extensionem hujus textûs ad institutionem importat; nam neque dicta ratio ita est intrinseca utrique materiæ, confirmationis nimirùm & institutionis; ut hos casus connectat in ordine ad justitiam legis, & prudentiam legislatoris, & hinc legislator redargui possit injustitiæ, aut imprudentiæ, cur magis eam rationem applicuerit materiæ confirmationis, quàm institutionis, alteríve simili, prout requiritur ad effectum, ut extensio sortiatur plenam vim obligativam, cùm dicta ratio, nempe detestatio celeritatis, non militet in omnibus casibus; sed plures sint, in quibus celeritas commendetur, reprobeturque ab Apostolo celeritas, sed indiscreta, ut Lott. *à num.* 32. Ex quibus omnibus concludit Lott. *n.* 34. non malè pronunciatum à Rota apud Bellamer. *cit. decis.* 619. *cit. c. fin.* inducere jus novum, à communi exorbitans, ac proinde extendi ad terminos confirmationis, & non extendi ad materiam institutionis, sustentabilémque esse opinionem Bellamer. in ipsa vi obligatoria legis, tametsi dicat prævalere sententiam contrariam, eámque communiorem esse.

2. Porrò requiri adhuc dictum edictum sub pœna nullitatis institutionis, dum agitur de prima præsentatione & institutione in beneficio recens erecto, vacante à primæva illius institutione, dum fundator adhuc vivit, & præsentatur is, quem patronus voluit primò habere beneficium, isque notoriè esset bonus & idoneus, tradit Corr. *loc. cit. num.* 27. Argumento *dicti cap. fin.* dicens, esse sententiam in praxi receptam ex omnium Curialium Ecclesiasticorum communi observantia, contra Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *a.* 8. *q.* 6. Item requiri adhuc edictum tanquam de substantia, idem Auctor tradit, etiamsi beneficium jurispatronatûs de proximo vacavit, & in illius vacatione omnes solennitates, juxta dictum *c. fin.* servatæ fuerunt; ita ut constet, præsentantes fuisse patronos, & in quasi possessione præsentandi, præsentatum idoneum, nullúmque adesse competitorem, aut compræsentatum, eò quòd interim potuisset aliquis reperisse aliqua jura, ut contradicere possit, & si citaretur, illa produceret, aliàs non citat pro hoc Lamb. *ubi antè. a.* 13. *num.* 1. Et in summa lex illa de ponendo edicto officit, seu obligat omnes inferiores Papâ Ordinarios, qualescunque illi sint, in tantum, ut quia Legatus Papæ in provincia sibi demandata Ordinarius reputatur, juxta *c.* 2. *de off. leg. in* 6 juxta gl. *v. reputantes.* nisi & ipse præmittat hoc edictum, institutio per ipsum facta de præsentato coram illo sit ipso jure nulla. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 42. & 43. citans Rotam *in Valentina beneficii.* 10. *Martii* 1617.

3. De cætero opus non est edicto, ejúsque omissio non importat nullitatem institutionis, primò in Ecclesiis, ubi non viget usus istiusmodi edicti, eò quòd, cùm appositio & publicatio edicti sit Juris positivi, contra illud prævalere potest consuetudo. Garc. *p.* 9. *c.* 4. *num.* 10. citans Aym. *cons.* 63. *n.* 2. & Rotam. & *num.* 12. subdens, quòd, cùm ista consuetudo non sit contra jus clarum, sed contra communiorem opinionem & decisiones Rotæ, sufficere decennalem. Corrad. *loc. cit. num.* 29. citans Riccium *resol.* 160. *num.* 76. Lott. *loc. cit. num.* 36. dicens, valere tantùm necessitatem ponendi edicti, ubi contrarium consuetudine aut jure aliquo singulari non est receptum, citat pro hoc Puteum *decis.* 298. *l.* 1. (qui tamen dicat alleganti hujusmodi consuetudinem incumbere onus probandi illam) & *num. sequenti* addit: cùm objicitur defectus hujus edicti contra possessorem beneficii, cui nulla est necessitas justificandi titulum, solam possibilitatem hujus consuetudinis objectum elidere. Quin etiam *num.* 39. subdit, ad evitandam pœnam nullitatis institutionis ex omissione edicti sufficere quamcunque causam apparentem, v. g. quia unus ex patronis oretenùs sibi (intellige, ad quem spectat publicatio edicti) dixisset, se consentire in præsentatum ab altero; vel quia per sententiam judicis appellationis sibi jussum fuerat, illicò progredi ad institutionem sine aliquo edicto.

4. Secundò: locum non habet, neque ullatenùs requiritur in institutionibus Apostolicis, dum nempè Papa in suis casibus de beneficiis jurispatronatûs, sive laicalis, sive Ecclesiastici, sive in forma gratiosa, sive in forma *dignum* providet, (quæ provisiones Apostolicæ succedunt loco institutionis) non quidem ex eo, ut Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 6. *a.* 3. quòd dictæ provisiones potiùs sint solidæ collationes, quàm institutiones; sed ex eo, quòd in his cesset ratio doli considerata per text. *cit. c. fin.* Lott. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 41. & ex eo Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *num.* 21. & *num.* 24. hanc etiam dans rationem: quòd Papa non ligetur constitutionibus juris positivi, possitque tollere & supplere solennitates juris, & quoad beneficia patronata *Urbis* suâ præsentiâ & certâ scientiâ purget omnem suspicionem; quare necesse non est, ut servetur subtilitas juris, juxta quod Bald. *in l. rescriptum. c. de precibus Imperatori offer.*. In consistorio Principis non curatur de subtilitatibus juris, quia attenditur magis veritas, quàm judiciorum ritus; & ideo dicimus, quòd coram Principe juris ordo non servetur. Unde jam fit, ut neque Executor literarum Apostolicarum, datarum cum clausula: *Verificato priùs coram te jurepatronatûs*, teneatur proponere edictum; sed sufficiat simpliciter verificari juspatronatûs ac præscriptum. Trid. *sess.* 22. *c.* 9. omissis requisitis per *cit. c. fin.* AA. iidem *ll. cit.*

5. Tertiò: non requiritur edictum, quando Ordinarius non ex vi præsentationis confert beneficium jurispatronatûs, sed quia ejus collatio ob non factam in tempore præsentationem ad eum devolvitur; lex enim *cit. c. fin.* servanda non est in libera collatione, ut rectè Vivian. *l.* 9. *c.* 1. *num.* 8. apud Corrad. *loc. cit. num.* 23. Dum autem collatio ad Ordinarium ob dictam rationem devolvitur, is liberè confert beneficium. Corrad. *ibid.*

6. Respondeo ad secundum: ubi hujusmodi edictum exigitur, (cujus formulam vide apud Lamb. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 6. *a.* 22. *num.* 2.) attendendum, ne in aliquo substantiali illius peccetur, ut ait Lott. *loc. cit. n.* 44. Requiritur itaque primò, ut in edicto terminus competens, juxta quod dicitur *cit. c. fin.* habitâ scilicet ratione distantiæ loci, in quo morantur, de quorum præjudicio agitur; dilationes enim judicis arbitrio commissæ sunt ex locorum distantia & negotiorum qualitate, Lott. *num.* 45. Secundò: necessaria est assignatio termini peremptorii, hoc est, quo perimatur ulterior disceptatio, & qui non patitur adversarium ultrà tergiversari. Corrad. *loc. cit. num.* 30. ex Vivian. Lott. *num.* 46. dicens, id perpetuò verum, ubi unicum edictum sub unica citatione proponitur. Tertiò: non sufficit citatio generalis per edictum illorum, quorum interest, seu si qui sint, qui se velint opponere; sed requiritur citatio specialis & nominatim facta, si appareat oppositor, seu ubi prætendentes juspatronatûs sunt certi, ita ut aliàs edictum & institutio secuta sint nulla. Garc. *loc. cit. num.* 8. citans desuper claram Rotæ decis. *in una Foroliviensi jurispatronatûs* 8. *Febr.* 1599. Corrad. *cit. c.* 3. *num.* 28. citans Vivian. *l.* 10. *p.* 2. *num.* 20. subdit tamen Corrad. ubi est contrarius usus, nimirùm non citandi alios certos patronos citatione speciali, sufficit sola citatio generalis, prout servari in aliquibus Hispaniæ partibus, nominatim in Episcopatu Abulensi, testatur Garc. *cit. num.* 12. Quartò: debet affigi in loco publico, putà ad valvas vacantis Ecclesiæ, seu in qua situm beneficium aut altare, vel Ecclesiæ Cathedralis, aut majoris illius loci, ut Corrad. *loc. cit. num.* 33. ex Vivian. *l.* 9. *c.* 1. *num.* 5. ne quid fraudis suspicari possit. Corrad. *ibid.* Lott. *num.* 47. juxta Gl. *in cit. c. fin.* qui etiam addit *num.* 48. & 49. debere quoque legitimè constare non solùm de affixione, sed etiam de refixione; & sic, quòd fuerit lectum, atque ibi relictum per congruum tempus, nec stari simplici assertioni Notarii sine testibus, citat pro hoc postremo Puteum *decis.* 5. *l.* 3. & pro altero Cassador. *decis.* 4. *de dolo.* & aliquot Rotæ decis.

7. Respondeo ad tertium: necessitas hujus edicti intenta est ad promovendum ipsum instituendum,

non

non autem ad validandum actum præsentationis præcedentis, ad quem nemo vocandus est. Lott. *cit.* *q.* 13. *num.* 21. citans Aym. *conf.* 6. *n.* 1.

8. Respondeo ad quartum: effectus seu virtus hujus edicti præcipua est, quòd factâ præsentatione, etiam per patronum putatitium, & post lapsum termini patronus alius, etiam verus & legitimus comparens pro ista vice non audiatur. Lot. *num.* 50. Corrad. *num.* 31. Garc. *p.* 9. *c.* 4. *n.* 14. Nec suffragatur tali comparenti post terminum edicti elapsum, quòd nondum elapsum sit quadrimestre, vel semestre datum patronis ad præsentandum, quia non proponitur edictum, nisi post factam ab aliquo præsentationem, & sic in actu isto consumitur dilatio ista quadrimestris vel semestris, & in ipso edicto præfigitur terminus contra omnes in genere; unde licèt patrono posteà comparenti non imputetur, quòd non præsentaverit in termino edicti, cùm edictum id non contineat; imputatur tamen, cur in termino edicti non comparuerit, & deduxerit jus suum. Lott. *num.* 52. & 53. citans Lamb. & Rot. Verùm intelligenda hæc, dum secuta est institutio, & res non est ampliùs integra; re enim adhuc integrâ, seu needum factâ institutione, etiam post terminum edicti, comparens verus patronus præsentare potest, & admitti debet ejus præsentatio, (saltem dum impeditus fuit, vel in veritate edictum ignoraverit, ut indicare videtur Corrad. *cit.* *n.* 31.) ita AA. iidem, contra citatos ab illis Felin. Oldr. Roch. tenentes, etiam re integrâ, adhuc talem venientem post terminum edicti audiendum & admittendum non esse; qui tamen videntur id velle de eo, qui, etsi sciret edictum, & impeditus non fuit, venit serius, de quo idem expressè sentit Lott. *num.* 56. dum etiam ait, si justum impedimentum non adduxerit, semper posse videri rem minùs integram, ut admitti possit, idque etiam, si subsecuta institutio invalida valido edicto, citat pro hoc Rotam. Item intelligenda sunt, dum edictum & subsequens institutio sunt valida; si enim institutio fuisset invalida, putà, quia præcipitata vel facta contra mentem fundatoris, non esset attendenda; nec ullum præstaret impedimentum, quò minùs veniens post elapsum terminum edicti & subsecutam talem invalidam institutionem præsentare possit. Similiter edicto existente nullo, inde quoque inficeretur institutio, res prorsùs reputaretur adhuc integra, & deberet admitti, qui se opponeret. Lott. *num.* 54. & 55.

PARAGRAPHUS III.
De Personis instituendis, &c.

Quæstio 193. *Quandonam in potestate institutoris sit gratificari uni ex præsentatis præ alio?*

1. Respondeo primò: aliter non est locus gratificationi, quàm dum vota sunt æqualia. Lott. *l.* 2. *q.* 11. *num.* 134. juxta text. *c. cùm autem. de jurepatronatûs.*

2. Respondeo secundò: ex pluribus præsentatis ab eodem patrono æquè dignis liberum est institutori instituere, quem maluerit. Castrop. *cit. d.* 2. *p* 9. *num.* 1. Barb. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 72. *num.* 199. juxta *cit. c. autem.* & à tali gratificatione non datur appellatio. Corrad. *l.* 4. c. 6. *n.* 56. citans Fusc. *de visit. l.* 2. *c.* 10. *num.* 3. Vivian. *l.* 10. *c.* 4. *num.* 9. Lott. *l.* 2. *q.* 51. *num.* 47. cùm, ut Lott. talis gratificatio pendeat à libera facultate Episcopi. Idem dicendum videtur, nimirùm quòd institutor gratificari possit uni ex pluribus æquè dignis præsentatis æqualiter, seu in æquali numero suffragiorum à diversis patronis; sic supponunt Lott. *loc. cit.* Corrad. & Castrop. & expressè tenet Less. *cit. c.* 34. *n.* 33. contra Pith. *ad tit. de jurep. n.* 100. ubi ait: nequidem in hoc casu posse institui etiam digniorem, eò quòd neutra præsentatio sit valida, cùm ad validam præsentationem requiritur, ut facta sit à majori numero patronorum, & ut in discordia præsentatus non solùm majoribus adjuvetur meritis, sed etiam plurium approbetur consensu, juxta *cap. quoniam.* Posse tamen adhuc uni præ altero gratificari in hoc casu, si patroni ab initio convenissent, præsertim sub juramento, se non variaturos, nec alium præsentaturos.

3. Respondeo tertiò: dum ex æqualiter præsentatis, sive ab uno, sive à diversis patronis, alius alio est notabiliter dignior, non est locus gratificationi, sed tenetur tunc (etiam sub mortali, ut expressè Vivian. *de jurepatronatûs. l.* 16. *c.* 9. *num.* 5. apud Corrad.) instituere digniorem. Pith. *loc. cit.* Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *num.* 51. Barb. *loc. cit. nu.* 200. Roch. *v. honorificum. q.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 6. c. 22. *q.* 14. Lopez. &c. quos citat & sequitur Castrop. *num.* 3. Argumento *c. si fortè. d.* 63. ubi præcipitur Metropolitano præferre electionem dignioris, non ob aliam rationem, quàm quia maximè decet, ut in jure æquali electionis præferatur is, qui Ecclesiæ utilior & convenientior est; quæ ratio, cùm in institutione æqualiter locum habeat, idem de ea affirmari debet: contrarium sentientibus Jo. And. Host. Cardin. & aliis *in cap. cùm autem.* apud Castrop. eâ nixis ratione: quòd neque jure positivo, neque naturæ obligetur ad hoc institutor: non jure positivo, quia id nullibi cautum in eo reperitur; citatus autem textus *c. si fortè.* loquitur tantùm de electione Episcoporum; non naturæ, quia ex majore vel minore dignitate non competit præsentatis jus aliquod speciale ad beneficium. Quòd si tamen idoneus magis idoneo prælatus fuerit & institutus, tenebit institutio, magis idoneo tamen non appellante. Corrad. *num.* 52. citans Rot. Porrò non statim censendus dignior, qui sanctior & doctior, sed qui juxta munus & rem, cui præficiendus, est aptior. Corrad. *cit. num.* 52. ex Vivian. *loc. cit.* sic quoad dignoscendum hanc majorem dignitatem qualitas originis debet præferri extraneo, & diœcesanus non diœcesano magis idoneo. Corrad. *loc. cit. num.* 54. citans *c. nullus.* & ibi Gl. *d.* 61. Mandos. *ad reg.* 16. *q.* 43. *n.* 3. Marc. Anton. *Variar. resol. l.* 1. *resol.* 104. *n.* 2. *&c.* & quòd potiùs oriundis, quàm externis conferenda sint beneficia, ait Covar. *q. pract. c.* 35. *num.* 5. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 7. *num.* 1. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 9. §. 1. *n.* 37. *&c.* apud Corrad. Item præferendus actu sacerdos non sacerdoti, maximè, cùm Capellania habet annexum onus legendi missas; etsi enim ea per hoc non sit sacerdotalis, (possint enim missæ illæ legi per alium) reddit tamen illum magis idoneum præ non sacerdote. Corrad. *ibid.* ex Vivian. *ubi antè num.* 9. & Garc. *p.* 7. *c.* 9. *num.* 11. Item pauper præferendus diviti, præsertim si pauper sit nobilis. Corrad. *num.* 53. ex eodem Viviano. Præferendus tamen dives pauperi, ubi Ecclesia debitis onerata. Corrad. ex Vivian. & Barb. *alleg.* 72. *num.* 205. siquidem ut gl. *in c. constitutus. v. impositam. de appell.* Per manus divitum Ecclesiæ sustentantur, & augentur; à Clericis pauperibus sæpè spoliantur, pro sublevandis eorum familiis; & ut gl. *in cit. c. ex literis. de pignore*, bona prælati sunt hypotheca Ecclesiæ, si malè administrabit; & in prælato paupere Ecclesia caret refugio talis hypothecæ. Quas glossas refert Felin. *in c. ad aures. num.* 1. *de rescriptis.* Item præferendus est, qui est de linea fundatoris, etsi id fundator expressè non requisierit. Corrad. *loc. cit.* citans *c. bona. de postul.* & *ibid.* Abb. *in pral.* & Vivian. *ubi antè. num.* 11. & citatam ab eo Rotam *in Romana Capellaniæ.* 15. *Jan.* & 15. *Martii* 1564. Item cæteris paribus potens præferendus est impotenti, quia meliùs potest Ecclesiam conservare. Corrad. *n.* 55. citans Gl. & Abb. *in c. constitutus. de appell.* Item præferendus non beneficiatus beneficiato, (maximè stante decreto Trident. *sess.* 24. c. 17. quòd singulis personis singula sint conferenda beneficia) etiamsi beneficiatus talis paratus esset petere dispensationem super pluralitate beneficiorum, cùm ille magis sit idoneus, qui non eget, quàm qui eget dispensatione. Corrad. *n.* 56. & *n.* 5. citans Decium *cons.* 542. *n.* 14. & Seraph. *decis.* 767. *n.* 1. & non egens dispensatione sit habilis de jure communi; egens autem dispensatione per viam dispensationis & privilegii; potentius autem

sit jus commune, quàm privilegium, Corrad. *ibid. n.* 54. citans Vivian. *in c. 9. n.* 29.

4. Quæ cùm ita sint, debet Institutor præferre præsentationem magis rationabiliter factam; cùm gratificatio sit facienda cum judicio rationis; ac proinde attendere debet & cogitare, meliorem electionem seu præsentationem debuisse & potuisse facere clericum, quàm laicum, Corrad. *ibid.* ex Lamb. *p. 3. l. 2. a. 17. n. 6.*

5. Denique hìc observandum ex eodem Corrad. *n.* 57. *& seq.* circa hanc gratificationem, sæpe haberi recursum ad sedem Apostolicam; ex parte illius, qui scit se præsentatum à medietate patronorum, petendo ab eadem Sede provisionem cum derogatione pro altera medietate (si enim orator non expresserit præsentatum esse alium à medietate, provisio Apostolica erit nulla) cum clausula præservativa juris tertii: *Dummodo tempore data præsentium non sit in eodem beneficio alteri jus quæsitum*; quòd si autem ante obtentam gratiam Apostolicam alter ex præsentatis à medietate esset institutus, & gratificatus ab Ordinario, perinde esset, ac si solus fuisset præsentatus, unde posterior provisio apostolica obtenta ab altero præsentato ab altera medietate ei non suffragaretur.

6. Observandum etiam ex eodem *n. 59.* hujusmodi gratificationis negotium locum non habere in beneficiis liberæ collationis; dum illa esset simultanea Episcopi & Capituli, vel inter alios, & casus daretur, quòd Episcopus uni, Capitulum alteri contulisset; tunc enim neutra valeret collatio ex eo, quòd ad invicem se impedirent, ut Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 45. *n.* 58. de quo vide Corrad.

Quæstio 194. An, & quando Institutor possit instituere alium à præsentatis?

1. Respondeo primò in genere: Non posse Episcopum legitimè facta præsentatione idonei, vel idoneorum non præsentatum instituere; seu ei liberè conferre beneficium, constat ex sæpè dictis.

2. Respnndeo secundò in specie: Si duo sint à diversis patronis præsentati, nec appareat in præsentatione inæqualitas, non posse adhuc tunc Episcopum instituere tertium aliquem, tanquam probabilius tradit Castrop. *loc. cit. n. 4.* contra Sylv. *v. juspatr. q. 8.* Vasq. *Opusc. de benef. c. 2. §. 1. dub. 5. n. 16.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 19* censentes contrarium, eò, quòd nullo jure cogatur Episcopus instituere alterutrum ex præsentatis; cùm patroni in præsentando non sint concordes, quorum sententiam reputat probabilem Less. *loc. cit. n.* 33. rationem dat Castrop. quòd, sicut in Electione non potest contemnere electos, & alium non electum confirmare, ut constat ex *c. Si forte, d.* 63. ubi committitur Metropolitano in pari electione præferre digniorem, & cavetur fieri ordinatio illius, qui non fuit postulatus; sic etiam non possit præsentatos contemnere, & alium non nominatum instituere ob eandem rationem; ne scilicet populus beneficiatum non optatum contemnat, aut oderit; Idem cum Castrop. tenet Pirh. *de jurepatr. n.* 100. hoc etiam addens: Sive præsentati æqualiter sint æquè digni, sive unus altero dignior, adhuc non posse institui tertium intra tempus à jure datum ad præsentandum; quia quamdiu hoc tempus elapsum non est, non devolvitur collatio ad Episcopum; sed debere moneri patronos, ut varient; Quòd si patroni constituissent, ab initio præsertim, sub juramento, se non variaturos, nec alium præsentaturos; eò quòd tunc tali conventioni contravenire nequeant, posse Episcopum Instituere tertium, etiamsi datum tempus ad præsentandum non sit adhuc elapsum; verùm ut dictum *q. præcedenti*, alio nititur fundamento; nimirum quòd talis præsentatio facta in discordia cum paritate votorum non sit valida.

3. Respondeo tertiò: Posse tamen Episcopum beneficium conferre liberè tertiò, dum ex duobus legitimè & æqualiter præsentatis alterum præeligere nequit sine scandalo, Lott. *l. 2. q. 6. n.* 27. juxta *c. Quoniam in quibusdam*, quod tamen intelligitur non de scandalo simplice seu lite, neque de scandalo juris; sed de scandalo facti, & quidem atroci, & cui Judex occurrere nequeat, Lott. *ibid.* juxta declarationem Lapi. *alleg.* 78. *n.* 15.

Quæstio 195. Quis institui debeat ex pluribus, sive simul sive successivè præsentatis inæqualiter, hoc est, non habentibus paria patronorum suffragia?

1. Respondeo: Præsentatus à pluribus, si habilis est, debet præferri aliis & institui, Lott. *l. 2. q. 11. n.* 132. Less. *l. 2. c. 34. n.* 33. Corrad. *l. 4. c. 6. num. 44.* cum communi juxta *c. Quoniam, de Jurepatronatûs*, proceditque id ipsum, etiamsi præsentatus à minore parte patronorum, haberet majores qualitates, seu esset magis habilis præ præsentato à majore parte, Lott. *ibidem.* citans Lamb. *l. 2. p. 3. q. 4. a. 1.* Garc. *p. 9. c. 2. n.* 257. Gutier. qq. can. *c. 11. n.* 20. & Rotam. *in Pampilon. Parochialis*, 26 *Julii*, 1626. Unde & præsentatus à majore parte patronorum solus debet subjici examini, Lott. *ibidem n.* 133. juxta eandem Rotæ decis. in qua declaratum, injustè processisse Ordinarium stante inæqualitate votorum, qui utrumque præsentatum jussit examinari.

2. Respondeo secondò in specie: Si duo sint patroni, clericus & laicus; utérque præsentavit Titium, laicus paulò post variat, addendo Cajum, Titius est instituendus; quia habet suffragium & à clerico & à laico patrono, Cajus à solo laico, Pirh. *ad tit. de jurepatronatûs, n. 100.* Castrop. *cit. p. 9. n. 6.* citans Abb. *in c. Cum autem, de jurepatronatûs, nu. 4.* Tiraq. *de primog. q. 17. opin. 21. n. 5.* Barb. *p. 3. de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 166. *&* 198. Procedit idipsum, etiamsi præsentatus à laico & Ecclesiastico sit minùs idoneus, quàm alter præsentatus à solo laico; quia non ex dignitate præsentati, sed ex præsentatione ipsa jus acquiritur: dignitas autem spectatur maximè, dum in præsentatione est æqualitas, Castrop. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Præsentatus tamen habilis à minore parte præferendus est, & instituendus præ præsentato inhabili à majore parte; eò quòd hujus præsentatio perinde habetur, ac si non fuisset facta, Corrad. *l. 4. c. 6. nu. 2.* citans *c. Dudum, de elect.* & *ibi.* Abb. *ult. notab.* & Roch. *h. t. v. Honorificum, q. 16. n. 34.* & Rot. decis. *in una Pampilon. beneficii, 13 Jan. 1591*, quam recitat Garc. *p. 9. c. 3. n. 88.*

Quæstio 196. Quid si præsentetur habens jam beneficium incompatibile cum eo, ad quod præsentatur?

Respondeo: Illum non posse institui à Superiore, (intellige, nisi prius dimiserit) sed debet illum Superior habens jus instituendi remittere ad Sedem Apostolicam pro utriusque beneficii retentione. Nec obstat, quòd jura loquantur hac in parte solùm de collatione, quæ debet esse libera sine conditione; cùm certum sit, idem esse in institutione, quæ in hoc pari passu ambulat cum collatione, Corrad. *l. 4. c. 6. n.* 28. citans Roch. & Rotam.

Quæstio 197. Quis instituendus, dum unus præsentatus est ab existente in quasi possessione præsentandi, alter autem à proprietario; unus à pupillo, alter à tutore; unus à marito, alter ab uxore?

Respondeo ad hoc responsum satis suprà, ubi actum, ad quem spectet jus præsentandi.

  

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De provisione & receptione beneficiorum per postulationem, electionem, confirmationem.

CAPUT PRIMUM.

De Postulatione.

PARAGRAPHUS I.

De postulationis natura, divisione, causa & effectu.

Quæstio 198. *Quid sit, seu qualiter definienda postulatio propriè ac strictè accepta, & prout ab electione & nominatione distinguitur?*

1. Respondeo: Est petitio Capituli seu collegii, quâ illud à Superiore petit, ut persona, quæ propter impedimentum canonicum ad prælaturam vel dignitatem eligi non poterat, ad eandem dispensativè ab eodem admittatur, Azor. *instit. mor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 2.* ex Abb. *in rubr. de postul. n. 1.* declarationem hujus definitionis dabunt sequentia.

Quæstio 199. *An, & in quo potissimùm differat postulatio ab electione?*

1. Respondeo primò: Inter postulationem & electionem prælatorum antiquitùs parva erat distinctio, *postulationis & electionis* vocabulis indifferenter usurpari solitis, ut ex *c. Litteras, d. 63.* advertunt gl. *in c. Unic. de postul. in 6. V. Elige postulatum.* Pass. *de elect. c. 24. num. 1.* Et adhuc quandoque postulatio amplè accepta cum electione confunditur, Azor. *loc. cit. q. 1.* de cætero, hodiedum valde distinguuntur, & ut Laym. *in c. Unic. de postul. in 6. n. 1.* inter se adversantur, & quodammodò opposita sunt; cùm importent substantialiter diversas formas providendi Ecclesiis viduatis, ut constat ex titulis de postulatione & elect. distinctis, introductáque sit postulatio in subsidium electionis, ut personæ, quæ propter inhabilitatem aliquam eligi non queunt, mediâ postulatione dispensativè promoveantur, Laym. *in præamb. ad tit. de postul.*

2. Respondeo secundò: Differentiam præcipuè in eo esse, quòd electio innitatur juri, postulatio gratiæ, Pass. Azor. Laym. *ll. cit.* cum gl. cit. in hoc sensu, quòd per postulationem quis præsentetur, ut ex gratia illum admittere velit & instituere; per electionem verò canonicam vocetur quis ad prælaturam, ita ut Superior electionem confirmare debeat, Laym. *loc. cit.* electio enim legitima acceptata ab electo confert ei jus ad prælaturam, ita ut sine injuria à Superiore, cujus est eum instituere aut confirmare, rejici nequeat, si de cæterò dignus sit, Pass. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. & in qq. canon. de elect. q. 1.* cum communi. Unde & competit ei actio, quæ est jus petendi id, quod ex justitia alicui debetur, Pirh. *ad tit. de postul. num. 2.* Econtra postulatio postulato ante admissionem jus nullum tribuit, cùm summo jure possit rejici, Pirh. Pass. Azor. *ll. cit.* Laym. *in c. Nihil, de elect. n. 8.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 9.* Card. de Luc. *de Regul. d. 13. n. 9.* Unde etiam solùm rogare potest, seu implorare officium judicis, ut ex gratia secundùm æquitatem canonicam ad prælaturam admittatur, dum legitimè postulatus fuit, Laym. *loc. ult. cit.* atque hinc electio à superiore confirmari, postulatio admitti solùm dicitur, *c. Scriptum, de elect.* Laym. *loc. cit.*

3. Porrò fundatur hæc differentia in eo, quòd electus nullum habeat impedimentum, ut sit Prælatus talis Ecclesiæ viduatæ; adeóque in ordine ad hoc non egeat dispensatione; postulatus verò hâc egeat, quia habet impedimentum. Quod ipsum, nempe electum à se non habere defectum seu impedimentum, profitentur eligentes; contrarium, nempe postulatum laborare defectu, profitentibus postulantibus, Laym. *ad c. unic. de postul. in 6. n. 1.* Unde etiam tam eligentes, quàm electus absolutè consentire possunt, ut electus sit sponsus Ecclesiæ, Pass. *loc. cit. n. 2.* dum è contra in hoc consentire non nisi sub conditione obtinendæ dispensationis possit postulatus; non secus, ac habens impedimentum contrahendi matrimonium dispensabile, absolutè celebrare nequit sponsalia, sed solùm sub conditione dispensationis, Laym. *loc. cit.*

4. De cætero electio & postulatio in jure æquiparantur tanquam tendentia ad unum finem, Laym. *in c. In causis, de elect. n. 5.* Item quòad jus suffragandi, & ideo, quod de uno statutum, etiam censetur de altero, Laym. *in c. Bona, de postul. c. 3.*

Quæstio 200. *Qualiter postulatio differat à nominatione?*

1. Respondeo: In hoc præcipuè, quòd postulatio, uti & electio fiat de uno tantùm, nominatio verò de pluribus; dum nimirum duo vel tres excellentiores, qui sunt in aliquo Capitulo, nominantur Papæ, vel etiam alteri collatori, quandóque etiam laico (licèt enim nominatio talis facta à laico per *c. Quod sicut, de elect.* reprobetur, potest tamen id ex speciali Papæ privilegio competere laico Principi: uti in regno Granatæ duo nominantur Regi, quorum unum eligit & admittit ad prælaturam, teste Covar. *in 4. decretal. p. 2. c. 3. §. 3.*) eique supplicatur, ut uni ex illis dignetur providere de prælatura vacante, quæ dicitur nominatio solennis; vel dum plures ante scrutinium proponuntur præ cæteris eligibiles vel postulabiles, quæ est nominatio non solennis; quâ tamen nominatione non obstante, capitulares eligere possunt alium, Abb. Horst. *in c. Bona, de postul.* Fagnan. *ibidem*, ubi & alias plures differentias assignat, quæ quia communes electioni, commodiùs de iis *cap. seq.*

Quæstio 201. *Quotuplex sit postulatio?*

1. Respondeo: Omissis aliis postulationis divisionibus minùs celebribus, putà, dum dividitur in eam, quæ fit seu fieri potest de jure; aliam quæ non fit, nisi ex privilegio concesso, Pass. *de electio. c. 24. n. 3.* Item in sumptam communiter, quæ non est nisi petitio gratiæ, & in sumptam juridicè, quæ est petitio juridicè porrecta alicui Prætori seu Superiori, quæ est divisio magis generica, Pass. *loc. cit.* his, inquam, omissis, celebrior est illa divisio postulationis, seu sub-

ſubdiviſio illa poſtulationis juridicæ in ſolennem, & non ſolennem, ſeu ſimplicem, Pith. *ad tit. de poſtulat. n. 3.* Engels *ibidem, n. 8. & 9.* Lott. *l. 3. q. 17. n.* 231. Paſſ. *n. 4.* Bald. *in rubric. de poſtul. n. 3.* Abb. *in c. 1. de poſtul. n.* 34. cum communi: Prior eſt, quam jam ante definivimus: Poſterior eſt, quâ quis non poſtulatur directè in prælatum, ſive quâ non petitur à Superiore, ut diſpenſando in aliquo ejus impedimento admittatur; ſed quâ petitur vel aliquid prævium electioni aut poſtulationi ſolenni, v.g. facultas eligendi vel poſtulandi à Superiore, ubi hæc antecedenter non habetur, vel petitur conſenſus illius, qui electionem vel poſtulationem impedire poteſt; eò quòd intereſſe aliquod vel jus habeat circa perſonam eligendam vel poſtulandam, Paſſ. Pith. *ll. cit.* ſive de cetero ſit laicus, ſive clericus, v.gr. à parente, ſine cujus licentia filius familias ſub patria poteſtate adhuc conſtitutus conſentire nequit in ſui electionem ad Epiſcopatum, Pith. *loc. cit.* Abb. *in c. 1. de poſtul. n. 34.* vel à prælato religioſo, ut is concedat ſubjectum ſibi monachum eligendum, *c. Si religioſus, de elect.* quia vi talis conceſſionis nulla intervenit diſpenſatio, cùm lex nulla relaxetur; ſed potiùs impletur lex prohibens, ne quis ſine venia prælati ſui, vel alterius habentis in ſe jus aſſumatur ad prælaturam, Pith. *loc. cit. n. 3.* Paſſ. *loc. cit. n. 4.*

2. Proinde diſtinguuntur hæ duæ poſtulationes in hoc, quòd per poſtulationem ſimplicem, ſeu non ſolennem poſtuletur ſolùm directè ſublatio impedimenti, quod obſtabat, ne quis liberè ſit, ſeu promoveatur Prælatus, quo ablato, adhuc nihil factum, niſi qui erat impeditus, eligatur, vel ſolenniter poſtuletur: in poſtulatione verò ſolenni directè poſtulatur in prælatum is, qui nominatur; & hinc ſufficit, ut poſtulatio admittatur, quâ admiſſâ, jam eo ipſo abſque omni alio eſt prælatus, Paſſ. *cit. n. 4.* Item in eo, quòd poſtulatio ſolennis fieri nequeat, niſi apud eum, qui admittendo poſtulationem, poſtulatum dare poteſt in Prælatum; poſtulatio vero ſimplex fiat ad quemcunque habentem intereſſe, & potentem impedire, ne poſtulatus liberè exerceat Prælaturam; ex hinc fieri etiam poſſit apud laicum, Paſſ. *ibid.* Item quòd neceſſe non ſit, ut poſtulatio non ſolennis fiat collegialiter, & cum aliqua forma ſolenni, ſed ſufficiat, ut fiat eo modo, quo tolli poteſt obſtaculum, quod tolli deſideratur; ſufficit autem fieri, vel à toto collegio, vel ab aliquo extraneo; poſtulatio verò ſolennis fieri non poſſit niſi ab electoribus collegialiter congregatis, ſervatis legibus canonicis & ſtatutis; ac denique in eo, quòd poſtulatio ſimplex fieri poſſit, quando magis opportunum videbitur, vel ante vel poſt electionem, vel poſtulationem; cùm non ſit proviſio, per quam providetur Eccleſiæ viduatæ, ſed ablatio impedimenti: poſtulatio verò ſolennis fieri debeat intra tempus datum ad eligendum, Paſſ. *loc. cit.* & de hac poſtulatione ſolenni deinceps.

Quæſtio 202. Quis ſit finis & cauſa motiva poſtulationis ſolennis?

1. Reſpondeo ad primum: Finis ei cum electione communis eſt proviſio Eccleſiæ viduatæ, Pith. *ad tit. de poſtul. n. 39.*

2. Reſpondeo ad ſecundum: Cauſa movens ad hunc modum providendi Eccleſiæ per poſtulationem, eſt neceſſitas, dum nimirum non adeſt eligibilis idoneus; in ſubſidium enim electionis inducta eſt poſtulatio: vel utilitas, dum nimirum, licèt inveniatur eligibilis idoneus, ſit tamen alius non eligibilis, qui ob morum vitæque integritatem, inſignem doctrinam, magnúmque rerum agendarum uſum, &c. præ aliis Eccleſiæ profuturus judicatur, Pith. *loc. cit.* ex Daniel Venatore *in Analyſ. juris pontif. l. 1. tr. 4.* atque ita poſtulatio perpetuò fit ex cauſa utilitatis Eccleſiæ, putà, pro ejus tutela & defenſione, Lott. *l. 3. q. 17. n. 234.* citans Abb. *in c. Bona, de poſtulatione, n. 12.*

Quæſtio 203. Quiſnam ſit effectus poſtulationis?

1. Reſpondeo: Poſtulationis ſimplicis effectus eſt, ut electus electionem acceptare, & jus ſibi acquirere poſſit; vel etiam, ſi antequam eligeretur, facta fuit hæc poſtulatio, poſtulatus jam poſſit eligi abſolutè, hoc eſt, abſque eo, quòd electio ampliùs imbibat iſtam conditionem, ſi Superior licentiam acceptandi dederit, utpote quæ jam purificata ſit, Sylv. *v. Poſtulatio, q. 6.*

2. Effectus poſtulationis ſolennis præcipuus eſt, quòd admiſſa à Superiore idem jus tribuat, quod electio confirmata, ita ut poſtulatus electione vel confirmatione nullâ aliâ egeat, uti inſuper adhuc ea vel poſtulatione ſolenni admiſſâ eget, qui ante electionem poſtulatus fuit poſtulatione non ſolenni, Abb. *in c. 1. tr. 4. n. 34.* Paſſ. *loc. cit. n. 6.* ubi: Poſtulatio admiſſa habet vim electionis & confirmationis, & poſtulato dat jus, nedum ad rem, ſed in re, ac ſi eſſet electus & confirmatus, pro quo citat Barboſ. *ad c. Poſtulationem de poſtul. n. 3.* Innoc. *in c. 1. de poſtul. n. 1.* Tabien. *v. Poſtulatio n. 5. &c.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 5.* Lott. *l. 3. q. 17. n. 231. & 233.* ubi: Dum agitur de ſolenni poſtulatione ad evitandos circuitus & diſpendia Eccleſiarum, Papa per ſolam ejus admiſſionem cenſetur plenum jus conferre poſtulato; ſapit enim talis admiſſio electionem & confirmationem. De cætero poſtulationem jus nullum, ne quidem ad prælaturam parere ante admiſſionem illius, jam ſatis dictum eſt ante citatis pluribus, ad quos accedit Lott. *l. 3. q. 17. n. 222.* cum gl. *in c. unic. de poſtul. in 6. v. vera poſtulatio.*

PARAGRAPHUS II.

De modo ſeu forma faciendæ & publicandæ poſtulationis, & de conſenſu poſtulati.

Quæſtio 204. An, & qualiter poſtulatio facienda dependeat ab electione?

Reſpondeo: Poſtulatio ſolennis nullatenus pendet ab electione; cùm, ut dictum, ſit modus diſtinctus providendi ab electione; unde etiam in libitu cujuſque collegii ſeu capituli habentis poteſtatem eligendi, hoc ipſo eſt, uti electione, vel hâc relictâ uti poſtulatione ad providendum Eccleſiæ ſuæ de prælato, Paſſ. *de elect. c. 24 n. 5.* quin & non niſi ex ſpeciali privilegio (quale ſuo Ordini competere teſtatur Paſſ.) poteſt Capitulum ſimul cum electione unius habere poſtulationem alterius perſonæ, utpote quod aliàs juri communi contrarium eſt, Paſſ. *loc. cit.*

Quæſtio 205. An forma eligendi per ſcrutinium præſcripta in c. Quia propter, de elect. *ſervanda quoque ſit in poſtulatione ſolenni?*

1. Reſpondeo negativè, Paſſ. *loc. cit. n. 9.* Pith. *ad tit. de poſtul. n.* 31. Laym. *in c. unic. h. t. in 6.* citantes Hoſt. *in Summ. de poſtul. n.* 10. Sylv. *v. poſtul. n. 2.* S. Anton. *p. 3. tit. 19. c. 3. §. 1.* Gemin. *in c. unic. h. t. in 6. n. 9. &c.* contra Abb. *in c. Quia propter, n. 9.* Innoc. *in c. In cauſis, de elect. n. 1.* Tabien. *v. Electio, n. 19. & v. Poſtulatio, num. 1. & 5.* item contra Laym. *in qq. can.* quorum ſententiam, etſi magis tutam, minùs tamen probabilem cenſent Laym. Pith. Paſſ. *ll. cit.* Ratio reſponſionis eſt, quòd in *cit. cap. Quia propter*, ſolius electionis fiat mentio, nec obſtet quòd jura antiqua interdum, ut dictum, promiſcuè utantur vocibus: *Electio, poſtulatio*; aut quòd in jure hæc duo æquiparentur, admiſſióque poſtulationis & confirmatio electionis eandem vim obtineant; dum enim etiam in jure quò ad plurima non æquiparentur, ſed maximè differunt, ut conſtat ex

dictis

dictis paulò suprà, necesse quoque non est, ut quò ad solennitates omnes juris pari modo se habeant, ubi jure id non exprimunt; quin &, cùm per electionem majus potentiúsque jus acquiratur electo, quàm per postulationem postulato, istáque hâc sit firmior, dum etiam eligentes resilire nequeunt ab electione, uti postulantes possunt à postulatione, antequam hæc præsentata est Superiori: ac denique illa juri, hæc innitatur gratiæ, mirum non est, quòd ad istam major, quàm ad hanc forma solennitatis requiratur, Laym. *in c. unic. h. t. n. 6. n. 5.*

2. Quòd verò apud regulares postulatio fieri nequeat per publica suffragia, est propter speciale decretum Trident. *sess. 25. c. 6. de regular.* volentis hac ratione consuli libertati dantium suffragium in omnibus provisionibus Superiorum; adeòque licèt Concilium meminit solo nomine *electionis*, comprehendat tamen illo & postulationem, juxta declarationem S. Congregat. dum interim spectata lege c. *Quia propter*, electio per compromissum, & per inspirationem non est necessariò secreta, Pass. *cit. n. 9.*

Quæstio 206. Quænam formæ postulandi sint jure prohibitæ, ita ut, si sub iis facta sit postulatio, ea ipso jure sit irrita?

Respondeo sequentes: *Eligo postulando*: vel: *Postulo eligendo*: *Eligo postulandum*: *Postulo eligendum*; cùm nec vera electio, nec vera postulatio iis verbis significetur, quin potiùs sibi invicem adversentur. Item: *Eligo in postulandum*: *Postulo in eligendum*; cùm rem imperfectam significent. Item: *Eligo & postulo, prout melius de jure valere potest*; cùm incertitudinem contineat, Lott. *l. 3. q. 17. n. 228.* juxta *c. unic. h. t. in 6.* ubi expressè memoratæ formæ, factæque sub iis postulationes & electiones declarantur in futurum irritæ, etsi eliàs eæ formæ ex natura rei irritæ non sint, neque etiam ante hanc constitutionem lege ullâ Ecclesiasticâ tanquam illegitimæ reprobatæ, quin potiùs opinione communi & praxi habitæ pro validis, ut colligitur ex eo, quòd *c. translationem, de renunc.* in principio dicetur: *Postulandum elegit*, gl. *in cit. c. unic. v. de cetero.* Pirh. *ad tit. de postul. n. 37.* Item ex eo, quòd valeat de facto hæc forma, dum patronus dicit: *Eligo Titium in præsentandum*; modò constet de voluntate patroni, quòd per hanc formam verborum præsentare velit, quia quæ jure canonico statuta sunt de electione & postulatione, extendi non debeant ad præsentationem, utpote modum præveniendi ad prælaturam omnino diversum, Pirh. *loc. cit.* Item ex eo, quod in aliis causis vel actibus (quod concernit ultimam formam memoratam) quæ inter se oppositionem aliquam habent, cumulari possint, adjectâ clausulâ: ut actus valeat omni meliore modo, quo valere de jure potest, v. gr. in ultimis voluntatibus apponendo hanc clausulam: ut si dispositio non valeet jure testamenti, valeat jure codicilli, *l. ult. c. de codicillo.* Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 207. An saltem fieri possit postulatio sub dicta forma: Eligo & postulo, prout melius de jure valere potest; *dum probabiliter dubitatur: An quis sit eligendus, an postulandus?*

1. Respondeo affirmativè, juxta *cit. c. unic.* & Laym. *ibidem, n. 3.* Pirh. *ad tit. de postulat. n. 37.* verùmque id est, non tantùm ubi dubium est facti, v. gr. quia nescitur, an affirmandus ed Episcopatum compleverit annum 30 ætatis: sed etiam, ubi dubium est juris, cùm *cit. c. unico*, dicatur: *Nisi quando probabiliter dubitatur*; quæ verba proindè restringenda non sunt ad dubium facti; cùm etiam probabile dubium super intellectu juris excuset, dum existunt contrariæ DD. opiniones, Pirh. *cit. num. 37.* ex Franc. *in c. illud unic.* Pass. *loc. cit.* quin &, ut idem, in dubio tali melius & securius est, dictâ formâ uti, quàm absolutè aliquem tantùm postulare.

2. Porro sic electus & postulatus necessariò determinare debet, num viam electionis, vel postulationis prosequi velit, & optione factâ, ad alteram redire non potest, *cit. c. unic.* & Laym. *ibidem, n. 3.* Expedit enim, ut consensus seu acceptatio non in rem incertam & dubiam, sed certam feratur; & quamvis actus in origine sue è principio iostitui possit cum incertitudine, debet tamen in executione & prosecutione, antequam perficiatur, certificari, Pirh. *loc. cit.* cum Franc. *loc. cit. n. 2.* de quo postremo vide plura infrà de confirmatione electionis, ubi an duplici electione electus prosequi possit utramque.

Quæstio 208. An, & quale esse debeat decretum postulationis scriptum, quod ad Superiorem, potentem admittere postulationem, transmittitur?

1. Respondeo primò præter ea, quæ necessaria sunt ad faciendam fidem, debet hoc decretum continere totum processum postulationis, & in specie omnes & singulos defectus postulati, ratione quorum is non erat eligibilis, & super quibus eget dispensatione, ne, si Superiore ignoraute talem aliquem prælati defectum, admittatur, edmissio sit nulla, Pass. *cit. c. 24. n. 23.* citans Abb. *in c. fin. de postul. n. 9.* & Gemin. *in c. Si fortè, de elect. in 6. n. 3.* Sed neque in libello hoc transmisso Papæ, uti nec in suffragiis dicere debent Electores: *Eligimus*, aut *eligimus*; sed *postulamus*. Laym. *in c. etsi unanimiter, de postul. n. 1.* dum enim postulandus eligitur, irrita censeri debet electio, Laym. *ibidem*. Lott. *l. 3. q. 17. n. 227.* Pirh. *ad tit. de postul. n. 34.*

2. Respondeo secundò: Dum postulatio facta in scrutinio electionis, debet e fieri postuletionem communem per unum, qui dicat omnium nomine: *Ego vice præsentium postulo N.* seu necesserium esse postulationis decretum per verbum singulare: *Ego postulo, &c.* affirmet ex Archid. Gemin. *in cit. c. unic. n. 9.* apud Pass *n. 11.* qui & ipse addit, quòd ubi servanda in postulatione formæ scrutinii *c. Quia propter*, sine dubio necesse esse, ut onus nomine collegii postulet; eò quòd hujusmodi communis electio aut postulatio sit de substantia talis modi seu formæ eligendi, & sic facere, esse tutius secundùm dicta paulò suprà: quòd si tamen dicta forma non servenir, non per hoc invalidem esse postuletionem; cùm sufficiat, quòd vota postulantium dirigantur ad Superiorem: nihilominus tamen etiam ubi fieret talis communis postulatio, non minùs posse postulentes à sua postulatione resilire quàm possent, si nullum decretum postulationis hujusmodi interponeretur, tradit *ibidem* Pass. Porrò dicta hæc de hoc decreto communis postulationis meliùs intelliges, ubi de decreto hoc electionis dicende legeris.

Quæstio 209. Quot requirantur suffragia postulantium, ut postulatio sit valida, & à Superiore admittenda?

1. Respondeo primò: Non requiri, ut postulatus omnium referat suffragia, seu ut omnes omnino capitulares in unum consentiant, Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 3.* cum communi, nam licèt ita fieri, nempe ut omnes nemine excepto concordent, necesse sit, ubi collegium seu capitulum gratiam alicui facit, non tamen ubi gratiam petit, ut contingit in postulatione, Azor. *loc. cit.* ad hæc concors adhuc est postulatio, etsi unus alterve discrepent postolando vel eligendo alium; quia quod à majore parte capituli fit, à toto capitulo concordi & consentiente factum censetur, Azor. *loc. cit.* juxta *c. 1. de iis, quæ fiunt à majore parte.* Et quod mejor pars Curiæ egerit, pro eo habetur, ec si omnes egerint, *l. quod major. ff. ad municipalem.* Illud tamen notandum ex Pass. *n. 63.* quòd quò postulatio facta in mejore concordia, eò faciliùs admittitur de stylo & consuetudine Curiæ Romanæ.

2. Respondeo secundò: dum postulatio non concurrit cum electione, sit tamen in discordia, eò quòd aliqui

aliqui istum, alii alium postulârunt, requiritur, & sufficit ad hoc, ut valida sit & admitti possit, quòd facta sit à majore parte capituli, Laym. *in c. Bona, de postul. n. 5.* Pirh. *ad tit. de postul. n.* 18. Azor. *loc. cit.* Barb. *juris Eccles. l. 1. c.* 19. *n.* 12. (qui tamen *n.* 14. minùs rectè dicit esse postulationem solennem, quæ sit servatâ formâ *c. Quia propter*, & postulaturis, in quem major & sanior pars consenserit) Pass. *de elect. c. 24. n. 9.* citans insuper Abb. *in c. Bona, 3. de postul. n.* 12. Sylv. *v. Postulatio, n.* 2. Lavor. *de elect. c.* 14. *n.* 7. Castell. *n. 2. n. 8.* contra Bald. *in rubric. de postul. n. 3.* apud Pass. Item contra Host. quatenus is apud Abbat. vult, inferiorem Papâ non posse admittere postulationem factam solummodò à majore parte capituli; siquidem ordinariè ad gesta Capituli sufficit, quòd major pars consentiat, *c. 1. de his quæ fiunt à maj. par. capituli.* Laym. Pirh. *ll. cit.* colligitur etiam *ex c. Bonæ*, ubi: Cùm dicatur, non solere admitti à Papa postulationem factam à minore quàm tertia parte, rectè arguitur à contrario, factam à majore parte Capituli admitti posse & solere, Pirh. *loc. cit.* cum Abbat. *loc. cit.* Neque bene arguitur ex *c. cum postulationem, h. t.* postulationem talem non nisi ex speciali gratia admittendam; cùm *in cit. cap.* idem dicatur de facta unanimiter postulatione, cui se solùm opponebant quidam alii, dicentes sibi quoque competere jus eligendi, negante hoc ipsum Capitulo: Aliunde itaque ista postulatio, etiam unanimis, non nisi ex speciali gratia admitti dicitur: quia nimirum aliàs priùs cognosci debuit de causa horum opponentium, & quia Papa non facilè annuit postulationi, etiam unanimi, ut Archi-Episcopus (qualis hîc postulabatur) suâ Ecclesiâ relictâ, ad aliam transeat, Laym. *ad cit. c. Postulationem*, de cætero, an, & qualiter quævis postulatio non nisi ex gratia, & una præ alia ex specialiori gratia admittatur, dicetur paulò post, ubi an Superior teneatur admittere postulationem legitimè factam. Porrò ex responsione nostra deducit Pass. *loc. cit. n.* 10. quòd, ubi postulatio fit secretè, debeat publicari scrutinium per aliquem, ut sciri possit an postulatus quis sit à majore parte; quin &, quòd semper fieri debeat collatio numeri ad numerum, & etiam respectivè meriti ad meritum, zeli ad zelum.

3. Respondeo tertiò: Ut postulatio in discordia concurrens cum electione, dum nimirum unus ab una parte Capituli postulatus, alter ab altera parte eligitur, sit valida, & prævaleat electioni, & hæc cassanda sit, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major numero eligentium, sive ut duæ partes Capituli in postulationem unius personæ aliàs idoneæ consentiant, Lott. *l. 3. q. 17. n.* 241. Barb. *loc. cit. n.* 18. Laym. & Pirh. *ll. cit.* Pass. *n. 55.* Sylv. *ubi antè, n. 7.* Bald. Abb. *ubi ante*, juxta expressum textum *c. Scriptum, de electione.* Tum quia plura plerumque requiruntur ad postulationem, utpote quæ via est providendi quasi extraordinaria, & innititur meræ gratiæ, quàm ad electionem, Pirh. *loc. cit.* tum quia duæ partes Capituli totum capitulum repræsentant, Laym. *loc. cit.* juxta *c. cùm nobis, de elect.* Pirh. *loc. cit.* & quod duæ partes faciunt, id totum facere videtur, cùm potentia universitatis veluti tota in duabus partibus resideat, *l. nullis ff. de quod cujusque Universitat. nomine, &c.* Pirh. *loc. cit.* Unde jam infero, &

4. Respondeo quartò: Ubi numerus postulantium non est duplo major numero eligentium; sed vel unicâ etiam unitate in hoc deficit, v. gr. postulantes sunt 31 eligentes sunt 16 electionem confirmandam, etiamsi sit à minore parte, asserit Pass. *loc. cit. n.* 56. argument. *c. scriptum*, eò quòd in casu contento in eo *cap.* qui elegerunt, erant ad summum 16, & qui postulârunt, erant 32, & nihilominus decernitur, quòd si postulantes non fuerint 32, confirmetur electio illa facta à 16 Electoribus, qui certè non erant major pars Capituli. Idem tenere videtur Lott. *loc. cit. nu.* 243. ubi ex Butrio *in cit. c. scriptum, n.* 40. ait: Sat esse pro electo dari aliquem excessum ultra tertiam partem suffragiorum, quam ineligibilis seu postulatus non attingit, citátque pro eodem Tholosan. *in comment. de elect. c. 2. num.* 13. Roman. *cons.* 483. *à n. 1. & per tot. part. 1. num. 4.* subjungit quoque Lott. *num.* 244. ex eodem Roman. *l. cit. num.* 2. & Baldo. *cons.* 318. *num. 1. l. 3.* hujus rationem, nempe quòd in isto casu lex ipsa transferat vota directa in personam ineligibilem, seu postulanium in personam eligibilem, & habilem, nempe electam à cæteris; quamvis *num.* 245. addat, quòd licèt nihilominus Papa, si velit, possit admittere postulationem illam celebratam à non duplo majore numero seu parte, id tamen nunquam faciat, ubi concurrit electio, juxta *cit. c. Scriptum*, pro quo citat Anchar. *in c. bona memoria, il. t. de postul.* & *ibidem.* Abb. *num.* 12. Tradunt nihilominus Laym. *in c. bona 3. de postul. num. 5.* & ex eo Pirh. *ad tit. de postul. nu.* 18. quòd si duæ partes Capituli in postulationem alicujus non consenserunt, sed major tantùm pars postulârit, & pars minor Capitularium elegerit alium, & tam hæc postulatio, quàm electio superiori præsentetur, is possit pro arbitrio, consideratis circumstantiis & qualitatibus personarum, vel postulationem admittere, vel electionem confirmare, vel utramque rejicere, adeò, ut ne electo quidem in hoc casu jus aliquod acquiratur ante consensum confirmaturis. Rationem quoque addunt, nempe quòd licèt aliàs regulariter potentia capitularis non possit residere in minore parte Capituli præsentis, si tamen postulantes, qui duas partes Capituli non faciunt, unà cum electione facta à minore parte aliorum Capitularium postulationem suam Superiori præsentent, eo ipso tacitè censeantur consentire, ut vel postulatio eorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; cùm sciant, quòd postulatio, quæ concorditer ab omnibus, vel saltem à duabus Capituli partibus facta non est, non admittatur, nisi ex speciali gratia, intellige, præ illa, cui aliàs, etiam postulatio facta à duabus partibus vel unanimiter, adhuc innititur. Ac denique hanc observationem adjicit Pirh. *in fine, cit. nu. 18.* quòd ut electio præferatur postulationi factæ à minore parte Capitularium, quàm duabus partibus, debere esse factam à majore parte, quàm sit tertia pars, juxta *c. Scriptum*, qualiter eo ipso erit facta, dum postulatio facta non est à duabus partibus, nisi fortè plures sint electi: Item quòd postulatio facta à minore, quàm est tertia pars, admittenda non sit, juxta *c. Bona, 3. h. t.*

Quæstio 210. Quid si postulatio facta à duabus partibus, sed quæ postulârunt indignum?

Respondeo: Tam postulationem quàm electionem cassandam, Pass. *num.* 57. electio quidem, quia non facta à majore parte (ubi enim electio non fit à majore parte, nunquam est confirmanda, Pass. *num. 63.* citans gl. *in c. Bona, 3. de postul. v. in tanta*) postulatio verò, quia est postulatio indigni: limitanda tamen responsio; nisi major pars illorum postulantium postulâsset scienter indignum; quia tunc confirmanda est electio facta de digno; quia postulantes scienter indignum perdiderunt jus suum, Pass. *cit. num.* 57. & sic electio digni erit adhuc à majore parte, qualis, ut Pass. *num.* 63. quotiescunque fuerit electio, semper est confirmanda.

Quæstio 211. An, & qualiter postulatio sit nulla, dum aliquis vocandus contemptus fuit?

Respondeo: Si postulatio peracta est, non vocato aliquo, qui existit in possessione eligendi, vel postulandi, rescindenda est postulatio ad petitionem istius contempti, non secùs ac contingit in electione; quippe electio & postulatio in jure æquiparantur quoad jus suffragii, & ideò, quod de uno statuitur, etiam statutum censetur de altero, Laym. *ad c. Bona, 4. h. t. num. 3.* Pirh. *h. l. num.* 23. juxta *cit. c. Bona.* juncta gl. *ibid. v. eis contemptis.* & Abb. *ibidem nu. 5.* idque sive contemptus ille interesse & vocari debuerit

sit jure speciali, v. gr. consuetudinis, Pirh. *loc. cit.* cum Abb. *l. cit. num. 6.*

Quæstio 212. An, & qualiter postulantes variare possint, seu resilire à postulatione jam facta?

1. Respondeo primò: Postulatione etiam unanimiter factâ & roboratâ jam subscriptionibus, missóque jam nuncio ad Superiorem, nondum tamen postulatione præsentatâ Superiori, variare possunt postulantes, & resilire, procedendo ad aliam postulationem, vel etiam electionem, Lott. *l. 3. q. 17. num. 222. & 223.* (ubi postulatio nullum jus postulato tribuit, nec illud quidem, ut ne postulantibus permissa sit variatio) Pirh. *ad tit. de postul, n. 20. & 22.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 4.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. § 6. num. 7.* Laym. *in c. bona, 4. de postul. num. 6. & in c. alicujus. de elect. num. 7.* Barbos. *ad c. publicato n. 3. de elect.* Pass. *de elect. c. 24. num. 16.* citantes Abb. *in c. bona, 3. num. 8. & in c. bona, 4. nu. 10. & 11. de postul.* Sylv. *v. postulatio. num. 8.* & alios quamplurim. juxta *cit. c. bona, 4. h. t.* jus enim, ut dictum, quæsitum non est postulato per postulationem; generalis autem regula est tradita ab Abb. *loc. ult. cit.* quòd variare sive consilium mutare liceat, si jus alteri nondum quæsitum est, Pass. Pirh. Lott. *ll. cit.*

2. Proceditque responsio, etiamsi postulatio, facta per scrutinium, illúdque jam publicatum sit; quin &, ut addit Pass. facta fuit communis postulatio, adeóque postulatio completa, Pirh. Laym. Pass. *ll. cit.* contra gl. *in c. Bona, 4. h. t. v. diffidere*, quia neque per hoc jus ullum acquisitum adhuc postulato, vel etiam Superiori. Aliud proinde hac in parte est de electione, per quam jus acquiritur electo; uti & ex eo, quòd actus electionis procedat secundùm jus commune ex debito officii, ac proinde dum is semel legitimè præstitus, sive dum suffragia legitimè data & publicata sunt, resilire dein non licet, juxta *c. Publicato, de elect.* actus verò postulationis tendat ad gratiam & dispensationem impetrandam contra juris communis tenorem; nemo autem gratiam & dispensationem petere cogatur; & reditus ad juris communis formam communiter sit permissus, Laym. *loc. cit.* Pirh. *n. 20.* cum Abb. *loc. ult. cit. num. 11.*

3. Item procedit, etiamsi Electores postulationem jam præsentâssent postulato, & is consensisset modo, quo potest; nulla enim hic intervenit donatio; nam neque ex primaria intentione postulantes donant postulationem (quæ etsi non det jus ad prælaturam, parat tamen viam, & dare videtur quasi posse proximum, dignum æstimatione, adeóque si donetur, & donatio acceptetur, ea sit irrevocabilis) postulato: neque postulatus & postulantes paciscuntur ad invicem, & hi se illi obligant, (unde postulatus, si consensisset, potest denuò non præsentatâ adhuc postulatione Superiori dissentire, & contrà) sed agunt postulantes requirentes hujus consensum (qui eatenus solùm requiritur, quatenus ad obtinendam gratiam necessarium est, ut postulatus postulationi non dissentiat) directè ad bonum Ecclesiæ, cujus proinde intuitu variare possunt ad bonum Ecclesiæ, Pass. *loc. cit. num. 17.* cui consentire videtur Engels *ad h. t. num. 4.*

4. Item procedere responsionem, etiamsi postulantes promiserint postulato se non recessuros, eò quòd re adhuc integrâ, postulatio debeat esse libera, ex Bald. *ad c. postulationem, de postul. num. 5.* tradit Pass. *num. 17.* unde etiam, si electores sub hac spe fecissent postulatum ordinari, & postea tamen elegissent alium, valituram illam electionem, quia adhuc per illam postulationem nullum jus quæsitum postulato, ibidem tradit Pass. juxta gl. *in c. Osius, §. sed aliud, d. 61.* cui favere ait Sylv. *v. Postulatio, num. 9.* & Abb. *in c. bona. 3. de postul. num. 16.* In quo tamen casu variantes tenebuntur tali ordinato providere de subsidio, unde honestè vivat, si promiserunt illi se non variaturos, & sub hac spe induxerunt eum, ut ordinaretur, & tamen variârunt, Pass. *num. 21.* citans *c. pastoralis, de jurep.* & gl *in c. Osius, d. 61.* quamvis addat Pass. unà cum electoribus illis variantibus teneri quoque Episcopum ad illi providendum, quippe qui illum ordinârit sine titulo; secùs verò esse, seu teneri ad hoc solum Episcopum, dum electores non fuerunt illius ordinationis causa, ubi nimirum ipse postulatus spe admissionis, postulationis fecit se ordinari, quippe sciens postulantes posse recedere à postulatione.

5. Limitanda nihilominus etiam responsio, ut in hoc casu necdum præsentatâ postulatione in foro conscientiæ sine justa causa recedere à postulatione nequeant Electores, (etsi id faciant validè) eò quòd quidquid fit sine rationabili causa, peccatum sit, & insuper facilè contingere possit, ut variatio talis facta sine causa justa sit in præjudicium honoris & reputationis postulati; in quo casu variantes tenentur postulato de injuria, quam ei inferunt, Pass. *loc. cit. nu. 19.* citans gl. *in c. bona, 3. de postul. v. in tanta.* Bald. *in c. publicato. de elect. num. 5.* præterquam, ut idem ex Barbos. *ad cit. c. publicato, num 4.* & juxta Rotam *decis. 33. num 18. de præb. in antiq.* puerile sit, hodie concedere, & cras pœnitere.

6. Respondeo secundò: Postquam tamen postulatio præsentata Superiori est, variare nequeunt postulantes, sed ea spectare debent judicium illius, Laym. *ad c. Bona, 4. de elect. num 6.* Lott. *l. 3. q. 17. num. 224.* ex Archid. Pass. *cit. c. 24. num. 18.* Barbos. *juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 13. & 14.* Pirh. *cit. n. 20. & 21.* juxta expressum textum *cit. c. bona, §. non obstat.* Idque tam ob reverentiam Superioris (prout constat eo, quòd Papa *cit. c. bona, dicat: Si possent recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & judicium nostrum ab eorum pendere arbitrio videretur*) quàm quia res tunc amplius integra non est, sed intravit jus Superioris ei jam quæsitum admittendi, si velit postulatum, Pass. *loc. cit.* possunt tamen & in hoc casu mutare, seu resilire Superiore illo consentiente; eò quòd tunc neque Superiori irrogetur irreverentia nec etiam injuria, uti nec postulato, utpote cui nullum adhuc quæsitum jus per præsentationem postulationis factam Superiori, Pass. *cit. nu. 18.* citans Abb. *in cit. c. Bona, num. 12. & 23.* Sylv. *v. postulatio, num 8.* Pirh. *l. cit. num. 22.* Argumento *cit. c. bona*, in quo præsentata erat Papæ postulatio, & tamen is dedit potestatem ab ea recedendi sub certa conditione, si diffiderent de jure suo.

Quæstio 213. Quid si postulatus fecit impensas aliquas de consensu postulantium, an tenebuntur postulantes eas refundere, dum à postulatione recedunt?

Respond. affirmativè, Pass. *cit. c. 24. num. 20.* cui consentit Engels *loc. cit.* contra Abb. *in c. bona, 3. num. 16. & c. bona 4. num. 13. de postul.* Sylv. *v. postulatio, num. 9.* hoc nixos fundamento, quòd, cùm postulatus nullum jus haberet ad postulationem, neque vi illius ad Prælaturam, ambitiosus fuit, si propterea expensas fecit: verùm contrariam rationem opponit Pass. nempe quòd postulatus neque notari debeat ambitionis, si procuret admitti postulationem; cùm ipse se hac ratione non intrudat in illo negotio, sed vocatus à Capitulo, adeóque etiam præsumptivè à DEO; neque etiam, etsi in hoc fuisset ambitiosus, per hoc amiserit jus ad pecuniam, quam expendit pro negotio, quod erat negotium etiam postulantium, de quorum consensu fecit expensas; quique variando fuerunt causa, quòd postulatus inutiliter expenderit, & sic variando intulerunt ei præjudicium expensarum; at non licet mutare in præjudicium alterius, juxta *reg. mutare, de reg. juris in 6.* adeóque tenentur ad restitutionem illarum expensarum.

* * * * *

Quæstio 214. An, & qualiter postulatio jam facta sit publicanda?

Respondeo: Necessaria est aliqua publicatio, per quam etiam populo innotescat postulatio, ut pro suo interesse agere possit apud Superiorem, & contra postulatum excipere, si judicetur non idoneus Ecclesiæ, Pass. *de elect. c.24. nu.12.* contra Sylv. quatenus is vult, postulationem debere publicari Capitulo, non tamen populo; quantumvis tolerari possit consuetudo, ut ea etiam coram populo solenniter debeat publicari.

Quæstio 215. An, & intra quod tempus postulantes teneantur præsentare postulato postulationem de eo factam, & hic explicare mentem suam circa illam?

Respondeo: Tenentur postulantes hanc præsentationem facere intra terminum juris, hoc est, præfixum aliàs ad præsentandam electionem electo, de quo *cap. sequente*. Et postulatus tenetur intra mensem suam explicare mentem, eo modo, quo potest, & ei licet, dicendo nimirum, saltem, quòd non dissentit, vel quòd dissentit, Pass. *de elect. c. 24. num. 12.* juxta *c. quàm sit, de elect. in 6.* & gl. *in c. cupientes, §. denique. v. consensum, de elect. in 6.* Cùm enim finis legis statutæ *in c. quam sit*, fuit, ne Ecclesiæ ob diuturnam vacantiam patiantur detrimentum, lex illa ad omnem vacantiam & modum providendi Ecclesiæ vacanti se extendit, adeóque etiam sub nomine *electionis*, quo nomine utitur dicta constitutio, venit etiam postulatio, quæ loco electionis succedit, & cadit sub eadem constitutione, Pass. *ibidem.*

Quæstio 216. An, & qualiter postulatus consensum suum postulationi suæ debeat, aut possit præstare?

1. Respondeo primò: Non tenetur consentire, Pass. *cit. num. 12.* juxta expressum textum *c. cupientes, §. denique, de elect. in 6.* ubi: *Nec suis postulationibus præstare consensum, &c. teneantur*; cùm enim per postulationem postulato non quæratur jus, non est, unde necessitetur ad consentiendum, ne jus amittat, cujus contrarium est in electione: Et cùm postulantes ipsi non consentiant in postulatum absolutè, cùm id facere nequeant, quia postulatus, utpote impeditus, sine dispensatione esse non potest sponsus Ecclesiæ illius; neque ex hoc est, cur postulatus præbere teneatur consensum suum absolutè, atque ita non tenetur consentire, Pass. *ibidem*, cum cit. Gl. & Gemin. *ibidem num. 2.* Tametsi autem postulatus intra mensem nec consentiendo, nec dissentiendo non incurrat pœnam latam *in c. Quàm sit, de elect.* quæ est privatio juris acquisiti in electione; cùm jus nullum ex postulatione acquirat; potest tamen superior ex hac ejus negligentia accipere motivum, ut neget gratiam, & postulationem non admittat; quia ex ea negligentia præsumitur dissentire, & amisisse etiam illud tale quale jus æquitatis, quia æquum & honestum est postulationem legitimè factam admittere, Pass. *l. c. n. 15.*

2. Respondeo secundò: Potest tamen, si vult, consentire, non quidem consensu absoluto; cùm non possit esse sponsus illius Ecclesiæ, ad quam postulatur, sine dispensatione (& de hoc consensu intelligendus est loqui Abb. dum *in c. fin. h. t. n. 11.* negat postulatum posse consentire: Item Lott. *l. 3. q. 17. nu. 229.* ubi ait: *Reciprocatio consensûs, quæ datur inter electum & Electores, non potest dari in actu postulationis, cùm postulato insit impedimentum, ne confestim valeat consentire; adeò ut intelligatur non habere liberum voluntum, præcipuè, ubi postulatur is, qui Ecclesiæ est alligatus*) sed sub conditione, seu quantùm in se est; cùm enim jam sit vocatus à Capitulo eum postulante, adeóque etiam præsumatur vocatus à DEO, hoc modo consentiendo, non erit ambitiosus, Pass. *num. 13.*

3. Respondeo tertiò: Potest etiam absolutè dissentire postulationi de se factæ, quidquid sit de eo, quòd quandóque in foro conscientiæ, propter speciales circumstantias hic & nunc teneatur non dissentire, vel etiam Papæ præcipienti, ut admittat postulationem, sicque Prælatus, assentiri, juxta D. Thom. *2. 2. q. 182. a. 2.* Pass. *num. 14.* Porrò intelligenda hæc ipsa etiam de Episcopo ad aliam Ecclesiam postulato; nec rectè dicitur de eo specialiter, quòd nec consentire, nec dissentire possit, Pass. *cit. num. 14.* & apud eum Archid. & Gemin.

PARAGRAPHUS III.

De iis, qui postulare & postulari possunt.

Quæstio 217. Quinam postulare possint?

1. Respondeo: Regula generalis est, ut omnes, qui eligere possunt, possint & postulare, Pirh. *ad tit. de postulat. nu. 17.* Pass. *de elect. c. 24. num. 7.* citans Host. *in sum. tit. de post. n. 9.* Sylv. *v. Postulatio. num. 4.* Barbos. *ad c. Bona, 4. de postul. n. 5.* Castell. *de elect. c. 2. num. 2. &c.* juxta *cit. c. Bona, & c. innotuit. de elect.* postulatio enim est accessoria ad electionem, tendens ad eundem finem cum electione, & in ejus supplementum inventa, Pirh. *loc. cit.* unde etiam conditiones necessariæ ad hoc, ut quis legitimè eligere possit; sunt quoque necessariæ ad hoc, ut legitimè postulare possit; & qui indignus ad eligendum, etiam indignus est ad postulandum, Pass. *loc. cit.* citans Bald.

2. Item compromissarius datus ad eligendum, intelligitur etiam datus ad postulandum, Pass. *loc. cit.* citans gl. *in c. in causis, v. Postulatio, de elect.* ex Bald. *ibid. num. 5.* Tametsi autem procurator datus ad eligendum possit quoque postulare; non tamen procurator datus ad prosequendam electionem potest prosequi postulationem; quia datus est ad petendam & urgendam justitiam, non verò gratiam, & nequit procurator extendere mandatum suum ad diversum genus causæ, Pass. *loc. cit.*

3. Proinde etiam regulariter jus eligendi sine jure postulandi & iisdem modis, quibus obtinetur jus eligendi, obtinetur & jus postulandi, Pirh. *loc. cit.* & sic præscribens jus eligendi, præscribit etiam jus postulandi, Pirh. Pass. *ll. cit.* citans Abb. *in c. Bona, 4. de postul. num. 4.* Et is, qui per plures actus eligendi adeptus directè possessionem juris eligendi, indirectè seu ex consequente & ratione alterius, nempe juris eligendi, obtinuit quoque possessionem juris postulandi, & si actum nullum postulandi exercerit; eò quòd hunc exercendi non fuerit occasio, Pirh. *cit. num. 17.* quamvis secus esset, si talis, v. gr. qui non est de Capitulo, admissus ad actus eligendi, non ex mera gratia, sed tanquam cui jus competeret, tunc, quando erat occasio postulandi, à postulatione exclusus fuisset: Quare etiam per accidens dari in eo jus eligendi sine jure postulandi, tradit *loc. cit.* Pirh.

4. Porrò præscribitur jus postulandi non secus ac jus eligendi, nimirum tempore ordinario, scilicet 40 annorum cum titulo, saltem colorato, sive si præscribatur contra Capitulum ab extraneo, qui non est de Capitulo (siquidem hujus juris possessio non acquiritur, nisi cum patientia, & scientia Capitularium, quæ est loco tituli) & bonâ fide, nimirum, dum dictus extraneus credit ratione, v. gr. dignitatis, quam habet, competere sibi hoc jus, Laym. *in cit. c. Bona, 4. num. 2.* citans seipsum *Theol. moral. l. 3. tr. 1. c. 9. num. 5. & 6.* & Abb. *in cit. c. Bona, nu. 20.* Pirh. *loc. cit.* tametsi fortè, qui præscribit, uni tantùm electioni tanquam jus habens interfuerit, qui electus prælatus 40 annis Ecclesiam rexit, Laym. *l. cit.* citans gl. *in c. 3. de caus. poss. & propriet. v. in trium*; De cetero sine titulo non præscribi, nisi tempore immemoriali, juxta *c. 1. de præscript. in 6.*

eò

eò quòd in illo casu jus commune resistat, & est præsumptio contra talem extraneum possidentem, tradit Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 218. In genere, quinam postulari possint, vel non possint?

1. Respondeo primò: Generatim loquendo, ii solùm postulari possunt, qui ob impedimentum canonicum (intellige juxta mox dicenda dispensabile) eligi non possunt; siquidem ob carentiam talis impedimenti hoc ipso postulari non debent, nec possunt; cùm postulatio in subsidium electionis introducta sit, frustra autem petatur, ut ex gratia & per dispensationem admittatur ad prælaturam, qui sine illa ad eam promoveri potest, Pirh. *ad tit. de postul. num. 4.* Pass. *de elect. c. 24. n. 24.* citans gl. *in c. unic. de postul. in 6. v. Eligo.* Bald. *in rubric. de postul. num. 3.* Tabien. *v. Postulatio, num. 1.* Abb. *in cit. c. fin. num. 10.* Sicut è contra postulabilis eo ipso eligi non potest; cùm patiatur impedimentum reddens eum sine dispensatione impromovibilem, Pass. *ibid.* & citati ab eo AA. Estque proinde postulatio eligibilis, hoc ipso invalida, juxta Abb. *loc. cit.* eò quòd Electores teneantur providere Ecclesiæ omni meliore modo, quo possunt, adeóque personam eligibilem eligere, quamvis id neget Bald. *loc. cit. num. 4.* eò quòd in hoc casu non sint attendenda verba (dum magis realitatem actûs, quàm vocabuli inspicimus, *l. Pater, §. Conditionum verba, ff. de condit. & demonstrat.*) sed qualitas personæ, adeóque dum eligibilis solenniter postulatur, servatâ tamen formâ *cap. Quia propter*, hæc postulatio reipsa habenda sit pro electione; quod tamen ipsum sic censere, seu judicare arbitrarium esse Judici, credit Pass. *cit. num. 24.*

2. Quòd si tamen rationabile est dubium, num persona sit eligibilis, vel necesse habeat postulari, posse eam postulari validè, & esse hanc viam securiorem, tradit Pass. *loc. cit. num. 25.* cum gl. *in c. fin. de postul.* & gl. *in c. unic. eod. v. probabiliter.* Idque procedere ait, non solùm, dum dubium est facti, v.g. dubitatur de ætate promovendi; sed etiam dum dubium est juris, saltem si ortum habeat ex ignorantia (quamvis & ignorantia juris sæpè excuset, maximè mulieres) sed ex obscuritate juris vel contrarietate opinionum DD. contrarium tenente, gl. *in cit. c. unic.* eò quòd ignorantia juris non excuset eligentes, nec sit probabilis; tum etiam, quia in eo casu Electores consulere debebant peritiores. Porrò quâ formulâ in hoc casu dubii uti debeant Electores, & qualiter tunc electus & cumulativè postulatus tempore consensûs dandi debeat eligere, aut viam electionis, aut postulationis, dictum est suprà, vide de hoc Pass. *num. 26.*

3. Respondeo secundò: Non tamen omnis ineligibilis est postulabilis, sed solùm is, qui ob impedimentum canonicum, in quo potest, & solet dispensari, ineligibilis est: inutilis enim aliàs & illicita est postulatio, si impedimentum, ob quod eligi nequit, est indispensabile, Pass. *loc. cit. num. 27. & 28.* Pirh. *loc. cit. num. 5.* Laym. *in præamb. ad tit. de postul. coroll. 2.* Impedimentum autem, in quo dispensari potest, ac solet in ordine ad obtinendam prælaturam, in genere hic illud est, quod non impedit, quò minùs postulatus adhuc cum utilitate, honestate, & ædificatione præfici, & prælati munus obire possit: Econtra impedimentum indispensabile est, quod impedit, quò minùs honestè aut utiliter geri & exerceri possit munus, ad quod quis promovetur, Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. c. fin. n. 8.* Prioris generis sunt defectus natalium, defectus ætatis legitimæ, Ordinis, ut dum postulatur laicus, vel dum non nisi constitutus in minoribus postulatur ad Episcopatum, vinculum contractum cum alio Episcopatu, Laym. *loc. cit.* Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 19. num. 9.* Pirh. *cit. num. 5.* Pass. *num. 31.* superaddens & alia, nempe dum postulatus est criminosus pœnitens, dum fuit hæreticus, intrusus per sæcularem potentiam, irregularis irregularitate simili, ac est illegitimitas, seu dispensabili. Plura hujus generis impedimenta recensentur à Jo. Andr. *in cit. c. fin. à n. 4.* ad quem remittit Pirh. Item ab Abb. *ibid. n. 3.* Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 9.* Lavor. *tit. 4. de elect. c. 14. nu. 5.* Castell. *de elect. c. 7. num. 5.* Sylv. *v. Postulatio, nu. 3.* & aliis, ad quos remittit Pass. Posterioris generis sunt defectus usus rationis, carentia omnis literaturæ, infamia morum, notoria criminositas, Impœnitens & contumax, hæresis, excommunicatio, &c. quæ vel obstante jure naturæ & Divino, aut ex natura prælaturæ sunt indispensabilia, Pass. *cit. num. 28.* uti & bigamia, illegitimitas ex damnato concubitu, ut dum promovendus est spurius; in quibus etsi absolutè possit, non tamen solet dispensari, Pirh. Laym. *ll. cit.* juxta *cap. Cùm nisi, de renunc.* Item tale impedimentum, in quo dispensari non solet, habet respectu Episcopatûs, qui annum 27 ætatis necdum attigit, juxta *Extrav. unic. inter commun. de postul.* Item religiosus ex Ordine mendicantium respectu Ecclesiæ inferioris Cathedrali, juxta *cit. Extrav.* Laym. *loc. cit.* huc etiam spectant, qui interdictum loci scienter, aut temerè violârunt, qui nec eligi, nec postulari possunt, ut constat ex *c. 1. h. t.* Pirh. *num. 6.*

4. Quòd si tamen ob tale impedimentum, in quo dispensari quidem absolutè potest, sed non solet, ineligibilis postulaterur, postulationem non fore ipso jure nullam, nec postulantes proptereà incursuros pœnam statutam aliàs postulantibus indignum, eò quòd talis postulatus indignus, absolutè adhuc ex gratia reddi possit dignus, tradit Pass. *loc. cit. num. 30.* Item Engels *ad hunc tit. n. 10.* ubi, si indignitas sit quidem dispensabilis, attamen non soleat dispensari (quod ex stylo Curiæ desumendum) tunc postulatio non est ipso jure nulla; sed per sententiam annullanda; neque pœna privationis ipso jure incurritur, licèt, ut addit Engels, vi *Extrav. ad regimen. de prab. inter commun.* & *concordat. German. §. 2.* dignitates illæ, in quibus postulationes hæ tanquam factæ minùs canonicè reserventur Sedi Apostolicæ: Contrarium tamen expressè censet quoad postremum, Laym. *loc. cit.* ubi ait: *Sub censura suspensionis à jure eligendi, & postulandi pro una vice, & à beneficiis ejus Ecclesiæ per triennium prohibitum legimus in Extrav. unic. inter commun. h. t. ne ad Ecclesiam Cathedralem postuletur, qui 27 ætatis annum non attigit; neque Religiosus ex Ordine mendicantium ad Ecclesiam inferiorem Cathedrali, &c. qui sunt defectus, in quibus non solet dispensari.*

Quæstio 219. Quænam igitur sint pœnæ postulantium scienter indignum ob impedimentum, seu defectum absolutè indispensabilem?

1. Respondeo: Illos pro ea vice ipso jure, seu facto privatos esse jure seu potestate postulandi & eligendi, Argumento *c. 1. & 2. h. t.* & *c. Scriptum, de elect.* Barbos. *juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 7.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 6.* Laym. *in c. ad hæc, h. t. num. 5.* Pirh. *ad h. t. num. 7. & 17.* Pass. *de elect. c. 24. nu. 17.* cum gl. *in c. 1. h. t. v. privare.* Abb. *ibidem, num. 31.* hæc enim pœna statuta est eligentibus scienter indignum in *c. Cùm in cunctis, de elect.* quam dein pœnam expressè quoque pro postulantibus scienter indignum statuit Innoc. III. *c. 1. h. t.* non tam condendo per hoc jus novum, quàm antiquum illud interpretando. Tametsi enim alias regulariter pœnæ tanquam odiosæ non sunt extendendæ; quia tamen electio & postulatio in jure æquiparantur, utpote tendentia ad eundem finem providendi Ecclesiæ vacanti, ideo, quod (etiamsi sit in materia pœnali) statutum de uno, censetur quoque statutum de altero in eo, in quo sunt æquiparatæ, Laym. Pirh. *ll. cit.* citantes gl. *in c. si postquam, de elect. in 6. v. provisione.* Navar. *in c. Pœna, num. 12. & 14. dist. 1. de pœnit.* Neque in contrarium facit, quòd tametsi sponsalia & matrimonium tendant ad eundem finem, ideóque prohi-

bito vel irrito matrimonio inter certas personas sint quoque hoc ipso prohibita vel irrita sponsalia; non tamen pœna statuta contrahentibus matrimonium prohibitum extendatur ad contrahentes sponsalia prohibita; nam electio & postulatio in jure æquiparantur, etiam quoad pœnas, idque jure expressum est, non item matrimonium & sponsalia, Pirh. *loc. cit.*

2. Porrò hæc pœna privationis seu suspensionis pro una vice à jure eligendi & postulandi probabilius quoque locum habet in eligentibus (idem est de postulantibus) indignum ad prælaturas & dignitates Episcopatu inferiores, Laym. *in c. Cùm in cunctis, de elect. num.* 3. citans gl. *in c. Dudum, de elect. v. in Ordinibus.* & Abb. *ibid. nu.* 11. contra Jo. And. additque Laym. *nu.* 4. id saltem certum esse, quòd, si Capitulum, v. g. Collegiatæ sæcularis aut regularis Ecclesiæ indignum eligant prælatum, Episcopus pro ea vice privare possit Electores, & ipsemet jure devolutionis facere provisionem, ut constare ait ex *cit. c. Dudum*, & *c. Quanquam, de elect.* Rationem quoque addit Laym. quia nimirum spectatâ rei naturâ omnibus Electoribus (idem est de postulatoribus) personæ indignæ ad Prælaturam congruit, & debita sit ista pœna; tum, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt; tum quia, saltem pro ea vice ob præsentem affectionem, & animorum dispositionem non satis dispositi censentur ad bonam & Ecclesiæ utilem electionem faciendam.

3. Respondeo secundò: Illos insuper suspensos esse à beneficiis, quæ in ea Ecclesia, pro qua, seu in qua fit postulatio, per triennium, *Extrav. unic. h. t. inter commun.* Laym. *in praamb. ad h. t. coroll.* 2. & *in c. cùm in cunctis, de elect.* §. *Clerici sanc. n.* 1. ubi etiam *num.* 2. subjungit, hanc pœnam suspensionis à beneficiis incurri solùm ab iis, qui indignum eligunt (vel postulant) ad Ecclesiam Cathedralem; non verò ab iis, qui indignum eligunt, non ad Cathedralem, sed inferiorem Ecclesiam seu prælaturam, juxta *c. Si compromissarius, de elect. in* 6.

4. Proceditque utraque hæc pœna seu responsio, & quidem à potiore, etiam in iis, quibus potestas eligendi vel postulandi ex privilegio concessa fuit, vel etiam amissa (v. gr. ob electionem vel postulationem factam de indigno) restituta, si postulent, vel eligant denuò indignum; cùm qui concesso sibi privilegio abutitur, mereatur illud amittere, illóque privari, vel omnino, vel ex parte, juxta *cap. ubi* 7, *d.* 74. & *c. Cum illorum, de sent. Excomm.* Et privilegium, per quod restituitur, seu recuperatur jus commune amissum, non plus tribuat, quàm amissum sit, adeóque, si ii, quibus de jure communi competit eligere & postulare, dictam pœnam incurrant, dum indignum postulant, multò magis dum id faciunt illi, quibus illa facultas ex privilegio concessa, vel restituta, Pirh. *num.* 28. Laym. *in c.* 2. *h. t. n.* 1. cum Abb. *ibid. num.* 2. in quo *c.* 2. manifestum hujus rei est exemplum. Et licèt aliàs regulariter abutens privilegio sibi concesso non ipso facto eodem privatus existat, sed per sententiam eo privari possit, ac debeat, Argumento *citati cap. ubi*, & ut cum communi tradit Suar. *l.* 8. *de leg. c.* 36. *n.* 8. id tamen speciale privilegio, per quod acquisita, vel recuperata facultas aliàs jure communi concessa, ut ipsius abusui ex jure communi ipso facto annexa sit privatio illius, Pirh. Laym. *ll. cit.*

Quæstio 220. *An, dum Capitularium aliqui ob dictam causam ipso facto privati sunt potestate eligendi & postulandi, tota hæc potestas ad alios, qui indignæ tali postulationi non consenserunt, sed expressè contradixerunt, (si enim tacuerunt, & non contradixerunt, sicut debuerunt, & potuerunt) non habentur pro innocentibus,* Abb. in c. 2. h. t. *licèt numero sint pauciores, devolvatur?*

Respondeo affirmativè, *cit. c.* 2. habetur etiam *in c. Bona*, & *c. Cùm Vintoniensis, de elect.* quòd exclusis delinquentibus potestas tota residcat in aliis, qui non peccaverunt, Pirh. *loc. cit. num.* 29. Verumque id etiam est, etiamsi tantùm unus è Capitularibus innocens supersit, aliis omnibus privatis, ut is solùm prælatum eligere vel postulare possit, Gl. communiter recepta *in cit. c.* 2. *v. pauciores*, apud Pirh. *loc. cit.* jus namque & nomen Universitatis stat, & conservatur etiam in uno, *l. Sicut, ff. quod cujusque universit. nomine*, &c. Et licèt unus non faciat Capitulum, jura tamen Capituli in uno solo residere & remanere possunt, Gl. *in c.* 1. *de elect. v. duo.* Abb. *in c. gratum, h. t.* cum communi, potéstque unus solus, in quo hoc modo habitualiter seu virtute manet Collegium, exercere actus competentes Collegio, ut est eligere, postulare Prælatum; non tamen seipsum eligere vel postulare; quia hoc ipso ob vitium ambitionis censetur indignus, Abb. Pirh. *loc. cit.* his non obstante *l. si grege, ff. de legat.* ubi dicitur gregem desinere, uno tantùm animali ex grege remanente, nam in tali universitate pecorum non dantur jura vel bona, nec adest in ea subjectum rationale, in quo conservetur jus universitatis talis. Quòd verò aliàs ob delictum majoris partis alicujus communitatis tota communitas, adeóque & ipsi innocentes puniri possint ac soleant; id solùm verum est, si crimen atrox à majore parte Collegii collegialiter convenientе ad deliberandum & decernendum de crimine commissum, pœnáque statuta crimini est talis, ut in singulos cadere nequeat, v. gr. extinctio Collegii; vel etiam, licèt pœna sit talis, ut in singulos cadere possit, v. gr. spoliatio bonorum; communitas tamen delinquens tam sit magna, ut ægrè discerni possint innocentes à nocentibus; quia jam innocentes sunt veluti pars nocentium moraliter inseparabilis ab aliis, Pirh. *num.* 30. Argumento *c. Gratum h. t.* Vide de his plura *cap. seq.* ubi de eligentibus indignum. Nunc in specie de aliquibus, de quibus dubium esse poterat, num patiantur talem defectum, ob quem eligi nequeant, sed necessè habeant postulari. De aliis verò impedimentis tam impedientibus electionem, quàm postulationem, vide *partem* 1. ubi de conditionibus & qualitatibus requisitis in promovendo ad beneficia Ecclesiastica.

Quæstio 221. *An Episcopi, Archi-Episcopi, Patriarchæ eligi nequeant, sed necessariò postulari debeant ad aliam Ecclesiam?*

1. Respondeo affirmativè, estque electio talis omninò irrita, Laym. *in cap. ult. h. t. num.* 1. Pirh. *ad tit. de postul. num.* 9. Pass. *de elect. c.* 24. *num.* 33. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 11. cum communi, juxta *c. ult. h. t.* sunt enim Episcopi (idem est de aliis prælatis Episcopo superioribus) jam spirituali matrimonio copulati Ecclesiæ, ad quam primò assumpti sunt, *c. Inter corporalia, de translation. c. Sicut vir*, 7. *q.* 2. adeóque, sicut conjuges consentire nequeunt in aliud matrimonium, ita nec Episcopus desponsatus jam uni Ecclesiæ desponsari alteri, & in aliam consentire, uti fit per electionem, priusquam auctoritate Papæ priori vinculo sit liberatus, AA. iidem. Postulari tamen potest Episcopus ad aliam Ecclesiam; cùm nec postulantes in postulatum tanquam in sponsum consentiant, ut faciunt eligentes, nec postulatus in Ecclesiam posteriorem tanquam sponsus priùs consentit, eique desponsetur, quàm à prioris Ecclesiæ vinculo sit liberatus; quod ut fiat, per postulationem petitur ab eo Superiore, qui à DEO hanc potestatem dissolvendi hoc spirituale conjugium accepit, Laym. Pirh. *ll. cit.* cum Abb. *in cit. c. ult. h. t. n.* 5. Quin & Episcopus consecratus, si postulatus sit ad aliam Ecclesiam cathedralem, ita exigente utilitate vel necessitate Ecclesiæ, etiam invitus cogi potest à Papa ad illam acceptandam, juxta *c.* 35. 7. *q.* 1. Secus est de Episcopo non

con-

consecrato, Pith. *n.* 10. quamvis hodiedum unà cum postulatione alia dispensatio à Sede Apostolica impetrari soleat, nempe ut priorem Episcopatum retineat, & sic indissoluto priore vinculo novam insuper sponsam cum priore, seu plures Episcopatus retineat, & in digniore, seu ampliore resideat, Laym. *loc. cit.* Pith. *n.* 10.

2. Extenditur autem responsio ad Episcopum confirmatum, etsi nondum consecratum; per confirmationem enim perficitur matrimonium illud Episcopi cum Ecclesia, licèt non intelligatur veluti consummatum, nisi per consecrationem, Pass. Pith. Laym. *ll. cit.* cum Abb. *loc. cit.* Extendenda etiam censetur ad Episcopos, & quidem à potiore, utpote consecratos, qui Suffraganei seu Nullatenses dicuntur, quippe qui & ipsi non minus copulati sint sponsæ seu Ecclesiæ, & si ea sub potestate infidelium consistat.

3. Limitanda è contra Responsio, ut non intelligatur de Episcopo electo nondum confirmato; quia talis necdum simpliciter est sponsus, sed solùm per electionem ab eo acceptatam inchoatum veluti est matrimonium inter illum & Ecclesiam, *c. Cùm inter, de elect.* & gl. *in c. unic. h. t. in 6. v. verabilectio.* Ac proinde sine licentia Papæ ante confirmationem adhuc renunciare potest electioni acceptatæ, *c. Si electio, de elect. in 6.* Laym. *l. c. n.* 2. Pass. *loc. cit. n.* 36. Pith. *cit. n.* 10. Item ut non intelligatur de Episcopo etiam consecrato, qui jam renunciavit Episcopatui; cùm per renunciationem talem admissam solutum jam sit vinculum cum priore Ecclesia; adeòque jam eligi denuo possit in Episcopum alterius Ecclesiæ, Pith. Laym. *ll. cit.* Pass. *n.* 35. citans Abb. *ubi ante,* Barb. *de elect. p.* 2. *c.* 34. *n.* 4.

Quæstio 222. *Quid hac in re dicendum de Cardinalibus non Episcopis?*

1. Respondeo: Ex hoc præcisè, quòd quis Cardinalis sit, non debet, nec potest postulari solenniter ad Episcopatum, sed est eligibilis, Laym. *in c. Bonæ, 3. de postul. n.* 4. Pith. *ad tit. de postul. n.* 11. Pass. *n.* 37. citans Barb. *de elect. p.* 2. *c.* 31. *n.* 4. & 5. juxta *c. Ecclesia vestra, de elect.* & *ibi.* Abb. & Joan. And. contra Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 15. Secutos Ant. de Butrio *in cit. c. Ecclesia vestra, n.* 16. & Imol. *ibid. n.* 4. Host. Sylv. &c. cùm enim nullibi jus Canonicum prohibeat Cardinalem assumi ad Episcopatum, sed solùm vetet, ne Cardinalis Episcopatum acceptet, & ne Ecclesiam Romanam, cui adstrictus est quòad residendum penes illam, deserat sine licentia Papæ, intervenire quidem necesse est postulationem simplicem (quod voluit Laym. *loc. cit.* inquiens: Dicendum, quòd electio Cardinalis in Episcopum quodammodò sit postulatio, quia electionem acceptare nequit sine consensu Papæ) non verò solennem; cùm Papa concedendo istam licentiam, jam non magis dispenset, quàm dum Abbas monacho dat licentiam, ut consentire possit electioni suæ in Episcopum, Pith. *loc. cit.* Laym. *l. c. n.* 4.

2. Nec obstat *cit. c. Bonæ,* ubi dicitur: *Quidam vestrum S. Praxedis Cardinalem, quidam Imolensem postulaverunt;* nam vel intelligendus hic textus de postulatione impropriè tali seu simplici, ut Abb. *in cit. c.* Pith. *loc. cit..* vel dicendum *To postulaverunt,* respicere solùm Imolensem, utpote Episcopum, qui proinde non poterat non postulari solenniter, Pass. *cit. n.* 37. Neque etiam obstat; quòd Cardinales sint majores Episcopis, habeántque in Ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi Episcopalem; nam licèt majores sint Episcopis ratione officii, utpote constituentes unum corpus cum Papa, & coadjutores ejus in executione sacerdotalis officii, *c. Per venerabilem, qui filii sint legitimi.* Sunt tamen inferiores illis ratione Ordinis, Pith. *citato num.* 11. cum Abb. *in cit. cap. Ecclesia, num.* 15. quamvis nec hoc verum, quòd eligendus necessariò promoveri debeat ad dignitatem majorem, quamvis conveniens sit, ut fic fiat, Pith. *loc. cit.* nec denique obstat, quòd obstrictus sit Ecclesiæ Romanæ, aut etiam Ecclesiæ sui tituli; hoc enim, ut dictum, solùm arguit intervenire debere in ejus promotione ad Episcopatum postulationem simplicem, sed neque adhuc per hoc, ut Pass. Ecclesiæ alicujus propriè sponsus sit.

3. Occasione cujus & illud hic notandum, quòd licèt Cardinalatus & Episcopatus sint incompatibiles in eadem persona, nisi Papa dispenset, Pith. *loc. cit. n.* 12. citans Cajetan. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. juxta *c. Bonæ, 3. h. t.* & Abb. *ibi n.* 6. idque propter incompossibilem residentiam in propria Ecclesia cathedrali, & simul in Urbe Romana, ubi necesse habet residere cardinalis, ut Papæ assistat, eúmque consiliis adjuvet, unde etiam ex usu & stylo Curiæ Cardinali, qui in urbe residere debet, Papa non consueverit Episcopatum conferre in titulum, sed in commendam, ut ex ejus fructibus decentius sustentetur, ut Fagn. *in cit. c. Bonæ, n.* 23. nisi fortè Episcopatus sit ex illis sex Urbi vicinis; adeòque jam dum Cardinalis assumitur ad Episcopatum, hoc ipso vacare deberet, & amitti Cardinalatus, sicut & alia beneficia incompatibilia, usu tamen & in praxi contrarium observari soleat, ut Cardinalatus simul cum Episcopatu retineatur, nisi Papa aliter disponat; cùm non deceat aliquem per electionem à majore dignitate ad minorem devolvi, Pith. *cit. n.* 12. Laym. *ad cit. c. Bonæ, n.* 4.

Quæstio 223. *Quid dicendum de aliis Prælatis tam regularibus quàm sæcularibus Episcopo inferioribus, puta, Abbatibus, Archidiaconis, Præpositis, Prioribus, dum ad alterius Ecclesiæ dignitatem similem vel majorem sunt assumendi?*

Respondeo: Postulari non posse postulatione solenni, sed eligi debere, licèt eorum aliqui ad hoc egeant licentiâ superioris (quin & Abbas immediatè subjectus Papæ ad aliam Ecclesiam transire nequeat sine licentia Papæ aut Legati à latere, ut Pass. *num.* 39. citans Bald. *in c. fin. h. t. num.* 2. & alios plures, Laym. *in cit. c. Bonæ, n.* 4. juxta *c. Si Abbate, de elect. in 6.* adeòque respectu eorum intervenire debeat postulatio simplex, Pith. *loc. c. n.* 13. Laym. *cit. n.* 4. de Abbatibus expressè Pass. *n.* 38. *junctis n.* 39. & 40. citans plures alios, juxta *cit. c. Si Abbatem,* & *ibi* Franc. Jo. And. &c. Siquidem tales prælati, quò minùs eligi possint impedimentum nullum habent canonicum, neque ut Pass. *cit. n.* 38. citato Abb. *in c. fin. h. t.* & gl. *in c. Si Abbatem, v. Abbatem, de elect. in 6.* in ea proprietate & rigore sint sponsi suarum Ecclesiarum, sicut Episcopi.

Quæstio 224. *Quid dicendum de Clericis non prælatis unius diœcesis assumendis ad prælaturam alterius diœcesis?*

Respondeo: Quòd tales præcisè non possint postulari, sed debent eligi, & in electionem absolutè consentire possint, etsi ad aliam alterius diœcesis Ecclesiam transire nequeant sine licentia sui Episcopi, Pass. *loc. cit. n.* 41. citans Abb. *in c. fin. h. t. num.* 8. Sylv. *v. Postul. n.* 3. Tabien. *n.* 2. Castell. *de elect. c.* 2. *n.* 5.

Quæstio 225. *Quid dicendum de religiosis assumendis ad prælaturas intra vel extra suum Ordinem?*

1. Respondeo primò: Religiosi ad prælaturas Episcopatu non inferiores eligi possunt, adeoque ad eas postulari non possunt; tametsi sine licentia suorum Superiorum electioni de se factæ extra Ordinem consentire nequeant, *c. si religiosus, de elect. in 6.* Pass. *loc. cit. nu.* 42. citans gl. *in cit. c. v. Electi.* & Franc. *ib. n.* 2. Abb. *in c. fin. h. t. n.* 8. Castell. *ubi ante.* Sylv. &c.

2. Respondeo secundò: Religiosi professi mendicantes postulari prohibentur ad Ecclesias cathedralibus inferiores, & ad monasteria extra suos Ordines, ita ut irrita sit postulatio talis, & scienter po-

postulantes potestate eligendi & postulandi pro ista vice privati, & suspensi per triennium ab omnibus beneficiis, quæ obtinent in illa Ecclesia, ad quam hujusmodi postulârunt, *Extrav. unic. h. t. inter communes*, idem statuent, si postulatus sit alius 27 annum ætatis non attingens; ubi etiam vide pœnas taliter postulati prosequentis postulationem in Curia Romana.

3. Respondeo tertiò: Tametsi Joannes XXII. *in cit. extrav. unic. h. t.* prohibeat, ut dictum cujusvis mendicantium Ordinis religiosum ad monasteria extra suum Ordinem postulari; tametsi etiam Clemens V. *in Clem.* 1. *h. t.* prohibeat, ne religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius religionis vel habitûs eligatur; tradit tamen gl. *in cit. Clem. v. eligatur*, non prohiberi per hoc talem postulari ex causa; ita tamen, ut postulatio hæc fieri debeat à Papa; cùm aliàs fieri poterat & admitti ab Episcopo. Idem cum gloss. sentit Laym. *in c. Monasterium, de elect. num.* 1. sic quoque expressè Pass. *loc. cit. n.* 44. ait: Professus unius Ordinis ad Prælaturam in alio Ordine postulari potest, citátque pro hoc Innoc. *in c. fin. h t. n.* 4.

4. Respondeo quartò: Nec tacitè nec expressè professus ad prælaturam regularem postulari potest; non eligi, Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 156. ubi: *Defectus professionis in postulato ad prælaturam regularem nihil ducitur, quominùs postulatio canonica sit, adeo ut simplex Eremita postulabilis reputetur*, Pass. *n.* 43. ubi: Novitius tacitè saltem non professus ad prælaturam vel in proprio, vel in alieno Ordine eligi non potest, *c. Nullus religiosus, de elect. in* 6. & gl. *ibid. v. prælaturam.* Abb. *in c. fin. h. t. n.* 8. Barbos. *in c. Monasterium. de elect. n.* 2. Sylv. &c. potest tamen ad dictas prælaturas postulari, si adsit necessitas, & ipse in regula Ordinis sit sufficienter instructus.

Quæstio 226. *An, qui non est de corpore, seu Capitulo vel conventu Ecclesiæ vacantis, sed alterius, necesse habeat postulari, ita ut eligi nequeat in ejus Prælatum?*

Respondeo: Negativè, Laym. *in c. Bona*, 4. *h. t. n.* 9. & *in c. Cùm inter, de elect. n.* 3. ubi: Quòd licèt decens & convenientius sit, ut aliquis ex ejusdem Ecclesiæ corpore assumatur ad prælaturam, modò adsit idoneus (cùm indicium sit, in Ecclesia seu Collegii corpore non esse idoneum, si alienus seu extraneus promoveatur) id tamen necessarium non sit, cùm tamen id principaliter cedat in favorem Capitularium, hi huic juri ac favori renunciare possunt, & ex alia Ecclesia personam idoneam eligere aut postulare (intellige si fortè alium defectum pateretur) & quidem laudabiliter, si id Ecclesiæ suæ utile videatur, citatque pro hoc Butrio *in c. Cùm inter, n.* 25. Abb. *n.* 8. contra gl. *in cit. c. Cùm inter, v. aliam.* & Imol. *ibid. n.* 4. verùm de hoc infra, ubi, num extraneus eligi possit.

Quæstio 227. *An invalidè electus ob defectum, quo laborabat, postulari dein possit.*

Respondeo: Qui personam indignam, seu laborantem defectu v. g. natalium, ignoranter elegerunt, mox errorem hunc suum corrigere possunt, eandem postulando: secus tamen esset, si scientes seu conscii istius defectus eam elegissent; essent enim tunc pro illa vice privati, ut nec postulare possent, Laym. *in c. Innotuit, de elect. n.* 8.



PARAGRAPHUS IV.
De admissione postulationis.

Quæstio 228. *Ad quem dirigenda postulatio, seu à quo petenda ejus admissio?*

1. Respondeo primò: Postulatio simplex dirigenda ad omnes illos, quorum consensus necessarius, ac proinde requirendus ad hoc, ut quis prælaturam admittere possit, seu ut aliquis sit prælatus, Pass. *de elect. c.* 24. *n.* 46. juxta dicta superiùs.

2. Respondeo secundò: Ad illum Superiorem dirigenda est postulatio solennis, seu ad illum spectat illius admissio, cujus aliàs est confirmare prælatum electum; siquidem admissio postulationis vim habet confirmationis, electionis, ejùsque loco succedit, modò tamen is Superior dispensare possit, & auferre inhabilitatem, propter quam postulatus erat ineligibilis ad prælaturam, Laym. *in præamb. ad tit. de postul coroll.* 3. Pirh. *ad tit. eundem, n.* 14. citantes Abb. *in c. fin. h t. num.* 10. Unde jam Episcopus ad alium Episcopatum à solo Papa postulatur; cùm cessio & translatio Episcoporum, uti & eorum pluralitas in eadem persona concedenda soli Papæ reservatur, Laym. Pirh. *ll. cit.* Sic postulatio ad prælaturam, v. g. curatam ex præscripto Trident. requirentem annum 25 ætatis completum, dirigi non potest ad Episcopum, aut ab eo admitti, dum postulatus eam ætatem non complevit, & aliàs jus confirmandi electum ad illam dignitatem spectaret ad Episcopum; cùm hic in ætate jure communi requisita ad Ordines vel beneficia dispensare nequeat, AA. iidem.

3. Infertur quoque ex his: duo requiri in Superiore ad hoc, ut legitimè ab eo admitti possit postulatio, nempe potestatem dispensandi in impedimento, propter quod postulatus eligi non poterat, & jus confirmandi aliàs electum ad illam dignitatem, quorum duorum requisitorum primum non statim infert secundum; separari enim possunt ab invicem, & potestas in eo defectu dispensandi inesse v. g. Episcopo, jus verò confirmandi electum ad illam prælaturam hic & nunc ex privilegio aut consuetudine præscripta spectare ad alium inferiorem prælatum: quare minùs rectè pronunciare videtur Pass. *loc. cit.* & cum eo Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 17. *q.* 5. unicam hanc servandam in hoc regulam, ut nimirum postulatio fiat ad Superiorem, qui potest dispensare, & auferre inhabilitatem, propter quam quis est ineligibilis ad prælaturam.

Quæstio 229. *An teneatur Superior admittere postulationem de cætero idonei factam legitimè, hoc est, vel unanimiter, vel à duabus partibus capituli?*

1. Respondeo primò: Non teneri illum vi præcisè postulationis ex justitia propriè tali, Laym. *in c. Bona*, 3. *h. t. n.* 6. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 4. §. 6. *num.* 5. Pass. *cit. c.* 24. *num.* 47. Pirh. *loc. cit. n.* 15. citans Host. *in sum. h. t. n.* 12. *n.* 11. Contra Abb. *in c.* 5. *hoc tit. n.* 2. Jo. And. *in c. Cum monasterium, de elect. num.* 7. quibuscum sentire videtur Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 234. *juncto n.* 235. 237. & 238. ubi: Fateri tamen oportet, postulationem non usquequaque posse rejici citra injuriam postulati, & ipsius Ecclesiæ, ut gl. *in c. Bona*, 3. *h. t. v. in tanta.* Roman. *cons.* 330. *n.* 20. quin &, si fiat postulatio ab ipso Papa, non reputatur materia simpliciter gratiosa, ut non magis dicatur justa & æqua, hácque ipsâ ratione debita, ut Bursat. *in cit. c. Bona, n.* 46. maximè, si esset unanimiter celebrata, &c. Responsio nostra sumitur ex *c. Postulationem, h. t.* & *c. Bona*, 3. *h. t.* ubi ait Papa: *Cùm Sedes Apostolica, etiam quando aliquis unanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex justitia, quàm ex gratia moveatur;* nullum enim per postulationem etiam talem unanimiter, & in concordia factam, & præsentatam acquiritur jus postulantibus, aut postulato, vel etiam

Eccle-

Ecclesiæ; adeóque sine injuria horum rejici potest postulatio. Laym. Pith. Pass. *ll. cit.* contra Abb. Jo. And. *ll. cit.* Antonin. *p.3. tr.19. c.3. §.1.* Sylv. *v. postulatio. n.2. & 7.* Tabien. *v. eod. n.4.* Castel. *de elect. c.2. n.3.* Barbos. *in cit. c. bonæ. n.1.* apud Pass. *cit. n.46.* Sed admissio tota innititur gratiæ, utpote gratiam dispensationis continens; dispensare siquidem in impedimento vel defectu, etiam dum adest ratio sufficiens, imò urgens, non est debitum propriè justitiæ, cùm jure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam tanquam sibi debitam. Laym. Pith. *loc. cit.* Neque cogitur Superior ad dispensandum in lege sua, seu ad relaxandum jus ex multitudine petentium, vel etiam ex honestate petitionis, cùm aliàs dispensatio Superiori non foret libera, sed necessaria, (supposita honestate petitionis contra illud: Nemo invitus de suo cogitur facere beneficium. *c. precariæ. 10. q.2.* & illud: Quidquid judicis potestati permittitur, juris necessitati non subjicitur. *l. non quidquid. ff. de judic.* Pass. *loc. cit. n.47. & 48.* citans præter plures alios Suar. *de LL. l.6. c.18. n.20.* Sanch. *de matrim. d.10. n.3.* Barbos. *ad c. postulâstis. de Clericis excom. n.28.*

2. Respondeo secundò: videtur tamen Superior teneri postulationem talem factam ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ admittere ex debito aliquo justitiæ legalis, & ex officio suo, quatenus vi officii sui tenetur utilitati boni communis consulere, vel etiam quandoque ex debito charitatis alteriusve virtutis, non secus ac extra postulationem ex his virtutibus tenetur dispensare in votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii, &c. si urgens causa est, præsertim publicæ honestatis vel utilitatis. Laym. *loc. cit. & in qq. canon. q.8. de elect.* Pith. *cit. n.16.* Pass. *n.48.* nam &, ut *ibid.* Pass. actus misericordiæ & liberalitatis quandoque necessarius est. Censebitur nihilominùs ex tunc adhuc admissio talis postulationis gratia generalis, id est, talis, qualem Superior communiter ratione officii facere solet. Pith. *loc. cit.* ex Abb. & Imol.

3. Respondeo tertiò: quin etsi Prælatus inferior habeat potestatem dispensandi in defectu postulati, jusque admittendi postulationem, eam in concordia vel à duabus partibus Capituli ex justa causa factam, nolit admittere, cogi potest à Superiore ad eam admittendam. Laym. *loc. cit. n.7.* citans gl. *c. bonæ. 3. h.t. v. gratia.* Pith. *cit. n.16.* Lott. *l.3. q.17. num.237.* Unde etiam, licèt postulantibus aut postulato non competit actio seu jus actionis contra Superiorem, ut is admittat postulationem. Pass. *n.50.* citans gl. *in cit. c. bona. v. gratia.* Bald. *in c. Scriptum. de elect. n.4.* Sylv. *v. postulatio. n.7.* Possunt nihilominùs implorare superioris prælati officium, ut is recusantem admittere talem postulationem ad hoc compellat, cùm juxta *c.1. de offic. judic.* detur hoc remedium implorandi officii judicis, quando actio propriè dicta deficit. Laym. Pith. Pass. *ll. cit.*

Quæstio 230. Qualiter ad admissionem postulationis procedere possit ac debeat Superior, & quâ formâ uti in ea, vel etiam rejectione postulationis?

1. Respondeo ad primum: admittere non debet postulationem, nisi factâ inquisitione de conditionibus & motibus postulati: necesse tamen non est, ut ea inquisitio fiat judicialiter, cùm non fiat ad puniendum, sed solùm ad informationem Superioris. Pass. *cit. c.24. num.53.* Verùm de hac inquisitione pluribus infrà, ubi de confirmatione electionis.

2. Respondeo ad secundum: de cætero forma certa præscripta in jure non est, quâ uti debeat Superior in admissione postulationis, de quo vide *loc. cit.* dicere tamen poterit: *Providemus Ecclesiæ vestræ de tali persona, prout postulâstis*; vel meliùs: *Postulationem vestram admittimus*; nequaquam autem dicere potest: *Confirmamus postulationem vestram.* Pass. *n.52.* ex Abb. *in c. gratum. h.t. n.23.* Pari modo non est certa forma rejectionis postulationis, uti nec cassationis electionis; quin &, ut Lott. *l.3. q.17. n.260.* cum gl. *in c.2. h.t. v. cassatum.* eo ipso censetur cassata & rejecta postulatio, quòd non est admissa: ubi autem repellitur postulatio, mox evanescit omnis illius effectus, ut idem Lott. *n.261.* citato Gonz. *ad reg. 8. cancell. gl.15. n.56.*

Quæstio 231. An & qualiter postulatus administrare possit Prælaturam, antequam ejus postulatio admittatur?

Respondeo: nequaquam ullatenùs administrare potest ante admissam postulationem: & si id attentet, postulatio redditur ipso jure nulla. Pass. *n.54.* Lott. *loc. cit. n.301.* Tond. *qq. benefic. p.2. c.4. §.6. n.5.* Vide de hoc plura inferiùs, ubi, qualiter electus administrare possit ante electionis confirmationem.

CAPUT SECUNDUM.
De Electione.

PARAGRAPHUS I.
De Electionis natura.

Quæstio 232. Quotupliciter usurpetur Electionis nomen, & quid rei significet secundùm acceptiones singulas?

1. Respondeo primò: sumitur Theologicè seu moraliter, dicitúrque electio moralis, quâ ex pluribus mediis ad finem tendentum conducentibus unum præ alio præaccipitur. Pass. *de elect. c.1. n.25.*

2. Secundò canonicè, prout nimirùm usurpatur à SS. Canonibus. Quod fit quadrupliciter. Primò generalissimè, prout comprehendit electionem strictè talem, postulationem, nominationem, præsentationem, collationem, institutionem. Tholos. *partit. juris can. l.1. tit.29. c.1. num.2.* (Tribuitur namque & his quandoque electionis nomen præsentationi. *cap. querelam.* [illegible] collationi. *c. cum Ecclesia. h.t. &c.*) sicque sumpta describi potest, quòd sit promotio alicujus ad beneficium vel munus Ecclesiasticum, quæ rectè dicitur electio; quia qui promovetur, præ aliis ad habendum beneficium assumitur. Pass. *loc. cit.* Secundò generaliter seu minùs adhuc strictè, prout quidem excludit collationem, præsentationem, nominationem, non tamen postulationem: estque promotio alicujus ad beneficium vel munus Ecclesiasticum facta canonicè per suffragia. Pith. *hic num. 1.* Tertiò strictè ac propriè, prout postulationem quoque excludit, addendo nimirùm priori definitioni *Tò idonei*, hoc est, impedimento canonico dispensabili non impediti; Neque enim apparet, unde electio propriè talis coarctanda sit ad dignitatem vel Canonicatum. Pass. *loc. cit. num.35.* Quartò denique specialissimè & strictissimè, prout respicit Prælaturam, & quidem talem, vi cujus efficitur quis caput, & velut sponsus Ecclesiæ viduatæ. Azor. *instit. moral. p.2. l.6. cap.14. quæst.2.*

Quæstio 233. Qualiter electio accepta in hac strictissima sua significatione sit definienda?

Respondeo: quòd sit personæ idoneæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem per eorum, quibus id competit, suffragia Canonica vocatio. Intelli-

gendo primò nomine *Ecclesia vacantis* Ecclesias tam regulares, quàm sæculares. Azor. *loc. cit.* Tholos. *hic c. 4. num. 2.* Intelligendo secundò per *pastoralem dignitatem* Prælaturam eorum, qui ut caput cum jurisdictione ordinaria ac generali, Episcopali nimirum vel quasi Episcopali præsunt Ecclesiæ, quocunque vocentur nomine Episcopi, Præpositi, Abbatis, Prioris, &c. Azor. & Tholos. *loc. cit.* Etsi enim Episcopi magis propriè sint sponsi & Pastores, ac proinde magis propriè per eorum mortem Ecclesia dicatur viduata, convenit tamen idipsum quoque Prælatis & Ecclesiis regularibus, & quibusdam Collegiatis sæcularibus. Azor. *loc. cit.* Pirh. *hic num. 1.* Intelligendo tertiò per *vocationem canonicam* illam, in qua servata forma eligendi à SS. Canonibus præscripta; ita ut ea, in qua servata forma canonica, etiam quoad solennitates dicatur magis strictè canonica; illa verò, in qua servata sunt omnia substantialia de jure servanda, licèt non quoad omnes juris solennitates, dicatur minùs strictè canonica. Illa denique non nisi in sensu latissimo canonica, quæ habet formam solùm naturalem, nimirum consensum eligentium de jure naturali requisitum. Pass. *loc. cit. num. 38.*

Quæstio 234. In quibus electio strictissimè talis distinguatur à collatione?

Respondeo in sequentibus: Primò, quòd collatio sit actus Superioris conferentis beneficium; Electio est actus subditorum egens confirmatione Superioris. Pass. *loc. cit.* Secundò, quòd collatio det jus in beneficio, dignitate, &c. ita ut is, cui fit, eâ acceptatâ vi illius sit Dominus beneficii eo modo, quo competit esse Dominum beneficii. *c. si tibi absenti. &c. de prebend. in 6. ibid.* Barb. *num.* 4. Franc. *num.* 3. Garc. *de benef. p. 4. c. 2. num.* 1. *&c.* Electio econtrà non nisi jus infirmum & tantùm ad beneficium. *c. nihil. h. t.* Abb. *in rubrica de postul. num.* 1. Sylv. *v. electio. n. 4.* Pass. *loc. cit.* Unde etiam electio dicitur vocatio ad beneficium, non institutio. Ant. de Buttio apud Laym. *h. t. in principio. num.* 4. Item Electi beneficia non vacant ante confirmationem, & Electo mortuo ante confirmationem, non per hujus, sed per prioris Prælati mortem vacat beneficium. Pirh. *num.* 2. cum communi. Electus ante confirmationem etiam sine consensu Superioris potest renunciare beneficio. Gl. *in c. si electio. h. t. in 6.* Ac denique ante confirmationem administrare beneficium aut prælaturam non potest. *c. qualiter. h. t.* Neque his obstat, quòd Papa & Generales Ordinum mox, ut electi consentiunt electioni, habeant jus in prælatura. Prius enim est ex speciali institutione DEI, quâ positâ electione & consensu in eam, ut conditione, tali personæ confert jurisdictionem universalem. Alterum est, jure specialiter sic disponente, ut talis electio generalis mox, ut legitimè celebrata, ipso jure confirmata censeatur. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 235. In quibus differat electio à præsentatione?

Respondeo in sequentibus: Primò, quòd licèt præsentatio non ita innitatur gratiæ sicut postulatio, in quantum non eget, ut super defectu præsentati dispensetur; Superior etiam teneatur instituere præsentatum, dum hic idoneus est, (uti idem de nominatione sentiunt Pass. *loc. cit. q. 3. n.* 50. & Abb. ab eo cit.) propriè tamen nihil juris tribuat. Decius *in rub. h. t.* Tusc. *lit. E. conclus.* 59. Licitum enim est Patrono laico, etiam post præsentationem unius factam Collatori ordinario, præsentare alium, & Collatori pro libitu suo, quem maluerit ex istis duobus instituere. *c. cùm autem &c. de jurepatron.* Electio autem publicato scrutinio revocari non potest. *c. publicato. &c. h. t.* Secundò, quòd præsentatio importet jus præsentandi ex gratuita concessione Ecclesiæ competens etiam laicis nempè patronis; Electio autem jus, quod Ecclesia laicis concedere non solet. Gl. *in cap. pia mentis. &c. v. eodem.* Tertiò necesse non sit, ut præsentato, antequam is denunciatur Superiori, intimetur præsentatio, ejúsque consensus exquiratur. *c. quàm sit. h. t. in 6.* Quartò, quòd electio necessariò fiat à multis, seu spectet ad Collegium, præsentatio fieri possit ab uno. *c. nullus. h. t.* Denique quòd electioni correspondeat confirmatio, sicut postulationi admissio; præsentationi verò institutio, quæ propriè sumpta in hoc distinguitur à collatione, quòd collatio propriè sit donatio libera, institutio autem collatio quædam necessaria, quâ Superior ex juris necessitate tenetur beneficium conferre ei, qui legitimè est à Patrono præsentatus. Abb. *ad c. 2. ne sede vacante.*

Quæstio 236. Qualiter electio differat à nominatione tam solenni, quàm non solenni?

Respondeo: ferè in iisdem, in quibus differt à præsentatione; cùm neque per nominationem nominato jus ullum acquiratur. *c. cùm inter. h. t.* sitque nominatio solennis ferè similis præsentationi, nisi quòd nominatio sit de pluribus. *c. quod sicut. h. t.* non eligatur autem nisi unus. Illa etiam nominatio usitata in pluribus Germaniæ locis, teste Pirh. *num.* 4. quâ unus nominat certam personam ad vacantem Ecclesiam, alius autem eam sibi nominatam præsentat Superiori, ita ut non possit præsentare aliam, re ipsâ & in effectu à præsentatione vix differat, cùm talis præsentatio aliud non sit, quàm executio factæ priùs nominationis, vel potiùs nominatio immediata. Pirh. *ibid.*

PARAGRAPHUS II.

De iis, ad quos spectat potestas eligendi, sive de jure ordinario, sive de speciali.

Quæstio 237. In ordine ad intelligendos & conciliandos varios Canones antiquos, à quibus & quomodo olim electi Episcopi?

Respondeo: post mortuos Episcopos, quos in sui locum constituerunt Apostolorum singuli, auctoritate ad hoc à Christo acceptâ. *cap. ult. d. 68.* Jus constituendi Episcopos totum penes Papam, utpote Petri in universali totius Ecclesiæ gubernatione successorem resedit. *cap. omnes. d. 22.* Dein summi Pontifices pro variis temporum circumstantiis jus illud expressè vel tacitè concesserunt aut permiserunt personis diversis. Unde aliquando electi seu nominati Episcopi à toto pariter Clero & populo. *c. Episcopos. c. lectis. c. sacrorum. d. 63.* non quòd populus simul suffragia daret; sed quòd vel nominaret seu postularet aliquem, quem posteà Clerus eligeret, non tamen necessariò. *c. 1. d. 62.* vel in electum à Clero consentiret. *c. nosse. d. 63.* vel quòd solum populi testimonium de probitate Electi requirebatur ad electionem. *cap. vota. d. 63.* Quandoque etiam ex speciali privilegio à Principibus sæcularibus electi & nominati Episcopi, aut etiam consensus eorum requisitus, ita ut sine eo à Clericis fieri nequiret electio. *c. nobis. & seq. d. 63.* Postmodum verò ea potestas eligendi vel postulandi Episcopos adempta laicis, tum Principibus, tum populo. *c. non est permittendum. d. 63.* prohibitúmque iis ob vitandam confusionem & contentionem, ne se tali electioni immiscerent. *c. 1. 2. 7. d. 63.* vel etiam Principes ipsi spontè renunciarunt. *c. Valentinianus. d. 63.* remanente eâdem potestate eligendi Episcopos aliosque Prælatos Ecclesiasticos penes omnes Clericos ac Religiosos diœcesis. *c. obeuntibus. d. 63.* Tum Clericis separatis à Religiosis statutum, ut hi Abbates suos vel Præpositos, seu Priores; isti suos Episcopos & Prælatos eligerent. *c. 1. & c. cum terra. h. t.* Ac denique potestas eligendi

Episco-

Episcopos ad solos Canonicos Capitulares Ecclesiarum Cathedralium devoluta, ut constat ex variis Canonibus. *h. t.* Duravit hæc consuetudo diu in Ecclesia, durátque etiamnum in plerisque Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ. In Hispania verò, Gallia, Polonia, Lusitania Reges ex speciali privilegio Pontificis Episcopos nominant, & præsentant à Pontifice instituendos. In plerisque Italiæ locis Papa liberè eos nominat, creat & instituit. Azor. *cit. l.* 3. *c.* 28. *q.* 3. Quin & Papa exceptis dictis regnis & Germania, ob specialia concordata generaliter reservat sibi Ecclesiarum omnium Episcopalium Archi-Episcoporum, Patriarchalium provisiones. *Extravag. ad Regimen. de prabend.* Vide de his Azor. *loc. cit.* Tholos. *de Elect. c.* 5. Barb. *de off. Episcopi.*

Quæstio 238. Ad quos spectato jure communi per se primò & directè spectet electio Prælatorum?

Respondeo ad Capitulum, congregationem seu communitatem, cui præficiendus est Prælatus. *c. congregatio* 16. *q.* 7. eò quòd, qui sunt membra ejusdem Ecclesiæ, cujus Prælatus est caput, meliùs censeantur informari de necessitatibus & commodis Ecclesiæ, quàm extranei, earúmque consilio geri debeant negotia Ecclesiæ. *c. novit. & c. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli*, proinde Prælati vel non eliguntur, vel à supremo aliquo Superiore instituuntur; vel si eliguntur, eligi debent à Collegiis, quibus præsunt, nisi aliud consuetudo vel privilegium aliquod disponat. Pass. *c.* 10. *q.* 1. *num.* 3. Barb. *de jure Eccl. l.* 1. *c.* 19. *num.* 44. Peyr. *in Prel. q.* 1. *c.* 4. 3. §. 3. Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *c.* 4. *num.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. *q.* 6. *&c.* Retinetúrque hoc jus commune vel maximè in religionibus, & servatur in Germania quoad electionem Episcoporum ob concordata inter Nicol. V. Pontificem & Frider. III. Imperatorem. Porrò hoc jus eligendi non est ex necessitate, neque ex ordinatione Divina, ut erroneè docuit Ferrer. *cons.* 305. sed ex mera Pontificum indulgentia derivatum. Rebuff. *de elect. in princip.* Fagn. *ad c. nullus. h. t. n.* 13. Bellarm. *tom.* 1. *controv.* 5. *l.* 1. *c.* 8. constat ex dictis *q. præced.*

Quæstio 239. Quid hîc intelligatur nomine Collegii Ecclesiastici?

Respondeo: intelligi congregationem Clericorum, (auctoritate Superioris collectorum, & certis Regulis colligatorum. Pass. *loc. cit. num.* 7.) qui veluti fratres sub uno Patre, vel veluti membra unum corpus Ecclesiasticum constituunt; Quale quia non constituunt Vicarii, Sacellani, alitérve beneficiati, qui, etsi eidem Ecclesiæ vel uni alteri obstricti sint, & deserviunt, subjecti etiam uni, v. g. Parocho; ut singulares tamen, & ut multitudinem facientes vivunt, variis ministeriis & officiis deputati; (unde nec communi utuntur sigillo. *c. dilecta. juncta gl. de excessibus Prælat.* nec communem procuratorem, vel syndicum constituere possunt. *l.* 1. *ff. quod cujuscunque universit. nomine. &c.*) ad ens de jure communi non spectat electio Prælati. Barb. *de off. Episcopi. p.* 1. *tit. c.* 3. Fagn. *in c. nullus. h. t. num.* 31. Sed nec sibi Superiorem eligere possunt. Pass. *l. cit.* Porrò unde cognoscatur, an plures sint in Ecclesia, vide apud Jo. Andr. & alios ad *cit. cap. dilecta. &c.*

Quæstio 240. Quot personæ requirantur ad constituendum primò Collegium, conferendáque congregationi alicui jura Collegii seu universitatis?

Respondeo: ad primò constituendum Collegium tam Ecclesiasticum, quàm civile requiri minimùm tres. Sylv. *c. collegium.* Gl. *in c.* 1. *h. t.* vel duo, (quamvis hi duo duos sufficere velint ad congregationem; quam tamen distinctionem inter collegium & congregationem, utpote nec in jure, nec in ratione fundatam communiter rejiciunt alii. Pirh. *hic num.* 10.) Laym. *ad cit. c.* 1. *num.* 1. *&c.* contra Abb. *ad c.* 1. *h. t.* id negantem de collegio Ecclesiastico, quod putat ab initio constitui posse ex duobus, quorum neuter sit Prælatus alterius, eò quòd ex Innoc. *ad c. cùm ignores. &c.* notet necessarium non esse ad rationem Collegii, ut habeat Prælatum vel Rectorem. Item contra Barb. Mascar. Archid. Tambur. pluresque alios cit. à Pass. *n.* 4. qui tamen, dum duos sufficere tradunt ad Collegium, non tam de Collegio primitùs constituendo, quàm de eo jam constituto ejúsque juribus penes duos conservandis loqui videntur. Ratio responsionis est, quòd sic constitutum sit à jure civili. *l. Neratius. &c. ff. de verborum signif.* à jure civili autem recedendum non sit, nisi dum à jure canonico corrigitur, aut peculiare quid pro Ecclesiasticis statuitur. Pirh. *loc. cit.* Jam verò hoc non fit; nam dum Pontifex *c.* 1. *h. t.* ait: *Nullus in Ecclesia, ubi duo vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione eligatur presbyter*, (id est, Prælatus. Innoc. *ad c.* 1.) id solùm voluit definire: jus Prælatum eligendi ad Collegium pertinere, licèt duo tantùm supersint ex Collegio post mortem Prælati.

Quæstio 241. Quot personæ sufficiant ad Collegium jam constitutum ejúsque jura conservanda

Respondeo: duæ, vel etiam una. *l. sicut. ff. quod cujusque univers. nomine. &c.* Abb. *in c.* 2. *de postul.* Gl. *in c.* 1. *h. t.* minùs enim plerumque ad conservationem, quàm primam rei constitutionem requiritur. Unde, dum è tribus primò constituentibus Collegium moritur, vel congregationem deserit unus, (idem est, si suffragio suo renunciet. Pass. *loc. cit. num.* 9.) poterit unus alterum eligere in prælatum. Jo. And. *in reg. juris* 80. *in 6to.* Et si moriantur duo, penes unum remanebit Collegium, non quidem actu; cùm hoc electionem plurium importet, sed veluti habitu, poteritque is exercere actus Collegio competentes, v. g. postulare, vel potiùs nominare, si non se ipsum, ut volunt aliqui, saltem personam aliam idoneam. Gl. *in cit. l. Neratius.* Host. *in c.* 2. *de postul.* Abb. *in c.* 1. *h. t. num.* 6. Barb. *l.* 1. *de jure Ecclesiast. c.* 19. *num.* 46. aliique cit. à Pass. Porrò mortuis omnibus, è Collegio vel aliò migrantibus, jus eligendi similiáque jura ac privilegia extinguuntur, si corporalia seu personalia sunt, hoc est, directè & per se concessa congregationi certarum personarum; secùs si realia & localia sunt, hoc est, per se & directè concessa rei vel loco, v. g. Ecclesiæ, monasterio, universitati, accipiendo has voces pro materiali ædificio; inseparabiliter enim tunc cohærent parietibus, ædificio directo, etiam soli fundo. *c. & hoc.* 16. *q.* 7. juxta gl. Laym. ad cit. *c.* 1. *num.* 5. Abb. *ad c.* 2. *de postulatione.*

Quæstio 242. An jus eligendi competat ei, qui verè nactus non est quasi dominium beneficii, sed solùm possessionem cum bona fide; adeóque est solùm in possessione juris eligendi?

Respondeo affirmativè: valétque ejus suffragium, modò ante electionem lis non fuerit contestata super illius jure eligendi; etiamsi postmodum succumbat in causa sibi super hoc jure Canonicatûs & eligendi mota, adeóque verè quoad proprietatem ille non habuerit hoc jus. Sequitur enim jus suffragii possessionem, non proprietatem juris. *c. cùm olim.* & *c. querelam. h. t.* Fagn. *ibid.* citans Jo. And. & alios. Potest siquidem possessor bonæ fidei percipere fructus rei possessæ ante contestatam litem super proprietate. *l. bona fidei. ff. de acquirendo rer. dom.* Sed electio est quasi fructus quidam juris beneficialis, sicut præsentatio jurispatronatûs. Pirh. *num.* 20. ergo pertinet ad possessorem bonæ fidei, jure sic disponente

in

in favorem possessoris bonæ fidei & commodum Ecclesiæ; ne incerta sit ministrorum institutio, aut diu differatur. Laym. *in qq. can. de Elect. q. 27.* Quod eousque valet, ut, si cum tali possessore concurrat alter asserens, ad se spectare de jure Canonicatum, & consequenter jus eligendi, hoc excluso, admittendus sit possessor, modò constet illum esse in possessione cum bona fide, (quæ præsumitur in possessore, donec contrarium probetur) *cit. c. cùm olim.* & Argument. *c. consultationibus. &c. de jurepatron.* Ne, si proprietarius præferatur, possessor dejiciatur hâc ratione possessione suâ sine auctoritate judicis, quod vetatur *c. in literis. de restit. spoliat.* Quinimò si Capitulares talem admittant possessorem ad electionem cum protestatione, ut non valeat ejus suffragium, si proprietatem beneficii re ipsâ non habeat, inutilis sit hæc protestatio, nihilque noceat possessori, nisi hic expressè consentiat isti protestationi, (quod non censetur facere tacendo, cùm juxta communem DD. & Gl. *in reg. juris 43. in 6.* taciturnitas pro consensu habeatur, si de commodo ejus, qui tacet, agatur; non autem, si de ejus incommodo) & nollet aliter valere suum suffragium, quàm si ei proprietas beneficii re ipsâ competat. Gl. *in c. Cumana. h. t.* Aliud est in possessore, de cujus possessione vel bona fide dubitant Electores; tunc enim utiliter fiet talis protestatio; & si posteà comperiat Superior, ad quem spectat confirmatio, illum verè fuisse in possessione bonæ fidei, ejus suffragium valebit; secùs si contrarium comperiat. Innoc. Laym. & alii *in c. Cumana. h. t.*

Quæstio 243. An jus eligendi Prælatum aliis quoque Clericis, qui de Collegio non sunt, competere possit?

Respondeo: de jure communi non competit, ex dictis. Unde sequitur primò: in regularium electionibus non competere jus eligendi nisi professis, cùm non professi nondum sint incorporati Religioni. *c. ex eo. h. t. in 6. c. indemnitatibus. &c. ibid.* Suar. *tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. c. 4.* Tambur. *tr. 3. decis.* 19. Pass. *c.* 10. *num.* 21. competit tamen tacitè professis, quia verè professi. *cit. c. ex eo. &c. ibid.* Franc. *num.* 1. Laym. Pass. *ll. cit.* quamvis de eo constare debeat, quod Novitiatum absolverint, juxta præscriptum Trid. professionémque suam probare debeant, si iis opponatur defectus professionis. Rota cit. à Pass. Sequitur secundò: Religiosum, etiamsi sit ejusdem Ordinis, si non sit de eadem numero congregatione, ad quam hîc & nunc spectat electio, non posse in ea eligere. Peyt. *in subdito q.* 1. *c.* 31. *not.* 8. Laym. *l. 4. tr. 2. c.* 12. *num.* 3. Suar. *loc. cit. num.* 2. Hinc Generales & Provinciales, quia ad nullum determinatè conventum pertinent, in nullo habent votum seu jus eligendi Prælatos locales conventuum; quamvis juxta aliquorum Ordinum statuta possint eos instituere. Pass. *loc. cit. num.* 26.

Quæstio 244. An saltem id vi privilegii vel consuetudinis competere possit Clericis extraneis? Quo nomine etsi veniant etiam ii, qui licèt sint membra Ecclesiæ vel Conventûs, pro quo eligendus est Prælatus, carent tamen qualitate aliquâ à jure vel consuetudine requisitâ ad hoc, ut quis sit Elector. Pass. c. 3. q. 2. n. 1. *De his tamen hîc non quæritur.*

1. Respondeo affirmativè: primum sumitur *ex c. dilectus. de consuetud.* Abb. *in c. Cumana. h. t.* Sic Abbates privilegio acquirere possunt jus eligendi cum Canonicis Episcopum. Azor. *cit. c.* 14. *q.* 6. cum communi. Alterum quoque constat ex *cit. c. dilectus. c. cùm Ecclesia. &c. de causa possess. & propriet. c. bona. 4. de postul.* & ibi Host. Bald. &c.

2. Præscribitur autem jus eligendi spatio, quo præscribi solent jura spiritualia seu Ecclesiastica, nempè 40. annis; intra quod tamen tempus necesse est, & sufficit, ut facta fuerit aliqua electio Superioris auctoritate confirmatâ. Azor. *loc. cit.* ex Innoc. Franc. *in cap. cùm de benef. de preb. in 6.* Et sic jam extraneus, qui hâc viâ præscriptionis acquisivit jus eligendi, non est solùm possessor, sed dominus juris eligendi, & de Collegio eligentium; unde vocari debet, & nunquam rejici ab electione. Pass. *loc. cit. num.* 30.

Quæstio 245. An ex pacto seu voluntate eorum, ad quos jus eligendi pertinet, Clericis extraneis communicari possit potestas eligendi?

Respondeo: contra Navar. *l. 1. cons. 2. de consuetud. num.* 3. & Lezanam. *c.* 15. *num.* 20. & alios putantes id fieri posse à toto Capitulo, nemine Capitularium dissentiente. Item contra Laym. *in qq. can. de elect. q.* 19. Pith. *num.* 14. Engels & alios tenentes, id posse fieri pro una vice prælaturâ vacante, eò quòd *c. scriptum. h. t.* habeatur convenisse Canonicos mutuo consensu, ut ad electionem Patriarchæ Constantinop. admitterentur septem Præpositi extranei, quod Pontifex comprobavit: Negant tamen id sine consensu Superioris posse concedi ad dies vitæ personæ, vel etiam in perpetuum dignitati extraneæ, multóque magis negant, posse Capitulares in perpetuum & absolutè abdicare à se jus eligendi. Respondeo, inquam, negativè; jus enim eligendi in electione Canonica ipsis Capitularibus non nisi ex consensu Papæ competit, & nulli competere potest, nisi cui Papa id concesserit: ergo nulli de Collegio nec toti Collegio competit posse dare alicui jus eligendi, & admittere extraneum, ut is validè eligat, præsertim, cùm inter cæteras qualitates requisitas in illis, quibus Papa jus eligendi canonicè concessit, sit una, ut vocalis sit de Collegio eligentium tanquam ejus membrum & pars, ut sumitur ex *c. cùm dilectus. de consuetud.* Pass. *c. 3. q. 2. num. 34. & 35.* citans Donat. *in praxi p. 3. t. 2. q.* 15. qui etiam vult, electionem, in qua admissus externus, esse nullam, quod tamen rectè reprobat Pass. Neque enervat responsionem, quòd concedant Canones, ut ab initio in fundatione Ecclesiæ Collegiatæ pacto constitui possit, ut electio Prælati simul spectet ad Prælatum vel Capitulum extraneum, vel ad ipsum patronum Ecclesiasticum. Gl. *in cap. nobis. &c. de jurepatronatûs. v. nisi aliter.* Laym. Pith. *loc. cit.* Hoc namque speciale est, & indulgetur à Papa ad excitandos fideles ad fundationes & dotationes Ecclesiarum. Neque quòd Capitulares eligere possint per compromissarios extraneos; hoc enim illis expressè concessum est *c. quia propter. h. t.* nullibi autem concessum, ut possint admittere externum ad secum eligendum. Pass. *loc. cit.* Nec sufficit dicere, id etiam nullibi prohibitum; cùm non prohibitio non det, quod non habetur, sed ad hoc opus sit concessione. Pass. *ibid.* Atque ex his sequitur, Superiorem quoque nullum inferiorem Papâ posse admittere talem extraneum ad electionem, quia dispensare non potest in lege Papæ requirentis, ut eligens sit membrum Capituli. Sed neque externum, qui talis dicitur ob carentiam alterius alicujus qualitatis requisitæ in Electore, nisi fortè qualitas sit talis, quæ inducta sit lege, in qua ipse dispensare possit, v. g. lege alicujus Capituli generalis Regularium, in qua idem Capitulum dispensare potest. Pass. *loc. cit. num.* 10.

Quæstio 246. An laicis sæcularibus (de laicis enim Religiosis professis constat, quòd admitti possint in electionibus Regularium, non tantùm ex privilegio, sed & ex consuetudine, saltem immemoriali. Gl. 3. in Clem. ut ii. de ætate & qual. *Jo. And.* in c. ex eo. h. t. in 6. *Fagn.* in c. massana. h. t. num. 18. *Pirh.* n. 18.)

n. 18.) *competere possit jus eligendi Prælatos Ecclesiasticos ex privilegio?*

Respondeo affirmativè: nimirùm concesso à summo Pontifice. *cap. quòd sicut.* c. *sacrosancta.* Host. Pass. cum communi. In quo casu eligit, non tam auctoritate propriâ & sæculari, quàm Ecclesiasticâ, ex commissione scilicet Papæ. Laym. *in qq. can. hic q.* 20. Sed neque excedit potestatem Papæ habilitare laicos ad jura spiritualia possidenda, uti de facto ab eo habilitati sunt sæculares laici ad juspatronatus, (quod spirituale est, & absque simonia vendi non potest. *c. de jure. de jurepatron.*) quamvis difficiliùs concedatur jus eligendi, quàm præsentandi, quia illud est potentius, & majus jus tribuit, estque plerumque circa Prælatos Ecclesiasticos, quorum authoritas in spiritualibus non dependere debet à sæcularibus. Engels *hic num.* 4.

Quæstio 247. Utrùm id eis competere possit ex consuetudine?

Respondeo negativè. *cap. Massana. h. t.* Abb. *c. querel. c. quòd sicut. de consuetud.* Host. *in summa. de elect. num.* 5. Pass. *c.* 10. *num.* 19. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *q.* 28. Verùmque id est etiam de Patronis. Anellus *in addit. ad Abb. ad c. quisquis. h. t.* Pass. *c.* 8. *q.* 4. *n.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *num.* 8. Tenétque de consuetudine temporis immemorialis. Fagn. *ad c. Massana. num.* 16. Pirh. *num.* 17. *ad hunc tit.* Cùm enim jus eligendi spirituale absque privilegii titulo possideri nequeat, nullo tempore præscribi potest. Argum. *c. causam. de præscript.* Falsa proinde ea Legistarum Regula: Quidquid Principis privilegio acquiri potest, idem & consuetudine immemoriali acquiritur: in eo casu, dum quis est incapax possidendi (& consequenter præscribendi) absque privilegii titulo. Repugnátque talis consuetudo libertati Ecclesiasticæ. *c. sacrosancta. &c. c. quisquis. &c. h. t.* ac proinde reprobatur à jure can. tanquam corruptela & abusus. *cap.* 1. *& ult. de consuetud.* Pirh. *loc. cit.* Sed neque consuetudine introduci posse, ut si contra consensum Principis laici, en vel non requisito vel repugnante, facta fuerit electio, ipso jure sit irrita, vel etiam cassanda, docet Abb. *in c. quòd sicut. h. t.* contra Innoc. apud Pass. *c.* 8. *q.* 3. *num.* 13. salvo tamen jure, quod habet Princeps opponendi contra electum, ita ut, si probet electum meritò sibi suspectum, & sui Principatûs interesse, ut electio cassetur, electio sit cassanda. Abb. Innoc. Felin. *in c. super his. de accusationibus.*

Quæstio 248. Utrùm id eis competere possit ex pacto?

1. Respondeo negativè, ita ut vi nullius unquam donationis, conventionis aut compositionis, consentiente etiam Prælato, quin & toto Capitulo, & interveniente auctoritate Episcopi, laico, etiamsi is sit Patronus, etiam in prima Ecclesiæ fundatione constitui possit jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum, sumitur ex *c. sacrosancta. h. t.* Host. *hic, v. in collegiata.* Pirh. *num.* 15. *&* 16. cum communi, quia cederet hoc ipsum in grave detrimentum Ecclesiæ, ejúsque libertati repugnaret, si inferiores Papâ possent laicis jus illud eligendi concedere.

2. His tamen non obstantibus, per pactum constitui potest, ut ante electionem consilium patroni laici requirendum sit, vel ut interesse debeat tractatui de electione facienda; quin & ipsi electioni, absque tamen suffragio. Innoc. *in cap. quòd sicut. h. t. num.* 1. Jo. And. *in c. nobis. de jurepatron. n.* 12. Quin & consuetudine acquiri, vel etiam ex voluntate Capitularium, ut laicus, etiam non patronus, intersit electioni, & ad hoc vocari debeat, ut Electores protegat, etiam armatâ manu. Bald. *hic in princip.* & præsens in aula capitulari, (ut docent Abb. Buttio, Andr. Pass. & alii communiùs contra Fagn. *in c. quisquis. num.* 30. *& seq.* fusè probantem contrarium, nimirum hoc ipsum esse abusum sæcularis potestatis, & obstare libertati Ecclesiasticæ) vel ut eos instruat, formámque faciendi electionem doceat: vel tanquam tabellio, ut processum electionis conscribat; (non enim requiritur, ut Notarius electionis Ecclesiasticæ sit Clericus. Fagn. *in c. quisquis. n.* 19. *&* 20. citans plures alios contra Host.) Gl. *in c. quia propter.. h. t. v. redacta.* Jo. And. & Bald. *in c. Massana* Pass. *c.* 10. *num.* 19. Et de hoc modo interessendi electioni procedit textus *cit. c. nobis: Non electioni facienda, sed jam facta honestius postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat, &c.* Vel sermo est ibi de patrono Ecclesiastico. Gl. *ibidem. v. nisi aliter.*

Quæstio 249. An igitur Electio à Clericis unà cum laicis celebrata sit irrita?

1. Respondeo affirmativè. *c. querelam. h. t. ibidem.* Abb. *num* 8. *cap. quisquis. h. t. c. Massana. h. t.* (ubi licèt fiat mentio solùm de Electione Episcopi, extendendum tamen hoc ipsum est propter rationis identitatem ad electionem alterius etiam prælati. Pirh. *n.* 18.) *ibid.* Cardin. Imol. Barb. idemque *l.* 1. *de jure Eccl. n.* 79. Suar. *l. c. t.* 8. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 2. Tamb. *de jure Abbat. d.* 5. *q* 8 *nu.* 8. Eò quòd hoc, nempè exclusio laicorum immiscentium se ipsi electioni ferendo suffragium, sit de forma electionis. Pass. *c.* 10. *num.* 17.

2. Unde videtur hoc ipsum procedere, non tantùm ubi Electores Clerici scienter & voluntariè admittunt laicos ad coëligendum: Verùm etiam ubi admittuntur illi sine omni culpa Capitularium, nimirùm vel per ignorantiam; vel quia eos se vi immiscentes prohibere nequeunt; vel quia gravi metu coguntur illos admittere, licèt non consentiant in laicorum suffragia, sed positivè protestati sunt contra illa. Laym. *in c. Massana.* Buttio *in c. fin. de procurat. num.* 2. Eò quòd pœnalis illa constitutio principaliter edita sit in odium laicorum, præsumentium se electioni immiscere. Quin & Canon iste latus in favorem immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ dicto modo restringi non debeat. Nec obstat Regula juris 27. *in* 6. *utile per inutile non vitiatur;* nam non procedit regula illa, dum inutile vel vitium est in forma, ut hîc contingit. Bald. *hic num.* 2. Et in mixtis separabilibus (qualis est actus electionis, utpotè individuus) magis attendendum est ad id, quod nocet, quàm quod prodest, adeóque hic magis inspicienda qualitas laicalis ad destructionem actûs, quàm qualitas Ecclesiastica ad illius productionem. Ant. de Butr, *hic notab.* 1. apud Fagn. Nihilominùs contrarium: nimirùm electionem factam ab habilibus non irritari per admixtionem laicorum, vel aliorum inhabilium ignoranter admissorum, satis probabiliter sustinet Fagn. *ad cit. c. Massana. num.* 10. 11. 31. *&* 33. citans pro se Innoc. *in c. illa*, qui etiam asserat id verum esse, si unus tantùm ex Electoribus esset habilis, & omnes alii inhabiles; item *c. fin. de procurat.* ubi expressum sit, valere actum collegialiter gestum ab habilibus & inhabilibus ignoranter admissis; Buttióque opponit, quòd mixtum ex duabus naturis assumat naturam ejus simplicis, quod est favorabilius, & per quod jus consortis conservatur. *c. fanis. &c. de sepultura, & l. si communionem. ff. quemadmodum servit. amittatur,* & juxta Regulam, quam ponit Gl. *in c. unicum. de jurepatron. in* 6. *v. Ecclesiasticus.* Hanc sententiam Fagn. valdè probabilem affirmat Pirh. *num.* 18.

Quæstio 250. Penes quos sit jus eligendi, quando Capitulares scienter elegerunt indignum, vel etiam postulatum ad administrationem in spiritualibus, vel temporalibus ante postulationem à Superiore admissam, vel sine ejus licentia receperunt, adeóque pro ea vice privati sunt potestate eligendi?

1. Respon-

1. Respondeo primò: si aliqui tantùm elegerunt indignum, (idem, uti & sequentia applica recipientibus taliter postulatum) electione illâ, utpote invalidâ, rescissâ, potestas eligendi residet penes reliquos. Abb. *in c. cùm Vintoniensis. h. t. num.* 2. possuntque hi statim eodem contextu decretum factæ à se Electionis, si in ea consentiant, promulgare, vel novum scrutinium, aliis exclusis, inchoare. Abb. *loc. cit. num.* 12. Laym. *de Elect. q.* 64. Pith. *num.* 47. (ubi cavendum, ne minor pars id faciat, priusquam ab Eligentibus indignum tale decretum formatum sit, aliàs eorum electio foret quoque irrita, utpote non facta à majore parte Capituli, cùm ante tale formatum decretum eligentes indignum necdum privati erant jure eligendi, de quo paulò pòst) quinimò remanet hæc potestas penes unicum, si illo excepto, reliqui omnes elegerunt indignum. Gl. *in c. perpetuo. &c. h. t. in 6. in notatis.*

2. Respondeo secundò: si omnes Capitulares elegerint indignum, potestas eligendi pro illa vice devolvitur ad Superiorem; in Metropolitanis quidem & Cathedralibus Ecclesiis ad Papam; in aliis verò inferioribus Ecclesiis non exemptis ad proximum Superiorem, ad quem aliàs spectat electum confirmare. *c. quanquam. h. t. in 6. ibid.* Gl. magna *in notatis.* Abb. *loc. cit. num.* 2. Pith. *num.* 48.

3. Respondeo tertiò: si Capitulares in prima Electione innocentes, in secunda electione, & ipsi omnes elegerint indignum, potestas eligendi non devolvitur ad eos, qui in prima Electione fuerant nocentes, sed ad Superiorem, cujus est electionem confirmare, non secùs, ac si omnes ab initio deliquissent. *c. bona. h. t.* juncta Gl. *v. ad nos.* ubi etiam ait, adverbium illud *pariter* non denotare identitatem temporis, sed similitudinem delicti; jam enim Capitulares omnes quoad istam electionem privati sunt jure suffragii. Laym. *l. cit.* Pith. *n.* 49.

Quæstio 251. Num igitur pœna illa privationis non incurratur, adeòque non procedat illa devolutio juris eligendi, priusquam ex votis eligentium scienter indignum, vel etiam eligentium contra formam à jure Can. præscriptam subsecuta sit communis electio, hoc est, formatum ex iis sit publicum & capitulare decretum electionis?

Respondeo affirmativè: (nisi fortè vel per privilegium vel consuetudinem inductum esset in Ecclesia aliqua, ut electio facta à majori parte Capituli præsentis ex votis à singulis præstitis & publicatis in Capitulo censeatur esse perfecta; tum enim eligentes scienter indignum pœnam illam privationis incurrunt, etsi communis illa electio necdum secuta. Laym. *in c. perpetuo*, & ex eo Pith. *hic num.* 50.) Nam licèt de cætero jam data sint à singulis suffragia, promulgatùmque etiam sit scrutinium, adhuc non censetur perfecta electio ante formatum decretum solennis & publicæ, seu communiter nomine omnium factæ electionis. *cit. c. perpetuò. &c. ibid.* Gl. *v. perstiterint*, & *c. in Genesi. h. t.* Imol. & Jo. Andr. *ad c. congregato. h. t.* Abb. *loc. cit. num.* 5. In privato siquidem scrutinio, in quo singuli singulariter dant sua vota, propriè loquendo non eligunt, sed potiùs nominant eligendum, ut colligitur ex *c. congregato. h. t.* Abb. *ibidem. num.* 3. Electio autem propriè dicta illa est, quæ post peractum & publicatum scrutinium fit communiter nomine omnium. *c. perpetuò. h. t. in 6.* quare poterunt ac debent etiam illi, qui ante indignum elegerant, ad electionem aliam procedere. *cit. c. perpetuò.* Rectè autem ii, qui non elegerunt indignum, consulent juri suo, si permittant cæteros numero plures, qui elegerunt scienter indignum, procedere ad decretum electionis publicæ; tum enim poterunt isti pauciores sibi soli jam eligere, utpote ad quos jam cæteris privatis jus eligendi devolutum est.

Laym. *de Elect. q.* 64. & *ad cap. Vintoniensis. num.* 4. In quo casu dici non poterit absolutè facta electio à minore parte Capituli, sed potiùs à toto Capitulo, quia isti, etsi numero pauciores, penes quos solos tunc est potestas eligendi, aliis eâ privatis, repræsentant totum Capitulum per fictionem juris. Abb. *ad c. congregato. h. t. num.* 4. citatus à Pirh. *num.* 56. Quòd si cæteri privati voluerint se huic electioni intrudere, & moniti non desistant turbare Capitulares non privatos, poterunt ab his etiam per vim expelli, per se loquendo & secluso scandalo, alíisque extrinsecis incommodis. Dummodò tamen notorium sit illos pro illa vice privatos esse jure eligendi; secùs si de eo dubitetur; nemo enim in causa non manifesta potest sibi ipsi jus dicere; Unde tunc aliter sibi providere debebunt non privati. Vide Pirh. *num.* 54.

Quæstio 252. An Capitulares, ad quos propter delictum aliorum eligentium indignum tota potestas eligendi pro ea vice devoluta est, possint, si velint, illos voce privatos admittere ad novam Electionem?

Resdondeo affirmativè. Gl. *in c. cùm Vintonensis. h. t. v. admiserant. ibid.* Innoc. & Abb. eum communi. Privatio enim illa cedit in favorem non delinquentium; ideóque ab iis remitti potest. Pirh. *num.* 51. Et quamvis, qui indignum elegerant, suspensi sint à beneficio, non tamen ab officio; (possint enim & debent tempore illius suspensionis celebrare officia, ac ideo modicam sustentationem ex beneficiis percipere possunt, ne carentes proprio patrimonio, nec aliunde habentes, omninò egeant) adeóque, quantùm est ex eorum parte, eligere non prohibentur, modò alii illos ex gratia admittere velint. Gl. *ibidem.* Requiritur autem ad hanc admissionem, ut omnes omninò, nemine illorum innocentum dissentiente, in eam consentiant. Abb. *in cap. cùm Vinton. & in c. scriptum. h. t.* In statuendis enim sine necessitate vel utilitate publica, per quæ præjudicatur juri singulorum, (uti contingit per talem admissionem, cùm, pluribus admissis, plerumque minùs efficax sit votum cujuslibet) omnium consensus necessarius est, valétque *reg. juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* & *56. eod. in re communi melior est pars prohibentis*, id est, unus & solus, si se in tali casu opponat, omnes impedire & prohibere potest, ne assequantur intentum. Porrò postquam semel admissi, vel semel ab electione exclusi fuerunt, jam cessat eorum privatio, & recuperant jus eligendi, tametsi electio, ad quam admissi, vel à qua exclusi, effectum consecuta non sit ex alio, quàm quia electus fuit indignus, capite; quia in pœnam delicti sui respectu solùm electionis proximæ post illam, in qua deliquerunt, privati fuerunt jure eligendi. Gl. *cit.* communiter recepta. 16.

Quæstio 253. Quid, si ergo aliqui eligentium indignum id fecerunt ignoranter, an electio facta à cæteris eligentibus dignum, dum hi constituunt minorem partem suffragantium, valebit, & promulgari poterit electio?

Respondeo: valebit, si Eligentes dignum numero superent eligentes ignoranter indignum; secùs si non superent, quia jam non erit facta à majori parte Capitularium præsentium, & non privatorum, cùm eligentes ignoranter indignum pœnam privationis non incurrerint, sumitur *ex cap. scriptum*, & *cap. innotuit. h. t.* & *ibidem* Abb. *num.* 5. Idem dicendum, dum aliqui majoris partis postulantis indignum id fecerunt ignoranter. Abb. *l. cit.* Pirh. *num.* 63.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

De iis, qui, etsi spectent ad Collegium, eligere tamen prohibentur jure naturae, jure positivo, consuetudine.

Quaestio 254. Quinam jure naturae prohibeantur eligere?

Respondeo: omnes ii, qui non sunt constituti in perfecto usu rationis. Hinc primò eligere non possunt amentes. Gl. *in c. ex eo. h. t. in 6.* Navarr. *cap. si quando. de rescript.* Pass. c. 10. *num.* 12. cum communi. Electio enim est actus liber eligentis, ejúsque liberum consensum exigit. *c. quia propter. h. t.* Abb. *in c. quisquis. h. t. num.* 5. Eligere tamen possunt pro tempore, quo habent lucida intervalla, quia tunc non sunt constituti extra perfectum usum rationis. Pirh. *ad h. t. nu.* 26. Praesumendum verò erit, electionem factam tempore lucidi intervalli & sanae mentis, si actus electionis quietè habitus stultitiam non sapit; sed congruit homini sanae mentis. Menoch. *praesumpt.* 45. *num.* 66. Pass. *loc. cit.* citans Cuvar. Fulgos. Jason. Bald. *in l. furiosum. v. qui ratam facere pos.* Secundò perfectè ebrii propter eandem rationem. Tertiò iracundi, intellige, pro statu iracundiae tollentis usum rationis. Pax Jordan. *lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 2. Pass. *de elect. c.* 10. *nu.* 14. Ac denique daemoniaci, intellige, si privantur usu rationis; secùs si usu rationis libero polleant. Pass. *loc. cit. num.* 15. citans Sigism. de Bonon. *de elect. dub.* 86. *num.* 11.

Quaestio 255. Quid hoc in puncto dicendum de impubere, hoc est, minore 14. annis, si sit masculus, vel 12. si sit faemina?

Respondeo: eos regulariter loquendo jure naturae eligere non posse. *c. ex eo. h. t. in 6.* Franc. Barb. &c. cum communi. Etsi enim talis attigisse ponerit annos discretionis, & habere deliberationem, quae sufficit ad peccandum mortaliter; non tamen censetur habere eam experientiam & prudentem deliberationem, quae est necessaria ad electionem Praelatorum Ecclesiae. AA. iidem. Pass. *loc. cit. num.* 10. citans Barb. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *num.* 48. Bax. *de elect. p.* 1. *cap.* 16. Sylv. *v. elect.* 1. *num.* 5. *&c.* Unde licèt jure antiquo pupillus modò infantiam (qualis in jure vocatur aetas minor 7. annis, uti & aetas ab exacto septennio ad annum decimum quartum dicitur pueritia. *l. si infantes. c. de jure liberandi*) excessisset, consequi poterat beneficium, imò Canonicatum Cathedralis Ecclesiae. Argum. *c. ex eo.* non tamen pupillus, etsi septennio major, admittebatur ad ferendum suffragium in Capitulo. Gl. *in c. si eo tempore. de rescript. in* 6. Porrò jure quoque Ecclesiastico novo eatenùs impuberes quasi consecutivè excluduntur ab eligendo, quatenùs juncta *reg.* 17. *cancell.* admitti quis nequit ad Canonicatum Cathedralem ante annum decimum quartum, & ad Canonicatum Ecclesiae Collegiatae ante annum decimum, & Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reformat.* statutum, ut nullus beneficium obtinere possit ante annum 14. Item quatenùs, ut dicemus paulò pòst, in Electore necessarius est Ordo sacer, ad quem necessaria est aetas longè superans statum impubertatis. Pass. *cit. num.* 10. *in fine.*

Quaestio 256. Quid hac in parte sit circa caecos & surdos?

Respondeo: non prohibentur eligere, cùm liberè de eligendo deliberare valeant. Pass. *cit.* c. 10. *num.* 16. citans Castel. *loc. paulò pòst citand.* & Dian. *p.* 5. *t.* 6. *resol.* 13. Sed neque necessarium, quamvis bonum, ut caecus votum suum faciat scribi ad mentem suam ab aliquo ex iis, qui non habent interesse in futura electione, requirendo etiam ab eodem, ut praestet sibi juramentum de fideli annotatione personae à se nominatae. Pass. *loc. cit.* contra Castel. *de elect. c.* 5. *num.* 59. & 68. Consulitur tamen caecis à Dian. & Castell. *ll. cit.* (quod Sigism. à Bonon. extendit ad surdos) ut renuncient voci suae, ad tutiore conscientiâ agendum.

Quaestio 257. An ad hoc, ut quis eligere possit validè, requiratur Ordo sacer?

1. Respondeo: id requiri in Ecclesiis Cathedralibus, quin & Collegiatis. *Clement. ut ii, &c. de aetate & qualitate.* Trid. *sess.* 22. *c.* 24. *de reform.* statuenti ad praecludendam viam post plurium annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deserendi statum Clericalem. Pass. *cit. c.* 10. *num.* 50. Engels *hic num.* 6.

2. Secùs est in Ordinibus, non tantùm faeminarum & virorum constantibus ex Religiosis laicis, ut sunt Ordines militares, hospitalarii. Abb. *in c.* 1. *de procurat.* sed etiam in Ordinibus aliis, Monasteriis & Ecclesiis Regularium, quorum constitutionibus cavetur, posse quemlibet professum, etiam sacris non initiatum, habere vocem in Capitulo. Ad ea enim monasteria se non extendit constitutio illa Trident. Tabiena *v. electio. n.* 5. Portel. *v. electio. num* 2. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 52. *a.* 5. & alii nixi declarationi S. Congregationis *data* 22. *Maji anno* 1577. sic declarantis teste Bellarm. *ad sess. illam* 22. *c.* 4. ac proinde in hoc servandae cujusque Ordinis leges & consuetudines. Pass. *c.* 10. *num.* 54. Praesertim, cùm etiam laici conversi consuetudine praescribere possint, ut vocem habeant in Electionibus Canonicis. gl. *in c. ex eo.* manifestè dicens, per illud caput non fuisse abrogatam talem consuetudinem legitimam. Pass. *loc. cit. n.* 58. vide Barb. *ad cit. c.* 4. *sess.* 22. Sed neque de caetero illis obstat textus *cit. c. ex eo. h. t. in* 6. *Conversi laici cum Clericis electionibus interesse non debent in Ecclesiis regularibus vel monasteriis.* Monachi siquidem & religiosi professi, etsi nequidem Clerici, adeòque adhuc laici, dummodò deputati sint ad Clerum, nunquam veniunt nomine laicorum conversorum, adeòque ad hos se non extendit dicta constitutio. Gl. *in c. ex eo. v. cum Clericis.* Felin. *in c. non dubium. de sent. excom.* Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Sed potiùs virtualiter eos admittit, excipiendo solos laicos conversos, juxta illud: Exceptio firmat regulam in contrarium. Suar. *ibid.* Qui nihilominùs ostendit, probabiliter sustineri posse contrarium, nimirùm nomine laicorum conversorum in *cit. c. ex eo.* comprehendi quoque religiosos alios quoscunque non ordinatos. Quin &, quidquid sit de hoc & jure antiquo, censet, nunc saltem & de jure novo, hoc tenendum propter *cit. Clement. ut ii, &c.* Quippè ubi Pontifex statuit, ut nullus de caetero in Ecclesiis etiam regularibus vocem in Capitulo habeat, nisi saltem subdiaconus, satisque ostendit, se loqui etiam de propriè Monachis, iisque religiosis, qui ad divina Officia sunt destinati, addendo hanc rationem suae constitutionis: ut ii, qui divinis Officiis sunt mancipati, aut mancipabuntur, imposterùm ad suscipiendos Ordines propensiùs inducantur. Quibus adde, quòd in *dicta Clement.* addatur: *Non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis.*

Quaestio 258. Quid, si ergo initio quidem vacationis Ecclesiae Canonicus non sit in sacris, possit tamen esse in iis intra tempus constitutum electioni?

Respondeo: id sufficere; quod enim dicitur in Electionibus spectari initium, de initio electionis, non vacationis intelligendum. gl. *in cit. clem.* 2. *v. constitutus.* Pass. *n.* 59. citans quamplurimos. Non tenentur tamen caeteri Capitulares (modò tamen non praeveniant tempus à jure electioni constitutum)

exspectare, usque dum talis ordinetur, uti nec impuberem, etsi ejus pubertas proximè finienda sit, nec novitium proximè professurum, &c. Sed absque horum injuria uti possunt jure eligendi, quando ipsis opportunum videbitur. gl. *loc. cit.* Pirh. *n.* 13. & ab eo citatus Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 52. Pass. *cit. c.* 10. *n.* 59. citans insuper Castil. *de elect. c.* 8. *n.* 21. Camill. *in director. p.* 1. *c.* 5. *n.* 1. *&c.*

Quæstio 259. *Quid hac in parte dicendum de eo, qui ex dispensatione Pontificis, vel etiam absque illa ante legitimam ætatem fuit ordinatus subdiaconus?*

1. Respondeo ad primum: habere illum jus ferendi suffragii. Neque enim *cit. Clem.* & Trident. directè requirunt in eligente ætatem sufficientem pro subdiaconatu, sed ipsum subdiaconatum. Barb. *ad cit. Clem. n.* 6. & *de Canonicis. c.* 37. *num.* 3. Felin. *in c. postulâsti. de rescript. n.* 11. Suar. *loc. cit. n.* 7. Tamb. *de jure Abb. to.* 1. *d.* 5. *q.* 8. *n.* 10. Sanch. *de matri. l.* 8. *d.* 1. *n.* 23. quos citat & sequitur Pass. *cit. c.* 10. *n.* 60.

2. Respondeo ad secundum: neque talem præcisè ratione ætatis, vel etiam ex vi *cit. Clem.* & Concil. Trid. esse inhabilem ad ferendum suffragium; habet enim requisita ab iis, nempe subdiaconatum. Abb. *in cit. Clem. n.* 8. Suar. *loc. cit.* Pass. *n.* 61. Sed tantùm jure novo, quia *Extravag.* nimirùm Pii II. *Cùm ex sacrorum, &c.* jure seu ipso facto suspensus est talis culpâ suâ (secùs si absque sua culpa id factum) subreptitiè ordinatus ante legitimam ætatem. Barb. ad *loc. cit.* Trident. Rodriq. *tom.* 3. *q.* 23. *a.* 12. Suar. Tamb. *ll. cit.* apud Pass. *cit. n.* 61.

Quæstio 260. *An dispensatus à Papa super ætate necessaria ad Canonicatum, eo ipso sit dispensatus, ut, etiamsi non sit in sacris, possit habere vocem in electione?*

Respondeo negativè. Pass. *loc. cit. n.* 63. Barb. *de canonic. loc. cit. n.* 13. Dispensatus enim ad Canonicatum non est eo ipso dispensatus ad Ordinem sacrum. Rota *in Senens. Archipresby.* 23. *Junii ann.* 1606. cit. à Pass.

Quæstio 261. *Utrùm ex legitima causa absenti, quamdiu abest à loco, in quo Collegium congregatur pro electione, competat jus suffragii?*

Respondeo affirmativè enim communi, spectato nimirùm jure communi; (secùs námque esse potest per leges proprias Collegii vel Ordinis alicujus. Pass. *loc. cit. n.* 33.) conceditur enim illi ferre suffragium per procuratorem. *c. quia propter, &c. h. t. c. si quis justo. h. t. in* 6. Abb. Innoc. &c. *ibid.* Barb. *de jure Ecclesiast. l.* 1. *c.* 19. *n.* 100. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 4. Azor. *instit. mor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. *q.* 7. Tamb. *de jure Abb. To.* 1. *d.* 1. *q.* 3. Pass. *loc. cit. n.* 33. citans insuper plures alios. Nisi tamen valdè distet à loco electionis, & maneat, (secùs enim est, si tempore electionis denuò reversus sit ad locum viciniorem, etsi tempore citationis needum in eo fuerit. Pass. *loc. cit. n.* 39. contra Barb. *loc. cit. n.* 108.) ubi non potest commodè vocari; tunc enim jure communi nullum habet jus constituendi Procuratorem, sed nec citari debet aut moneri de habenda electione. *cit. c. quia propter & ib.* gl. & Barb. *n.* 37. referens plures alios.

Quæstio 262. *Quinam in præsenti materia habeantur adhuc pro præsentibus?*

Respondeo: Qui ægri decumbunt (idem est de alio justo impedimento detentis. Buttio in *c. quia propter. n.* 67. Castell. *c.* 12. *n.* 20. Tabien. &c. apud Pass.) in conventu vel domo, ubi congregatur Capitulum, etsi præsentes non sint in loco loci, seu in aula particulari, in qua fit electio; Proinde ad eos accedere debent scrutatores, & eorum votum recipere. Barb. *cit. n.* 108. Thol. *de elect. c.* 16. *n.* 7. Azor. *n.* 2. l. 6. *c.* 14. *q.* 7. Lavor. *l.* 4. *de elect. c.* 17. *n.* 44. Pass. *n.* 32. & plures alii apud illum. Idem dicendum de iis, qui extra illam domum in eadem civitate vel oppido, suburbiis, in hortis adjacentibus simili impedimento detinentur, censent Sigismund. à Bononia, Sylv. Hostiensis cit. à Pass. *n.* 32. quod tamen ipse tunc tantùm censet tenere, quando parva est distantia inter locum electionis, & locum, quo tales detinentur; eò quòd ipsi videatur durum, saltem de regularibus, ut scrutatores Collegio congregato, & cæteris exspectantibus, teneantur per civitatem inquirere votum infirmi.

Quæstio 263. *Utrùm absentes, præciso privilegio vel consuetudine legitimâ, validè ferant suffragium per literas?*

1. Respondeo negativè. *cit. c. si quis justo.* & ibi gl. & DD. omnes teste Pass. contra Azor. & Portel. apud eundem censentes, dare suffragium per literas obsignatas, non esse contra jus commune. Verùm nequidem consentiente capitulo id fieri posse, censent Barb. *ad c. si quis justo. & cit. n.* 108. Castel. *c.* 5. *n.* 65. & alii.

2. Quinimò id fieri nequit, etiamsi nullus ex Capitulo pro absente impedito procuraturam suscipere velit; neque etiam Capitulum consentiat, ut Procurator externus constituatur. *cit. c. si quis justo.* Pass. *n.* 35. contra Host. *de elect. n.* 88. De forma enim scrutinii est, ut vota dentur sigillatim & secretò; tales autem literæ deberent imprimis legi, & tanquam propriâ manu scriptæ cognosci à Capitulo, Engels hîc *n.* 10. Verumtamen dicta intelligenda sunt de iis electionibus, in quibus accuratè servanda est forma scrutinii, præscripta in *c. quia propter.* In aliis enim v. g. regularium quorundam, quæ fiunt per schedas obsignatas in urnam conjectas, potest absens, uti & infirmus talis suffragium suum ita scriptum ad Capitulum mittere. Laym. *ad c. si quis justo. n.* 3. & ex eo Pirh. *hic. n.* 151.

Quæstio 264. *Quando absens suffragium suum ferre possit per Procuratorem?*

1. Respondeo: si adsint sequentes conditiones, primò si verè absens est, (qualis in præsenti materia censetur is, qui taliter est extra locum electionis, ut Scrutatores non teneantur eum accedere personaliter pro recipiendo suffragio, juxta cujusque Collegii leges vel consuetudines. Pass. *n.* 36.) Etsi in negotiis aliis possit quis etiam non impeditus loco sui constituere Procuratorem. *l.* 1. *ff. de procurat.* In electionis tamen negotio expressè cautum est contrarium. *c. quia propter:* Quod tamen, quia constitutum in favorem habentium jus eligendi, poterit ex consensu Capituli hic & non renunciantis huic favori, etiam non impeditus per Procuratorem ferre suffragium suum. Abb. *in c. quia propter. n.* 1. Barb. *cit. c.* 19. *n.* 110. Pass. *loc. cit. n.* 42. Pirh. *n.* 146.

2. Secundò: si verè impeditus sit, v. g. gravi infirmitate vel metu ob capitales inimicitias, detentione violentâ, vocatione ad altius tribunal, &c. gl. *in c. quia propter. v. ventre.* Barbos. *loc. cit. n.* 109. Pass. *n.* 40. Durante hoc impedimento, non tantùm pro eo tempore, quo Procuratorem instituit, sed etiam, quo facienda est electio. Castel. *citat. c.* 5. *n.* 91. Pirh. *n.* 146. Pass. *loc. cit.* Absente manente pro eo tempore in eo statu, ut, si præsens esset, posset eligere, v. g. non incidente in excommunicationem, suspensionem, maniam, &c. Tholos. *de elect. c.* 6. *n.* 8. Absurdum enim est illos admitti, quorum repellerentur authores. *c. licet, &c. de testibus.* Porrò, si impedimenti legitimitas capitulo non constat, probari potest juramento. Pass. *n.* 41. Mascard. *de prob. concl.* 884. *n.* 2. Seraph. *de privileg. jurament. privil.* 55. apud Barb. *in c. quia propter. n.* 38. Præstante hoc juramentum, vel ipso principali, & faciente de hoc constare in ipso instru-

instrumento procuræ vel ejus procuratore, habente speciale mandatum à Principali jurandi in animam suam. Pass. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n.* 110. Host. *loc. cit. n. 8.* Quod tamen juramentum, ubi Capitulum remisit, (uti potest. Pass. *n.* 42. Barb. *loc. cit.* Innoc. *in c. quia propter. & ibi* alii) non potest quis post electionem probare, quòd absens non fuerit impeditus, cùm collegium (quod, uti dictum, potest etiam non impediri admittere procuratorem) renunciârit quoque in hoc juri suo. Pass. Barb. & alii *ll. cit.*

Quæstio 265. Utrùm potestas eligendi in absentia per Procuratorem competat etiam regularibus?

Respondeo affirmativè, modò id iis vetitum non sit speciali statuto contrario, (uti contingit in ordine Prædicatorum, teste Pass. *c.* 10. *n.* 48.) Garc. *de benef. n.* 5. *c.* 4. *n.* 20. Tamb. *tom.* 1. *d.* 5. *q.* 4. *n.* 6. Lezan. Barb. &c. apud Pass. Nihilominùs postquam Trid. *sess.* 25. *c.* 8. statuit, ut electio in regularibus sit secreta, absens non poterit jam ampliùs eligere per procuratorem constitutum cum speciali mandato eligendi determinatam personam, quia talis Procurator non potest eligere, quin publicetur eligentis nomen. Garc. *loc. cit. n.* 200. referens ita decisum à S. Congregatione. Tamb. *loc. cit. num.* 6. Vide Card. de Luca *in annot. ad Concil. Trid. discursu* 37.

Quæstio 266. Qualis debeat esse Procurator?

1. Respondeo primò generaliter, procuratorem debere habere omnes conditiones, quæ de cætero requiruntur in eligente præsente; adeóque in electione Ecclesiastico non posse esse laicum, vel alterius Ordinis, non excommunicatum, &c. Pass. *n.* 44. tradit.

2. Respondeo secundò specialiter, illum debere esse unum è Collegio. Pass. *n.* 35. juxta *c. quia propter:* quamvis nemo è Collegio teneatur eam procuram admittere. gl. *in c. quia propter. §. illud.* Pass. *n.* 43. Barb. *loc. cit. n.* 112. quia nemo invitus Procuratoris munus suscipere cogitur. *l. invitus. c. de procurat.* Potest nihilominùs etiam institui procurator, qui non est de Collegio, & hunc admittere potest Collegium, modò aliàs idoneus sit. *c. si quis justo. h. t. in* 6. Abb. *in c. quia propter. §. illud n.* 2. Barb. *loc. cit. n.* 104. Pass. *n.* 43. non tamen tenetur, ne quidem in casu, ubi nullus de Collegio procuram vult suscipere. AA. iidem. In actibus enim etiam aliis gerendis per universitatem seu Collegium non tenetur illud admittere procuratorem externum. Jo. And. *in c. quod alicui. de reg. juris in* 6. *n.* 17. adeóque hoc sibi imputare debet absens elector, quòd nullum invenire possit, qui velit esse Procurator. gl. *in c. quia propter. §. illud. v. venire.* Si tamen id fieret per fraudem vel conjurationem, tum absens conqueri posset de injuria & contemptu, & petere, ut rescindatur electio. Tholos. *de elect. c.* 6. *n.* 9. cùm omnis fraus ab electione longè abesse debeat. *c. cùm dilectus. h. t.*

Quæstio 267. Quid agere vel non agere quoad electionem possit Procurator?

1. Respondeo primò: dum est de gremio electorum constitutus cum mandato generali, duo quidem suffragia ferre potest, unum suo, alterum Principalis sui nomine: non tamen unum suo, & alium Principalis sui nomine eligere potest. *c. si quis justo.* Barb. *loc. cit. n.* 105. Tambur. *loc. cit.* Pass. *cit. n.* 43. Et si sic divideret sua suffragia, utrumque suffragium est irritum, seu nihil ageret, *eodem c. si quis justo. §. porrò.* Verùmque idipsum est propter expressum *hujus c.* textum, etiamsi sic dividens sua suffragia non peccaret in conscientia, (in qua de cætero tenetur eligere digniorem, non secùs ac ipse illius principalis) dum nimirùm isti duo, in quos dividit sua suffragia, essent æquè digni. Pass. *loc. cit. n.* 43. contra Castel. & Barb. *cit. n.* 105. Molin. & Sigism. à Bonon. ab eo citatos. Contrarium tamen est, ubi Procurator speciale mandatum haberet de certa persona eligenda: tunc enim illam, & non aliam nomine procuratorio eligere potest, (ne aliàs excederet fines & formam mandati sui, gl. *hic v. mandatum)* utpote quam tunc non tam ipse, quàm ejus Principalis liberè eligere censetur: potens interim nomine suo eligere alium, quem censet æquè vel magis dignum. Barb. *loc. ult. cit.* Tholos. *cit. c.* 6. *num.* 11. Pirh. *hic n.* 150. Non enim tenetur judicium suum conformare judicio Principalis. Engels *hic n.* 10. Ubi autem in mandato tali procuratorio nominaretur ei persona non idonea, non debet Procurator mandatum recipere. Host. *in sum. h. t. n.* 8.

2. Secundò, potest talis Procurator habens speciale mandatum de certa persona eligenda, subdelegare sibi alium: sic námque nec Principali suo, nec Electoribus præjudicat; cùm enim eligi debeat præscriptus à mandante, fines mandati à substituto excedi nequeunt. Secùs videtur de procuratore instituto cum generali mandato, eò quòd censeatur hic munere electus ad procuram propter specialem ejus industriam & discretionem. Pirh. *n.* 150. citans gl. *in c. si quis v. de certa.* Ubi tamen ipsi mandato procuræ inserta foret potestas substituendi sibi impedito alium, adhuc dubium fore, an substituere hunc sibi posset, ait Pass. *n.* 45.

3. Tertiò, Procurator cum speciali mandato non potest sub alia forma, quàm scrutinii consentire in electionem, quia ea sola intelligitur demandata. *gl. apud Pirh.* Econtrà procurator cum generali mandato potest compromittere, & sub aliis formis, quàm scrutinii eligere, cùm constitutus indefinitè ad eligendum totum jus mandantis quoad hoc in se translatum habere videatur. Arg. *c. venerabili. de off. jud. delegat.*

4. Denique si ante electionem absens elector moriatur, procurator cessare debet. Barb. *loc. cit n.* 110. censent tamen Tamb. *loc. cit. n.* 8 Archid. *in c. si quis justo. n.* 3. citati à Pass. *n.* 42. quòd si mors ab Electoribus ignoretur, & procedat electio, eam tenere.

Quæstio 268. Num absens plures procuratores suo loco constituere possit, & quis eorum admitti debeat ex consensu Capituli?

1. Respondeo ad primum affirmativè, modò singuli constituantur in solidum, hoc est, ut unus sine altero eligere possit. *c. quia propter. § illud, & c. si quis justo.* Pass. *n.* 46. Si enim non constituti sunt in solidum, nullus illorum est admittendus; possent enim alias vota dare diversis. *ibid.*

2. Respondeo ad secundum: in isto casu locum esse præventioni, ita ut is admittendus sit, qui alios prævenit; vel si duo concurrant simul, petántque admitti, unus tantùm sit admittendus, ille nimirùm, qui priùs petiit admitti; & in dubio, quis prius petierit, is, quem major Capituli pars designavit; vel si in hoc non concordârint Capitulares, is, qui prior in literis vel instrumento procurationis fuit nominatus. *c. si quis justo.* Pass. *loc. cit.*

Quæstio 269. Num excommunicato excommunicatione minore competat jus suffragii, illúdque datum valeat?

Respondeo affirmativè. Pirh. *n.* 28. Zoësius *hic. n.* 13. Pass. *c.* 10. *n.* 86. cum communi. Sumitur ex *c. illa. h. t.* ubi Pontifex confirmat electionem tanquam canonicam, etsi quidam Electores fuissent excommunicatione minore seu simplice excommunicati. Quòd autem ibidem dicat, se supplere ex plenitudine potestatis defectum, si quis fortè intervenisset, id non ex necessitate, sed ex abundante ad cautelam factum, gl. *ib. v. supplentes.* Ratio responsi est, quia hæc excommunicatio non privat communione fidelium, neque suspendit ab officio vel beneficio, sed tantùm à participatione Sacramentorum. *c. ult. de Clerico excom.*

Quæstio 270. An idem dicendum de excommunicato excommunicatione majore notorio quidem, tolerato tamen?

1. Respondeo affirmativè. Zoëſ. *n.* 10. citans Navar. *in ſum. c.* 27. *n.* 7. Suar. *tom.* 5. *de cenſ. d.* 14. *ſ.* 2. *n.* 18. Filiuc. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 6. *n.* 151. Paſſ. *loc. cit. num.* 76. Peyr. *in præl. q.* 2. *c.* 5. *n.* 15. Barb. *de jure Eccl. c.* 19. *n.* 56. contra Caſtel. *de elect. c.* 5. *n.* 18. & 48. Donat. *tr.* 4. *q.* 8. Innoc. *in c. cùm dilectus. de conſuet. &c.* Quidquid enim ſit de jure antiquo, quo dicitur ſententia à tali excommunicato lata invalida. *c. adverſus. de immunitate Eccleſ.* & à tali delegatus carere jurisdictione. *c. ſi is cui. &c. de off. jud. deleg.* jure novo poſt *Extrav.* Martini V. *ad evitanda* (quæ edita in Concil. Conſtant. etſi non extet inter hujus Concilii acta, ejus tamen decretum renovatum à Leone X. *in Concil. Lateran. ſeſſ.* 11. Paſſ. *c.* 10. *num.* 64.) communicari poteſt cum excommunicato quocunque, excepto nominatim denunciato, & percuſſore Clerici notorio. Si autem hoc licet, acta ejus valere debent, ne aliàs fruſtrà illicitum eſſet cum tali communicari. Zoëſ. *loc. cit.* Sed neque excommunicatio privat officio & exercitio jurisdictionis, priuſquam excommunicatus ſit denunciatus. Unde valida eſt electio facta, nullo reclamante. Paſſ. *cit. c.* 10. *n.* 77. citans Covar. *in c. alma. p.* 1 §. 7. *n.* 9. Bonacin. *de cenſur. d.* 2. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 6. Filiuc. Suar. Barboſ. *ubi ante.* Proceditque id ipſum, etſi omnes Electores ſint excommunicati. Paſſ. *ibid.* Quin etſi poteſtas eligendi redacta ſit ad unum, valet electio, etſi hic ſit excommunicatus. Suar. *loc. cit. n.* 8. Non ſecùs ac valet collatio facta ab Epiſcopo excommunicato non denunciato, ideóque tolerato, juxta quamplurimas Rotæ deciſiones, quas citat Paſſ. *loc. cit.* Nec obſtat, quòd ſuſpenſus ſit ab officio & beneficio, cùm ea ſuſpenſio tantùm ſit quoad ea exercenda licitè quoad ſe, non quoad alios, ita ut licèt peccet, ſe ingerendo & ſuffragium dando; non tamen noceat electioni, quamdiu non rejicitur, Eccleſiâ ſupplente & conferente ad talem actum jurisdictionem. Zoëſ. *ib.* remittens ad Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 7. *n.* 9.

2. Porrò idem multò magis dicendum de excommunicato occulto, nimirùm ejus acta multò magis ſuſtinenda. Zoëſ. *loc. cit. n.* 11. Cùm enim quis exercet munus aliquod publicum, (quale eſt officium eligendi Prælatum; eligere enim convenit Canonicis, non ex vi Canonicatus, ſed ex publica auctoritate iis ab Eccleſia conceſſâ & per ordinem ad bonum commune. Suar. *loc. cit. n.* 6.) & in eo ſuſtinetur defectus, maximè occultus, non afficit actus illius, qui ex Reipubl. interpretatione ſunt validi. *c. ad probandum. de re judic.* & *ibi* Abb. *n.* 15. Felin. *n.* 3. & *l. Barbarius ff. de offic. Prætoris*, qui textus licèt ſit de civili magiſtratu, idem tamen ſtatuendum in Eccleſiaſtico, cùm Eccleſia non minore providentiâ proſpiciat fidelium utilitati, quàm Reſpubl. ſuorum civium. Zoëſ.

Ac denique dicendum idem de excommunicato, denunciato quidem & notorio alibi, in loco tamen exercitii vel actûs habendi habito pro non excommunicato, nimirùm quòd acta ejus ſuſtinenda ſint, ita poſtulante neceſſitate & utilitate publicâ. Abb. *c. ad noſtram. de jurejurand. n.* 13. cit. à Zoëſ.

Quæstio 271. An nihilominùs excommunicatus excommunicatione majore toleratus poſſit per exceptionem repelli ab eligendo? Quid efficaciæ habeat ea exceptio? Et qualiter inſtituenda?

1. Respondeo ad primum affirmativè. Laym. *de elect. q.* 26. Paſſ. *cit. c.* 10. *n.* 71. cum communi. Tametſi enim, ut idem per *extrav. ad evitanda*, permiſſum fidelibus cum tali communicare, non tamen etiam per dictam *extrav.* ablatum à fidelibus, quin poſſint juxta jus antiquum vitare occultè, ſi occultus eſt, publicè, ſi publicus eſt; adeóque poterunt Electores eum vitare, ſi ſit notorius, vel contra ejus votum proteſtari; quæ tamen proteſtatio foret fruſtranea, ſi non eſt ſpes probandi excommunicationem in judicio; imò quandoque contra juſtitiam vel caritatem. Paſſ. *loc. cit.*

2. Reſpondeo ad ſecundum & tertium: exceptionem talem ſupervenientem electioni jam factæ invalidam eſſe, & nihil operari, quia Capitulum eligens ante omnem oppoſitionem & reclamationem, non obſtante tali excomunicatione, jam elegit validè. Paſſ. *n.* 78. & AA. iidem. cit. pro reſp. ad *q. præced.* Si verò præceſſerit electionem facta ab uno alteróve tantùm, (non enim hoc ipſo tenentur alii Electores talem excommunicatum rejicere, ſed poſſunt, ſi volunt, cum eo communicare vi *cit. Extrav. ad evitanda.*) agendum eſt proteſtationibus, & fugiendum periculum & ſcandalum, etſi factâ electione conſtiterit, electum fuiſſe electum vi ſuffragii dati ab excommunicato, (eò quòd præcisè ratione iſtius ſuffragii computati electus jam fuerit à majore parte Capituli) vel ſi de hoc dubium, electio erit caſſanda: ſi autem conſtiterit electum etiam hoc ſuffragio non computato habere ſufficientia ſuffragia, electio erit valida & ſuſtinenda. Paſſ. *n.* 79. Suar. *loc. cit.* contra Peyr. *cit. q.* 2. *c.* 5. *n.* 17. docentem abſolutè, ſeu in utroque caſu electionem irritandam. Quinimò ſi ex ſpeciali ſtatuto ad validam electionem requiratur conſenſus omnium, adhuc talis unanimiter ab omnibus facta electio, in qua concurreret excommunicatus toleratus, etiam dum aliquis contra eum proteſtatus fuiſſet, foret valida, & dicenda unanimis, cùm jam talis excommunicatus propter proteſtationem contra ſe factam redditus inhabilis ſe habuiſſet, tanquam non interfuiſſet, Bonac. *de cenſ. d.* 2. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 6. Quod ipſum approbat Paſſ. *loc. cit. n.* 79.

Quæstio 272. Utrùm notoriè excommunicato non tolerato competat jus ſuffragii?

Reſpondeo negativè. *c. conſtitutis. de appell.* juncta gl. *v. excommunicationis. c. unico. ne ſede vacan.* 6. Laym. *loc. cit.* cum communi. Proceditque idipſum, ſive talis excommunicatus ſit compromiſſarius, ſive ſimplex elector. Paſſ. *loc. cit. n.* 66. Eſt enim privatus omni exercitio jurisdictionis & officii, adeóque latum ab eo ſuffragium ipſo jure irritum. Arg. *c. cùm inter. h. t.* juncta gl. *v. caſſata.* Porrò hæc locum non habent in electione ſummi Pontificis, etiamſi omnes Cardinales Electores eſſent excommunicati; ut enim vitetur periculum ſchiſmatis in Eccleſia, juſtiſſimè ſtatutum eſt, ut in hac electione nulla valeat exceptio excommunicationis. Greg. XV. *in conſtit. Æterni Patris. Clem. ne Romani, &c.*

Quæstio 273. An ipſo facto irrita quoque ſit electio, ſi talis excommunicatus ſcienter admittatur ad coëligendum?

Reſpondeo affirmativè. Suar. *loc. c. n.* 9. Barb. *cit. c.* 19. *n.* 56. Navarr. *de elect. conſ.* 1. *num.* 2. & alii quamplurimi, quos citat & ſequitur Paſſ. *n.* 65. contra Laym. *p.* 1. *t.* 5. *c.* 2. *n.* 13. & Caſtrop. *p.* 6. *de cenſ. d.* 2. *p.* 13. *n.* 13. docentes, talem electionem ſolùm eſſe irritandam. Rationem dat Paſſ. quòd ex eo, quo Electores cum tali communicant in eligendo cooperantes ei in eo, quod ex vi excommunicationis ei eſt inhibitum, vis excommunicationis eos afficiat, & eorum factum vitiet. Arg. *c. fin. de procurat.* ubi Papa ideo cenſet Procuratorem eſſe repellendum, quia electio ejus ob admiſſionem voluntariam excommunicatorum fuit nulla. gl. Abb. Innoc. & alii *ibid.* Verúmque idipſum adhuc eſſe in caſu, quo electi ſunt duo, unus ab excommunicatis, alter à non excommunicatis, ita ut facta ab his electio ſit nulla, quia admiſerunt ad coëligendum excommunicatos, tenet Leander à S. Sacramento cit. à Paſſ. Secùs dicendum, nimirùm validam eſſe, & remanere electionem, dum alii Electores probabiliter ignorârunt, talem eſſe excommunicatum non toleratum; videndum tamen, num,

dempto

dempto suffragio à tali dato, adhuc electus sit pluribus medietate suffragiis, juxta dicta *ad q.* 270. Suar. *loc. cit. n.* 11. Sylv. *v. electio. n.* 17. Innoc. Abb. *in c. illa. h. t.* gl. *in c. si quando. h. t. in* 6. *&* 16. Gemin. *n.* 5. & alii plures apud Pass. *n.* 67.

Quæstio 274. Quid si excommunicatus notoriè non toleratus non possit sine gravi periculo vel scandalo, similémve ob causam expelli ab electione?

Respondeo: electionem fore validam. Sylv. Ab. Innoc. *ll. cit.* Necessarium tamen est, ut cæteri Electores protestentur, (quod sufficiet fieri occultè, dum nequit sine gravi incommodo fieri publicè, semper tamen coram testibus. Sigism. à Bon. *de elect. dub.* 63. Pass. *n.* 68. Abb. *in c. illa. n.* 7. Peyr. *in Subd. q.* 2. *c.* 31. §. 6.) se non velle per hoc censeri communicare cum illo, illiúsque votum tanquam nullum habendum. Barb. *loc. cit. n.* 57. Ant. de Bur. Innoc. Abb. *in c. Cumana. h. t.* Non tamen opus est, ut non excommunicati in isto casu exeant de Capitulo, & alibi vel alio tempore eligant, etiamsi non instet terminus electioni statutus. Pass. *n.* 69. citans Sylv. Braxium, Sigism. à Bon. habent enim jus eligendi, cùm eis bonum videbitur, quod non tenentur negligere; neque tenetur quis exire suâ domo, si ab ea nequit ejicere excommunicatum, aut sua negotia relinquere, quia excommunicatus facit ei vim, unde cogitur cum eo communicare. Pass. *loc. cit.* Porrò idem dicendum, dum excommunicatus est denunciatus vel notorius percussor Clerici; id tamen non scitur certò, eò quòd percussio vel denunciatio facta sit alibi; unde non nisi dubia fama pervenit ad locum electionis; cùm enim in dubio unusquisque manutenendus sit in possessione juris sui, talis non poterit ejici, adeóque Electores habent impossibilitatem (intellige juris) eum ejiciendi. Suar. *loc. cit. n.* 16. Pass. *loc. cit. n.* 70.

Quæstio 275. An excommunicatus talis occultus adhuc, quia potest tergiversatione adhuc aliquâ excommunicationem suam celare, etsi Electores conscii de illius excommunicatione certi sint, quòd illam possint in judicio probare, (& vel hinc necesse non esset, eum vocare ad electionem, ut tenet Innoc. in c. in literis. de restit. spoliatorum) *possit vi ejici ab electione, & sic ejectus nequeat agere pro electione cassanda?*

Respondeo negativè cum Pass. hoc fusè tractante *n.* 72. *&* 73. talis enim, cùm sit in possessione eligendi, à qua non potest privatâ auctoritate expelli, etiamsi manifestus, antequam sit per sententiam declaratus. Nec dicas primò: possessionem illam esse injustam; nam dato hoc, etiam prædo spolium injustè possidet, non tamen hâc possessione dejici debet auctoritate privatâ; quin & in judicio prædo restitui debet: ita etiam excommunicatus talis, licèt posteà constet de ejus excommunicatione in judicio, privabitur electione in futurum: declarabitur tamen spoliatus injustè tempore electionis, ideóque electio in odium spoliantium erit cassanda. Nec dicas secundò: non excommunicatos posse taliter excommunicatum vitando private communicatione, imò ad hoc jure antiquo ante *cit. Extrav.* fuisse obligatos: aliud námque est, nolle communicare cum tali, quod licitum est, aliud viâ facti privare illum jure, quod possidet: in summa itaque securiùs est etiam notorium (ubi notandum difficile esse, ut alicujus excommunicatio non denunciata sit plenè notoria, ita ut non possit tergiversatione aliquâ celari. Pass.) toleratum tamen excommunicatum nolentem exire de Capitulo, non expellere vi, sed agere contra eum protestationibus, vel procurare, ut per Superiorem declaretur privatus voce.

Quæstio 276. Utrùm suspensus possit eligere validè?

1. Respondeo primò: suspensus toleratus; (suppono enim hîc æquè ac in excommunicatione locum habere distinctionem illam inter toleratum & non toleratum; cùm *cit. Extrav. ad evitanda* loquatur universaliter de omni censura Ecclesiastica. Pass. *c.* 10. *n.* 96.) hoc est, non denunciatus nominatim per sententiam judicis, (etsi peccet ingerendo se electioni. Pass. *loc. cit.*) validè tamen eligit, juxta dicta de excommunicato tolerato, nisi ante electionem fiat exceptio contra illum, (in quo casu servandum, quod dictum de excommunicato tolerato. Pass. *ibidem*) quia talis suspensus non est privatus exercitio jurisdictionis, gestáque per talem sunt valida. Suar. *loc. cit. n.* 2. Bonac. *loc. cit. d.* 3. *q.* 6. *p.* 4. *n.* 7. Peyr. *in subd. q.* 2. *c.* 5. §. 1. *n.* 33. Barb. *de jure Eccl. l.* 1. *c.* 19. *n.* 123. Pirh. *n.* 30. Pass. *loc. cit.* contra Sigism. à Bon. *dub.* 64. *n.* 9. & alios, quos citat.

2. Respondeo secundò: Suspensus (intellige non toleratus) simpliciter, hoc est, ab officio & beneficio, vel etiam suspensus tantùm ab officio, (intellige absolutè, & non tantùm ab uno officio particulari, seu uno actu officii; neque enim suspensus ab uno actu eo ipso suspensus est ab alio, cùm suspensio, utpote pœna non sit extendenda, adeóque suspensus à collatione Sacramentorum, eo ipso non est suspensus ab electione, ut contra Host. tenet Innoc. *in c. cùm dilectus. de consuet. n.* 4. Navar. *c.* 27. *num.* 160. Pass. *loc. cit. n.* 90. & alii) eliget invalidè. *c. cùm inter. h. t. cit. c. cùm dilectus. & ibi.* gl. *v. à suspensis.* Abb. *n.* 48. Innoc. *n.* 4. Tamb. *de jure Abb. to.* 1. *d.* 5. *q.* 8. *n.* 13. Barb. *ad c. cùm inter. n.* 4. Item *cit. c.* 19. *n.* 78. Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 12. Peyr. *in Prel. q.* 2. *c.* 5. *n.* 32. *&c.*

3. Respondeo tertiò: secùs dicendum de suspenso à beneficio tantùm, etsi nominatim denunciatus, cùm talis suspensus sit tantùm à perceptione fructuum; eligere autem & jus eligendi (uti & conferre beneficia, instituere, &c.) non est propriè loquendo fructus beneficii, sed actus officii & jurisdictionis, cui annexum est beneficium. Laym. *de elect. q.* 25. *& in c. cùm dilectus. n.* 7. Pass. *n.* 94. Suar. *loc. cit. n.* 34. contra Navarr. *c.* 27. *n.* 163. Barb. *in c. cùm inter. n.* 4. Sigism. à Bon. *n.* 5. in quantum docent jus eligendi posse esse fructum beneficii: quod si verum, jam in eo casu suspensus à beneficio invalidè eligit. Econtrà suspensus ab officio, utpote hoc ipso non suspensus à beneficio, eliget validè. Pass. *loc. cit.*

4. Respondeo quartò. secùs quoque dicendum de suspenso ab Ordine. Suar. *de cens. d.* 26. *s.* 4. *n.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 17. *c.* 2. *n.* 25. Barb. *cit. c.* 19. *n.* 58. Licèt enim Ordo & facultas eligendi per accidens conjungantur, in quantum hic tanquam conditio requiritur ad eligendum, non tamen posse eligere est fructus Ordinis. Pass. *loc. cit. n.* 95.

Quæstio 277. Num personaliter interdictus sit privatus jure & facultate eligendi, & hinc eligat invalidè?

Respondeo affirmativè, si est denunciatus. *c. cùm inter. h. t.* Less. *l.* 2. *c.* 24. *dub.* 22. *n.* 116. Barb. *loc. cit. n.* 62. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. Garc. *p.* 7. *c.* 14. *n.* 5. Laym. *loc. ult. cit.* Secùs est de personaliter interdicto non denunciato, applicandáque ei proportionatè, quæ dicta sunt de excommunicato & suspenso tolerato. Pass. *n.* 99.

Quæstio 278. Num irregularis (intellige, ex delicto) sit privatus facultate eligendi?

Respondeo negativè. Suar. *loc. cit. d.* 40. *s.* 1. *n.* 27. Filiuc. *t.* 19. *c.* 3. *q.* 6. *n.* 75. Bonac. *d.* 7. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 18. Navarr. *c.* 27. *n.* 244. Pass. *c.* 10. *n.* 104. contra Tamb. *tom.* 1. *d.* 5. *q.* 14. Laym. *l. ult. cit. n.* 3. Peyr. *to.* 2. *de prab. q.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 48. Cùm enim eligere non sit actus Ordinis, nec per se annexum Ordini, aut

ex vi illius proveniens ; sed ex vi potestatis & jurisdictionis spiritualis, quæ laicis non tribuitur ; nec etiam, quòd jus eligendi non competat nisi ordinatis, sic ex vi ordinis, sed ex jure positivo Ecclesiastico per accidens statuente, ut vocem non habeant nisi in sacris constituti ; hinc, inquam, irregularitas, utpote solùm impediens ab exercitio Ordinis, non verò ab executione jurisdictionis, &c. nec per se primò, nec consecutivè, seu indirectè impedit actum eligendi, adeóque irregulares per se loquendo eligere poterunt validè. Pass. *loc. cit.* nisi fortè obstaret statutum particulare ; uti in Ordine Prædicatorum irregulares privatos esse voce activâ, testatur Donatus *p. 2. t. 4. q. 9. n. 3.* Neque obstat *c. si quis. de sent. excom.* ubi, postquam dictum erat, quòd scienter celebrans in loco interdicto incurrat irregularitatem, additur : *Et adeo fit ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debeat admitti.* Nam *To & adeo* non significat *& ideo*, seu *propter irregularitatem* ; sed significat augmentativè idem, quod *immo* vel *amplius*, (quam vim habere hanc particulam, maximè præcedente copulâ *&*, videre est in Calepino, & apud Turselin. *de particulis Latinæ orationis c. 5. n. 5.*) ut sensus sit : præter irregularitatem incurrit dictas pœnas. Adeóque privatio vocis non sit ex vi irregularitatis, sed sit adjuncta pœna, quæ in solis illis duobus casibus, nempe celebrationis in loco interdicto, & infamationis vel condemnationis de homicidio locum habet, *ex constit.* Pii V. & Pii II. Pass. *num.* 105. Porrò dato, quòd irregulares nequeant validè eligere, id intelligendum solùm esset de denuntiatis non toleratis ; & tunc de toleratis loquendum iterùm proportionatè ad dicta de excommunicatis toleratis. Donat. & Festus apud Pass. *n.* 107.

Quæstio 279. Num infamis eligat validè?

1. Respondeo negativè de eo, qui est infamis infamiâ juris, seu de jure. Suar. *de cens. d. 48. s. 3. n. 2.* Pass. *loc. cit. n.* 144. Infamibus enim actus legitimi (qualis est eligere, *c. solet. de sent. Excom. in 6.* gl. *ibi.* Thulos. *de elect. c. 16. n. 10.*) sunt prohibiti. *l. actus ff. de reg. juris.* gl. *in c. ut circa. h. t. in 6.* Verùm hoc ipsum intelligendum tantùm de infami sententiato seu declarato ; nam qui commisit factum, pro ipso jure incurritur infamia, adhuc validè eligit, dum, nullo excipiente contra illum, admittitur ad electionem. Pass. *n.* 145. citans Donat. *p. 5. c. 5. q. 20. n. 4.* vide etiam Azot. *p. 1 l. 8. c. 13. q. 8.* Sanch. *in sum. l. 2. c. 26. n. 1.* Bursat. *l. 1. consil. 14. num. 18.* & alios, docentes non incurri infamiam ante sententiam judicis. Dum autem contra eum excipitur, dicendum idem, quod dictum in hoc casu de excommunicato tolerato. Porrò hic notandum, quòd infamia juris Ecclesiastici sit amplior, quàm juris civilis; cùm omnis infamia, quæ in pœnam statuitur jure civili, eo ipso, quòd non sit reprobata à jure canonico, sit etiam infamia juris canonici ; & insuper ab eo pro pluribus seu aliis adhuc delictis statuitur hæc pœna. Pass. *n.* 141.

2. Respondeo secundò affirmativè de eo, qui infamis est infamiâ facti, id est, ortâ ex eo, quòd homines malè loquendo de aliquo, infamem opinionem generent de eo. Suar. Simanca & alii, quos citat & sequitur Pass. *n.* 142. Cùm enim hæc infamia gignatur sæpissimè ex ignorantia, imprudentia, dicacitate & odio, si inhabilitaret ad actus, status Reip. ex vulgi penderet existimatione.

Quæstio 280. Veluti pro complemento jam dictorum, & universaliter, quando quis censeatur ita privatus voce activâ, ut reverà invalidè eligat?

1. Respondeo primò : si est per sententiam privatus voce ; hoc ipso enim jam juridicè & legitimè spoliatus jure eligendi, ita etiam, ut si exire nollet è Capitulo, vi sit expellendus, si fieri potest absque scandalo, licèt ista expulsio non tam foret illatio violentiæ, quàm defensio possessionis, quam talis perturbat, interesse volendo electioni. *c. si vero de sent. excom.* Peyr. *in subd. q. 1. c. 31. §. 8.* Abb. *in c. cùm Vintoniensis. h. t.* Castell. *in addit. ad c. 5. n. 78.* apud Pass. *cit. c. 10. n. 127.*

2. Nisi tamen sententiatus legitimè & debito tempore appellaverit ; appellatio enim suspendit sententiam & effectum. *c. cum venientes. de jurejurando.* Suar. *tom. 4. de relig. l. 2. c. 11. n. 6.* Pass. *num.* 128. Nec obstat, quòd appellatio non suspendat sententiam suspensionis & interdicti, cùm nec hoc universaliter verum sit, nec privatio vocis sit propriè suspensio. Navar. *l. 1. consil. 8. de elect.* apud Pass. *loc. cit.* Item nisi fortè sit toleratus, hoc est, non sit sententialiter in particulari privatus voce ; talis enim si nullo reclamante eligat, eligit validè. arg. *cit. Extrav. ad evitanda*, utpote quæ loquitur non solùm de censuris, sed de quacunque sententia generaliter promulgata, & indulget, ut prætextu cujuscunque hujusmodi sententiæ nemo deinceps teneatur à communione alicujus abstinere in quibuscunque Divinis intùs & extrà. Suar. *l. 5. de LL. c. 9. n. 5.* Bonac. *de LL. d. 1. q. 1. p. 7. n. 12.* Pass. *n.* 129. Adeóque etiam privatus voce activâ ipso jure ante sententiam (sufficit autem in isto casu sententia declaratoria delicti seu facti. Pass. *n.* 136.) eliget validè. Sanch. *l. 9. de matrim. d. 30. n. 2.* Dian. *p. 1. t. 10. resol. 24.* Molin. *to. 1. de justit. f. 2. d. 96.* Pass. *num.* 129. Unde nec talis poterit vi rejici ab electione, cùm non sit viâ facti sine ope judicis privandus quasi possessione suffragii. Innoc. *ad c. cùm Vintoniens. n 6.* Felin. Jo. And. Castell. *de elect c. 5 n. 1.* quos citat & sequitur Pass. *num.* 120. contra Abb. *in c. cùm Vintoniens.*

3. Intelligenda hæc quoque sunt, & tenenda, etiamsi crimen, cui statuta est privatio vocis activæ latæ sententiæ, sit notorium ex propria confessione delinquentis, etiam facta coram testibus, ita ut de ea constare possit in judicio, (nisi fortè facta esset in Capitulo coram Superiore seu Præside & Capitularibus; quamvis & tunc non tam ob solam notorietatem criminis, quàm quia tunc Præses ipse declarare eum potest privatum voce, excluditur à ferendo suffragio) cùm reus etiam contra propriam confessionem possit delictum aliquâ tergiversatione celare, & contra confessionem excipere. Pass. *n.* 138.

4. Porrò in casu, dum aliquis contra talem reclamavit ante electionem, dicendum est idem, quod suprà de censuratis non denuntiatis nominatim. Nimirùm quòd dum confirmatori constat de veritate oppositi criminis, electio declaranda sit ipso jure nulla, si electus virtute suffragii istius evasit electus, &c. Vide Pass. *n.* 131. Quòd si tamen etiam ante electionem opponitur privatio vocis non latæ sententiæ, sed ferendæ, oppositio nulla est ; cùm enim non teneatur quis ante latam sententiam subire pœnam, adeóque privatio vocis sententiæ ferendæ vim nullam habeat; sed neque vim ullam habeat, ut retrotrahatur ad diem commissi criminis, quia hoc est proprium sententiæ latæ, talis eliget validè. Pass. *n.* 133. citans Sylv. *v. electio.* Abb. *in c. cùm Vinton. n.* 13.

PARAGRAPHUS IV.
De pœnis eligentium illegitimè, vel indignum.

Quæstio 281. Quænam sit pœna eligentium illegitimè, hoc est, non servato modo vel formâ eligendi præscriptâ à Canonibus?

Respondeo : privantur pro ea vice potestate eligendi ; non quidem ipso jure, sed per sententiam à Superiore ferendam. *c. quia propter. h. t.* & *ibi* gl. communiter recepta *v. priventur.* & Laym. *n.* 14. & *c. quanquam. h. t. in 6.* Unde si hi Electores elegerunt de novo, antequam per sententiam privarentur, votum eorum foret validum, & electio subsisteret. Pirh. *n. 41.* citans Abb.

Qua-

Quæstio 282. Quænam sint pœnæ eligentium clericorum scienter, & spontaneè admittentium laicos ad coëligendum?

1. Respondeo: Duæ, nimirum suspensio ab officiis & beneficiis per triennium, & privatio vocis activæ, *c. Quisquis, h.t.* ubi hæ pœnæ hoc ordine statuuntur eligentibus per abusum sæcularis potestatis; jam verò, dum laicus non tantùm Princeps usurpans sibi auctoritatem & jurisdictionem in electione, sed & privatus scienter admissus coëligit, est una species (quarum reliquas vide apud Fagn. *ad cit. c. Quisquis, num. 12.* & Pass. *c. 8. num. 5.*) abusus sæcularis potestatis, Idem Fagn. *n. 22.*

2. Porrò prima pœna est sententiæ ferendæ per judicem, ut indicat *To suspendantur*, neque enim *To penitus* adjectum importat canonem latæ sententiæ, ut sensus sit: ipso jure auctoritate hujus canonis suspensi pronuncientur, Innoc. *hic in fine, v. suspendantur.* Fagn. *loc. cit. num.* 10. Pass. *cit. c.* 8. *n. 18.* & apud illum Suar. Bonac. & alii.

3. Secundam pœnam esse latæ sententiæ, tenent Suar. Laym. *ad cit. c. Quisquis.* Fagn. *ibidem*, citans Host. Bellamer. Jo. And. &c. ita ut, dum textus dicit: *Per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati, &c.* Sensus sit; Ipso jure sint privati voce activâ pro hac vice, quominùs hâc electione factâ per abusum sæcularis potestatis irrita, ad aliam procedere possint, & dein suspendantur ad triennium, Laym. *loc. cit.* ne si dicatur, esse sententiæ ferendæ, utpote sequens & supponens suspensionem, efficereque hunc sensum: suspendantur per triennium, & tunc seu eo tempore, nempe per triennium sint privati, ut vult gl. *in altera respons.* quam sequitur Abb. *hic in fine.* & Pass. *l. c. n. 18.* citans plures alios: ne inquam, si id dicatur, admittendum sit illud minimè conveniens huic canoni, nimirum posse Electores illos, antequam suspendantur, procedere ad aliam electionem.

Quæstio 283. Quænam sit pœna electi consentientis tali electioni, qualiter extendenda, & à quo dispensabilis?

1. Respondeo ad primum, quòd commodo illius electionis (utpote ipso jure irritæ) careat, & ineligibilis fiat, nec possit absque dispensatione ad aliquam eligi dignitatem, *cit. c. Quisquis.* Porrò est hæc pœna latæ sententiæ, gl. *hic v. fiat.* Laym. *loc. cit.* Fagn. *loc. cit. n. 4. & 5.* citans Abb. Innoc. Host. Butrio, &c. Pass. *cit. c. 8. n. 15.* citans Sayrum *in clavi regia, l. 9. c. 8. n. 26.* Suar. &c. contra Barb. *ad c. Quisquis, n. 7.* & Bonac. *d. 3. q. 4 p. 5.* nam licèt verbum illud *fiat* videatur futuri temporis, est tamen futuri immediati; subauditur enim adverbium *tunc.* Fagn. *loc. cit.* Bald. *hic n. 4.*

2. Respondeo ad secundum: Imprimis non rectè extendi pœnam hujus canonis ad recipientes dignitatem de manu laici, ita ut hi vi hujus canonis reddantur ineligibiles (quidquid sit de eo, num ex praxi Ecclesiastica, aliisve canonibus hoc canone antiquioribus eam pœnam incurrat, ut arbitratur Laym. *loc. cit.*) Suar. *loc. cit. d. 31. s. 3. n. 4.* Pass. *loc. cit. n. 27.* contra Abb. Fel. Azor. &c. Quos citat & sequitur Laym. In pœnalibus enim non est extensio facienda casus ad casum, etiamsi alter casus contineat gravius peccatum; cùm sæpè leges minora peccata puniant, vel quia frequentiora, vel quia occasiones scandalosum. Unde etiam ècontra pœnæ aliorum canonum constitutæ recipientibus immediatè dignitatem de manu laici, v. gr. excommunicatio, non rectè extenduntur ad consentientes electioni suæ factæ per coëligentes laicos. Dein non rectè extenditur ad beneficia alia, quæ dignitates non sunt; lex enim pœnalis extendi non debet ultra clara verba; hinc tamen talis manet eligibilis ad canonicatum etiam Ecclesiæ Cathedralis, ad beneficia curata, &c. Laym. *loc. cit. n. 7.*

3. Respondeo ad tertium: Dispensare posse in hac ineligibilitate Episcopum, Innoc. Abb. Imol. Felin. quos citat & sequitur Laym. si enim canone permittente dispensationem non exprimatur, quis dispensare possit, dispensare poterit Episcopus, ne aliàs frustra adjicerentur verba illa permissiva dispensationis; cùm constet, Papam dispensare posse, Laym. Barb. *hic n. 4.* Butrio, &c. *ad c. at si clerici, de adult.* Azor. Bonac. &c. quos citat & sequitur Pass. *loc. cit. n. 26.* contra Fagn. *loc. cit. n.* 8. probabiliter sentientem contrarium, eò quòd pœna hæc ineligibilitatis imposita sit à Concilio generali, in cujus lege non dispensat Episcopus, neque etiam in *cit. canone* tam permittatur dispensatio, quàm prohibeatur, ne sine dispensatione promoveantur. Porrò censetur Papa tacitè dispensare in dicta inhabilitate, si talem provideat de illa dignitate, in quam se intrusit taliter electus; secus est de inferiore Papâ, qui non censetur dispensare in hac habilitate, etsi posset, nisi saltem præmisisset cognitionem super causa dispensationis, Abb. *hic n. 2.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 4. q. 28.* citati à Pass. *l. c. n. 26.*

Quæstio 284. Quænam sint pœnæ eligentium scienter (vel etiam cum ignorantia directè voluntaria, hoc est, crassa & affectata, intermittendo cum industria inquisitionem, ne defectus eligendi appareat; hæc enim ignorantia scientiæ æquiparatur, Arg. c. ult. de clandest. desponsat.) *indignum, hoc est, talem, qui à SS. Canonibus prohibetur eligi, v.gr. ob defectum ætatis, morum, scientiæ, &c.*

1. Respondeo: Privantur voce activâ seu potestate eligendi pro ista vice tantùm, & suspenduntur à beneficiis (non officiis, gl. & Host. *in c. in cunctis, h.t.*) per triennium *eod. c.* ubi licèt solùm fiat mentio de eligentibus indignum ad dignitatem Episcopalem, pœnam tamen illam privationis locum etiam habere in eligentibus indignum ad prælaturas & dignitates inferiores, satis colligitur ex posterioribus juribus, *c. dudum, h.t.* ibi gl. *v. in Ordinibus. c. perpetuo, c. quanquam. h.t. in 6.* ibi gl. *v. secus*, & Abb. *num.* 11. Addit Pith. *n. 43.* citans *c. dudum, & c. quanquam, h.t.* & Laym. *in cit. c. in cunctis, nn. 4. & de electione, q. 63.* quòd dato pœnam illam privationis in re communi non esse latam contra eligentes indignum ad inferiores Episcopatu prælaturas, si in Ecclesia collegiata sive sæculari, sive regulari eligatur indignus prælatus, Episcopus possit privare Electores pro ista vice jure eligendi, & ipsemet jure devolutionis providere illi Ecclesiæ de Prælato. Secus tamen est de pœna suspensionis, quæ solùm incurritur ab eligentibus scienter indignum in Episcopum, ut expresse habetur, *c. Si compromissarius, h.t. in 6.* Ubi etiam hæc pœna suspensionis ab eligentibus indignum incurritur solùm quoad beneficia, quæ obtinent in Ecclesia, in & pro qua facta est electio, utpote, quam eligendo indignum specialiter offenderunt, *cit. c. compromiss.* Abb. *in c. cit. in cunctis.* De cæterò utraque pœna est latæ sententiæ, seu incurritur ipso jure, Pith. *n. 43. ad h.t.* Primum habetur *c. quamquam, h.t. in 6. & c. innotuit, h.t.* juncta gl. *v. nullam.* Secundum *c. Si compromiss.* Porrò qualiter easdem pœnas incurrant conferentes indigno, vel confirmantes electum indignum, Vide apud Pith. *à n. 43. & seq.*

Quæstio 285. An, qui alium eligit ad prælaturam, in qua obtinenda illum simoniam commisisse novit, præter dictas pœnas incurrat adhuc aliam?

Respondeo: Præter triennium, quo talis suspensus est à beneficiis, quæ in illa Ecclesia jam obtinuerat,

esse inhabilem ad dignitatem vel beneficium aliud in illa Ecclesia (non verò in alia) obtinendom, c. *per inquisitionem, h. t.* Verùm ista inhabilitas ad beneficia obtinenda accessoriè sequitur ipsam suspensionem à beneficiis obtentis, ideòque etiam secnndùm illam regulari, & restringi debet dicta inhabilitas, nimirum respectu beneficiorum obtinendorum in illa Ecclesia tantùm, *c. eod.* Abb. *ibi, n. 8.* Pirh. *n. 64. h. t.*

PARAGRAPHUS V.

De qualitatibus eligendorum.

In præsenti quæretur de iis solùm qualitatibus, quas specialiter respicit electio; actum enim est fusè in *prima parte* de cæteris, quæ in quolibet promovendo ad prælaturas & beneficia, sive per viam electionis, sive per viam præsentationis, & institutionis, aut etiam liberæ collationis requiruntur; puta de ætate, sanitate & habilitate corporis, scientia, legitimitate, libertate, monogamia, fide, clericatu, sacris Ordinibus, carentia censurarum & infamiæ, &c. Unde in præsenti via aliud superest examinandum, quàm de voce passiva privatis, de rejectis semel ab electione, de indistinctis ab eligentibus, de extraneis, seu qui non sunt de gremio, de non professis respectu dignitatum regularium, an sint eligibiles. Unde sit

Quæstio 286. An ipso jure privatus voce passiva, vel redditus inhabilis ante sententiam declaratoriam criminis (de privato enim per sententiam, vel etiam per sententiam declarato; quòd commiserit crimen, pro quo lata est pœna privationis vocis passivæ, constat eum ab electione excludendum, ejúsque electionem esse evidenter nullam) possit ab electione excludi vi, & impediri, ne eligatur. De cætero enim dubium non est, quin Electores pro libitu suo possint talem, ut & quemcunque alium nolle eligere?

Respondeo: Negativè, scilicet neminem unquam excludi posse, prætendendo, quòd sit voce privatus, aut inhabilis redditus, nisi servatâ formâ judicii sit privatus voce, vel declaratus reus criminis per sententiam (& quidem talem, quæ transierit jam in judicatum, seu cujus effectus non sit suspensus per appellationem; privatio enim vocis passivæ non est censura, quæ non suspenditur, Suar. *de relig. to. 4. tr. 8. l. 2. c. 21. n. 13.*) cùm sit adhuc in possessione sui juris & eligibilitatis, quâ per vim privari nequit, Pall. *cit. c. 25. n. 600.* ubi etiam, & *n. 602.* ait: Superiores non posse ex propria scientia vel arbitrio talem excludere ab electione, nil nec præcipere Electoribus, ne talem eligant, nisi ordine judiciario præmisso eum per sententiam (ad quam ferendam specialiter requiruntur indicia reum convincentia, Sigism. à Bon. *dub. 91. n. 9.* Pall. *n. 601.* illiúsque citatio, & interrogatio, Clar. *l. 5. q. 8. §. fin.*) vel priveni voce, vel declarent, eum commisisse crimen, cui annexa est dicta pœna privationis ipso facto, cùm, licèt Prælati regulares in judicando non ita sint adstricti apicibus juris, servare tamen debeant substantialia, *Clem. sæpe. de verbor. signif.* Abb. *in c. dilectus.* Nav. *l. 2. cons. 1. de sent. & re judic.* Rodriq. Sigism. à Bon. &c. apud Pall. qui etiam *n. 603.* dat rationem disparitatis, cur superior, etiam extrajudicialiter informatus de Electi infamia, possit eundem repellere à confirmatione; non verò sic possit eum excludere ab electione, quia nimirum confirmatio, non autem electio commissa est arbitrio Superioris.

Quæstio 287. An Electores præcisè ratione privationis vocis passivæ, nondum declaratæ per sententiam, teneantur in conscientia talem excludere (intellige) negativè, nimirum non eligendo?

Respondeo: Negativè, talis enim privatio censetur illis occulta; quia non constat illis de ea juridicè, Pall. *n. 604.* quin etiam peccabunt contra justitiam vel charitatem, si prætextu talis delicti adhuc occulti, illud manifestando, illum non eligant. Nihilominus quandóque per accidens tenebuntur talem non eligere, ratione nimirum scandali, dum is de delicto est diffamatus.

Quæstio 288. Ad inhabilis ipso jure, aut privatus ipso jure voce passiva, ante sententiam declaratoriam teneatur in conscientia non consentire electioni, aut confirmationi; vel si consenserit, & receperit Prælaturam, illi renunciare?

1. Respondeo primò: Quæstionem hanc gravissimam pendere ex generali illa, num lex pœnalis latæ sententiæ ferat secum executionem, obligétque in conscientia ad exequendam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis, de quo vide Suar. *de LL. l. 5. c. 9.* Sanch. *de matr. l. 9. d. 30. & l. 2. sum. c. 39.* Pall. *cit. c. 25. q. 51.* Negativam, excipiendo censuras, præterquam plurimos tenent iidem Pall. Sanch. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 11.* Mol. *to. 1. tr. 2. gl. 96.* Sa. *v. fiscus.* Sylv. *v. Assassinus, n. 4.* Covar. *l. 4. decret. p. 2. c. 3. §. 8. n. 10. &c.*

2. Respondeo tamen secundò breviter in specie ad quæst. propositam negativè; sic in terminis propriis de pœna privationis vocis activæ & passivæ, tenent Gran. *p. 2. controv. 7. tr. 3. p. 1. d. 13. s. 2. n. 15.* Mol. *loc. cit. n. 8.* Armil. *v. lex, n. 1.* Castel. *de elect. prælud. 1. n. 20.* Peyr. *in subd. q. 2. c. 2. §. 11. conc. 3.* Bass. *v. pœna, n. 7.* Castrop. *p. 1. tr. 4. d. 4. p. 4. n. 4.* Dian. *p. 1. tr. 19. resol. 24.* De pœna verò inhabilitatis in terminis, præter Mol. Bass. Peyr. *loc. cit.* Sanch. *in decal. l. 2. c. 39. n. 32.* Navar. Villalob. Lezan. & plures alii cit. à Pall. *n. 626.* Quinimò semper desiderari sententiam declaratoriam criminis, etiamsi lex imponens pœnam non tantùm utatur particulis istis: *ipso facto*; sed aliis expressioribus, v. g. *Absque declaratione, ante omnem declarationem. Absque ullo superioris decreto, ministerio vel sententia, &c.* dictásque particulas: *Absque declaratione, aliásve* similes intelligi solùm de declaratione pœnæ, tenent Covar. *loc. cit. n. 10.* Less. *l. 2. c. 29. n. 63.* Vasq. *p. 2. q. 96. a. 5. d. 170. c. 4. n. 24.* Peyr. *loc. cit.* Lezan. Rodriq. Lopez, &c. cit. à Pall. *num. 627.* contra Sylv. *loc. cit.* Azor. *to. 1. l. 3. c. 7. q. 6.* atque Mol. *loc. cit.* leges imponentes pœnam ipso facto requirere ad executionem pœnæ sententiam, nisi verba luce meridianâ clariora contrarium importent.

Quæstio 289. An is, qui semel rejectus ab electione, seu cujus electio, non ob vitium electionis perperam institutæ, aut electorum, v. gr. excommunicatorum, sed proprium personæ electæ, semel cassata fuit, maneat deinceps ineligibilis ubique?

1. Respondeo primò: Si crimen à persona electi commissum circa ipsam electionem, aut effectum illius, videtur manere ineligibilis, usque dum cum eo dispensetur, Laym. *in c. Super eo, de elect. n. 2.* v. gr. qui simoniacè curavit se eligi, aut promoveri, de quo *q. post hanc 3.* item qui per abusum sæcularis potestatis passus est se eligi, ut habetur *c. Quisquis, de elect.* Verùm & tunc vitium fuit ipsius electionis, seu illa perperam instituta. Item cujus cassata electio, quia ante acceptam confirmationem se administrationi prælaturæ intrusit, Laym. *loc. cit.* juxta *c. Qualiter, de elect.* & gl. *in c. Nosti.*

2.

2. Respondeo secundò: Etiam dum crimen commissum extra electionem, seu independenter ab electione (juxta limitationem tamen dandam *q. seq.*) semel propterea rejectus manet deinceps ineligibilis, *c. super eo, de elect.* Fel. *in c. super his, de accus.* Sylv. *v. electio, q.* 14. Miran. *to. 2. q. 23. c.* 11. Peyr. *in sub. q. 1. c. 31. §. 8.* Pass. *cit. c. 25. n.* 634. licèt enim quis per hoc, quòd ob vitium proprium repellatur ab electione, non incurrat infamiam juris, *c. 1. de excep.* gl. Ab. Bald. in *c. Super eo, h. t.* (sententia enim lata per viam exceptionis non infamat; neque enim, dum alicui objicitur crimen, & probatur excipiendo, ut repellatur ab aliquo actu legitimo, puniri potest pœnâ ordinariâ, v. g. infamiâ juris; cùm vi talis sententiæ satis puniatur per repulsam ab actu legitimo) remanet tamen infamis infamiâ facti, propter quam, si infamatus suspendi debet ab officiis habitis, donec se purgârit, Argumento *c. 2. & c. inter sollicitudines, de purgatione Can.* multò magis impediri debet, ne beneficium non habitum acquirat; adeóque ab electione (idem est de præsentatione, collatione, aliáve promotione, Pass. *n.* 635.) repelli, non secus ac testis à testificando, dum ei probatur crimen, propter quod semel rejectus fuit; quod addo, quia non sufficit probari, electionem ejus semel cassatam fuisse, sed requiritur, ut insuper probetur eam cassatam ob crimen ei probatum, vel sententiatum per sententiam, quæ transierit in judicatum, & non constet de pœnitentia illius rejecti sufficiente, Pass. *n.* 634. Maléque etiam dicitur, ad repellendum electum à nova electione sufficere, quòd probetur infamia absque eo, quòd probetur crimen; cùm nequeat probari infamia facti orta ex ista repulsa, non probato crimine, seu quòd rejectus fuerit ex tali delicto, Pass. *n.* 636.

Quæstio 290. An igitur semel rejectus maneat quoque perpetuò ineligibilis?

1. Respondeo primò: Si rejectus fuit ex crimine plenè probato, manet ineligibilis, usque dum infamiam hanc natam ex hac repulsa, utpote quæ facti est & temporalis, pœnitendo de crimine, ob quod repulsus, aliisque benefactis sufficienter diluerit, & de hoc constiterit, Pass. *n.* 637. Laym. tamen *in c. Super eo, de Elect. n. 2.* ait: Etsi textum juris expressum nullum habeamus, vi cujus talis post plenè emendatum & sublatum crimen vetetur denuo eligi, aut promoveri, quia tamen AA. argument. *cit. c. Super eo*, sic docent, ut Abb. *in cit. c. n.* 4. (extendens idem expressè ad præsentationem & collationem) Host. *in sum. tit. de elect. §. si quis eligendus, n.*10. Ideò in praxi retinenda est ea doctrina, quòd repulsus ob crimen iterum eligendus, aut promovendus non sit, nisi Superioris dispensatio præmissâ cognitione de præsenti habilitate personæ accedat, idque confirmatur ex *c. post transl. de renunciation.* ubi: *Si quis propter criminis conscientiam prælaturæ renunciarit, aut renunciare coactus, vel depositus fuerit, iterum eligi non potest.* Ratio hujus est, quòd per ejusmodi ob crimen commissum, factam repulsam, renunciationem, depositionem existimatio illius non parum gravetur, ut nova electio, aut promotio non ita facilè permittenda, Laym. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Si rejectus fuit ex crimine præsumpto, dum postea purgaverit se, non est à secunda electione repellendus, Pass. *ib.* Peyr. *in subd. q. 1. c. 31. §. 8.*

3. Respondeo tertiò: Si rejectus fuit ob defectum, qui non est crimen, v. gr. quia ob circumstantias extrinsecas non expediebat illum tunc, vel pro tali loco eligi, vel confirmari, manet eligibilis pro alio tempore vel loco, ubi cessant dictæ circumstantiæ. Item si rejectus ob infirmitatem, eâ cessante erit eligibilis; in quo casu spectabit ad electum probare, se sanatum, si morbus fuit ex durabilibus, v. gr. amentia, aliàs si morbus fuit ex iis, qui durare diu non solent, & non facilè curari, spectabit ad excipientem probare morbum adhuc durare, Pass. *n.* 640. Peyr. *loc. cit.* Laym. *ad c. Super eo, de elect. num.* 2. citans Rodriq. *regular. qq. to. 2. q. 54. n. 5.* Imol. Jo. And. Butrio *in cit. c. Super eo*, & seipsum *Theol. mor. tr. 5. p. 5. c. 7. num. 2. & 3.*

Quæstio 291. An dum simpliciter cassata fuit prior electio, nulla reddita ratione, cur cassetur, num ex vitio personæ, num ex vitio formæ, rejectus maneat infamis, & ineligibilis?

1. Respondeo primò: Ubi confirmator agit ex justitia, & medio processu, dum, si oppositum fuit contra personam, & electio cassata, præsumitur ex vitio personæ, & sic rejectus manet infamis & ineligibilis; si verò exceptum fuit solùm contra electionem, præsumitur cassatio facta ex vitio formæ, uti etiam, si oppositum fuit contra personam & electionem; cum in odiosis facienda sit benignior interpretatio, Abb. & Bald. *in c. Super eo.*

2. Respondeo secundò: Dum confirmator agit ex boni viri arbitrio, & principaliter intuitu boni communis, electo jus non acquirente ex electione, uti fieri solet apud plures regulares, ubi ex decreto cassationis non constat de causa cassationis, neque ex processu, qui non formatur, dum confirmatio est arbitraria, néque ex oppositionibus contra personam electam, utpote quibus talis Superior potest non moveri, & aliundè etiam nullis opponentibus contra personam, ex rationabili causa cassare electionem, tunc inquam præsumi debet electio cassata ex defectu electionis, vel ex motivo non concernente delictum, nisi aliud probetur, Pass. *n.* 641. qui tamen etiam *n. seq.* ait, quòd in suo Ordine, ubi Provinciales procedentes extrajudicialiter, & ex arbitrio boni viri cassant electiones nullâ additâ causâ; cùm sæpè non expediat, ut explicent, se cassare electionem vitio personæ, utpote quod judicialiter probatum non est, nisi Provincialis expressè dicat se cassare electionem ex vitio non servatæ formæ, vel rehabilitet Electum, non debeant Electores eundem ampliùs eligere, absque eo tamen, quòd per hoc repulsus maneat infamatus; cùm esse potuerit, ut cassata sit electio ex conditione personæ eum non infamante.

Quæstio 292. An electio cassata vitio electionis noceat electo?

1. Respondeo: negativè, ita expressè *cit. c. Super eo*, Excipitur tamen hic unicus casus, dum electio celebrata est in discordia, Electoribus habentibus plures electiones, quibusdam unum, aliis alium eligentibus; cassatis enim illis electionibus, uterque electus pro illa vice, & in ista Ecclesia tantùm est ineligibilis, uti & licitè inconfirmabilis (ita tamen, ut, si dein alter eorum eligeretur, electio non esset ipso jure irrita, & si confirmaretur, confirmatio esset valida, Pass. *n.* 645.) ob vitandum scandalum & discordiam, *c. Super eo*, & *c. Consideravimus, de elect. ibidem.* Abb. *n.* 1. Butrio *n.* 9. Sigism. à Bon. *dub. 96. n.* 4. nisi dein unus eorum unanimiter eligeretur; cessat enim tunc causa prohibitionis, *c. Cùm cessante, de appell.* & *l. generaliter, de sacrosanctis Eccl.*

2. Addendus tamen & alter casus, dum nimirum electio vel promotio irrita vel cassata fuit, non ob aliud vitium personæ, sed ob intercedentem simoniam, ita ut vel hoc ipso electus vel promotus reddatur incapax illius, & etiam alterius beneficii, *c. Super eo, de elect.* Laym. *ibid. n.* 1. idque etiam, licèt simonia intervenerit, electo aut proviso ignorante, adeoque sine culpa illius, præterquam si accedat dispensatio, Laym. *ibid. n. 3.* citans *c. 1. causa. 1. q. 5. c. Nobis, de simon. c. penult. de electione.* & seipsum *Theol. mor. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 7. n.* 73.

Quæstio 293. Num valida sit, & licita electio extranei, seu qui non est de gremio

Capi-

Capituli vel Conventûs, aut respectivè de civitate, diœcesi, provincia?

1. Respondeo ad primum: per se & de jure communi, si aliud non obstet, valida est, & confirmanda electio extranei facta à majori parte. *c. cùm inter. h. t. ibidem.* gl. Barb. *n.* 2. & 6. Innoc. *n. 2. c. cùm nobis. c. in causis. de elect.* D. Th. 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. *ad* 4. Felin. *in c. sicut tuis. de simon.* Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 9. *n.* 5. Pass. *cit. c.* 25. *n.* 649. Secùs est, ubi speciale statutum vel consuetudo habet, ut electio extranei sit ipso facto irrita, vel etiam ad instantiam alicujus cassanda; sine dubio enim tunc talis electio irrita erit, aut irritanda. Pass. *loc. cit.* nisi fortè ex eo, quòd statutum tale vel consuetudo ordinetur in utilitatem & favorem eorum, qui sunt de gremio, hi huic juri suo renunciare possint, eodem statuto vel consuetudine id non prohibente; tunc enim eligendo extraneum, huic juri & favori suo renunciare censentur, proindéque talis electio tenet. Abb. *ad c. ne pro defectu. de elect.* cit. à Pass. aut etiam, nisi in tali lege vel consuetudine dispensatum fuerit, quòd posse Inferiorem Papâ, si auctoritate Apostolicâ firmata non sit, & vel maximè Capitula generalia regularium, utpotè quibus, uti competit ferre leges, & latas, aut etiam consuetudines abrogare, ita etiam in iisdem dispensare, docet Pass. *n.* 656. contra Sigism. *loc. cit. n.* 4. Rebuff. *in praxi tit. de dispens. cum regul.*

2. Respondeo ad secundum: cæteris paribus, putà scientiâ, prudentiâ, experientiâ regendi, bonitate morum, aliisque, quæ ad Officia Ecclesiastica necessaria sunt, etsi non sit injustitia, eligere extraneum, aut ei conferre beneficium præ intraneo, minùs tamen decens & honestum est, eò quòd, qui de gremio, vel diœcesi, utpote magis notus, adeóque talis, de cujus idoneitate securiùs cognosci potest. Abb. *in c. scriptum. de elect.* Armil. *v. electio. n.* 22. (ubi illud incidenter notandum ex Sigism. de Bononia. *loc. cit. n.* 3. Pass. *n.* 651. tutiùs eligi dignum, de cujus idoneitate & dignitate certò constat, quàm digniorem, de cujus majore dignitate habetur solùm probabilitas) meliúsque noscens suos, & regulariter magis diligens Ecclesiam & communitatem, cujus jam antè membrum erat, quàm extraneus, feliciúsque gubernaturus, bonúmque Ecclesiæ impensiùs curaturus, & faciliùs ad residentiam inducendus rectè præsumatur. *c. nec emeritis. c. nullus invitis. dist.* 61. D. Th. *loc. cit.* Abb. *in c. bona.* 4. *de postul. n.* 16. Pass. *n.* 650. & 652. Atque ita hæc conditio, esse de gremio, vel esse ejusdem diœcesis, ad hoc, ut hinc præferatur quis alteri, non nudè secundùm secundùm se consideranda est; sed quatenùs ex ea speratur major utilitas Ecclesiæ, cui providendum est; vel etiam spectatur majus quoddam illius meritum, ortum ex eo, quòd Ecclesiæ isti jam deservierit, laborésque pro ea perpessus sit. Pass. *n.* 653. ubi etiam ait, dictam majorem honestatem locum quidem etiam habere in regularibus, si loquamur de extraneo respectu conventûs vel provinciæ (nam à tota religione extraneus est ineligibilis ad illius prælaturas) solùm cum proportione aliqua; cùm aliàs qui eandem religionem profitentur, licèt in distantissimis provinciis & Conventibus habitent, constituant velut unam diœcesim, & vivant quasi sub uno Episcopo, majore unione specialium legum, quàm Clerici alii diversarum diœcesium inter se conjuncti.

Quæstio 294. An Superior, ad quem vel jure ordinario, vel ex devolutione pertinet conferre beneficium vel prælaturam, possit illam conferre extraneo?

Respondeo primò: licèt beneficia conferre originariis & filiis patrimonialibus, tam ab Ordinario, quàm Papâ, honestissimum sit & æquissimum, concernátque idipsum bonum publicum. Lott. *l.* 2. *q.* 39. *n.* 26. de quo vide etiam Card. de Luca *de benef. d.* 69. *n.* 12. & Corrad. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 38. 41. 43. quantùm est de se & de jure communi, omnibus aliàs habilibus, undecunque sint, beneficia conferri possunt. *c. ad decorem. de institut.* & gl. *ibi. v. undecunque.* & Abb. *n.* 4. Castrop. *de benef. d.* 4. *p.* 9. *n.* 1.

Respondeo secundò: ubi adest lex (quales tamen leges & quælibet alia statuta sæcularia, ut effectum habeant, debent à Papa approbari; aliàs enim eorum dispositio non tenet, utpote in materia Ecclesiastica & contraria juris communis dispositioni. Castrop. *loc. c.*) vel consuetudo id prohibens, Superior talis inferior Papâ (de hoc enim esse non potest quæstio, cùm possit, undecunque voluerit, providere Ecclesiis. *c. bona* 23. *de elect.* spectétque ad eum plena dispositio beneficiorum. *c.* 2. *de preb. in* 6. & nullâ constitutione Pontificiâ aut Conciliari ligetur. *c. significâsti*, & *c. innotuit. de elect.*) tenetur non promovere externum. Abb. & Host. *ad c. ne pro defectu;* (nisi fortè non adesset de gremio vel diœcesi idoneus, quia providere de digno & idoneo est juris naturalis & divini, contra quod lex nulla naturalis aut consuetudo valet. Pass. *nu.* 660.) quin &, ubi Collegium vel diœcesis jus haberet, ut ejus beneficia non conferantur extraneo, promotio externi esset contra justitiam commutativam, & invalida. Pass. *n.* 659. De cætero ubi, qui sunt de Collegio, renunciare possunt juri suo, poterunt tam ipsi eligere, quàm Superior de eorum consensu promovere extraneum, vel etiam non requisito eorum consensu, dispensando in ista lege, si in ea dispensare potest, promovere extraneum. Pass. *loc. cit.* Porrò, ut quis dicatur naturalis seu oriundus ex tali diœcesi, provincia, regno, in ordine, ut capax sit beneficii requirentis hanc conditionem, ut quis oriundus sit ex tali vel tali loco, sufficit, quòd ejus pater in tali diœcesi, provincia vel regno natus sit, quia à nativitate propria vel paterna oriundus quis dicitur, juxta Jason. *in leg. hujusmodi.* §. *legatum. ff. de legatis. n.* 18. Castrop. *loc. c. n.* 2. citans Mandol. *ad reg. Canc.* 16. *q.* 40. Barb. relatis pluribus aliis. *de pot. Episcopi. alleg.* 4. *n.* 6.

Quæstio 295. Quid sit in hoc circa Prioratus aliáque beneficia Regularia, unita vel incorporata alicui monasterio vel Abbatiæ?

Respondeo: Ea, etiamsi sint simplicia, conferenda solùm iis, qui monasterio illi principali incorporati sunt. *c. cùm sing. de preb. in* 6. Franc. *ib. n.* 1. ita ut alii ea recipientes ipso jure fiant ineligibiles; superiores autem conferentes ea externis, pro ista vice privati sint potestate disponendi de istis beneficiis; unde, dum Superiores volunt extraneo magis idoneo providere de tali aliquo beneficio, debebunt illum priùs assignare illi monasterio, & facere, ut ad illud pertineat, & sic eum instituere. Pass. *n.* 661.

Quæstio 296. Num valida sit electio sui ipsius?

Respondeo negativè. *c. in scripturis.* 8. *q.* 1. *c. ex frequentibus.* & *c. fin. de institutionibus.* Abb. *in c. gratum. de postul.* Navar. *de elect. consil.* 6. *n.* 6. Sanch. *l.* 2. *opusc. c.* 2. *dub.* 28. *n.* 4. Pass. *cit. c.* 25. *n.* 664. tenétque hoc ipsum, etiamsi quis esset dignior, & jurâsset, se electurum digniorem. Sylv. *v. elect. n.* 19. Pass. *num.* 666. Extendendúmque etiam idipsum est, ut nemo etiam possit seipsum instituere. *cit. c. fin.* Sed nec patronus præsentare seipsum. *c. per nostras de jurepatron.* Sylv. *v. jurepatronatûs. q.* 7. *n.* 8. nisi fortè ad beneficium, quod nec curatum, nec personatus, nec est dignitas habens honoratam Ecclesiam magnosq; reditus. Lambert *de jurepatron. p.* 1. *l.* 2. *q.* 8. *a.* 2. *num.* 2. Sanch. *loc. cit. n.* 3. contra Pass. *cit. c.* 25. *n.* 665. De quo tamen vide dicta suprà de præsentatione. Nihilominùs poterit seipsum quis eligere hâc ratione, consentiendo nimirùm electioni de se factæ ab aliis, ac ita transeunte hoc suo consensu in suffragium, augendo numerum suffragiorum, ut jam major pars Capituli ipsi suffragetur; non enim censetur quis ambitiosus, dum videns se hoc modo vocatum à confratribus consentit electioni suæ. *c. cùm in jure. de elect.* Abb. *ibid. n.* 5.

Innoc.

Innoc. *n.* 4. Quod tamen solùm locum habet, ubi electio fit per vota publica (aliàs enim scite quis nequit, quòd ab aliis sit electus) vel ubi admittitur accessus post publicationem scrutinii (postquam aliàs regulariter nihil agitur, & dictum votum est invalidum, *c. Quia propter, de elect.*) poterit tamen tunc juxta Abb. *loc. cit.* electus, si in scrutinio nominâsset alium, ab eo recedere, & electioni de se factæ consentire.

Quæstio 297. *Num ad hoc, ut eligi quis possit in Superiorem regularem, requiratur clericatus?*

Respondeo: Negativè, loquendo nimirum per se, Pass. *c.* 25. *n.* 344. ex natura enim rei, & per se simpliciter ad regimen religiosum & regulare non est necessaria in Superiore potestas jurisdictionis (quæ est potestas de publico introducta, dicendi jus, sententiandi, statuendique quod æquum est, ligandi, solvendi, puniendi in foro contentioso, &c.) sed sufficit potestas dominativa spiritualis & paterna, quæ competit Superioribus regularibus ex voto obedientiæ supra subditos suos, ut eos secundùm regulam dirigant in vitam æternam, Pass. *loc. cit.* Patétque idipsum, non tantùm in Abbatissis, aliisque antistitibus monialium, quæ licèt sufficientem potestatem gubernativam velut maternam habeant, carent tamen jurisdictione spirituali propriè tali, D.Th. *in 4. dist.* 25. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 1. Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 3. sed & in Abbatibus antiquorum Monachorum, Antonio, Hilario, &c. qui non erant clerici. Sumitur ex *epist. S. Hieron. ad Eliodor. & 4. ad Rusticum*, quæ referuntur *dist.* 16. *q.* 1.

Quæstio 298. *An, ut quis eligatur vel promoveatur in Prælatum, vel Superiorem regularium, necesse sit esse professum, & quidem expressè, & in eadem religione, ac ita, ut aliàs electio, vel promotio sit ipso jure nulla?*

1. Respondeo ad omnia affirmativè, Abb. *in c. Cùm monasterium, de elect. n.* 2. *ibid.* Bald. & Innoc. Barb. *ad c. Nullus, de elect. in* 6. *n.* 2. & *ad Trid. sess.* 28. *c.* 21. *de regular. n.* 1. Suar. *de relig. to.* 3. *l.* 6. *c.* 21. *n.* 18. Tamb. *to.* 1. *d.* 5. *q.* 11. Pass. *c.* 25. *n.* 345. citans plures alios. Primum habetur *c. Cùm causam*, & *c. Cùm ad nostram, de elect.* Secundum *c. Nullus, de elect. in* 6. Putant tamen Lavor. *de elect. c.* 16. *n.* 118. Abb. & Jo. And. cit. à Pass. *n.* 346. sufficere professionem tacitam, ut quis per postulationem vel etiam collationem, aliámve provisionem distinctam ab electione obtineat prælaturam regularem; eò quòd *cit. c. Nullus*, utpote pœnale, extendi non debeat ultra hoc quod sonat. Tertium habetur *in clem.* 1. *de elect.* Quartum, uti & priora tria, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 21. *de regul.*

2. Quod verò his canonibus constitutum de viris, idem in monialibus locum habet, *c. Indemnitatibus, de elect. in* 6. Adeóque firmiter hæc tenenda sunt. Ut dum in conventu, vel religione non esset professus vel professa, quæ eligi posset, adhuc à nullo inferiore Papa, eo inconsulto, fieri possit, ut eligatur alia persona digna ex alio Conventu vel religione; cùm *cit. Clem.* absolutè decernatur cum decreto irritante, ut regularibus non præficiatur nisi regularis ejusdem Ordinis, Sigism. à Bon. *de elect. dub.* 87. *n.* 4. Suar. & Pass. *loc. cit.*

3. Porrò intelligenda hæc sunt, dum dictæ præfecturæ regulares conferuntur in titulum; secus enim est, dum conferuntur in commendam; via enim commendæ beneficia sæcularia regularibus, & regularia sæcularibus, etiamsi suos conventus habeant, & in eis vigeat regularis observantia, à Papa duntaxat obvenire possunt, Fagn. *in c. Cùm ad nostram, de elect. n.* 2. *& seq.* quod ipsum non improbat, aut prohibet Trid. quin potiùs tacitè admisit, dum prohibendo sæcularibus conferri beneficia regularia, adjecit hæc verba: *In titulum;* & quamvis *sess.* 25. *c.* 21. caverit, ut monasteriis habentibus suos conventus, quæ tunc commendata reperiebantur, præficerentur regulares ejusdem Ordinis; uti & iis, quæ imposterum vacabunt. Ea tamen non dici præceptivè, ut tenuit Rota, sed solùm consultivè & optativè, declaravit S. Congregatio, ut refert Fagn. *n.* 10. juxta quem nihilominus verè præceptivè statuit, ut, qui ea monasteria, quæ sunt velut capita Ordinum, (quale v. g. est Cistercium respectu Ordinis Cisterciensis) in præsenti in commendam obtinent, intra sex menses religionem istorum Ordinum solemniter profiteantur, vel eis cedant, aut aliàs commendæ istæ ipso jure vacare censeantur, nisi fit eis de regulari successore provisum. Vide etiam apud eundem *num.* 14. quid in genere de monasteriis in commendam dandis, statuerit Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 19.

Quæstio 299. *Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in prælatum religionis?*

Respondeo: à Trident. *loc. cit. c.* 7. in monialibus requiri ad minimum 5 annos à professione, ut eligi possint in Abbatissas & Priorissas. Pro viris verò neque à Trid. neque à reliquo jure communi certum tempus statutum est; quare non prohibentur (nisi aliàs obstent speciàlia statuta Ordinis) statim à professione eligi in præsules regulares, modò sufficienter in observantiis Ordinis instructi, & alias qualitates requisitas habeant, Abb. *in c. Cùm in cunctis, de Elect. n.* 6. Pass. *n.* 348. Neque nunc casus ille, qui aliàs excipitur *c. Officii, de elect.* nimirum, dum quis fit religiosus, & mox profitetur, & sic eligitur in prælatum, locum habet; cùm ex præscripto Trid. nemo admittatur ad professionem, nisi post expletum annum probationis. Quòd si tamen talis tam repentè à professione electus non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis; uti & si justè præsumeretur in tali ambitio, electio ejus (etsi non esset ipso jure irrita, Suar. *to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 7.) foret tamen ad minimum irritanda, vi *c. Officii*. Abb. *ibid.* aliique. Pass. *n.* 248.

PARAGRAPHUS VI.

De vocatione, & vocandis ad Electionem.

Quæstio 300. *Cujus de jure vel consuetudine sit convocare Electores?*

Respondeo: Id generali regulâ definiri non posse, cùm diversæ sint electiones; alia Episcoporum, alia Prælatorum sæcularium, alia regularium, diversarúmque regionum, religionum, collegiorum hac in re statuta & consuetudines. Quòd si non adsit, ad quem de jure vel consuetudine id spectet, & detur aliàs in Collegio primus (quo nomine sine additio *Prælato* intelligitur primus ratione dignitatis, quique propterea alios præcedit, & in actis collegii primam vocem habet, Felin. *in c.* 1. *de major. & obedientia n.* 5.) ad eum; vel si talis non detur, ad antiquiorem, non ætate, sed servitio vel professione, id pertinebit, Sigism. de Bon. *de Elect. dub.* 8. *num.* 11. Pass. *c.* 11. *n.* 4. *&* 6. Porrò in casu, in quo fortè ad universitatem ipsam, seu Collegium spectaret convocare Electores omnes, dispónereque de loco, & die electionis, v. g. dum is, ad quem id aliàs spectet, nollet eos convocare, & tamen Electores præsentes judicarent, non esse differendam electionem, si major saniórque para moncat minorem absentem, obligabit eam ad comparendum, reddendo eam contumacem, si non compareat, Pass. *loc. cit. n.* 11. *& c.* 14. *n.* 12. contra Abb. & Host. conformiter magis juri civili quàm canonico (quod ut patet ex toto *tit. de his quæ fiunt à majore parte*, vult minorem partem stare iis, quæ

à majore parte decernuntur) requirentes ad hoc, ut duæ partes Collegii sint simul congregatæ.

Quæstio 301. Quinam vocandi sint ad electionem?

Respondeo: In genere omnes ii, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse electioni, *c. Coram, & c. Quia propter, h. t. & ibi*, gl. Abb. Imol. &c.

Quæstio 302. Quinam intelligantur per eos, qui debent interesse electioni?

Respondeo: Omnes ii, qui de jure communi, vel ex consuetudine, vel ex speciali privilegio, aliove titulo jus habent eligendi, gl. *in c. Quia propter. v. qui debent.* Abb. *ibid. n. 3. Tò debent* namque non tam obligationem, quàm facultatem ibi significat, Suar. *de relig. to. 8. l. 2.* apud Pass. *cit. c. 11. n. 16.* Vocandi itáque sunt, quantùm est ex hoc jure, absentes, nisi fortè aliud habeat consuetudo, ad quam sufficiet decennium, Tamb. *de jure Abb. in c. coram, & c. Cumana, h. t.* Pass. *loc. cit. n. 13.* Secundò, qui licèt à parte rei verum jus non habeant, sunt tamen in possessione eligendi (jus enim eligendi maximè sequitur possessionem, c. *in Genesi, & c. querelam, h. t.* Abb. *ib. n. 8.*) pacifica, non habentes jus expressum contra se, etiamsi moveatur illis quæstio super proprietate beneficii seu canonicatus, gl. *in c. in Genesi.* Quod tamen non admittunt Sanch. *l. 3. de matrim. d. 22. n. 49.* Pass. *n. 14.* Navar. Sylv. &c. citati à Pass. nisi accedat titulus coloratus, à legitimo Superiore collatus. Quin & quòad extraneum non habentem titulum ad eligendum, nisi possessio pacifica bonæ fidei sit legitimè præscripta, Pass. *ibid.* Tertiò, quòd hinc sequitur, tolerati excommunicati, suspensi, privati voce, &c. de quibus §. *præcedenti*, cùm nonnisi non tolerati excidant jure eligendi, Pass. *loc. cit.* Quartò Canonici, adhuc novitii in aliqua religione, gl. *in c. benef. de reg. in 6.* Lavor. *c. 17. n. 5.* apud Pass. *n. 12.*

Quæstio 303. Quid intelligatur per hoc: Qui volunt?

Respondeo: Ex his verbis deducere DD. non esse electores cogendos ad comparendum pro electione facienda, Abb. *in c. Quia propter, h. t.* Host. *in sum. tit. de elect. §. Qualiter facienda, n. 11.* Quo tamen non obstante, si specialiter interesit Ecclesiæ (vel etiam sit consuetudo, aut statutum Collegii, quod etiam pœnale rectè & conformiter juri fieri potest à capitulo, Laym. *de elect. q. 45.*) ut omnes, qui adesse possunt, adsint, ad hoc compelli possunt; cùm unusquisque invitus cogi possit, ut muneri suo incumbat, dum bonum publicum hoc exigit. Abb. *loc. cit.* Tamb. *de jure Abb. d. 5. q. 3. n. 13.* Barb. *loc. cit.* Pass. *n. 29.* nimirum ab eo, qui electionis præses est, habétque curam Electores convocandi; hic enim eo ipso etiam habet jus exequendi ex parte sua id, quod ad bonam electionem habendam est necessarium; multòque magis à Superioribus majoribus, qui uti universaliorem boni communis curam, sic etiam universaliorem jurisdictionem habent, Pass. *n. 30.* Aut etiam à capitulo vel decano in vi dicti statuti pœnalis; à quibus etiam pœna illa, si modica est, potest inferri. Porrò, dum dicitur, quòd Electores cogi possint, ut eligant, subintelligitur, per votum de se utile; cùm dare vota, ut vocant, alba, vel aliàs inutilia, non sit eligere, Pass. *n. 32.*

Quæstio 304. Num igitur præscindendo à tali compulsione, vel statuto pœnali, liberum sit interesse vel non interesse electioni, ferre vel non ferre suffragium?

1. Respondeo: Suppositâ institutione electionis, jure naturæ quilibet elector obligatur eligere; jus enim publicum, sive illud sit commune, sive particulare religionis alicujus à Sede Apostolica approbatæ, adeóque concessio Apostolica (à qua omnibus, & sine qua nulli competit jus eligendi canonicè. Pass. *n. 18*) dans alicui facultatem ad aliquod necessarium ad bonum communitatis, hoc ipso illum obligat, uti & recipiens hanc facultatem, se ipsum ex justitia quadam obligat ad illius usum seu exercitium, prout bonum commune postulat. Estque hæc obligatio major vel minor, prout eligendi sunt magis vel minùs necessarii ad bonum commune. Pass. *n. 19.*

2. Quemadmodum autem per accidens cessat quandoque hæc obligatio, & renunciare suo suffragio, nullum est peccatum, dum nimirùm votum Electoris nulli potest esse utilitati Reipubl. sed solùm ad purum augmentum numeri eligentium, ex eo scilicet, quòd jam vota reliquorum immutabiliter sint determinata ad unum: ex altera verò parte magno damno Electori, si contradicat, vel etiam accedat aliis. Dian. *p. 1. tr. 3. de partam. resol. 18.* Bonac. *de contract. d. 1. q. 2. p. 8. n. 8.* Lavor. *de elect. tit 4. c. 18. n. 87.* Pass. *cit. c. 11. num. 20.* Ita quandoque est sub peccato mortali, dum nimirùm Elector suffragio suo conferre potest magnam utilitatem communitati, quia v. g. sedare potest magnas discordias, vel indignum, vel minùs dignum notabiliter excludere; eò quòd tunc muneri suo desit cum gravi damno communitatis. Sylv. *v. electio. q. 12. n. 15.* Pass. *n 21.* citans Card. Paleott. *de sac. conc. consult. p. 5. q. 8.* Molfes. *in sum. to. 1. tr. 6. c. 16. n. 118. &c.* Etiamsi exinde immineat Electori grave damnum, (etiam quandoque vitæ propriæ, v. g. in casu posito à Passer. *n. 22.* quo eligendus esset in Episcopum hæreticus, cujus electio aliter impediri nequiret, teneretur elector, si posset, etiam cum periculo vitæ suffragio suo id impedire) dum nimirùm damno illi propriè præponderaret damnum communitatis. Sylv. *loc. cit.* Tenétque hoc ipsum, quamdiu Elector certus non est votum suum fore inutile ad tale grave damnum avertendum. Pass. *n. 23.*

3. Nec sufficit in similibus electionibus malis illas non approbare; sed necesse est, ut illas expressè reprobet Elector; censetur enim aliàs in istis casibus, qui loqui tenetur, & tacet, consentire. Sigism. à Bon. *dub. 14. n. 6.* Rodriq. *to. 2. q. 54. a. 3.* Pass. *n. 24.* Qui tamen *ibidem* contra Sylv. & Ledesm. ait, incertum esse, num talis Elector in illo casu renuncians suffragio suo teneatur ex justitia ad restitutionem damni ex tali electione orti communitati; quia certum non est, utrùm teneatur ex justitia commutativa eligere dignum vel digniorem. Porrò neque in casu, quo Elector esset perplexus, & verè nesciret, quem ex propositis, dum hi jam ab aliis eliguntur, deberet eligere, licere suum suffragium omittere, contra Sylv. tenet & ostendit Pass. *n. 25.*

4. His tamen stantibus, quia regulariter, & ut plurimùm, & per se loquendo, adeóque ex genere suo non cedit in magnum damnum communitatis, quòd unus altérve non eligat; hinc renunciare voci sine justa causa, & ubi eligere non cedit in damnum eligentis, per se loquendo, & ex genere suo non est mortale, (etsi sit veniale, quia est deficere à munere & officio sine causa) uti nec negligentia totius Capituli negligentis eligere; cùm nec id per se loquendo cedat in grave damnum communitatis; hinc enim satis obviatur per hoc, quod jura statuerint, ut si Electores debito tempore non eligant, provisio facienda devolvatur ad Superiorem. Pass. *n. 26. & 27.*

Quæstio 305. Quinam intelligantur per eos, qui commodè interesse possint?

Respondeo: *Tò commodè* respicere potiùs bonum Ecclesiæ; adeóque intelliguntur, qui absque incommodo Ecclesiæ vocari possunt, ita ut, si sit incommodum Ecclesiæ vocare aliquem, v. g. quia necessitas accelerandi electionem ob periculum schismatis vel abusûs sæcularis potestatis non patitur moram; vel quia ex illius vocatione imminet Ecclesiæ damnum; vel quia bella vocare vetant; vel quia, ut addit Pass. *n. 33.* versatur in loco, ubi grassa-

tur

tur pestis, eum vocare non sit necesse. Abb. *in c. quia propter. n. 5. & in c. coram. n. 3.* Barb *loc. cit.* Lavor. *de Elect. c. 17. n. 12.* etiamsi de cætero adesset consuetudo vocandi omnes absentes; ubi enim imminet grave damnum Ecclesiæ, vim non habet consuetudo. Abb. Lavor. Pass. *loc. cit.* Porrò in dubio, num hic & nunc aliquis vocari possit sine damno Ecclesiæ, recurrendum est ad arbitrium judicis. Barb. *de jure Eccl. l. 1. c. 10. n. 89.* Sylv. *v. electio. q. 3.* qui non est confirmator; ad eum enim solùm spectat discernere post factam electionem, an aliquis non vocatus debuerit & potuerit vocari, sed Præses electionis; ad eum enim immediatè spectat videre, an hic & nunc absens vocari debeat & possit sine incommodo, cujus est vocare absentes, electionémque dirigere, ne defectum patiatur. Pass. *num. 34.* contra Abb. Jo. And. de Butrio. Sigism. à Bon. *d. 8. num. 9.* & alios. Quamvis tamen, cùm intersit totius Capituli, ne propter absentium contemptum electio facta cassetur, non poterit, nec debebit Præses in hoc puncto vel alio, quod communi electioni possit esse præjudicabile, aliquid decernere sine consensu majoris partis Electorum præsentium, Pass. *ibidem.*

Quæstio 306. Num ergo cessante gravi damno Ecclesiæ vocandi sint absentes omnes ex omni loco & distantia?

Respondeo: eos omnes & solos vocandos esse, (præscindendo nimirùm à lege speciali vel consuetudine, quæ quandoque hanc distantiam determinat, v. g. ad diætam unam seu iter, quo nuntius pedester uno die commodè accedere potest) qui intra tempus electioni statutum adesse possunt, sive locus, è quo vocantur, sit intra provinciam, sive extra; sive ex necessitate, sive ex voluntate absint, Abb. *in c. Cùm inter, h. t. num. 4.* Tamb. *de jure Abb. d. 5. q. 3.* Pass. *num. 38. & seq.*

Quæstio 307. Num vocandus sit, qui renunciavit voci suæ activæ?

Respondeo: Si ante electionem eum pœniteat hujus renunciationis, & vocem reassumat (uti facere potest, etiam postquam hanc renunciationem Superior jam acceptavit; cùm licèt quis renunciare possit juribus sibi datis in propriam utilitatem, v. gr. voci passivæ, non tamen juribus ad utilitatem publicam concessis, ad quæ exequenda obligatur, quale est jus vocis activæ, adeóque locus est pœnitentiæ utilis Ecclesiæ de malè facta hac renunciatione, Gl. *in c. Ecclesia vestra, h. t.* & *ibi* Abb. Pass. *num. 78. & 83.* & apud illum Host. Sylv. Ang. & alii contra Sigism. à Bon. *dub. 14. num. 7.* Lavor. *de elect. c. 15. num. 88.*) vocandus est ad electionem, ubi reassumptionem vocis sive Superiori, vel Capitulo sufficienter notificavit, & admittendus (in statu tamen & terminis, in quibus eam invenit, dum ad Capitulum redit eligendi gratiâ, ita ut, quæ jam fortè sine illo gesta sunt, valida sint, & non reiteranda) etsi non vocetur, vel non admittatur rediens, etiam non factâ priùs istâ notificatione, potest agere de contemptu, AA. iidem cit. & Pass. *num. 85.*

Quæstio 308. Num Canonicus jam ingressus novitiatum alicujus Ordinis, tempore novitiatûs retinens suum Canonicatum, adeóque jus eligendi, v.g. Prælatum Ecclesiæ, cujus est Canonicus, vocari debeat ad electionem, ubi non nimis remotus est à loco electionis, sicut cæteri Canonici?

Respondent affirmativè Bertachin. *de gabellis, p. 7. num. 56.* Mandol. *in casibus annalibus, n. 68. casu 197.* Archid. *ad cap. Beneficium, de regular. in 6.* citati à Castrop. *tr. 13. de benef. d. 6. p. 3. §. 8. num. 6.* eò quòd, ut ait Gloss. *in cit. c. Beneficium,* deterioris conditionis esse non debet, qui ad bonum aspirat, & religiosam vitam probat, ac præcipuè, cùm inquietudini, & distractioni, quæ ex talibus electionibus (maximè si frequentes sint) occurrere possit, designando procuratorem. Verùm distinguit ipse Castrop. hâc ratione: Dum novitio jure speciali & singulari competit electio, vel etiam tanquam patrono nominatio, vocandus est, & requirendus ejus consensus; quia jus hoc eligendi & nominandi retinet, neque illud in monasterium transit, potest etiam jus illud absque dispendio religionis executioni dare; non enim tenetur propter hanc executionem monasterio exire, citat pro hoc Suar. *tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. num. 16.* Sanch. *in decalog. l. 6. c. 4. num. 12.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 3. q. 1.* Si autem ei jure Collegii competit electio vel nominatio, probabilius est, illum non esse necessariò vocandum; quia fictione juris ob assumptum statum reputatur longissimè absens, Argumento *c. Quamvis, de procurat. in 6.* ubi ingressus Religionis, & longa peregrinatio æquiparantur, & gl. *v. Ingredi,* ait: Etiam non profitendo, sed solùm probationis causâ, pateretur etiam Religio inde detrimentum; cùm non possit satis explorare mores novitii ob frequentem ejus ex monasterio egressum, & ipsi detraheretur nimium: adeóque regulariter non potest commodè interesse ejusmodi electionibus, & sic creditur impeditus; qui autem impeditus est, & creditur, necessariò vocandus non est, citat pro hoc Azor. Suar. Sanch. *ubi ante.* Unde jam etiam citatis iisdem, ex eo, quòd necessariò vocandus non sit, non poterit eligere per procuratorem, neque Collegium tenetur procuratorem talem admittere: Si tamen novitius ad eligendum accesserit, sive vocatus, sive non vocatus, est admittendus, Castrop. *ibid.* citatis iisdem Sanch. Azor. Suar.

Quæstio 309. Num vocandi sint Electores inhabiles?

1. Respondeo primò: Inhabiles substantialiter, hoc est, carentes qualitate à jure requisitâ ad eligendum non esse vocandos, constat; quia non habent jus vocis, adeóque nec sunt Electores.

2. Respondeo secundò, inhabiles pœnaliter, qui per sententiam judicis sunt inhabilitati, vel declarati inhabiles ad eligendum, non tantùm non sunt vocandi, sed & rejiciendi ab electione.

3. Respondeo tertiò, quantumcunque notoriè rei delicti alicujus, cui non est imposita pœna privationis vocis latæ sententiæ, sed solùm ferendæ, ante hanc latam vocandi sunt, & nihili facienda contra tales facta protestatio; quia jus habent & retinent eligendi.

4. Respondeo quartò, privati voce ipso jure, quia v. g. excommunicati, suspensi, interdicti, vel rei criminis, cui imposita pœna privationis vocis latæ sententiæ, licèt nondum declarati, si crimen est notorium, vel sufficienter probari potest in judicio, etsi vocari possint, quin & ad vitandas lites benè fiat, si & tales citentur, quin & urbaniùs, si vocati exspectentur, Abb. & Host. *in c. Cùm inter, h. t.* (quamvis ad exspectandum vocatos non teneantur Electores, cùm exspectare illos sit gratia distincta à vocatione, quam Electores legitimi non concesserunt ex eo, quòd non vocandum de necessitate vocârunt, Abb. & Host. *l. cit.* Barb. *de jure Eccl. loc. cit. num. 99.* Pass. *num. 74.*) & admittantur ad electionem cum protestatione, Sigism. à Bon. *dub. 10. num. 4.* Pass. *num. 73.* necesse tamen non est eos vocare, AA. iidem. Barb. *ad c. 2. de postul. num. 4.* & *l. 1. de jure Eccl. c. 19. num. 89.* Miran. *tom. 2. q. 23. n. 6.* Lavor. *c. 17. num. 6. & 8.* aliique quamplures apud. Pass. tales enim etsi adhuc habeant quandam vocis possessionem (quâ privantur per positivam rejectionem ab electione, quæ proinde facta auctoritate privatâ, injuriosa est, non verò per non vocationem, cùm non vocare, juxta Innoc. *in cap. Cùm Vintomensis, h. t. num. 6.* sit solùm dicere, & facto ex-

exprimere, quòd talis non vocatus non habeat vocem; quia inhabilis est; quod, quia in judicio probari potest, id dicendo, tali non fit injuria) & jus quoddam, hoc tamen adeò infirmum & debile est, & nullum declarandum, & quidem per sententiam judicis retrotrahendam ad diem commissi criminis, ut, ubi postea in judicio de crimine constet, judicandus sit privatus voce tempore electionis, & tanquam is, qui ad illam jus nullum habuit, & qui propterea non potest agere de contemptu; etsi, si ante hanc sententiam agat de contemptu, audiendus quidem sit, non tamen ad ejus instantiam cassanda electio; quia ei nulla facta injuria, Pass. *num. 73.*

Quæstio 310. Utrùm de jure vocandus vocatus exspectandus sit ultra terminum præfixum? Suppono enim ut certum, exspectandum eum esse usque ad terminum præfixum, & ultimam hujus termini partem, Pass. n. 87.

Respondeo: Licèt æquum, rationabile, meliúsque sit ad tollendam omnis litis, & actionia de contemptu occasionem, ut dum vocatus est in propinquo rationabili causâ detentus, v. gr. pluvia. Electores cæteri de hoc facti certi, illum exspectent paulisper ultra terminum præfixum, dum id sine incommodo gravi facere possunt; de rigore tamen juris ad hoc non tenentur; electio enim pertinet ad eos solos, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse ei intra terminum eidem præfixum; qui autem detinetur, v. gr. à pluvia, ne intra tempus præfixum adsit, non potest commodè interessa, neque Electores cæteri tenentur exspectare commodum Electoris absentis, vel etiam præsentis habilitatem, Pass. *num.* 88. & AA. paulò post citandi. Porro citatus pro certa die, & non ad certam horam, intelligitur citatus pro hora matutina, quâ fieri consuevit electio; citatus enim ad certum diem adesse debet illâ horâ, quâ ille actus solet expediri, Felin. *in c. Consuluit, de off. deleg. num. 5.* & dum hora est de consuetudina & natura actûs, expressio diei habetur pro expressione horæ, Biax. *p. 3. c.* 11. *num. 20.* Pass. *cit. nu. 88.* Peyr. *tom. 3. c. 9. num.* 13. Unde si vocati, v. gr. ad primam Martii, non adsint manè intra horam consuetam electionis, Electores possunt in parte ultima istius horæ peragere electionem, Biax. Peyr. Pass. *ll. cit.* Castel. *de elect c. 6. num. 11.* Buttio. Ancbat. Jo. And. *ad cap. Cum in nobis, h. t.* Meritóque hic hora sumenda est strictè de momento ad momentum, sic statuentibus SS. Canonibus in bonum Ecclesiæ, ad necessariam in similibus firmitatem, & immutabilitatem, ad vitandas dissensiones, & dubitationes inde orituras, si moralibus considerationibus, extensionibus, & restrictionibus hoc tempus subjaceret, Pass. *num. 89.*

Quæstio 311. Quid quòad electionem facere possint præsentes, aliis præfixo tempore non comparentibus,, vel abeuntibus è Capitulo?

1. Respondeo primò: Ubi instat finis temporis præfixi Electoribus ad eligendum, ita ut post illud non possit amplius commodè fieri electio, & electione non factâ devolvetur provisio ad Superiorem, Electores congregati, & in electionis negotio perseverantes, etiamsi sint minor pars, possunt eligere validè, reliquis non potentibus agere de contemptu, Abb. *in c. In nobis, h. t. num. 10.* Castel. *loc. cit. num. 12.* Pass. *num. 93.* cum communi. Verúmque id est, etiamsi unus solus adsit, vel remaneat in Capitulo, Abb. *loc. cit.* Biax. *de direct. Elect. p. 3. c. 6. num. 5.* Idque etiam de electione summi Pontificis facta ab uno solùm Cardinale tenent apud Pass. *num.* 94. Barb. *de jure Eccl. l. 1. c. 1. num. 74.* Dian. *p. 5. resol. 72.* & plures alii ab iis citati; conservatur enim jus Collegii, etiam in uno, Gl. Butrio Abb. *in c. gratum, de postulat.* Lamb. *de jurepat. l. 1. p. 1. q. 9. a. 3. num. 39.* Peyr. *in subd. q. 1. c.* 31. *&c.* utitur autem talis unus hoc suo & collegii jure, dum eligit, quo eum privare, & cui præjudicare non possunt cæteri, negligendo illud, Pass. *loc. cit. num.* 93.

2. Respondeo secundò: Ubi non instat ultimus terminus eligendi, & aliquis non venit præfixo die, vel è Capitulo recedit ex justa causa, legitimè appellans ab illa diei præfixione, Electores cæteri, etsi in magno numero, non possunt eligere; & si eligant, is, qui appellavit, & præsens non fuit, potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio est cassanda, Castel. *loc. cit. c. 8. num.* 11. Lavor. *c.* 17. *num 25.* Pass. *num. 95.* justæ enim appellationi est deferendum, & non censetur contumax, qui justam & evidentem causam appellationis habet. Ubi tamen instat tempus ultimum, appellationi locus non est ad suspendendam electionem; sed ea servatis servandis potest legitimè haberi, Castell. & Pass. *ll. cit.*

3. Respondeo tertiò: Ubi neque instat ultimum tempus eligendi, nec est interposita legitima appellatio, venientes, etsi in minore numero, quàm non venientes, absque bis eligere possunt validè, & absque eo, quòd hi agere possint de contemptu, modò omnes vocandi vocati sint ab eo, cui de jure vel consuetudine competit convocare Electores, Abb. *in c. In cunctis, h. t. num. 3.* Tusc. *l. E. concl. 64.* Sigism. à Bon. *dub.* 12. *num 5.* Sanch. Tamb. *de jure Abb.* Castel. Donat. & plures alii, quos citat & sequitur Pass. *num.* 98. tunc enim hi absentes nihil protestati contra, sed solùm non venientes, & inobedientes mandato Præsidentis, censentur contumaces, faciúntque se alienos & extraneos, adeoque in Electorum numero non computabiles, *cap. Cum nobis, h. t. ibi.* Abb. & Gl. Tusc. Pass. Lamb. Sigism. à Bon. *ll. cit.* Tamb. *d. 5. q. 3. num.* 11. absurdum autem est, ut contumacia particularium retardet negotia universitatis, Abb. *loc. cit.* & ex eo Pass. Ampliatúrque hoc ipsum, ita, ut in hoc casu unus solus veniens possit eligere, Abb. Sigism. *loc. cit.* Peyr. *in subd. q.* 1. *c. 31.* Pass. *num. 99.* & plures alii contra Lezanam & Barb. *de jure Eccl. lib.* 1. *cap. 9. num* 96. à quo factam limitationem vide refutatam & rejectam apud Pass. *num.* 100. Secùs tamen est, si vocandi vocati non fuerunt per habentem jus convocandi Collegium ad eligendum; sed per aliquos de Collegio Electorum, tunc enim tantùm procedit electio, si veniant duæ partes (vel etiam, ut verius censet Pass. *n.* 109. si veniat major pars) Electorum vocatorum, Pass. *n. 97.* qui tamen etiam *num.* 109. ait: Quòd dum major pars legitimè citavit ad certam diem, ii, qui veniunt, etsi sint pars minor, possint eligere.

4. Respondeo quartò: Aliter loquendum de venientibus quidem ad eligendum, sed recedentibus à Capitulo ante factam electionem; nimirum ubi non instat ultimum tempus eligendi, recedente majore parte venientium, pars minor, quæ remanet, eligere non potest; minore verò parte venientium recedente, pars major remanens potest eligere, Abb. *in cap. Cum nobis, h. t. num.* 10. Pass. *num.* 101. *& seq.* Ratio disparitatis hæc est, quòd præses citans ad electionem pro die sibi bene visa obliget sub pœna contumaciæ ad comparendum eâ die, ita ut non venientes tanquam contumaces habendi sint, ut alieni & extranei, quibus jus eligendi non competit; non tamen obligat, nec obligare potest ad eligendum eâ die, si tunc non exspiret tempus à lage statutum; cùm non possit Electoribus restringere tempus illis à jure concessum ad eligendum, *c. Si diligenti, de foro compet.* & *c. Indultum, de reg. juris in 6.* hinc majore parte tunc recedendo decernente, non esse tunc eligendum; sed tempus aliud exspectandum, non potest pars minor progredi ad electionem; cùm major pars veniens recedendo non fiat contumax; quia jus habet ad differendam electionem intra terminum à jure statutum; adeóque ipso facto, seu abeundo protestans, se nolle tunc & ibi eligere, potest juxta *c.* 1. *de*

bis,

his, quæ fiunt à majore parte Cap. cogere ad differendam electionem, ita ut, si hæc pergat eligere, eligat inaniter. Abb. *loc. cit.* & ex eo Pass. *loc. cit.* contra Samuel. *tr.* 1. *d.* 2. *controv.* 6. *num.* 7. Verúmque hoc ipsum est, etiamsi citatio facta ab ipsa universitate, hoc est, majore parte universitatis collegialiter congregata, extra quam congregationem nulla unquam pars universitatis citat validè. Pass. *nu.* 109. Etiam non obstante, quòd eadem pars major priùs approbaverit tempus & horam pro electione tum habenda, quia talem approbationem potest revocare ante electionem; cùm approbatio ista sit veluti decretum interlocutorium, quod revocari potest. Pass. *num.* 105. Porrò dum dicitur, recedentes seu non perseverantes habere se ac non venientes. *c.* 1. *de jud. c. certum.* 11. *q.* 3. Abb. *in c. cùm nobis. h. t. num.* 10. Verum id est de recedente minore parte, majore remanente, seu de iis, qui non habent jus recedendi, quale jus habet major pars electorum, etsi eadem pars major jus non habeat non veniendi. Pass. *num.* 108.

Quæstio 312. *Qualiter vocales sint vocandi?*

1. Respondeo primò: absentes personaliter sunt citandi, si sciatur, ubi degant, & si id commodè & sine periculo fieri possit. *c. cùm olim. de dolo & contumac.* Gl. *ibi. v. Hibernia.* Barb. *lib.* 1. *juris Eccl. c.* 19. *n.* 90. Pass. *cit. c.* 11. *nu.* 41. Attendenda tamen in hoc consuetudo. Gl. *in c. coram. h. t.* Mittendo ad eos literas vel nuncium. *c. cùm inter. h. t.* Barb. *loc. cit. num.* 9. Castel. *de elect. c.* 8. *num.* 1. qui, uti & Lavor. & Sigism. apud Pass. *num.* 43. harum literarum formam exprimunt.

2. Respondeo secundò: si autem nesciatur, ubi degat vocalis, & adhibitâ diligentiâ inveniri nequeat, citatio facienda est in ejus domo. *c. venerabilis. de dolo & contum.* Lavor. *tit.* 4. *c.* 17. *num.* 10. vel si non habet domicilium certum in loco seu Ecclesia illius loci, ubi habitare consuevit, *cit. c. venerab.* Pass. *num.* 48. vel in beneficio, quia ibi residentiam facere præsumitur. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *n.* 30. Vel, si nec talem locum certum habet, citandus est in Capitulo coram Clero, vel in conventu in publica mensa, vel ad valvas Ecclesiæ, in qua fit electio, aliàs servanda regula: impediens ne citetur, habetur pro citato. Pass. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: citandi sunt absentes ad certam diem, non tamen de necessitate (etsi id melius. Sigism. à Bon. *dub.* 8. *num.* 3.) ad certam horam. Sigism. *ibid.* Abb. *ad cap. consuluit. de off. deleg.* quia dum hora est de consuetudine actûs, expressio diei est expressio horæ. Pass. *n.* 44. Hinc Electores non possunt anticipare horam consuetam; imò, cùm hora consueta habeat suam latitudinem, tenentur Electores exspectare absentem usque ad extremam partem dictæ horæ. Peyr. *tom.* 3. *de privil. c.* 13. *n.* 17. Pass. *num.* 45. Castel. *c.* 8. *n.* 11. & 15.

4. Respondeo quartò: præsentes sufficit citare voce vel campanâ. Abb. *in c. coram. h. t. num.* 1. Castel. *loc. cit.* modò constet Electoribus, quòd tali pulsatione ex commissione Præsidis vocentur ad electionem. Pass. *nu.* 49. Idem dicendum de commorantibus extra domum electionis in civitate vel hortis, modò campanam audire possint; quia & hi habentur præsentes. Castel. *loc. cit.* Pass. *num.* 51. Quòd si ad talem compulsationem non omnes præsentes in domo vel civitate compareant in loco Capituli, non tenentur exspectare reliqui, quamvis utilius dicat Castel. per nuncium eos admonere; multóque magis id tutius esse respectu commorantium extra domum electionis in civitate: Porrò si Electores omnes, etsi per accidens, & ob aliam causam sint congregati, possunt nullâ præcedente citatione eligere. Pass. *num.* 52.

Quæstio 313. *Propter quid necessaria sit absentium vocatio? Et num quandoque cesset necessitas illa vocandi absentes de cætero habiles, & sine magno incommodo vocabiles?*

1. Respondeo ad primum: finem necessariæ hujus citationis, saltem proximum, non esse vitationem contemptûs, ut vult Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 19. *n.* 116. (cùm, etsi per non citationem absenti non fieret injuria, adeóque hic agere non posset de contemptu, adhuc ea esset necessaria) sed ut absens sciat mortem Prælati & diem futuræ electionis, ita ut horum ignorantiam obtendere nequeat, uti posset non citatus, etsi hæc aliundè sciret. Pass. *num.* 55. quamvis tamen idem *num.* 66. teneat, & probet, citétque etiam pro eo Abb. *in c. cùm Ecclesia. h. t.* contra Butrio, quòd si Electoribus præsentibus constet, absentem reverà scire determinatè locum & diem certam electionis, non esse necesse eum citare, & si non citatus agat de contemptu, si probetur, quòd fuerit conscius diei & loci electionis, hæc ad ejus instantiam non est cassanda. Abb. *in c. cùm inter. h. t. num.* 10. Biax. *p.* 3. *c.* 10. *num.* 3. quibus inhærere videtur Pass. *num.* 55. Hinc

2. Respondeo ad secundum primò: non esse necesse citare ad electionem Electorem absentem, cui constat de viduitate Ecclesiæ, cùm dies electionis est à jure vel consuetudine determinata; dum enim terminus interpellat, non est necessaria citatio. Peyr. *tom.* 3. *c.* 13. *num.* 13. Raggius *cent.* 2. *dub.* 156. *num.* 3. Pass. *num.* 67. citans Abb. But. Anchar. *in c. cùm nobis. h. t. &c.* Sed neque tunc opus est, (quamvis sit ad majorem cautelam) ipsum Præsidem monere, (ut aliàs possunt Electores. Innoc. *in c. cùm nobis. n.* 5. *ibid.* Anchar. *num.* 4.) ut statuto die veniat ad eligendum. Peyr. *loc. cit.* Ita etiam, ut si ex gratia vocatus Præses, si non adsit statuto die, possint Electores alii ad electionem procedere. Innoc. Abb. Anch. *ll. cit.* Biax *p.* 3. *c.* 15. Circa quod ultimum tamen observandum monet Pass. *num.* 69. quòd, cùm Præses, utpote judex, ad cujus justum arbitrium electio est dirigenda, ex causa mutare adhuc potest horam aliàs consuetam; quin & Electores alios impedire, ne citiùs eligant intra tempus à lege statutum, si datur justa causa eam differendi, (dum aliàs hâc justâ causâ non datâ major pars Electorum possit Præsidem compellere ad tempus illud à lege statutum abbreviandum) tunc solùm possunt procedere ad electionem, Præside citato non veniente, vel à Capitulo recedente, quando adest ultima hora, quâ elapsâ exspirat tempus eligendi, & devolvitur provisio ad Superiorem. Aliàs autem exspectandum Præsidem, & monendum, ut redeat, (quales citationes extrajudiciales, cùm non sint rigorosæ tales, & monitiones posse fieri, etiam ab inferioribus, rectè tenet Abb. *ad c.* 1. *de suppl. negl. præl. num.* 1.) ita etiam, ut, si monitus sine justa causa nolit redire, possint procedere sine illo ad electionem. Neque opus est trinâ monitione, ubi Præses primâ vice monitus expresè negat agere id, ad quod monetur, sed solùm ubi id expresè non negat. Bald. *ad c.* 1. *de suppl. negl.* Porrò in dubio voluntati Præsidis est standum, quia in dubio præsumi debet pro Superiore, quòd justè præcipiat & agat. Pass. *num.* 70.

3. Secundò: non esse ampliùs vocandum illum, qui interfuit assignationi diei, & posteà recessit, quia sufficienter, & ita ei constitit dies, ut ignorantiam obtendere nequeat. Abb. *loc. cit.* Lavor. *cit. c.* 17. *num.* 9. Pass. *num.* 57. Item illum, qui vocatus ad designandam diem electionis, legitimè non impeditus non comparuit, cùm is ignoret diem electionis, quia illam scire noluit. Abb. *loc. cit.* & *in c. Ecclesia vestra. h. t. ibid.* Innoc. Pass. *num.* 88.

4. Econtrà, qui instante electione, non determinatâ tamen adhuc die electionis, recederet, etiam sine protestatione aliqua, citandus adhuc est, & monendus pro certa die. Verumque id est, etiamsi Præses electionis talem abeuntem moneret, ne recederet, aliàs eum non vocandum amplius, quia non potest Elector prætextu futuræ electionis incertæ impediri, ne sua negotia agat, præsertim si per-

permanenter, & propter officium alibi habet domicilium. Pass. *num.* 60. contra Castel. *de elect. c.* 8. *num.* 15. Non tamen opus esset citatione novâ, si præses recedenti intimaret & determinaret breve tempus, intra quod futura esset electio, & intra quod recedens non posset commodè denuò vocari. Pass. *ibid.* Item est vocandus denuò, qui ad certam diem, pro qua indicta electio, comparuit, eâdem dein ex rationabili causa prorogatâ ad diem aliam incertam, recessit; secùs tamen est, si recessit ante deliberationem, quam scivit tunc habendam de certa die statuenda. Pass. *num.* 61. & 62. Item vocandi sunt denuò, qui, dum ob non consensum electi habenda est (intellige in continenti) nova electio, intra tempus, quo exspectatur consensus, hinc illicque recesserunt. Sigism. *dub.* 11. *num.* 5. Pass. *num.* 63. Nova enim ista electio consecutivè se habet ad primam, ad quam citati fuerunt, sicque debet unusquisque Electorum, quòd ibi electus non consentit, nova electio non sit differenda. Pass. *ibid.* Idem est de iis, qui, dum in prima electione nullus eligeretur, Capitulo electionis nondum soluto, recesserunt; censentur enim & tales nolle interesse electioni; nec juvat, quòd dicant, se nescivisse, quòd iterùm tunc procederetur ad electionem, cùm eorum inconsideratio voluntaria & negligens (scire enim potuerunt & debuerunt, quòd Electores congregati in Capitulo ad eligendum possint sæpiùs procedere ad actum electionis, si opus est, donec tandem evadat aliquis legitimè electus) non obligat Collegium ad illos iterùm admonendos & citandos. Pass. *num.* 65.

Quæstio 314. *An electio facta non vocatis omnibus vocandis sit ipso jure nulla?*

Respondeo: si tot ex vocandis vocati non sint, ut actu præsentes conficere nequeant illum suffragiorum numerum, qui juxta leges vel consuetudinem necessarius est, ut quis evadat electus, electio facta ab istis præsentibus tantùm est ipso jure irrita; non quia contempti seu non vocati sunt aliqui, vel etiam major pars; (vocatio enim Electorum non est de substantia electionis, etsi ejus omissio sit injuriosa, seu contra jus, quod habet vocalis, ut intersit electioni, Pass. *num.* 118.) sed quia ab his omnibus electus caruit numero votorum (quæ computanda sunt respectivè ad omnes habentes jus eligendi, adeòque & ad absentes non vocando contemptos; Non enim injuria his facta debet cedere in favorem electi, ut vel hinc, seu ex hac commissa injustitia ei jam sufficiat minor suffragiorum numerus; cùm hoc modo magnis fraudibus aperiretur via. Abb. *in c. in Genesi. h. t.* quem fusè verbotenùs citat & sequitur cum pluribus aliis mox referendis Pass. *num.* 112.) necessariorum ad electionem: uti id declarat exemplo: Numerus electorum vocandorum est, v. g. 30. ex his solùm vocati sunt 19. qui etsi omnes consentiant in unum, hic adhuc non evadet electus, ubi ad electionem requiruntur duæ tertiæ, seu duæ partes ex tribus, & in præsenti exemplo sunt 20. vel vocati sunt solùm 15. ab his omnibus nominatus non evadet electus, ubi solùm (uti de jure communi Canonico statutum) requiritur major pars votorum ultra medietatem, quæ in præsenti est 16. Ita præter Abb. *loc. cit.* & *in cap. quia propter. num.* 12. & *in c. bonæ. h. t.* Barb. *num.* 1. & 3. & Bald. *num.* 4. Menoch. *conf.* 67. *num.* 31. Sigism. *dub.* 9. *num.* 2. Tamb. *tr.* 1. *d.* 5. *q.* 3. *num.* 2. Peyr. *in subd. q.* 1. *c.* 31. & alii citati à Pass. *num.* 118.

Quæstio 315. *An & qualiter vocandus non vocatus habeat jus agendi de contemptu sui?*

1. Respondeo: potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio de cætero valida cassari debet. *cap. quod sicut. de elect. ibidem.* Abb. *num.* 3. Bald. *num.* 1. Barb. *num.* 5. Tusc. *lit.* G. *concl.* 967. Pass. *num.* 119. citans Lavor. Cast. Sigism. &c. Ita etiam, ut juxta Bald. *in c. in Genesi.* Lavor. *loc. cit.* & alios apud Pass. *num.* 122. si, dum agitur causa contemptûs, vel etiam antè, moriatur, qui contemptus est, is, qui in locum mortui subrogatur, possit causam contemptûs prosequi, vel etiam electionem ratam habere.

2. Nihilominùs contempto electionem illam ratam habente ea cassari non potest, *cit. c. quod sicut.* AA. iidem. Item illo tacente nullus alius agere potest pro cassatione illius, & nequidem ipse Judex eam cassare. Abb. *in c. in Genesi. num.* 10. Barbos. *l.* 1. *de jure Eccles. c.* 19. *num.* 118. & alii passim contra Gl. *in cit. cap. in Genesi.* Licèt enim jus eligendi sit publicum, ut tamen est subjectivè in hoc vel illo Electore, est privatum, adeòque injuria, quæ fit non vocando hunc vel illum Electorem, fit personæ, & violatur jus, prout est hujus vel illius personæ. Pass. *num.* 120. Item contemptus non est audiendus, nisi debito tempore instet, scilicet ante confirmationem. *c. fin. de elect. in* 6. Abb. *c. quod sicut.* & *ad cap. in Genesi. num.* 10. Biax. *p.* 3. *c.* 7. Lavor. *c.* 17. *num.* 14. Sigism. *d.* 9. *num.* 4. Pass. *num.* 121. nisi ubi constat, eum ignorâsse factam electionem & confirmationem; tunc enim & post confirmationem audiri debet. AA. iidem, uti &, si non tam sit confirmatio, quàm institutio & provisio, de quo vide Pass. *num.* 123.

Quæstio 316. *An-non vocatus seu contemptus cogi possit, ut consentiat electioni factæ? Et num Superior regularis subdito suo prohibere possit, ut non agat de contemptu?*

Respondeo ad primum negativè. Gl. *in cap. quòd sicut. de elect. v. consentire.* Idem ad secundum respondent Sigism. *dub.* 9 *num.* 7. Donat. *p.* 3. *tr.* 4. *q.* 21. *num.* 15. & alii, eò quòd, cùm jure communi id concessum sit omnibus Ecclesiasticis, & communi totius Ecclesiæ consuetudine firmatum; quin & constitutionibus propriis id permissum sit Regularibus, nullus Superior, etiam generalis, utpote inferior conditore Canonum Papâ, possit auferre subditis suis hoc jus agendi coram suis Superioribus, si in electionibus contemnantur. Quod Ipsum tamen distinguit Pass. *n.* 124. admittitque, dum Superior procedit ut Judex, cùm ex nulla causa impedire possit, ne Elector contemptus agat de contemptu: negat verò, dum Regularis Superior procedit ut Prælatus in vim potestatis, quam habet ex voto obedientiæ; sic enim dicit posse eum ex justa causa imponere silentium agenti de contemptu.

Quæstio 317. *Ad quem spectet probare, num aliquis contemptus vel non contemptus fuerit?*

1. Respondeo: onus probandi se vocatum non esse non incumbit asserenti se contemptum, sed est Electorum, vel vocantis probare, illum citatum & monitum esse; cùm præsumptio stet pro eo, qui habet jus interessendi electioni, & non interfuit, ut censeatur ideo non interfuisse, quia non fuit vocatus, cùm non præsumatur quis negligere, quod sui juris est. Gl. Abb. Bald. *in c. quod sicut. de elect.* Barb. *ibid. n.* 7. citans Felin. Tiraq. Surd. Mascard. Menoch. &c. Pass. *num.* 126.

2. Ad probandum autem, eum vocatum esse, sufficit dictum nuncii jurati, affirmantis se illum vocâsse, (saltem ut hoc limitat Biax. *p.* 3. *c.* 11. *n.* 3. ubi constat de commissione ei data) Gratian. *discep. forens. c.* 502. *num.* 14. Boër. *in addit. ad c. quod sicut.* Castel. *c.* 8. *num.* 18. Lavor. *loc. cit. num.* 20. Barb. *de jure Eccl. l.* 1. *c.* 19. *num.* 95. Unde Pass. *num.* 127. ait, non esse credendum Barbosæ, dum *ad c. bonæ.* 23. *de elect.* dicit, quòd nuncio non creditur.

Quæstio 318. *An ad evitandam actionem de contemptu sufficiat probare, quòd Præses ex parte sua bonâ fide modo con-*

sutto

sueto vocarit vocandum, licèt hic re ipsa vocatus non fuerit, eò quòd vel literæ ex malitia ab aliquo interceptæ fuerint, vel casu perierint, vel nuncius corruptus pecunia non vocarit, etsi is dicat, se vocasse?

Respondeo affirmativè. Pass. *num.* 129. In isto enim casu talis non est contemptus ab Electoribus, adeóque nec passus ab eis injuriam. Neque tenentur ad hoc Electores, ut citario perveniat ad citatum, sed solùm ad hoc, ut ex eorum culpa non sit, quòd ea non perveniat ad citatum. Ex eo autem, quòd talis non vocatus in hoc casu agere possit contra iniquum detentorem literarum vel nuncium, non potest agere contra electionem vel etiam Electores inculpatos.

Quæstio 319. An, dum ad instantiam contempti cassatur electio, ea devolvatur ad Superiorem?

Respondeo negativè; sed pertinebit ad eosdem Electores, accedentibus iis, qui fuerunt contempti. Lavor. *cit.* c. 17. *n.* 18. Biax. *p.* 3. *c.* 7. Tholos. *c.* 14. *num.* 5. apud Pass. *num.* 125.

PARAGRAPHUS VII.
De loco Electionis.

Quæstio 320. In quo loco fieri debeat electio?

1. Respondeo primò: debere fieri ab Electoribus in uno loco congregatis, juxta *c. cùm jura. h. t.* & juxta generalem regulam traditam *c. auditis. h. t.* & *l.* 2. *de decurionibus.* Gl. *in l. sicut. ff quod cujuscunque univers. nomine,* &c. quòd actus universitatis gerendus ab illius membris, ut communitatem seu collegium constituunt, non possit expediri ab iis singulariter, seu seorsim consensum præstantibus; sed necesse sit, ut collegialiter congregati consentiant, ità ut aliàs actus sit nullus. Abb. *in cit. c. auditis. n.* 8. Tholos. *tr. de Elect.* c. 15. *n.* 1.

2. Respondeo secundò de jure communi præscindendo à contraria consuetudine, electio debet fieri in Ecclesia viduata sponso suo, hoc est, si Episcopalis, in Cathedrali. *c. quod sicut. h. t.* si alterius Prælati, in ejus Ecclesia; nec potest Præses electionis aut major pars Electorum minorem cogere ad alibi eligendum sine justa & publica seu communi causa. Pass. *c.* 12. *n.* 6. & *num.* 10. Perinde autem est, sive fiat in Choro, sive in navi illius. c. *cùm nobis. h. t.* sive in sacristia, sive in domo capitulari. c. *cùm terra. h. t.* sive in quocunque alio loco honesto intra ambitum seu fines propriæ Ecclesiæ. *c. quà fronte de appellat.* Biax. *p.* 3. *c.* 12. *num.* 1. Sigism. *dub.* 15. *num.* 2. Castel. *de elect.* *c.* 6. *num.* 1. Pass. *loc. cit. num.* 2.

3. Respondeo tertiò: ex causa rationabili & publica, qualis v. g. esset, dum periculum immineret libertati electionis, vel dum grassaretur vehementer ibi pestis, (secùs est, si causa sit privata aliquorum, etiamsi esset ipsius Præsidis, aut etiam majoris partis Electorum, adeóque non tenentur tunc pars minor adire locum ab iis extra Ecclesiam determinatum; sed justè ab eo appellare posset. Pass. *cit. num.* 6.) potest quoque fieri extra Ecclesiæ viduatæ fines in quocunque loco Clericis honesto; dicitur enim *cit. c. quòd sicut.* si fieri potest, habenda in propria Ecclesia. *ibid.* Barb. & *de jure Eccl. l.* 1. *c.* 19. *num* 178. & AA. paulò antè citati. Quinimò ex causa rationabili & communi, v. g. dum locus intra ambitum Ecclesiæ vel aliàs consuetus non est tutus, potest minor pars, imò unus solus cogere alios ad alium locum eligendum. Abb. *c. bona. de elect.* *num.* 1. Pass. *num.* 6. Quòd si verò sola major commoditas suaderet electionem fieri extra propriam Ecclesiam, ait Pirh. *de elect. sect.* 5. *n.* 243. ex Laym. *de elect. q.* 33. duas partes Capitularium convenire debere ad hoc statuendum, & quem locum major pars illarum duarum partium designâùt, (intellige, modò is sit conveniens, tutus, honestus) ad illum alios teneri accedere.

4. Quartò: ubi non est consuetus locus habendæ electionis, aut ea in loco consueto haberi nequit, pertinebit ad Præsidem, seu eum, ad quem spectat convocare Electores, determinatio loci, cùm hæc intrinsecè connexa sit convocationi. Pass. *num.* 6. De cætero, dum quæstio est de loco loci consueti & ordinarii, nimirùm de loco intra ambitum Ecclesiæ viduatæ existente, liberum est Præsidi electionis, majore parte vocalium non repugnante, quemcunque locum determinare, ad quem omnes teneantur accedere. Pass. *num.* 7.

5. Respondeo quintò: quòd si per mortem Prælati plures viduatæ sint Ecclesiæ, penes quas simul est electio unius successoris, dum neque lex aut statutum, nec consuetudo determinat, in qua earum, aut ubi habenda electio, minor pars accedere debet ad locum (si is tutus est) majoris partis, intelligendo hanc vel majorem tantùm in numero, sed in dignitate, dum una Ecclesia est alterâ dignior; aliàs conveniendum ad locum communem, ab eo, cujus est convocare Electores de consensu majoris partis vocalium, hoc est, majoris partis dictarum Ecclesiarum (singulis Ecclesiis, si hæ omnes ad hoc personaliter simul convenire nequeant, seorsim in suis Capitulis de hoc statuentibus) determinatum. Pass. *num.* 8.

Quæstio 321. Num Electio facta sine rationabili causa extra fines Ecclesiæ propriæ, vel locum aliàs consuetum sit ipso jure irrita, vel saltem per sententiam irritanda?

1. Respondeo primò: si locus de cætero est honestus, non est ipso jure irrita, quia locus non est de substantia electionis. Barb. *de jure Eccl. l.* 1. *c.* 9. *num.* 176. Sigism. *dub.* 15. *num.* 4. Ragg. *cent.* 2. *dub.* 190. *num.* 1. Passer. *cit* c. 12 *num.* 12. & ab eo cit. Tamb. *cit. c.* 12. *num.* 1. contra Gl. *in c.* 1. *dist.* 23. *v. fieri in urbe.* Excipe tamen electionem Papæ, quæ facta extra conclave est nulla, juxta *c. ubi periculum. h. t. in* 6. & Bullam Greg. XV. *Æterni Patris.* Sylv. Tabien. Donat. apud Passer. *num.* 4. *cit. c.* 12.

2. Respondeo secundò; sed neque tunc est jure irritanda. Tabien. Pass. *loc. cit.* & alii contra Laym. *in c. cùm inter. h. t. num.* 1. & Pirh. *loc. cit. num* 242. Cùm neque hoc ullibi in jure expressum reperiatur, nam c. *cùm terra. h. t.* nullus locus electioni Episcopali determinatur; sed solùm dicitur, ut Electores in unum locum conveniant. *c. quòd sicut. h. t.* dicens: si fieri possit, electionem habendam in Ecclesia; solùm loquitur de electione Episcopi, (quamvis nec hanc necessariò juxta Canones faciendam esse in Ecclesia, dicat Pass. *n.* 13. ubi tamen addit, in electione Episcoporum difficiliùs salvâ honestate simpliciter reperiri locum, in quo præter consuetudinem, seu absolutè præter ambitum Ecclesiæ Cathedralis ea fieri possit) à qua non valet argumentum ad alias electiones; adeóque id solùm juxta Canones est necessarium, ut locus sit conveniens tam dignitati, ad quam quis eligitur, quàm ipsis eligentibus. Pass. *num.* 12. & 13. Nec obstat consuetudo, quia in istis, ubi parum vel nihil interest, ut actus fiat hìc vel alibi, & consuetudo fundatur ferè in sola aliqua majore commoditate, absque eo, quòd inducentes eam intendant inducere obligationem talis consuetudinis, parum aut nihil obligant. Pass. *ibid.* Unde etiam ait, se non videre, cur eligere etiam sine causa extra Ecclesiam, vel alium locum consuetum, honestum tamen & convenientem, sit peccatum grave, vel etiam, unde eligere extra locum consuetum, intra tamen ambitum Ecclesiæ, sit peccatum leve.

3. Respondeo tertiò: si tamen locus ille non foret honestus aut conveniens, v. g. pro electione Eccle-

siastica domus aliqua sæcularis, vel aula sæcularis Principis, (nisi fortè ubi & hæc eligeretur tanquam protegentis electionem, & nullatenus se ei immiscentis. Pass. *num.* 15.) electio esset cassanda, utpote facta contra Canones, id maximè prohibentes. *cit.* c. *quâ fronte.* Pass. *num.* 14. factum enim contra legem non debet habere firmitatem. *reg. quod contra jus. de reg. juris in 6.* An verò electio facta in loco inhonesto sit peccatum mortale, nec ne, mensurandum est ex qualitate inhonestatis loci, quæ potest esse levis.

Quæstio 322. An teneat Electio facta in loco interdicto?

Respondeo affirmativè; interdictum enim suspendit solùm, & prohibet Officiorum divinorum & Sacramentorum quorundam usum; non verò obligationes & contractus, quale quid est eligere. Abb. *in c. 1. de post. num. 33. ibidem.* Bald. *num. 2.* Barb. *loc. cit. num. 177.* Ragg. *loc. cit. num. 3.* Laver. *c. 18. num. 6.* Castel. *c. 6. num. 12.* Pass. *num.* 16. cum communi DD. Verùmque idipsum est, etiam de electione Pontificis; etsi enim ea prohibeatur fieri in loco interdicto. *cit. c.* ubi periculum, adeòque in ea fiat illicitè, non tamen in eo facta valorem suum admittit. Gloss. *in cit. c.* Abb. *loc. cit.* Pass. *num. 17.*

Quæstio 323. An & quæ electio habita in locis occultis sit clandestina? Et num propterea ipso jure nulla?

1. Respondeo primò: tractatus secretos institutos in locis abditis, à minore etiam parte, vel paucis Electorum de eligendo amico, concive, aliáve certa persona, per se malos non esse, modò persona illa amica vel concivis sit, quoque dignior vel æquè digna. Pass. *num.* 21. Sed neque dici possunt electio clandestina; cùm electio constituatur non per consensum de futuro, qualis datur in dictis conventiculis; sed per consensum, qui præbetur in scrutinio absolutus & de præsenti, per verbum *eligo* expressus. Pass. *ibid.* contra Ragg. *p. 3. dub.* 152. *n.* 3.

2. Respondeo secundò: formalem electionem factam in loco secretissimo & abdito, occultissimè convocatis Electoribus, ex hoc non esse irritam, nec irritandam, quia id fieri nullibi nequidem vetatur; imò locus, quò securior, eò aptior servando in electione canonica secreto. Neque etiam ex hoc dici clandestinam; non enim fit clàm, quod fit coram Electoribus simul sub legitimo capite congregatis, etsi fiat clàm respectu extraneorum, quod ipsum fieri jura potiùs præcipiunt. Pass. *num.* 19.

3. Respondeo tertiò: electionem factam in cameris privatis per occulta conventicula ab aliquibus tantùm Electoribus dici quidem posse clandestinam, non tam ex eo, quòd fiat in locis occultis, sed quòd fiat clàm cæteris Electoribus, similiter esse irritam ipso jure, vel irritandam, non ex priore illo, sed ex posteriore hoc capite; quia nimirùm vel non interfuit major pars Electorum, aut numerus sufficiens ad hoc, ut sit Collegium Electorum, ex quo quis eligi valeat: vel contempti solùm fuerunt aliqui.

4. Respondeo quartò: Electionem ex hoc quoque dici clandestinam, quòd in ea non publicetur scrutinium, vel quòd communis electio non fiat publicè; & hinc esse irritam, sive de cætero fiat in locis occultis, sive in publico & consueto. Pass. *num.* 19. *&* 23.

5. Respondeo quintò: eam magis propriè in jure dici, & reprobari electionem clandestinam, quæ ita secretò custoditur ab Electoribus, ut minimè Clero, populo aut Communitati publicetur. *c. quia propter. h. t.* Gl. *ibid. v. clandestinas.* Biax. *p. 3. c. 37.* Pass. *num.* 21. Verùm etsi jus electionem in hoc sensu clandestinam reprobet, & præcipiat electionem publicari, ubi ea tamen non publicatur, nisi aliunde vitium habeat, neque est jure irrita, neque irritanda, licèt clandestinitas hæc sit tollenda ante confirmationem, ad quod sufficiet, si confirmator ipse electionem publicet, nec ad actum confirmationis procedat, nisi citatis vel monitis interesse habentibus in confirmatione; cùm enim per electionem legitimè factam sit acquisitum jus electo, ipso hoc suo jure non est privandus sine sua culpa. Lavor. *c.* 19. *num.* 93. Pass. *num.* 23. citans Innoc. & Jo. And. contra Abb. Hostiens. Gl. *in c. unicum, ut Eccles. benef.* & alios, quorum tamen plures, dum docent clandestinam electionem esse irritam, intelligunt illam, quæ non est collegialiter facta, sed privatim & divisim per privatas subscriptiones, & suffragia, & occulta conventicula. Barb. *ad cap. licet.* 8. *q.* 1. apud Pass. *num.* 23. qui etiam *num.* 25. observat ipsam quoque electionem communem, quæ publicato scrutinio fit ab uno nomine totius Capituli, dici etiam publicationem electionis, & hanc indubitatò esse de substantia & forma electionis, adeòque absque ea electionem esse jure ipso nullam; secùs verò illam publicationem, quæ post priorem illam factam fit extra Capitulum Clero, populo vel conventui.

6. Respondeo denique: sed neque hæc posterior publicatio electionis ita est necessaria, seu præcepta fieri, ut ex necessitate aliqua, v. g. ad vitandum grave scandalum non liceat eam differre, usque dum confirmator vel alius quidam competens Superior admoneri possit, ut juxta ejus consilium & mandatum vel publicari, vel magis abscondi ad tempus possit. Ita ferè Pass. *num.* 30.

PARAGRAPHUS VIII.

De tempore Electionis.

Quæstio 324. Num, Ecclesiâ necdum viduatâ sponso seu Prælato suo, eligi possit successor, aut saltem institui tractatus de eo eligendo?

1. Respondeo ad primum negativè cum communi & certa. *c. bona.* 36. & c. *quia propter. h. t.*

2. Respondeo ad secundum: tractatum collegialem & canonicum Ecclesiâ nondum viduatâ habitum de novo prælato ei providendo, vel aliquo spectante ad electionem esse nullum, etiamsi infirmitas Prælati sit planè desperata. *cit. c. bona. ibidem.* Abb. *num.* 2. Biax. *p. 3. c. 3. num.* 1. Pass. *c.* 13. *num.* 9. Ipsa quoque citatio facta vivente Prælato nulla est, ita ut immediatè etiam pòst mortuo Prælato, ea nunquam convalescat, sed opus sit novâ citatione. *c. bona.* Pass. *num.* 11. Quinimò ipsa post talem tractatum subsecuta dein electio, mortuo jam Prælato, etsi non sit irrita, est tamen irritanda. Abb. & Biax. *ll. cit.* Pass. *num.* 10. Quod tamen etiam intelligendum non est de ea electione, quâ non eligitur is, pro quo tractatum ante mortem Prælati, sed alius. Vel quæ non habetur in vi alicujus conclusi in illo tractatu. Biax. & Pass. *ibidem.* Item intelligendum non esse de tractatu merè consultivo, & nullius spectantis ad electionem definitivo; talem enim tractatum nequidem prohibitum esse, tenent Abb. *loc. cit. num.* 12. Biax. *num.* 2. Laym. *de electione. c. 4. q.* 13. Quamvis dicat Pass. *num.* 12. negari non posse, esse aliquam inhonestatem, vivente adhuc Prælato, tractare collegialiter de successore, etiam nihil deliberando, si non sit aliqua necessitas.

Quæstio 325. A quo momento vacare censeatur Prælatura?

1. Respondeo primò in genere: duobus modis viduari & vacare Ecclesiam, nempe per mortem naturalem & moralem, (dum nimirùm Prælatus fit professus in Religione) & per absolutionem Superioris, ubi ea notificata est; ad hanc enim reducitur quoque modus ille vacationis, dum, ubi prælaturæ temporales sunt, eæ vacant tempore, quo Prælatus complet officium; nam & tunc Prælatus à jure manet absolutus. Et licèt Ecclesia dicatur viduari modo triplici, adhuc in vivis existente Prælato, juxta *c. inter*

corporalia, de translatione Episcoporum, nimirum per translationem illius ad aliam Ecclesiam, per ejus cessionem, & depositionem; vacat tamen quamprimùm, & non ante, quàm unusquisque harum modorum completus est per absolutionem.

2. Sic completur translatio Episcopi alteriùsve Prælati, dum hic volens transfertur, vel etiam dum hic non volens transfertur (scilicet in eo casu, ubi Superior potest Prælatum etiam invitum de una ad aliam Prælaturam transferre) ab eo puncto temporis, quo absolvitur à priore prælatura per Superiorem, v. gr. Episcopus in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, ita ut, ubi hujus absolutionis notitiam habuerit Episcopus, etiam ex testimonio, seu documento secretarii sacri Collegii, illicò teneatur abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eáque transeat in Capitulum, tanquam sede vacante, juxta declarationem S. Congregationis Card. negotiis Episcoporum præpositæ, quam dictis verbis recitat Barb. *ad c. 1. de translat. Episcoporum, num.* 5.

3. Aliàs verò dum prælatus non deserit volens priorem Ecclesiam, absolvitúrque non nisi sub conditione futuri consensûs illius, ab eo puncto, quo post absolutionem in eam consentit. Similiter completur depositio ab eo tempore, quo Superior prælatum in pœnam absolvit à prælatura, seu deponit, aut depositum declarat, ita tamen, ut, ubi justa appellatio locum habet, effectus hic depositionis, scilicet vacatio suspendatur, donec sententia transeat in judicatum, Pass. *cit. c. 13. num. 4. & 5.* Quin etiam ut, si depositus à Papa ab eodem dein restituatur ante factam electionem novi successoris, hæc subsecuta sit nulla; quia facta sede non vacante, si tamen restituatur post factam electionem, hæc valida sit, & non cassanda; quia facta legitimè sede vacante, nisi tamen in restitutione apposita clausula decreti irritantis: *Etiam de præterito, quidquid in contrarium jam factum est;* vi enim illius ex plenitudine potestatis tunc Papa factam electionem, aliàs legitimam, & validam, annullat, Abb. *ad c. Innotuit. de elect. n. 22. ibidem.* Innoc. *nu. 5.* Host. *num. 21.* Butrio *num. 43.* & alii, quos citat & sequitur Pass. *num. 6. cit. c. 13.*

4. Denique pari modo completur cessio, & Prælatus desinit esse Prælatus non nisi per absolutionem à prælatura, Paris. *de resign. l. 1. q. 12. nu. 12.* Tamb. *d. 5. q. 7. n. 3.* citans Riccium. Pass. *n. 7.* ubi autem hæc acceptatio renunciationis intercessit, non est, etiam adhuc aliàs integrâ, in potestate resignantis de beneplacito acceptantis remanere in eadem prælatura: Etsi is eam iterùm immediatè possit resignanti conferre, seu restituere, ubi ea electiva non est, vel ejus collatio non spectat ad alium ab acceptante, Pass. *n. 8.* contra Donat. *p. 3. t. 3. q. 5.*

Quæstio 326. Quando incipiat tempus electoribus à jure statutum ad eligendum?

Respondeo: Non à momento, quo incipit vacare prælatura, sed quo hæc vacantia innotescit, *c. Quia diversitatem, de concess. præb. c. Licèt, de suppl. negl. præl. ibi.* Innoc. Abb. Tamb. *loc. cit. num. 4.* Garc. *loc. cit. num.* 15. Lavor. *loc. cit. num.* 12. Pass. *loc. cit. num.* 16. Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. q.* 10. *&c.* aut innotescere potest ac debet, Pass. *num.* 17. ita ut, licèt in casu devolutionis prætensæ à Superiore, ad eum spectaret probare notitiam, sufficiat probare, eos potuisse habere notitiam, & ab eo tempore intra terminum non elegisse, Pax. Jord. *l.* 10. *tit.* 12. *num.* 24. Pass. *num.* 18. Undecunque demum hæc notitia habeatur; neque enim requiritur intimari Electoribus seu Ecclesiæ mortem vel absolutionem Prælati sui, ut vult Donatus; neque ex hac intimatione facta per Superiorem, aut ex publico v. gr. Secretarii, Superioris, similisve testimonio procedens notitia juridica, ut vult Castel. sed sufficit notitia certa, undecunque hausta, ita ut in casu litis & contentionis, ubi constiterit Electores habuisse, aut habere potuisse, si voluissent, certam notitiam absolutionis Prælati, privantur electione, si intra tempus statutum, ab ea notitia mensurandum, non elegerint. Quamvis tamen, quia electores scire non tenentur an eorum Prælatus absolutus fuerit à Superiore, & vel hinc præsumi potest justa in iis ignorantia istius absolutionis, ad vitandas lites opus erit intimatione, vel aliâ aliquâ notitiâ juridicâ, vide Pass. *num.* 17.

Quæstio 327. Num ante sepulturam Prælati defuncti fieri possit electio successoris?

1. Respondeo primò: Fieri potest ex rationabili causa, ut si ex dilatione immineret grave periculum Ecclesiæ, ejusque immunitati, v. gr. ex violentia Principis alicujus, Barb. *ad c. Bona, de elect. n. 2.* Mirand. *tom. 2. q. 23. a.* 10. Pass. *num.* 14. citans Rodriq. Castel. & Donat.

2. Respondeo secundò: Etsi cessante gravi causâ, honestatis & æquitatis sit, non statim à morte insepulto adhuc Prælato fieri electionem, id tamen de præcepto non est, ita ut tunc facta electio ex eo præcisè cassanda sit, Gl. *in cit. c. Bona, v. tractatum. ibid.* Abb. *num.* 11. & alii. Barb. & Mirand. *ll. cit.* Pass. *num. 13.* Tamb. *d. 5. q. 7. num. 2.* Lavor. *c 18. num. 20.* Biax. *p. 3. c. 2.* & alii plures contra Hostiens. Garciam. *p. 10. c. 2. n. 39.* Majol. Rodriq. ab eo citatos, censentes *c. Bonæ, 36. de elect.* & *c. Nullus, dist. 79.* non tantùm honestatem, sed & præceptum de hoc continere, & hinc talem electionem cassandam.

Quæstio 328. Quantum temporis habeant Electores à jure præfixum ad eligendum?

Respondeo: Quid sit de jure speciali, specialibúsque statutis & dispositionibus in hoc sæpè diversissimis Collegiorum aliquorum, maximeque Religiosorum Ordinum, innixis Bullis & privilegiis Apostolicis iis concessis, quæ attendendæ & observandæ erunt, Rodriq. *tom. 2. q. 57. a. 13.* Mirand. *loc. cit.* Sigism. *dub. 16. num. 2. &c.* (quamvis etiam electiones Provincialium, multòque magis Generalium totius Ordinis ex eo non comprehendi, *c. Ne pro defectu*, dicat Pass. *num.* 36. quòd provincia regularis non sit Ecclesia singularis, sed Congregatio Ecclesiarum, mortuóque Prælato talis Congregationis Ecclesiarum, singulæ adhuc sponsum retineant, nec patiantur illud detrimentum viduitatis, quod aliæ singulares Ecclesiæ suo sponso viduatæ; neque sit eadem facilitas tam brevi congregandi tot Electores dissitos) de jure communi sunt tres menses, tam quoad electionem Prælatorum sæcularium in Cathedralibus, quàm Regularium, *c. Ne pro defectu, de elect.* Quoad alias verò dignitates in Collegiatis, & beneficia, sive electiva sint, sive collativa, sex menses, intra quos de iis vacantibus providere debent, ad quos spectat, *c. Nulla, de concess. præb. c. Licet, de suppl. negl. præl.* & *Clem. 1. tit. eod.* In his enim minor est necessitas, & minus periculum ex diuturna vacantia, quàm in Cathedralibus, utpote quibus, uti in illis, non est adjuncta jurisdictio in Clericos, Pith. *de elect. num. 243.* qui nihilominus *num. seq.* citans Laym. *de elect. q. 33. num. 2.* Imol. & Abb. *ad c. Ne pro defectu*, ait: Valde probabile esse, ob adæquatam rationis identitatem comprehendi quoque constitutione illa, *c. Ne pro def.* quòad trimestre tantùm concessum ad eligendum, Ecclesiarum collegiatarum Prælatos, qui & ipsi generalem ac ordinariam jurisdictionem exercent ex speciali jure in Clericos suæ Ecclesiæ. Præsertim si sint exempti ab Episcopo seu Ordinario; eò quòd, licèt dicta constitutio sit correctoria anteriorum canonum, provisioni Ecclesiarum non Cathedralium concedentium sex menses, *cap. 2. de concess. præb.* videatúrque pœnalis; censeri tamen potiùs debeat favorabilis; utpote cujus intentio est, occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitati.

Porrò computandi hi menses sunt, non ut unicuique tribuantur 31 dies, ut vult Host. *in c. licet. de suppl. negl. prael.* sed prout occurrunt in Calendario, v. gr. dum tempus præfixum inchoatur prima Januarii, duret usque ad primam Aprilis inclusivè; idque, etiamsi is annus sit bissextilis, Bald. *in cit. c. Ne pro def. nu. 3.* Abb. *in cit. c. Licet.* Sanch. *l. 2. de matrim. d. 24. nu. 15.* Garc. *loc. cit. num.* 42. citans Roch. Boërium, Lambert. &c. Peyr. *tom. 3. c. 9. num. 17.* Pass. *num. 25.* Paxjord. *lib. 10. tr.* 12. *num. 30.* Item computandi sunt hi menses de momento ad momentum, v. g. si notitia vacantiæ incipit primâ Januarii, horâ duodecimâ, trimestre terminetur horâ undecimâ mensis Aprilis, Garc. *p. 10. cap. 1. nu.* 20. Peyr. *c. 13. nu. 4.* Paxjord. *num.* 31. Pall. *loc. cit.*

Quæstio 329. An, & qualiter impeditis hoc tempus currat?

1. Respondeo primò: Si impedimentum tollere nequeant Electores, non currit illis tempus, *c. Quia diversitatem, de concess. preb.* Gl. Abb. Barb. *in c. His quibus, h. t.* Garc. *loc. cit. num.* 17. citans Selv. *de benef.* Rebuff. Mandos. Verùmque id est, etiamsi ob propriam culpam in illud inciderint, modò tamen (dum illud impedimentum per eos intollibile, tollibile tamen est ad eorum instantiam per alium; v. g. quia à censura absolvere potest) in mora non sint, quò minùs impedimentum illud tollatur per alium, v. g. negligendo petere absolutionem à censura; currit enim aliàs illis tempus à tempore hujus moræ seu negligentiæ commissæ, *cit. c. Quia diversitatem.* Quinimò non currit tempus, etsi Electores tollere possint, non tamen debeant impedimentum; v. g. dum Superior præcepit Electoribus, ne eligant, priusquam ipse eos admonuerit (secùs est, si justè solùm ordinavit, ne sine ejus petita licentia eligant; hanc enim petere possunt ac debent) licèt enim tunc Electores possent sollicitare Superiorem, ut eos admoneat habendæ electionis, ad hoc tamen non tenentur, Pass. *cit. c. 13. n. 23.*

2. Respondeo secundò: Dum impedimentum est temporale, durans tantùm per dies aliquot, sive incidat in principio, sive in medio, sive in fine temporis præfixi ad eligendum, hi dies impediti & inutiles subducendi sunt à tempore præfixo, quod non est nisi dierum utilium, conficientium tres menses, qui dies utiles omnes conjungendi sunt, diebus illis inutilibus expunctis, quasi non fuissent, Pass. *num.* 24. ex Bald. *ad c. Ne pro defectu, h. t.* v. gr. dum excommunicatus impendit 24 dies, ut absolveretur ab excommunicatione (habendi enim sunt hi dies pro diebus justi impedimenti, & involuntarii, *cit. c. Quia diversitatem, de concess. preb.* Pass. *num.* 26. Garc. *loc. cit. c. 2. num. 18.* Paxjord. *loc. cit. num.* 27.) vel per sex septimanas litigarunt Electores, (est enim & illud tempus justi impedimenti, Garc. *cit. c. 2. num.* 19. citans Rebuff. Lambert. & alios) hi inquam 24 dies, vel sex septimanæ sejunctæ à diebus utilibus trimestri toti superaddendæ sunt; v. gr. si trimestre cœperit primâ Januarii, jam durет ad vigesimam quartam Aprilis. Porrò dum Electores allegant impedimentum, onus probandi illud, ut &, quòd diligentiam ad removendum illud adhibuerint, & removere non potuerint, incumbit illis, Felin. *in cap. Ex transmissa, de rescript.* Garc. *loc. cit. num. 24.* Anell. *ad Abb. c. fin. de elect.* Pass. *num.* 28.

Quæstio 330. Num si imminente termino, seu ultima die temporis ad eligendum præfixi, major pars Capituli renuat eligere, adeóque jus eligendi sit penes partem minorem, ut constat ex dictis supra, minor pars teneatur exspectare majorem partem usque post prandium istius diei?

Respondeo: Vocandis legitimè vocatis (posito, quòd vocati non sint pro hora pomeridiana) si major pars non venit manè, minor pars non tenetur exspectare ultra horam solitam, nempe matutinam, in qua secundùm jura habenda est electio. Secùs tamen est, ubi major pars venit manè ad Capitulum, sed negat, se velle tunc eligere, aut post adventum recedit, animo eligendi post prandium, de hoc se explicans: vel etiam si recedat sine alia sui explicatione, absolutè dicens, se nolle eligere (per hoc enim non censetur cedere juri suo, nec dicit per hoc, se neque istâ, neque ullâ aliâ horâ illius diei velle eligere; hoc námque si diceret, posset minor pars istâ horâ matutinâ procedere ad electionem; quamvis & tunc securiùs adhuc fore, exspectare, dicat Pass. *num.* 23.) cùm enim tempus eligendi non exspiret mane, standum in hoc erit judicio majoris partis, & ea exspectanda erit post prandium, & ad ultimum, post quod non remanet commoditas eligendi de die, quia non tenetur in isto casu exspectare minor pars tempus noctis, utpote incongruum, & contrarium consuetudini, Pass. *ibidem.*

Quæstio 331. Num tempus præfixum à jure restringi possit?

1. Respondeo primò: In casu necessitatis, ubi propter periculum moræ accelerанda est electio, potest Superior, v. gr. Legatus Sedis Apostolicæ in Ecclesiis Cathedralibus, vel Episcopus in Ecclesiis inferioribus sibi subjectis restringere hoc tempus, & cogere Electores, ut etiam secundo mense, vel citiùs eligant, Laym. *de Elect. q. 32. & 96.* Pirh. *de elect. num.* 247.

2. Respondeo secundò: Extra casum necessitatis, nullus Superior, nisi solus Papa, adeóque multò minùs Præses electionis potest, Electoribus invitis, hoc tempus restringere; quia non potest tollere privilegium à jure, & Pontificibus concessum, juxta *reg. juris. 17. in 6. indultum in jure privilegium non est alicui auferendum.* Abb. *in c. Cùm veteri, h. t. n.* 1. item *in cap. Cùm nobis*, ibid. Burr. Laym. & Pirh. *ll. cit.* Unde convocare potest Præses Electores ad quamcunque diem intra terminum à jure præfixum electioni; sed majore parte vocatorum vel ante Congregationem Capituli, vel in eo dissentiente, tenetur ad alium diem intra illud tempus eosdem convocare, Pass. *num.* 34.

3. Respondeo tertiò: Potest tamen Præses de consensu majoris partis Capituli terminum illum restringere, Pass. *loc. cit.* Donat. *p. 3. quæst. 6.* Peyr. *tom. 3. c. 9. num.* 16.

4. Respondeo quartò: Possunt idipsum Electores (intellige, dum major eorum pars in hoc consentit, neque opus est ad hoc consensu duarum partium præsentium in Capitulo, Pass. *loc. cit.* contra Peyr. *loc. cit. & alibi*) terminus enim ille statutus est negligentiæ, ut nimirum ultra eum differre non possint Electores electionem, cessante justo impedimento, relictâ tamen iis libertate eligendi infra illud tempus, quandocunque iis visum fuerit; quinimò poterunt id invito etiam Præside, Abb. *in c. In causis, h. t. num. 9.* Biax. *p. 3. c. 4. num. 3.* Pass. *loc. cit.* unde patet, Ordines religiosos non tantùm auctoritate Apostolicâ, sed & ordinariâ potuisse per statuta sua hunc terminum abbreviare, Pass. *n.* 35.

Quæstio 332. An, & qualiter præfixo termino eligendi neglecto devolvatur electio ad Superiorem?

1. Respondeo primò: Eo termino ex negligentia permisso elabi sine habita electione, hæc devolvitur ad immediatum Superiorem, *c. Ne pro defectu*, quod & in hoc correxit jus antiquum, vi cujus tunc electio seu provisio in Ecclesiis Cathedralibus devolvebatur immediatè ad Papam, ut constat ex *c. Cùm dilectus, de concess. preb.* v. gr. in Ecclesia

Ca-

Cathedrali ad Archi-Episcopum, modò tamen is aliàs habeat potestatem confirmandi electum (ob negligentiam enim electorum jus eligendi devolvitur non nisi ad eum Superiorem immediatum, qui aliàs habet potestatem confirmandi electum, sive sit Archi-Episcopus, sive Episcopus, sive alius Prælatus, Rebuff. *in praxi, tit. de devolutione, num.* 18. Pirh. *ad tit. de Elect. num.* 350. citans Abb.) uti adhuc hodiedum Salisburgensi tanquam Metropolitano subjectos esse aliquot Episcopatus Germaniæ, quoad accipiendam ab eo confirmationem testatur Laym. *ad cit. c. Ne pro defectu, n.* 6. dum interim specialiter in Germania jus confirmandi Episcopos electos à Canonicis Cathedralibus sibi reservavit Papa Nicolaus V. in concordatis Germaniæ, adeóque, si in eorum electione committatur negligentia ultra terminum, ea devolvitur immediatè ad Papam, qui deio Superior immediatus intra terminum præfixum aliis ordinariis Electoribus, scilicet intra tres vel sex menses, tenetur providere Ecclesiæ, eligendo aliquem ex gremio ejusdem Ecclesiæ, si adest, idoneo, aliàs ex alia Ecclesia assumendo idoneum, *c. Ne pro defectu.* Pirh. *num.* 251. Quòd si & is hoc negligat, devolvitur provisio ad alium Superiorem, & sic successivè usque deveniatur ad Papam, *c. Quanquam, h. t. in* 6. & Gl. *fin. ibid. Clem. unica de suppl. neglig.* & *ad cit. c. Ne pro defectu*, AA. communiter.

2. Quòd si tamen Superior elegerit vel providerit, sed electio vel provisio ab eo facta ex quavis causa fuerit reprobata, vel ab eo provisus noluerit consentire, aut post consensum renunciavit juri suo, mox potestas eligendi revolvitur ad eosdem Electores, & ita quidem, ut integrum iterum tempus, nimirum trium vel sex mensium, iis de novo concedatur, Gl. *in c. Si electio, h. t. in 6to.* Pirh. *loc. cit. num.* 46. hi enim ob negligentiam eligendi intra tempus statutum privantur electione solùm pro prima & una illa vice, Pirh. *loc. cit.* Castel. *c. 6. n. 7.* Pass. *cit. c. 13. num.* 40. qui etiam *num.* 41. bene monet, quòd (cùm devolutio electionis sit pœna lata contra negligentes eligere; non verò contra eligentes defectuosè) dum electio, quæ de cæterò adhuc dici potest canonica ex eo, quòd facta à majore ultra medietatem parte, cassatur tamen ob defectum aliquem in ea commissum, aut ob aliam causam, v. gr. ob occultum vitium electi, quod post factam electionem priùs innotescit, ea non devolvatur ad Superiorem; sed spectet ad eosdem Electores de novo eligere, nisi defectus sit talis, ob quem Electores sint jure privati ad eligendum de novo, concesso iis iterum de novo toto tempore (quod idem dicendum, ubi Electus non consensit, vel post concursum renunciavit, vel mortuus est ante confirmationem) 3 vel 6 mensium; modò tamen nihil sit factum ab Electoribus in fraudem, veluti si paulò ante trimestre, vel semestre elapsum de industria eligerent aliquem, quem sciunt non consensurum, ut vel sic diutiùs vacet Ecclesia; tunc enim electio spectabit ad Superiorem, *c. Si electio.* Pirh. *loc. cit.* Secùs tamen est, ubi electio evidenter non est electio; v. gr. dum quis nominatus est non à majore supra medietatem parte (quod ipsum factum fuisset, si extranei notoriè, & sine ulla tergiversatione non admittendi admissi fuissent, & ratione horum votorum computatorum nominatus quis fuisset etiam à majore parte, ita ut demptis eorum votis, non habuisset majorem partem votorum supra medietatem) tunc enim si Electores intra præfixum terminum non progrediantur ad aliam electionem, ea devolvitur ad Superiorem.

Quæstio 333. *An electio fieri possit de nocte, nomine noctis, juxta Sigism.* dub. 17. n. 1. *Peyr.* in subd. q. 1. c. 31. q. 7. *Lavor.* c. 18. n. 11. *Pass.* n. 48. &c. *intelligendo tempus tenebrarum, in quo sine candela videri non potest?*

1. Respondeo primò: Ex rationabili causa id fieri posse, Sigism. *loc. cit. n.* 3. Lavor. *loc. cit.* Rodriq. *tom. 2. q. 52. a. 15.* Miran. *tom. 2. q. 23. a. 12.* Pass. *n.* 49. citans plures alios.

2. Respondeo secundò: In casu, quo Electores in die non concordaverint; unde ex scrutinio nullus nominatus fuerit à majore parte, posse continuari electionem, etiam de nocte, tenent iidem AA. cum aliis apud Pass. *n.* 54. contrarium sentiente Pirh. *loc. cit. n.* 253. nimirum electionem inchoatam de die non posse nocte absolvi, sed debere die sequenti perfici, nisi ubi est periculum in mora, Argumento *c. in causis, h. t.*

3. Respondeo tertiò: De cætero sine causa haberi non posse electionem de nocte, saltem ubi servanda est forma scrutinii, tenet communior, ita ut licèt ea habita de nocte non sit irrita, rescindi tamen possit & irritari per sententiam judicis, tanquam facta non canonicè, Laym. *in cit. c. in causis, n.* 6. Pirh. *loc. cit.* cui tamen sententiæ se assentiri non posse, ait Pass. *n.* 50. eò quòd neque munita sit lege ulla prohibente eligere de nocte; neque firma ratione, neque magnopere auctoritate. Non enim primò ea hoc dici posse clandestinam; cùm *clam fieri* verificari nequeat de actu, qui fit coram omnibus interesse habentibus, Felin. *in c. Consuluit, de off. deleg. n.* 20. & ita, ut sciri possit ab omnibus, quos lex posse scire decernit. Nec secundò dici posse, requiri Solis, & non sufficere lumen candelæ ad eligendum per scrutinium secretum; cùm in tali electione nihil fiat, quod ad lumen candelæ commodè perfici nequeat; sufficit enim Electoribus ad cognoscendum se invicem, ad numerandum, num omnes adsint, ad schedas à singulis seorsim scribendas, ad eas in urnam mittendas; Scrutatoribus verò ad eas recipiendas, legendas, numerandas, quanquam commodiùs & meliùs hæc fiant ad lumen Solis: Ad hæc in aulis Regum, & Congregationibus Ecclesiasticis sæpissimè de nocte tractentur & definiantur optimè, etiam per vota secuta, negotia gravissima: Ac denique Abb. Felin. aliique AA. citati in oppositum loquantur ferè de electione clandestina, qualis non est omnis electio nocturna, vide de hoc Pass. *n.* 52.

PARAGRAPHUS IX.

De constituendis Scrutatoribus, secreto; & modo scrutinii.

Quæstio 334. *in genere: Quas partes, seu actus particulares complectatur forma Electionis per scrutinium?*

Respondeo sequentes: Primò scrutinium ipsum seu secretam suffragiorum collectionem, factam per aliquos à Capitulo ad hoc deputatos, qui dicti exinde Scrutatores, quòd aliorum vota exquirant & scrutentur. Secundò scrutinii publicationem. Tertiò suffragiorum collationem. Quartò decretum capitularis seu communis electionis, ejúsque promulgationem, *c. Quia propter, h. t.*

Quæstio 335. *An, cùm* in c. Quia propter, *dicatur:* Assumantur, qui vota colligant; *sitque hæc assumptio de substantia electionis, ut cum communi tenet Pass.* c. 16. n. 2. *citans Abb.* ad c. Quia propter, n. 12. *Suar.* tom. 4. de religione, tr. 8. l. 2. c. 8. n. 4. &c. *An inquam repugnet huic textui, & hinc Electio non sit valida, si qui vocalium non assumpti, seipsos ingerant muneri scrutatorum, vidente & tacente reliquo Capitulo?*

Respon-

Respondeo: Licèt de hoc dubitent plures, Suar. *loc. cit.* Tamb. *tom.* 1. *d. 5. q. 6. n. 4.* Lavor. *tit. 4. c. 19. n. 45.* eò quòd redderent se suspectos, & præsumi posset, eos id agere per potentiam aliis invitè tacentibus; si tamen id fieret in casu, ubi attentis circumstantiis cessaret hæc suspicio & præsumptio, non repugnaret dicto textui; cùm vel tunc implicitè assumantur ad hoc officium, Abb. *l. cit.* Pass. *loc. cit. n. 4.* Barb. *de jure Eccles. l. 1. c. 19. n. 189.*

Quæstio 336. A quo de cætero scrutatores sint assumendi?

1. Respondeo primò: Fieri posse, ut certæ personæ ad hoc designatæ sint ex consuetudine, statuto, vel lege, v. gr. seniores ex capitularibus, in tali vel tali officio constituti, vel in tali dignitate, Suar. *loc. cit.* Pass. *n. 6.* non obstante, *cit. c. Quia propter*, dum id statuendo, ut Electoribus præsentibus assumantur Scrutatores, videtur elegisse præfeorium Electorum industriam & prudentiam ad examinandum, qui fide digni sint, & huic muneri apti, cùm examen illud sufficienter sit suppletum à constituentibus talem consuetudinem, vel statutum; meritò enim sine hæsitatione præsumuntur digni fide & capaces, qui à lege ad hoc munus assumuntur. Sed neque hac ratione excludatur præsentium Electorum tacitus consensus, dum, si justè suspectos habent à lege designatos, possunt contra illos opponere & excipere. Adde, quòd citatus textus non dicat expressè, scrutatores assumendos à Capitulo, sed tantùm præsente Capitulo, adeóque non sit contra illum, quòd scrutatores assumantur à Superiore, Suar. *loc. cit.* Pass. *n. 8.* qui etiam addit *n. 9.* quòd, si unus è scrutatoribus à lege designatis habuerit impedimentum aliquod, v. gr. sit cæcus, vel decumbat infirmus, iu suo ordine non subintrare antiquiorem, post illum; sed alium eligendum in ejus locum, ubi *n. 15.* idem admittit, dum is, ad quem spectat, præsens in Capitulo & electione renunciat Officio scrutatoris; dum verò is, ad quem spectat ratione senii esse scrutatorem, simpliciter absens est à Capitulo, non esse locum electioni pro novo Scrutatore, sed tunc subintrare in ejus locum seniorem ex præsentibus, eò quòd talis absens non est Elector impeditus à scrutando, sed habendus pro extraneo & non vocali.

2. Respondeo secundò: De cætero scrutatores constituendi sunt saltem (Pass. enim & alii requirunt suffragia majoris partis supra medietatem) per majorem partem Capituli, Castel. *de Elect. c. 12. n. 3. tr. 1. c. 17. n. 5.* Pass. *n. 8.* & Suar. *loc. cit.* cum communi.

Quæstio 337. Qualiter Scrutatores sint assumendi?

1. Respondeo primò: Esse assumendos viâ electionis; hoc enim satis declarat textus, etsi in genere dicat *assumantur*, dum dicit assumendos ab Electoribus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, collegialiter convenientibus, seu legitimè congregatis, sicut ad omnem alium tractatum capitularem requirunt; ubi namque assumentes sunt mu[illegible]. & assumptio fieri non potest, nisi multis consentientibus, aliter fieri nequit, quàm per electionem, Suar. *cit. l. 2. c. 5. n. 2.*

2. Respondeo secundò: In hac tamen electione necessariò servanda non est forma, *c. Quia propter*, cùm isti formæ subdatur sola electio Prælatorum, & ne, si pro electione scrutatorum assumendi essent scrutatores, detur processus in infinitum, Suar. *loc. cit. n. 7.* sed poterit fieri per vota publica, vel scrutinium publicum, dum singulorum vota, quos velint esse scrutatores, patenter inquiruntur, vel etiam per compromissum in unum, vel plures, ut illi nomine omnium scrutatores assumant, Pass. *cit. c. 16. n. 11.* Pith. *de Elect. n. 162.*

Quæstio 338. Unde assumendi sint Scrutatores?

Respondeo: Ex Collegio Electorum, Abb. *in c. Quia propter, n. 13.* ex Innoc. Host. *n. 11.* & dicitur signanter ex Collegio Electorum; datur siquidem quandóque, ut videre est apud Regulares, distinctum Collegium Ecclesiæ, seu Conventûs, in quo omnes professi habent votum ad tractanda negotia Conventûs, qui tamen non omnes sunt de Collegio Electorum, Pass. *n. 16.* Porrò hoc ipsum esse de forma Electionis, ita ut, si assumptus fuerit in scrutatorem extraneus, electio sit nulla, tenent Innoc. Abb. Host. Imol. Butrio apud Pass. *loc. cit.* Barb. *ad c. Quia propter, n. 14.* referens plures alios. Suar. *loc. cit. n. 8.* Sigism. *dub. 19. n. 1.* contra Gl. *in c. Quia propter, v. Senior*, cui favet Pith. *n. 163.* ex eo, quòd sicut de communi consensu Electorum admitti possint ad coëligendum extranei non laici, etsi electio de jure communi spectet ad solos, qui sunt de Collegio; ita etiam ad habendum scrutinium. Ubi etiam testatur usu receptum in pluribus Germaniæ Ecclesiis, quòd assumantur extranei in scrutatores; etsi addat contrarium esse tutiùs, & posse ex hoc capite irritari electionem. Ubi tamen extraneus consuetudine legitimè præscriptà obtinuisset jus eligendi, posse eum eligi in scrutatorem, tenent Boër. & plures alii apud Pass. *loc. cit.*

Quæstio 339. Quot assumi debeant & possint scrutatores?

1. Respondeo primò: Non pauciores quàm tres, ita expressum *cit. c. Quia propter*, unde idipsum esse de forma Electionis, pro certo tenent Mirand. *p. 2. q. 23. a. 15.* Lavor. *c. 19. n. 46.* & DD. *quæst. præced. cit.* ita etiam, ut si contingat aliquem è scrutatoribus impediri, non possint unus vel duo scrutari vota, sed necessariò alius eligi debeat; cùm forma præscripta in textu impleri debeat, quantùm potest, Innoc. Abb. Bald. *in c. Quia propter.* Biax. *p. 3. c. 23.* Sigism. *dub. 21. n. 2.* Pass. *n. 20.*

2. Nihilominus ubi Electores sunt pauciores, quàm quatuor, forma illa *cap. Quia propter*, ita ad amussim servari non potest; ubi in hoc casu, ubi tres tantùm sunt Electores, sufficient duo; si duo tantùm sufficiet unus scrutator; si unus tantùm Elector, opus non sit scrutatore, tenent Abb. Innoc. Sylv. *v. Electio, n. 7.* quos citat & sequitur Castel. *c. 12. n. 6.* Donat. *tr. 1. q. 17. n. 7.* Pass. verò *n. 19.* dicit, melius esse, ut in isto casu iidem sint scrutatores, & Electores, ita ut, dum Electio fit per schedas, quilibet eorum ad præsentiam aliorum conjiciat schedam suam in vas ad hoc præparatum, & dein in omnium præsentia numerentur, aperiantur, legantur, absque eo, quòd opus sit alio Notario, vel testibus facientibus fidem Capitulo de nominatione hujus vel illius; cùm Capitulum totum habeat de hoc evidentiam per inspectionem schedularum. Si verò electio fit voce, quilibet eorum aliis duobus, vel alio audiente, si Electores sunt tantùm duo, proferat votum suum, absque eo, quòd & tunc opus sit alio teste ob eandem rationem. Si verò sit unicus tantùm Elector, is statim nomine Collegii eligat, simul electum nominando, & decretum Electionis nomine totius Capituli conficiendo: Et quòd, si hoc non fecerit in præsentia aliorum (quod melius foret) teneatur statim hanc suam electionem publicare utiliter, non autem de necessitate, adhibito Notario.

3. Respondeo secundò: Neque plures quàm tres assumendos esse, idque esse de forma electionis, Abb. *ad cap. Quia propter, n. 13.* Imol. *n. 3.* Bald. *n. 31.* Bur. *n. 22.* Host. *n. 17.* Barb. referens plures alios. Suar. *loc. cit. n. 8.* Tamb. *de jure Abb. t. 1. d. 5. q. 6. n. 5.* Cast. *c. 4. n. 63.* Pass. *n. 22.* citans plures alios contra Gl. Vincent. Ranered. &c. Concilium enim Later. habitum sub Innoc. III. *cit. c. Quia propter*, non minùs volens prospicere secreto scrutinii (cujus

vio-

violandi majus periculum à pluribus quàm paucioribus) quàm certitudini & fidelitati (quæ major est, ubi plures quàm ubi pauciores attendunt & vident) hunc numerum ternarium determinavit, Pass. *loc. cit.* unde ad hoc, quod in contrarium objicitur, dicendum, electionem Abbatis Tullensis, in qua adhibiti præter tres scrutatores de Collegio, alii tres scrutatores externi, confirmatam à Papa ex speciali gratia, Barb. *loc. cit. n.* 15. Pass. *n.* 23. Ad alterum verò, quòd dicitur: Utile per inutile non vitiari; adeóque etsi inutilis sit assumptio quarti vel quinti scrutatoris, non tamen per hoc vitiari electionem, dicitur revera istum numerum non tantùm purè superfluum, sed damnosum; quia est contra secretum electionis, quod respicit dictum concilium.

4. Nihilominus posse Capitulum generale cujuscunque Ordinis, ubi id ei specialiter prohibitum non est, statuere seu lege sancire, ut in electionibus assumantur quatuor scrutatores, fusè probat Pass. *n.* 25. citans Suar. *loc. cit. n.* 10. & ab eo relatas binas de hoc S. Congreg. declarationes, idque citra præjudicium *cit. c. Quia propter*, utpote respicientis Electores, eisque inhibens augere hunc numerum ternarium; non verò Superiores Electorum, quibus auctoritate Apostolicâ data est potestas gubernandi Ordines, & dirigendi electionem, quò minùs ii (salvo tamen fine & intentione illius, qui præter certitudinem & fidelitatem primariò intenta est secretum scrutinii, cui longè minùs timendum per additionem quarti vel quinti scrutatoris, maximè ubi electio fit per schedas, quàm istis per subtractionem unius è tribus scrutatoribus) ex rationabili causa (qualis frequenter occurrere potest scrutatoribus à lege jam designatis fortè minùs aptis ad certitudinem & fidelitatem) augere possint numerum scrutatorum: Similiter ex consuetudine legitimè præscripta, saltem immemoriali aut centenaria, posse addi scrutatorem quartum, tenet *n.* 30. contra Sigis. & Barb. etiamsi, ut hi volunt, lex *capitis Quia propter*, munita foret decreto irritante, innixus sententiæ illi Suar. *l.* 7. *de elect. c.* 19. *n.* 14. docentis: Quòd consuetudo prævalere possit contra legem canonicam, etiam munitam decreto irritante.

Quæstio 340. Quales esse debeant Scrutatores?

1. Respondeo primò in genere: Omnia ea, quæ excludunt à jure vel exercitio eligendi, excludere etiam ab officio scrutatoris; cùm scrutatores esse debeant de Collegio eligentium; hinc excommunicati, suspensi, interdicti, privati voce, non tolerati, esse non possint scrutatores: Non tamen sicut cassanda est electio vi præcisè voti alicujus facta à majore parte, dum probatur excommunicatio, quam electorum aliquis ante electionem ei opposuit, ita cassanda ex eo erit electio, quòd in ea excommunicatus fuit scrutator, etsi excommunicatio ei ante electionem opposita probetur dein; ac proinde etiam votum illius habeatur pro nullo, cùm ad valorem scrutinii sufficiat, scrutatores esse de Collegio, de quo sunt omnes, qui quasi possident jus eligendi, & legitimè ad eligendum admittuntur, Pass. *n.* 33.

2. Respondeo secundò: Debere esse fide dignos: quam tamen conditionem non esse de substantiali forma electionis, sed solùm de justitia, utpote quam, non tam inducendo substantiale quid, quàm admonendo solum, apposuit Concilium *cit. c. Quia propter*, Abb. *ibid. n.* 16. & ex eo Sylv. Castel. Donat. *ll. cit.* Pass. *n.* 32. Pith. *n.* 164. unde etiam, si Capitulum consentiat in scrutatores infames infamiâ juris facti, vel aliunde minùs dignos fide, electio ad nullius instantiam cassanda erit, Pass. *n.* 34. Quin & in tales scrutatores consentiens Capitulum non potest ampliùs resilire, juxta Sigism. *dub.* 83. *n.* 9. Host. Castel. Biax. &c. Porrò tamdiu præsumuntur esse fide digni, quamdiu nihil objicitur contra eos canonicè, & probatur, Host. Boër. Castel. cit. à Pass.

3. Respondeo tertiò: Requiritur, ut scrutator neque sit surdus, neque cæcus, sive electio fiat per scrutinium auriculare, sive fiat per schedas; requiritur enim ab una parte, ut possit tam schedas legere, quàm eligentes videre: ab altera parte, ut possit audire publicationem scrutinii, aliàs tam ipse, quàm Capitulum posset decipi ab aliis scrutatoribus duobus publicantibus majorem vel minorem numerum suffragiorum pro aliquo, quàm in veritate fuerit, Camill. *de direct. elect. p.* 1. *c.* 15. *n.* 3. Pass. *n.* 31. contra Urcean. *p.* 3. *c.* 3. putantem, dum scripto proceditur in scrutinio, non posse opponi scrutatori surditatem. Nihilominus electio, in qua scrutator fuit aliquo modo cæcus vel surdus, modò tamen non notabiliter per hoc (idem est de alia infirmitate) impeditus fuerit in actibus scrutinii necessariò à singulis scrutatoribus habendis, aut qui sint de substantia electionis, sustinenda erit, Pass. *loc. cit.* citans Camill. Castel. *ll. cit.*

Quæstio 341. An ad scrutandum vota Electorum, aliúmve actum præstandum circa Scrutinium, (non enim hîc quæritur de conscribendo decreto electionis communis, quod transmittendum est ad confirmatorem) præter tres Scrutatores adhiberi debeat aut possit Notarius cum testibus, & is qualis esse debeat?

1. Respondeo ad primum negativè, gl. *ad c. Quia propter*, asserens, vota conscribi vel per scrutatores, vel per tabellionem, Host. *ibid.* dicens: Id tutiùs fieri per scrutatores. Jo. And. *ibid.* dicens: Perinde esse, an hæc scriptura sit publica, an privata. Abb. *ibid.* dicens: Mentem textûs esse, ut Scrutatores per eorum aliquem vota redigere debeant in scriptis privatis, quod ipsum ait & probat, Pass. *n.* 37. ipsi namque scrutatores tanquam fide digni electi constituuntur ut testes ex officio, quibus fides præstanda, Abb. *loc. cit.* Verùmque hoc ipsum est, dum Electores tantùm sunt tres vel duo; cùm iidem sint scrutatores & Electores; dum autem est unus, potest is publicè & notoriè eligere, seu nominare aliquem, adeóque absque eo, quòd egeat Notario, qui fidem faciat, Pass. *n.* 38.

2. Respondeo ad secundum: Quamvis admitti posse notarium supponant plerique ex cit. AA. tenéantque Peyr. *in sub. q.* 1. *c.* 31. Lezan. Sigism. à Bon. qui tamen de testibus admittendis tacent; videtur tamen id parum conforme textui, *c. Quia propter*, & Trid. decernenti, ut electio, in regularibus maximè, sit secreta, ait Pass. *n.* 39. Cùm, si Notarius & testes in scrutinio auriculari audiant Electores nominantes, & vel ipsi vota conscribant, vel à scrutatoribus conscripta videant, jam ad minùs sex personis vota eligentium sint manifesta; dum autem scrutinium fit per schedas complicatas, eorum assistentia sit superflua; cùm locus, ubi scrutatores scrutantur, sit apertus, & in conspectu omnium Electorum: Nihilominus in monialium electionibus specialis est ratio adhibendi Notarium; cùm non sint in illis Scrutatores electi de capitulo Monialium, sed extranei vota earum redigant in scriptum; neque istæ electiones formæ *Capitis Quia propter*, sint subjectæ, Pass. *n.* 40. Hinc decretum, ut in electione Abbatissæ Episcopus habeat assistentes duos sacerdotes moribus & ætate graves, qui testimonium reddere possint istius actionis, & ad id Notarium publicum adhibeat, Nicolius, *v. Abbatissa*, *n.* 5. apud Pass.

3. Respondeo ad tertium: In casu, quo licet adhibere Notarium & testes, possunt tam hi, quàm ille, esse sæculares, (quamvis melius esset, uti Notario Ecclesiastico; quin etiam ad hoc creari posse à Superioribus Ordinum ex privilegio Pii V. concesso Prædicatoribus, testatur Pass.) cùm nullam exerceant jurisdictionem, vel auctoritatem; sed nudum ministerium & officium, Abb. *loc. cit. n.* 10. Peyr. Pass. *ll. cit.*

Quæ-

Quæstio 342. *Num Scrutatoribus sit habenda fides?*

Respondeo: Affirmativè, & ita quidem, ut si omnes tres, vel etiam duo ex illis jurati affirment, aliquem à tot nominatum fuisse, illis sit credendum, etiamsi Electores asserant, se talem non nominâsse in tanto numero, vel in numero majore eo, qui refertur, *c. Cùm dilectus, de Elect.* Abb. *ad c. Quia propter, n. 9.* Host. *in sum. de elect.* Bian. *p. 2. c. 28. nu. 3.* Castel. *n. 12. n. 19.* Sigism. *dub. 21. in fin.* Idque adhuc verum, etiamsi unus Scrutatorum vel Notarius stet cum Electoribus opponentibus; quia adhuc remanent duo testes contra unum; Electores enim opponentes non sunt nisi testes singulares, Pass. *n. 42. & 44. in fine.* ex *cit. c. Cùm dilectus*, contra Lavor. *c. 19. n. 110.* Quòd si Scrutatores in publicando vota discordarent ab Electoribus, & eorum scriptura, vel etiam à sola eorum scriptura, dubitandum de Electione, dicit Host. *loc. cit.* cui consentit Pass. *n. 43.* qui tamen ait: Planum esse, quòd standum sit Scripturæ, ubi saltem unus Scrutatorum concordat cum Scriptura & Electoribus. Quòd si scrutatoribus non concordibus inter se, Notarius (ubi hic interfuisset) qui vota annotâsset, concordaret cum Electoribus omnibus publicato scrutinio negantibus sua vota, sine dubio eis standum, ait Pass. *loc. cit.*

Quæstio 343. *An scrutinium fieri debeat secretè?*

Respondeo: Affirmativè, sic expressè habet *c. quia propter*, comprehendens electiones Prælatorum omnium, tam regularium, quàm sæcularium, quorum morte fiunt viduatæ Ecclesiæ, & qui jurisdictionem universalem exercent; non verò Abbatissarum, aliarúmque Præpositarum monialium, Pass. *c. 17. n. 2.* Quod longè strictiùs Trid. sess. 25. *de regular. c. 6.* pro regularibus (de Electionibus enim Episcoporum, aliorúmque Prælatorum sæcularium hic nihil disponitur) decernit his verbis: *In electione Superiorum, quorumcunque Abbatum temporalium & aliorum officialium* (quo nomine non comprehendit officiales quoscúnque, sed solùm eos, qui Superiores sunt locorum Conventuum, &c. Sive dicantur Guardiani, sive Rectores, sive Priores, Pass. *n. 5.*) *ac Generalium* (quos ideo exprimit, ut comprehendat illos omnes, etiamsi in aliquibus Ordinibus non sint temporales, sed perpetui) *& Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant, S. Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.*

Quæstio 344. *Num igitur, stante hoc Trident. decreto, valida adhuc sit & licita, etiam quòad Regulares, electio per scrutinium auriculare, quo ea aliàs juxta* cit. c. *poterat, imò, ut Boër.* decis. 1. n. 35. *Cuchus* de elect. l. 4. n. 212. *fieri debebat?*

Respondeo: Affirmativè, ita contra Mirand. *to. 2. q. 23. a. 11.* Donat. *p. 3. tr. 1. q. 6. n. 7.* censentes, in hoc per Trid. derogatum *capiti Quia propter.* Barb. *ad cit. sess. 25. c. 7.* Ricc. *in prax. resol. 637. in 2. edit.* Garc. *de benef. p. 5. c. 6. n. 189.* Tamb. *de jure Abb. to. 1. d. 5. q. 6. n. 8.* & *de jure Abbatiss. d. 28. q. 4.* Suar. *de relig. to. 4. tr. 8. l. 2. c. 1. n. 10.* Pass. *cit. c. 17. n. 5.* ex Suar. Tamb. & Garc. verbotenus referens plures pro hac sententia declarationes S. Congreg. Quibus non obstat, quòd eadem Congregatio declarârit contrarium in electione Abbatissarum, nimirum vota oretenus accipi non posse ab earum Superioribus cum duobus testibus; sic enim declaravit specialiter circa eas earum electiones, in quibus præter deputatos adhibentur duo testes, per quos electio publicari possit; ipsum namque Trident. de cætero expressè statuit *c. 7.* illius *sess. 25. de regular.* quòd electio Abbatissæ possit fieri auriculariter, Episcopo aut Superiore ad fenestellam monialium vota auriculariter excipiente, Garc. *n. 191.* Pass. *n. 6.* Ratio responsionis est, quòd Trident. plùs non decernat, quàm ut dictæ electiones fiant secretè, & vota eligentium nunquam publicentur; utrumque habetur, etiamsi vota eligentium sciantur à Scrutatoribus; Concilium enim Lateran. in dicto *c. Quia propter*, censuit, adhuc electionem esse secretam, & vota eligentium minimè per hoc publicari: quòd autem vota & nomina, à quibus data publicari sic possent per scrutatores, nihil ad rem facit; cùm Tridentinum non vetuerit, vota posse publicari, seu non statuerit electionem fieri adeò secretè, ut ne quidem publicari possent, sed ne actu publicarentur; adde, quòd, cùm Trident. *loc. cit.* loquatur indifferenter de Electoribus Abbatissarum, & aliorum Prælatorum regularium, adeóque necesse non sit vi dicti Concilii horum electiones esse magis secretas, quàm illarum, quæ, ut dictum, fieri possunt oretenus & auriculariter, Pass. *n. 7. & 8.*

Quæstio 345. *Quandonam censeantur vota electorum publicari in ipsa electione, seu per revelationem intrinsecam electioni, & num propterea electio reddatur irrita?*

1. Respondeo ad primum: Id fieri primò, si Electores, adhibitis, vel non adhibitis scrutatoribus, publicè altâ voce, ut à Capitulo audiantur, darent suffragia; verúmque id est, etiamsi unus solùm eorum det publicè suffragium, modò id fiat consentiente & permittente (etiamsi ista permissio & non contradictio oriatur ex ignorantia, quâ ignoratur tale votum datum publicè sive ex ignorantia, sive ex scientia nullum esse, & invalidare electionem, Barb. *ad c. 6. sess. 25. Trid.* Pass. *n. 15.* vel etiam ex aliqua tantùm reverentia & timiditate sine malitia & dolo, & non ex metu cadente in virum constantem, Pass. *n. 14.* contra Raggium *p. 2. dub. 197. n. 2.*) saltem majore parte capituli (quæ limitatio additur, ne si etiam invita majore parte Capituli datum publicè tale suffragium redderet electionem non secretam, & consequenter invalidam, major pars nunquam posset concludere electionem, si pars minor nollet; hæc enim aut unus de ea, posset eligere publicè, & sic electionem reddere nullam) Garc. *loc. cit. n. 195.* Barb. *de jure Eccl. l. 1. c. 5. num. 205.* Peyr. *to. 3. de privil. c. 9. n. 23.* Castel. *de elect. c. 5. n. 25.* Pass. *n. 13.* Secus autem est, & censetur in hoc casu adhuc secreta electio, ubi Capitulum, aut Præses ejus, uti debet, id prohiberet, & contradiceret votum tale (utpote reverà ipso jure nullum, quippe datum, & contra formam & decretum irritans, Pass. *n. 14.*) non computando inter suffragia, ac si datum esset ab extraneo (qualis meretur haberi ille, qui contra formam nulliter eligit, Pass. *loc. cit.*) vel etiam talem (uti post Garc. *n. 195.* Castel. *num. 26.* Peyr. *loc. cit.*) si resisteret, privando voce pro illa vice, quâ juxta Pass. ipso jure talis privatus non est.

2. Secundò: si scrutatoribus adsint extranei, vel etiam quicunque alii in majore numero, quàm requirat forma cannnica, qui suffragantes audiant, vel eorum schedas legant.

3. Tertiò: si auditis secretò Electoribus, Scrutatores publicando scrutinium, publicent simul eorum nomina.

4. Quartò: Si hæc nomina describantur in decreto electionis transmittendo ad confirmatorem, Pass. *c. 17. n. 12.*

5. Quintò: si confirmator in literis confirmatoriis eadem nomina publicet; censetur enim adhuc talis publicatio facta in electione, utpote quæ durat, donec confirmata sit, Barb. *ad sess. 25. c. 6. num. 8.* Garc. *p. 5. n. 197.* Suar. *cit. l. 2. c. 5.* Pass. *n. 12.*

6. Sextò: Si, ubi electio ex speciali statuto prohibente cum decreto irritante Scrutinium auriculare

(de

(de cætero enim sicuti in Scrutinio auriculari, sic etiam in eo, quod fit per Schedas, nil vetat, eligentium nomina sciri à Scrutatoribus) eo fine, ut ne quidem Scrutatoribus innotescant nomina eligentium, si inquam, in eo casu plures, vel etiam una scheda notata esset speciali aliquo signo, unde Scrutatoribus, vel etiam uni eorum innotesceret nomen eligentis per talem schedam, talis electio foret non secreta, non vi Tridentini, sed vi talis specialis statuti, Pass. *n.* 18. Adhibita tamen iterum priore limitatione, nimirum, ut id fiat sciente & permittente majore parte Capituli, non verò eo id ignorante vel contradicente; licèt enim de cætero defectus formæ munitæ decreto irritante non recipiat remedium ex ignorantia; non est tamen in præsenti verisimile, statuta utriusque illius Concilii patrocinata fuisse fraudibus, & stravisse viam ad affligendos innocentes, uti fieret, si unum alterúmve, vel etiam plura vota publicata irritare possent electionem de cætero ritè habitam à majore parte; sed dicendum, formam eligendi secretò statutam à dictis Conciliis excludere publicitatem commissam à majore parte, sive dolo, sive per ignorantiam, vel ab ea sciente permissam; non verò commissam à minore parte, majore vel non sciente, vel contradicente, Pass. *n.* 19. *&* 20.

7. Septimò: Si quis alicui ex Electoribus det propriam schedam, plicatam tamen, & tantùm mittendam ab eo in urnam: scheda enim talis quam quisque potest legere, si vult, sive id posset licitè, sive illicitè, non est secreta quoad substantiam; & qui schedam propriam modo dicto dat alteri, ex modo eligendi proprium nomen publicat in ipsa electione, adeóque talis recepta & projecta in urnam ab eo, qui scrutator non est, reddit electionem in suo esse, & in seipsa non secretam quoad substantiam, (etsi hæc maneat secreta per accidens, dum recipiens schedam illam non legit) cujus tamen contrarium vult Concilium, prohibens publicationem secundùm substantiam, & non quatenus illicitam, vel injustam, Pass. *n.* 27. contra Pasqual. *decis.* 161. unde etiam tam porrigentem dicto modo schedam, quàm scrutatorem eam respicientem peccare, ait, graviter, utpote agentem contra duorum Conciliorum decreta, etiamsi per accidens non lectâ schedâ nomen eligentis nunquam innotescat. Secus tamen est, & non violatur secretum, dum Elector non potens propria manu mittere schedam in urnam, accedit ad scrutatores, & ipsis videntibus tradit illam alteri, qui mox videntibus scrutatoribus eam projicit in urnam, Pass. *n.* 28.

8. Respondeo ad secundum, dum nomina Eligentium dictis modis publicantur in ipsa electione, electionem esse nullam, Pass. *n.* 12.

Quæstio 346. Num igitur etiam irritetur electio per hoc, quòd scrutatorum aliquis extra electionem publicet nomina eligentium?

1. Respondeo primò: tametsi talis Scrutator non solùm expressè revelando privatim alicui, quòd hic vel ille Elector tali dederit votum suum; sed etiam loquendo taliter, unde id colligi, imò unde de eo dubitari possit, an non hic istum vel illum elegerit, agat contra fidelitatem & justitiam officii sui, peccétque graviter aut leviter, prout hoc cederet in grave vel leve damnum, & præjudicium Electionis vel Electoris revelati. Pass. *num.* 29. contra Bonac. *de contract. q.* 2. *n.* 3. & Lavor. *de Elect. c.* 19. *n.* 57. tenentes absolutè, talem scrutatorem peccare mortaliter: non tamen per hoc viriatur aut irritatur electio, etiam apud Regulares, etsi de cætero Tridentinum specialiter in electionibus Regularium, etiam cum decreto irritante electionem, vetuerit unquam publicari nomina eligentium, seu cui quis eorum dederit suffragium. Pass. *cit. n.* 29. *& seq.* contra Lavor. *loc. cit.* Siquidem decretum illud Concilii in sensu proprio accipiendum, & ultra hunc pœna illa nullitatis electionis aut onus illud gravissimum de novo eligendi Electoribus impositum extendendum non est. Jam verò manifestatio in aliqua privata actûs alicujus aut personæ non est illius publicatio; cùm *publicare* propriè significet idem, quod *evulgare*, vel in notorium deducere, seu facere, ut aliquid transeat in famam publicam loci, quod aliter non fit, quàm dum res facto vel verbo propalatur in loco publico, & coram tanta multitudine, ut illius notitia per se transeat ad majorem partem, v. g. collegii vel conventûs, viciniæ, civitatis, alteriúsve loci. Pass. *loc. cit.* ex C. Tuscho L. P. *conclus.* 964. Intelligitur námque publicitas facti, seu consistens in facto, quæ intelligitur, quoties jus requirit publicitatem actûs alicujus in ordine ad hunc effectum, ut præsumatur istius actûs notitia apud alios, & valdè distinguitur à publicitate juris, seu quæ à jure causatur; sic enim, dum judex in banco coram duobus vel tribus testibus excommunicavit aliquem, non est talis excommunicatus adhuc publicè, quia per hoc ejus excommunicatio in facto non est publicè nota apud homines, licèt sit nota ex jure apud judicem. Pass. *n.* 30. juxta gl. sing. *in clem.* 1. *de sepult. v. publicè.*

2. Respondeo secundò: secùs dicendum, ubi scrutatorum aliquis Eligentis nomen publicaret, & divulgaret in sensu proprio jam explicato.

Quæstio 347. Quid igitur, si manifestatio nominis Electoris alicujus vel Electorum fiat ab uno vel pluribus, vel etiam omnibus Electoribus?

1. Respondeo: manifestationem talem, sive fiat ante, (dicente aliquo vel aliquibus, se velle illum determinatè eligere) sive post electionem, (dicente eorum aliquo, se elegisse illum, v. g. Titium) modò fiat extra electionem, & non fiat ab ullo Electorum ut scrutatore, sive ex vi notitiæ habitæ per electionem seu scrutinium, non irritare electionem. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 196. nixus declarationi S. Congregationis ad finem *hujus quæst.* citandæ. Barb. *ad c.* 6. *sess.* 25. *Trid. n.* 14. Castel. *de elect. c.* 5. *n.* 26. Castrop. *p.* 2. *tr.* 13. *d.* 3. *n.* 9. Pass. *n.* 55. Ratio, quâ utrumque probatur, hæc est, quòd Trid. per verba ista: *Concilium districtè præcipit omnes supradictos eligi per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, &c.* per se & determinatè non prohibeat manifestationem & publicationem nominum eligentium separatim, aut separatam ab electione, (qualis est, quæ fit ab ipsis Electoribus purè quà talibus ante vel post electionem) sed solùm intrinsecam ipsi electioni, dum fit, aut connexam illi factæ per vota secreta; nam imprimis præcipiendo eligi per vota secreta, tantùm id vult, ut Electores, dum actu & formaliter sunt Electores, sive dum actu dant suffragium suum, in eo dando servent secretum, seu illud dent secretò. Bassæus *v. electio. n.* 6. Pass. *n.* 37. Jam verò Electores antecedenter dicendo palàm, etiam cum promissione & juramento, se determinatè electuros Titium, actu per hoc non eligunt, & possunt adhuc in ipsa electione seu scrutinio talem non eligere. Bass. & Pass. *d. cit.* Quinimò argumento *c. cùm in Genesi. de elect.* minimè obstante hoc Trid. præcepto, liciti sunt, & laudabiliter instituuntur, etiam collegialiter, tractatus (quamvis fortè attento fine Concilii Trid. apud Regulares ii meliùs omittantur, tanquam minùs convenientes) antecedentes electionem, in quibus tractetur de meritis eligendorum, certaque persona eligenda, quia dignior, ita etiam, ut Electores non tantùm dicant, se velle talem eligere, sed idipsum quoque viis licitis citra pacta, minas & alia hujusmodi cum charitate & absque injustitia persuadere aliis nitantur. Deinde præceptum illud nunquam publicandi nomina eligentium respicit solos scrutatores, eosque, qui auctoritate publicâ assistunt scrutinio seu electioni, cujus notitiam habent; Electores enim alii aliorum nomina vi electionis factæ nescientes ea publicare nequeunt, neque etiam sua, cùm in præjudicium electionis & electi de proprio facto validum testimonium ferre nequeant: Neque quòd Elector proprium suum

votum publicet poſt electionem, eſt contra illius libertatem, quæ eſt finis hujus præcepti lati à Trid. Quinimò cum licitum ſit in variis caſibus ſe opponere electioni, & perſonæ electæ, v. gr. dum alii ſcienter eligunt indignum, vel etiam contra aliorum oppoſitionem petere, & procurare etiam per ſcripturas, ut à ſe electus confirmetur, in iis certè vetitum non erit propalare votum à ſe datum tali, Paſſ. *n.* 39. *& ſeq.* Porrò in genere loquendo, dum publicatio talis fit etiam à quocúnque poſt confirmatam jam electionem, nunquam eam irritabit; cùm electionis valor pendere nequeat à futuro eventu caſuali, Suar. *to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 11. Paſſ. *n.* 40. unde

2. Reſpondeo ſecundò. Iſtiuſmodi publicationem, etſi fortè abſque eo, quòd per eam non tollatur ſecretum ipſius electionis, per ſe mala ſit & illicita, ut conſtare videtur ex iſtis verbis S. Congreg. quæ citat Garc. *l. ſupra cit. ante vel poſt ſcrutinium Electoribus nullo modo licet, cui votum dederint, publicare*; non tamen ita eſſe per ſe malam aut prohibitam per Trident. ut ex neceſſitate vel juſta cauſa fieri non poſſit licita. De quo vide Paſſ. *n.* 43.

Quæſtio 348. *Num ubi ſcrutinium fit per ſchedas, & ſic fieri eſt de forma Electionis, etiam ſit de forma electionis, eas comburere ante vel poſt publicationem ſcrutinii?*

Reſpondeo: Præſcindendo à ſtatuto ſpeciali (qualiter tanquam de forma Electionis ſtatutum eſſe in Ordine Prædicatorum, ut facta collatione numeri ad numerum, & eorum, qui nominati ſunt, nominibus redactis in ſcriptum, ſchedæ coram capitulo ante publicationem Scrutinii comburantur, teſtatur Paſſ. *cit. c.* 17. *num.* 46.) negativè. Concilium ſiquidem id unum vetat, ne nomina eligentium publicentur, quo ſtante, quidquid fiat de ſchedis, ſive comburantur in præſentia Capituli, (licèt hic modus ſit facilior, & ſecreto electionis convenientior, ac ita etiam fiat in electione ſummi Pontificis) ſive projiciantur, & ſepeliantur, ſive quocunque alio modo cuſtodiantur, ut non videantur, ſubſtantialiter nihil intereſſe, Paſſ. *n.* 48. contra Caſt. *c.* 4. *n.* 62. nixum quodam oraculo vivæ vocis Pii V. de quo, ut ait Paſſ. non ſatis conſtat.

Quæſtio 349. *Num neceſſe ſit ante inchoationem ſcrutinii Scrutatores aſtringi juramento, vel præcepto obedientiæ à Præſide Electionis de munere fideliter exequendo?*

Reſpondeo: Non eſſe id de ſubſtantia electionis, Abb. *in c. In cauſis, h. t. n.* 2. cum communi. Neque de præcepto juris communis, Paſſ. *c.* 18. *n.* 2. contra Biax. *p.* 3. *c.* 24. Sigiſm. *dub.* 21. *n.* 2.

Quæſtio 350. *Quiſnam debeat eſſe locus, in quo Scrutatores vota eligentium excipiunt?*

1. Reſpondeo primò: Debet eſſe publicus, hoc eſt, in conſpectu omnium Electorum, ita ut hi omnes à longè videri poſſint, ne fraus aliqua committatur in ſcrutinio, Paſſ. *c.* 18. *n.* 3.

2. Reſpondeo ſecundò: Debet eſſe ſeparatus à loco Electorum, ut hi neque Electores cum Scrutatoribus, neque Scrutatores inter ſe loquentes, dum ſcrutinium eſt auriculare, audire, neque ubi ſcrutinium fit per ſchedas, has apertas, aut etiam vota eligentium à ſcrutatoribus in ſcriptum redacta videre & legere poſſint, Paſſ. *ibid.* Biax. *p.* 3. *c.* 25. *n.* 2.

Quæſtio 351. *Quid* in c. Quia propter, *intelligatur per Tò* ſingulatim vota exquirant?

Reſpondeo: Quòd Electores accedere non debeant ad ſcrutinium turmatim, aut terni vel bini, ſed ſeorſim & ſeparatim ſinguli, Abb. *in cit. c. n.* 15. Sylv. *v. Electio, n.* 7. Lavor. *c.* 19. *num.* 76. Eſtque hoc de ſubſtantia ſcrutinii auricularis; cùm aliàs electio & ſcrutinium non eſſet ſecretum, Donat. *p.* 3. *tr.* 1. *q.* 17. *n.* 13. Secus ubi ſcrutinium fit per ſchedas complicatas, Paſſ. *n.* 4.

Quæſtio 352. *Quid importent verba illa* dicti cap. Diligenter inquirant?

1. Reſpondeo primò: In ſcrutinio per ſchedas neceſſe non eſt, ut quicquam loquantur ſcrutatores, ſed ſolùm attendant, ne Electores deponant in urnam plures ſchedas, vel aliquam extrahant, vel dent notatam ſpeciali aliquo charactere, aut ſimile quid faciant in præjudicium electionis, Paſſ. *cit. c.* 18. *n.* 55.

2. Reſpondeo ſecundò: In ſcrutinio auriculari quoque non requiritur, ut ſcrutatores proprio ore teneantur inquirere vota eligentium; ſed ſufficit Electores accedentes ipſos ſponte ſua votum exprimere. Neque etiam facienda eſt vis in verbo illo: *Exquirant*; tum quia ſubſtantia talis inquiſitionis ſubſiſtit in manifeſtatione voti recepta à ſcrutatoribus; tum quia ſcrutatores ſufficienter loquuntur, & interrogant ipſo facto, quo ſedent deputati ad officium audiendi & conſcribendi vota eligentium, Paſſ. *n.* 56. contra Barb. *ad c. Quia propter, n.* 20. Sigiſm. *dub.* 21. *n.* 4.

3. Reſpondeo tertiò: Neque eſt de ſubſtantia, aut etiam de præcepto, ut ſcrutatores inquirant de zelo & meritis nominatorum, aut quo affectu, quâ conſcientiâ eligens talem nominet, Paſſ. *num.* 57. contra AA. cit. & alios. Quamvis aliunde quandóque ex præcepto charitatis vel juſtitiæ teneantur docere, vel corrigere eligentes, ſi fortè in votando errarent, vel facere vellent aliquid in præjudicium electionis.

4. Reſpondeo quartò: Multò minùs requiri, ut Scrutatores adjurent eligentes, ut nominent, quem coram Deo judicant meliorem, Paſſ. *n.* 58. vel etiam, ut Electores de hoc jurent in manibus Scrutatorum, Paſſ. *n.* 59. *& ſeq.* quem vide.

Quæſtio 353. *Num Electoribus licitum ſit conſenſum ſuum internum, ſeu votum explicare per ſortes?*

Reſpondeo primò: Licèt per ſe & ex natura rei illicitum non ſit, præſertim in caſu neceſſitatis, ubi humana prudentia deficit, v. gr. ubi ſunt duo vel tres, qui capitulo omnibus examinatis videntur maximè & omnino æqualiter digni Prælatura, ſine alicujus injuria implorare Dei judicium per ſortes, earúmque eventum ab eo (ſecùs ſi hic exſpectetur merè à fortuna vel aliunde) exſpectare. D. Auguſt. *de doct. Chriſtiana, c.* 28. *& Ep.* 12. *ad Honoratum.* D. Th. 2. 2. *q.* 95. *a.* 8. & ex eo Cajet. *ibid.* Suar. *to.* 1. *de relig. tr.* 3. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 8. Sanch. *in ſum. l.* 2. *c.* 38. *n.* 7. idque de facto apud regulares aliquos in electionibus quibusdam ex ſpeciali indulto practicetur, ut videre eſt apud Paſſ. *cit. c.* 18. *n.* 6. Jure tamen poſitivo, ut conſtat ex *cap. fin. de ſortileg.* de facto illicita eſt quæcúnque electio Eccleſiaſtica, ſive ad Prælaturas, ſive ad beneficia, officia, miniſteria Eccleſiaſtica, quæ fit per ſortes, ita etiam, ut illicitum ſit hac ratione eligere ipſos compromiſſarios, D. Th. *loc. cit.* Suar. *l. c. cit. n.* 5. Sanch. *n.* 71. Abb. Felin. *in c. Capitulum, de reſcript.* Tuſc. *lit. E. concl.* 79. Sigiſm. *dub.* 26. *n.* 1. Paſſ. *n.* 7. citans quamplures alios: qui etiam *n.* 9. citans pro ſe Felin. *in cit. c. Capitulum, n.* 21. Hoſt. Jo. And. Franc. & alios *in c. unic. de eo, qui mittitur in poſſeſſ.* tenet, extra negotium Electionis quoque illicitam eſſe, & non valere diremptionem litis beneficiariæ, aut quæ eſt circa res alias ſpirituales inter clericos, etiam factam de auctoritate Superioris (in quo caſu id licere tenent Suar. *loc. cit. n.* 12. & Sanch. *n.* 79.) etſi hac accedente, de cætero removeatur

ſimo-

simonia, quæ aliàs committitur ineundo quodcunque pactum circa beneficia; vel etiam dum is conferre potest beneficium, impediretur, ne alter litigantium ingrederetur aliàs beneficium sine titulo, ut aliàs contingere posset, dum sors eum tangeret, qui non haberet à parte rei verum titulum. His tamen non obstantibus licitum est per sortes facere electiones Ecclesiasticas, servatis aliàs servandis, non solùm, ubi id expressè concessum est à Pontifice (uti id vi constitutionis Leonis X. quæ incipit: *In suprema*; practicari in Regnis Legionis, Castellæ, Navarræ, ut nimirum, ubi votorum latorum ab Examinatoribus, & ut rectè addit Castrop. *p. 3. tr. 13. d. 5. p. 3. n. 10.* approbante idem Pass. *n. 10.* etiam qualitatum omnimoda est paritas, sorte decernatur, cujus sit beneficium, testatur Garc. *l. 5. c. 4. n. 208.*) verum etiam, ubi id consuetudine inductum est, quâ dictum jus positivum abrogari potest, non solùm in electionibus ad officia Ecclesiastica non habentia jurisdictionem, ut vult Sigism. *d. 26. n. 5.* Sed & universaliter, Pass. *cit. n. 10.*

Quæstio 354. An de cætero electiones factæ per sortes sint quoque ipso jure nullæ?

Respondeo: Affirmativè, de iis electionibus, in quibus servanda est forma *c. Quia propter*: item de iis, quæ fiunt servatâ formâ Scrutinii, juxta decretum Trident. debent namque in iis singuli Electorum votum suum dare secretò pro una persona determinata: item de iis, in quibus requiritur forma aliqua determinata cum decreto irritante. Item de Electionibus cæteris, tenent Abb. *in c. Ecclesia, de sortileg.* Garc. *p. 5. c. 4. n. 205.* Sigism. *dub. 26. n. 8.* Econtra negant Suar. *loc. cit. n. 9.* Sanch. *n. 83.* quibus accedit Pass. *n. 11.* eò quòd prohibitiones contentæ in aliis juribus non habeant annexum decretum irritans. Dicunt tamen eas irritandas, quia factæ contra jura eas prohibentia. Idem sentiunt hi AA. de electionibus mediatis factis per sortes, dum nimirum per sortes eliguntur compromissarii, eas non esse ipso jure irritas. Quod si verum, ait Pass. *n. 12.* se non videre discrimen, an non idem dicendum de electione mediata per sortes, dum sorte decernuntur 4 vel 5, ut dein ex iis eligatur unus; cùm determinatio eligendorum accidat electioni per scrutinium, idque (adeóque & ipsa electio) tali determinatione per sortes prævia non obstante haberi potest secretò: Econtra autem nominatio compromissariorum sit pars essentialis electionis per compromissum. De cætterò ubi tractatur non de electione personæ, sed de aliquo præparatorio ad illam, v. gr. de eligendo loco electionis, & controversia aliter dirimi non posset, si sorte dirimeretur, non ita vitiari contractum, ut electio esset ipso jure irrita, licèt esset irritanda, tenent Sanch. *loc. cit. n. 73.* Sigism. *loc. cit. n. 2.* Pass. *n. 8.*

Quæstio 355. An electiones ad Prælaturas Ecclesiasticas fieri possint per calculos, fabas, similésve modos, dum nimirum à Superiore Electoribus consentientibus, proponuntur plures, quatuor v. gr. vel quinque, ut ex iis eligatur unus, electúsque censeatur, qui à majore numero electorum loco schedularum dando calculos coram Scrutatoribus fuerit approbatus?

Respondeo: Negare id Sigism. *loc. cit. n. 6.* Miran. *to. 2. q. 23. n. 19.* Cuchium *de elect. l. 4. n. 222.* Samuel. *tr. 1. d. 4. controv. 7. n. 1.* & alios apud Pass. *n. 13.* ubi eorum rationes refutat. Econtra hunc modum eligendi per calculos non esse reprobatum, vi *c. Quia propter*, imò esse valde conformem Trident. docet Suar. *to. 4. de relig. t. 8. l. 2. c. 5. n. 23.* Cùm tamen consuetudo & praxis obtineat, ut tales electiones fiant vel vivâ voce, vel per schedas, majórque sit libertas Electorum, si iis nullus determinetur, quem eligant, sic fieri debere juxta cujusque collegii leges & usum, dicit Pass. *loc. cit.*

Quæstio 356. Quâ igitur verborum formâ, sive scripto, sive viva voce id fiat, exprimere debeant in electione votum suum Electores?

Respondeo: Id perinde esse, modò consensus eligentis exprimatur, neque verborum imperfectio vitiat, si sensus & consensus loquentis colligi possit, Lavor. *c. 19. n. 63.* magis usitatæ sunt hæ formæ, & bonæ. *Eligo talem, consentio in talem, nomino talem.* Abb. *in c. Quia propter.* Lavor. *loc. cit. n. 80.* Sigism. *dub. 27. num. 1.* néque de substantia est, ut simul exprimatur dignitas, ad quam quis eligitur; hoc enim subintelligitur, Lambert. *l. 2. q. 3. a. 3. & ex eo.* Lavor. *loc. cit.*

Quæstio 357. Num valeant vota alternativa, seu expressa disjunctivè, ut si quis dicat: Eligo Petrum vel Paulum?

Respondeo: Negativè, Barb. *ad c. 2. de elect. in 6. n. 3.* Sigism. *loc. cit. n. 4.* Buër. *decis. 1. n. 2.* Pass. *n. 17.* citans plures alios. Idem dicendum, dum votum datur incertum, ut dum quis dicit: *Eligo quem Titius, vel major pars elegerit*, Surd. *decis. 53. nu. 28.* Paris. *l. 3. cons. 38. n. 40.* Utriúsque responsi eadem est ratio; quia electio seu votum est voluntaria, & determinata acceptio, quâ eligens ipse suâ voluntate accipit unum præ alio, Pass. *n. 17.*

Quæstio 358. Num valeat votum conditionatè datum & expressum?

1. Respondeo primò: Ubi conditio inest actui, vel ex natura, vel ex jure; dum scilicet actus sine ea vel nullus, vel illicitus est, v. g. *Eligo, si Prælatura vacat; Si electus habeat requisitam à jure ætatem*; vota importantia talem conditionem de præterito vel præsenti sunt valida; cùm enim tales conditiones determinatè fuerint vel sint, votum determinatè verum est, & non suspenditur actus; sed si conditio adest, valet; si abest, non valet, Lamb. *de jurep. l. 2. q. 3. a. 9. n. 2.* Lavor. *loc. cit. n. 61.* Sigism. *loc. cit. n. 8.* Pass. *loc. cit. n. 20.* De votis quoque conditionatis quacunque conditione, etsi ea de jure non insit actui, (ut si dicatur: *Eligo Titium, si novit Geometriam*) de præterito vel præsenti, quod valida sint, si aliud non obstet, tenet Pass. *n. 21.* citans Corasium contra Garc. *p. 8. c. 2. n. 9.* Sigism. *dub. 27. n. 7.* Bassæum *v. Electio, n. 3.* eò quòd, quia conditiones tales de facto determinatam veritatem habeant, vota similia æquivaleant absolutis, & propriè conditionalia non sint. Quòd si tamen ante confirmationem non possit sciri, quæ pars contradictionis fuerit vera, seu num adsit vel absit conditio, tale votum habendũ erit pro inutili, Pass. *l. c.*

2. Respondeo secundò: Vota importantia conditionem contingentem de futuro, v. g. dum dicitur: *Eligo Titium, si juramentum solitum præstiterit; si beneficium prius dimiserit*, adeóque impedientem, quò minùs consensus sit de præsenti determinatus & certus, ut exigitur (consensus enim datus, nonnisi dependenter à futuro contingente tempore electionis necdum est, sed fortè erit, & potest non esse) sunt nulla & invalida, Pass. *n. 22.* contra Garc. *n. 10.* & tale votum conditionatum & nullum esse illud: *Eligo Titium, si Papa placuerit*, tenent Ripa. *l. 2. respons. c. 32.* Sigism. *n. 12.* Pass. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Vota importantia conditionem de futuro necessario, vel de facto impossibili, vel de absurdo, non sunt ex hoc irrita; non enim suspendunt tales conditiones actum, & habent se, ac si appositæ non essent, Pass. *loc. cit.*

Quæstio 359. Num valida sint vota importantia electionem ut futuram, v. g. dum dicitur: Volo eligere; *vel:* Volo consentire?

Respondeo: Negativè, voluntas enim faciendi quid, non importat perfectionem actûs, ut exigitur ad electionem; & voluntas talis eligendi relinquit electionem probabilem esse, & non esse, Sigism. *loc. cit. n.* 13. Pass. *n.* 23.

Quæstio 360. Quid igitur faciendum de votis istiusmodi incertis, adeòque invalidis, aut aliter inutiliter datis, quibus v. gr. aliquis notoriè ineligibilis eligitur?

Respondeo: Esse habenda tanquam renunciationes vocis, adeòque subtrahenda à numero eligentium: ut si v. g. decem sint Electores, quorum tres talia vota inutilia dederint, de electione judicandum sit, ac si septem tantùm Electores fuerint, à quorum quatuor si quis nominatus fuerit, is censeatur electus à majore parte Capituli; ita expressè *c. in electionibus, 2. de elect. in* 6. Sigism. *dub.* 28. *n.* 2. Lavor. *loc. cit. n.* 60. Pass. *n.* 24. cum communi. Dum autem similia vota alba seu inutilia numeranda dicuntur, intelligendum id est, quòd numeranda sint in decreto electionis, sed ut invalida, & non numeranda pro habendo valore electionis, sed ut rejicienda de eorum numero, qui validè suffragati sunt, Pass. *loc. cit.*

Quæstio 361. Num igitur ex hoc, quòd Electorum aliquis det votum istiusmodi inutile, idem capere possit emolumentum, quod alii, ut nimirum hoc ipso jam diminuto suffragantium numero, adeòque paucioribus constituentibus majorem partem Capituli, pauciora ad ejus electionem requirantur suffragia: v. gr. ut si dum præter ipsum essent novem Electores, ipse, qui dedit votum inutile, nominaretur ab eorum quinque, jam evaderet electus (cùm interim aliàs, ipso quoque utiliter votante, ad sui electionem sex votis egeret) non secus ac si id contingeret alteri istorum novem?

Respondeo: Nequaquam, si enim hunc fructum haberet suæ inobedientiæ, ejus votum non fuisset vanum & inutile, Pass. *n.* 25. Quinimò talem io tali casu omninò privari voce passivâ, tenent Jo. Andr. Anchar. *in cit. c. In electionibus.* Sigism. *loc. cit. n.* 4. Verùm neutrum horum, nimirum neque carentiam istiusmodi fructus, neque privationem vocis passivæ locum habere in electionibus regularium, in quibus vota eligentium non publicantur, adeòque sciri nequit, qui tale votum inutile dederit, ait Pass. *n.* 26. Sed neque locum habet in electore, qui sine præsumpta fraude ex ignorantia & simplicitate dat istiusmodi suffragium inutile, Pass. *n.* 29. Potest quoque qui fraudulenter, & absque justa ignorantia tale votum dedit, fructuosè pœnitere, & evadere pœnam istam privationis vocis passivæ, etiam pro ista electione, in eo omnium casu, dum ex ista causa dati inutiliter alicujus suffragii, vel ex alia non sequitur publicatio scrutinii, sed novum instituitur; uti etiam, dum illud iteratur, eò quòd in publicatione scrutinii nullus inveniatur electus à majore ultra medietatem parte vocalium, variando tunc nimirum, & dando schedulam utilem, vel etiam in scrutinio auriculari, in quo nomina eligentium cognoscuntur, & suffragia voce prolata revocari possunt, revocando prius suum suffragium, Jo. And. Anchar. Franc. Innoc. *in cit. c. In electionibus.* Pass. *n.* 27. & 28.

Quæstio 362. An igitur, quando & qualiter vota data mutari possint?

1. Respondeo primò: Mutare potest Elector datum à se votum primò in scrutinio auriculari, saltem antequam omnium vota sint redacta in scriptum, ita DD. communiter, ut ait Pass. *n.* 30. Secundò, etiam post integrè confectum scrutinium auriculare ante ejus publicationem; cùm enim *c. Publicato*, prohibeatur variatio, rectè à contrario arguitur id licere ante publicationem, Abb. *in cit. c. Publicato.* Sigism. *dub.* 29. *n.* 4. Biax. *p.* 3. *c.* 30. *n.* 4. Peyr. *in subd. q.* 1. *c.* 31. Pass. *n.* 31. contra Host. Anchar. Cuchum *de elect. l.* 4. *n.* 141. Mirand. *to.* 2. *q.* 23. *a.* 24. *concl.* 2. Rodriq. *to.* 2. *q.* 52. *a.* 7. & alios. Excipe casum, in quo duo saltem scrutatores (unus enim solus testis nihil probat) non recordarentur prioris voti à tali dati, tunc enim, etsi adesset justa causa mutandi, mutatio non permittitur, eò quòd adesse posset fraus, & committi injustitia, dum is, qui vult mutare, non variaret, sed eundem, quem prius elegerat, iterum, adeòque bis eligeret, & uni ex nominatis votum adimeret, fingendo, se illum priùs nominâsse, Pass. *n.* 31.

2. Respondeo secundò: Mutare non potest Elector in scrutinio, quod fit per schedas, etiam eo nondum completo (excepto primo, qui solus potest schedam suam certo revocare, dum statim, antequam per immissionem aliarum schedarum confundatur, eam ex vase retraheret) ne fraudibus detur locus, dum scheda unius confusa cum aliis distingui nequeat: credendum etiam non sit dicenti, hanc esse suam schedam, Peyr. *loc. cit.* Castel. *c.* 11. *n.* 23. Donat. *p.* 3. *tr.* 4. *q.* 30. *n.* 2. Pass. *n.* 33. Potest tamen completo tali scrutinio quilibet mutare votum suum, dum majore parte capituli petente; vel ad unius petitionem in id consentiente, prius scrutinium ante factam illius publicationem dissolvitur, quod fieri potest ex quacunque causa major pars moveatur, absque eo etiam, quòd teneatur eam manifestare, Pass. *n.* 34.

3. Respondeo tertiò: Nulli mutare licet post publicationem scrutinii, sive auriculare illud fuerit, sive per schedas. Sic expressè habetur *c. Publicato.* Sigism. Cast. Donat. Peyr. *ll. cit.* Barb. *ad cit. c. Publicato*, cum communi. Teneturque id ipsum etiam in electionibus validis, in quibus servata non fuit forma c. *Quia propter*, cùm in omni electione Electores, finito & publicato scrutinio, perfectè functi sint officio suo publico, eis concesso, & delegato à Papa, adeòque resilire non possunt, Abb. *ad c. Publicato, n.* 4. Pass. *n.* 37. contra Jo. Andr. Secus tamen dicendum, ubi Electores jure proprio & privato, quale v. g. habet communitas aliqua sæcularis, eligunt, posse eos mutare, quamdiu electio ab electo non est acceptata, Pass. *n.* 36. Item dum post publicationem scrutinii, etiam in electione Canonica, electio apparet nulla, v. gr. quòd deprehendatur à majore parte nominatus ineligibilis, ante electionem factam nomine torius collegii revocato priore scrutinio, ad aliud procedere possunt, & in eo singuli variare votum suum, Argumento *c. Perpetuò, de elect. in* 6. Jo. Andr. Innoc. Bald. *in c. Ecclesia vestra, h. t.* Lavor. *c.* 19. *n.* 112. Sigism. *dub.* 29. *n.* 6. Quin etiam tunc unus solus poterit resistere futuræ electioni communi, & impedire, ne fiat, contra illam protestando, quâ protestatione neglectâ, si deventum fuerit ad electionem communem, ii, qui protestari fuerunt, non tantùm evadunt pœnas latas contra malè eligentes, sed & poterunt iterare scrutinium, eòque ritè peracto eligere, ita etiam, ut, si in priori scrutinio erraverint, habeant jus, & possint errorem hunc corrigere, & habere bonum scrutinium, non exspectato judicio confirmatoris; aliis interim, qui ad malam electionem communem progressi jus suum eligendi pro ista vice amittentibus, Pass. *n.* 39. qui tamen *n.* 40. citans pro se Abb. Sigism. Lavor. hoc ipsum sic limitat: Ut quando scrutinium publicatum ipso facto non est nullum, sed cassandum tantùm, non possint Electores, utpote jam functi officio suo, illud revocare, sed debeant tunc progredi ad electionem communem, & totum judicium relinquere judicis seu confirmatoris, aut superioris arbitrio, utpote qui potest electionem talem cassandam con-

firmare. Idem dic, dum cassanda est electio ob contemptum alicujus; poterit enim tunc contemptus eam ratificare. Idem ait Pass. *n.* 41. dicendum, quamdiu non est certum & notorium, scrutinium habitum & electionem vi illius habendam esse ipso facto nulla.

Quæstio 363. A quo, & quo ordine, & qualiter ipsorum Scrutatorum vota exquiri debeant?

1. Respondeo primò: ad hoc opus non esse, nec debere assumi quartum scrutatorem aut notarium; cùm *c. quia propter.* decernens tres assumendos scrutatores, de hoc nihil habeat; habeat autem praxis, ut scrutatores se invicem scrutentur. Barb. *ad cit. c. num. 23. ibid.* Host. Abb. Innoc. Buttio. Mirand. *to. 2. q. 21. a. 29.* Biax. *p. 3. c. 26. n.* 8. Pass. *cit. c.* 18. *n.* 47. citans plures alios.

2. Respondeo secundò: in scrutinio per schedas complicatas, utpote in quo nec Electorum nomina cognoscuntur, nec schedæ aperiuntur, nisi illis omnibus receptis & permixtis, parum interesse, num primò vel ultimò conjiciant schedas in urnam; in scrutinio verò auriculari utile valdè est & conveniens, (non tamen etiam post Trident. necessarium, ut benè ostendit Bass. *n.* 50. contra Sigism. Samuel. Lavor.) ut scrutatores priùs se ipsos scrutentur, & dent vota, ne, dum jam conscii aliorum votorum, ex hoc dirigant sua vota, & sic pro arbitrio suo sæpè concludant, vel non concludant electionem. Quamvis autem per se malum non sit, & inutile aut damnosum electioni, sed sæpè valdè utile, dirigi Electores aliquos ex notitia voti aliorum ad ferendum votum suum, possintque ex hoc concludere electionem, (cùm per hoc, quòd Elector videat, jam à collega esse electum digniorem, ab eligendo minùs digno dimoveatur, vel etiam concludere possit electionem magis digni aliàs non concludendam pro hoc: quin & in electione Papæ detur locus accessui, dum, postquam collegium jam conscium, Titium nominatum esse in scrutinio, possunt Electores singuli, relicto priore voto suo, ad illum accedere) quia tamen faciliùs contingere potest, ut ex hac scientia in scrutatoribus oriatur timor aliquis præjudicans libertati, aut motivum inducens ad electionem minùs digni, (v. g. & præsertim, ubi innotuit jam votum dignioris habentisque primam vocem in Capitulo, qui sæpè potens est, & caput unius factionis, maléque tractare solet eos, qui sibi non adhærent in electionibus) adeòque potiùs timendum hoc malum, quàm sperandum illud bonum; hinc, inquam, consultius est, ut scrutatores primò scrutentur se ipsos. Host. *in sum. de elect. §. qualiter facienda.* Biax. *p. 3. q. 26. n. 6.* Pass. *n.* 45. *& 52. &c.* ac specialiter ob datam rationem non scrutentur ante se talem digniorem. Pass. *n.* 51. contra Cuch. Rodriq. Biax.

Quæstio 364. An & qualiter vota data voce, vel etiam per schedas, nimirùm postquam Electores omnes schedas suas dederunt, redigenda sint in scriptum?

1. Respondeo ad primum affirmativè, estque hæc scriptura de substantia electionis, ut patet ex *c. quia propter. ibid.* Innoc. Imol. Abb. &c. Pass. *n.* 66. citans Tamb. Suar. Bass. &c. qualiter tamen non sit de essentia omnis electionis, Pass. *n.* 68. videndum monet apud Rotam *decis.* 289. *n.* 30. *parte* 6. *&* 244. *n.* 4. *p.* 8. *recent.*

2. Respondeo ad secundum: scribenda esse vota ab ipsis scrutatoribus ex mente textûs *c. quia propter.* Pass. *n.* 67. Et quia faciliùs unus potest errare, ab omnibus tribus scribenda sunt. Pass. Priùs tamen numerandæ sunt schedæ, & earum numerus conferendus cum numero vocalium, ita ut, si non sint hi numeri æquales, schedæ sint comburendæ, & habendum novum scrutinium; iis verò existentibus in æquali numero cum Electoribus, singulatim ab omnibus scrutatoribus sunt legendæ, & sic describendæ. Pass. *n.* 63. Porrò in casu, quo in scrutinio per schedas scripturæ hæ scrutatorum non conveniant inter se, schedæ iterùm accuratè legendæ, & verus numerus colligendus: in scrutinio verò auriculari, dum duo conveniunt in scriptura, ei standum est, si omnes dissentiant, & convenire nequeant, iterandum est scrutinium. Pass. *n.* 67.

Quæstio 365. An, ubi pauciores sunt Electores, quàm quatuor, servari possit forma c. quia propter. *quoad danda & recipienda vota; & si non sint, quid faciendum in eo casu?*

Respondeo præter ea, quæ passim hac de re dicta sunt in antecedentibus:

1. Primò, tunc servari non posse formam, quia tunc iidem sunt scrutatores & collegium, adeóque nequit esse manifesta scrutatoribus, quin hoc ipso sit manifesta toti collegio; imò, ut benè Pass. *cit. c.* 18. *n.* 69. verè ibi non sunt scrutatores, sed totum collegium sua vota recipit & scrutatur.

2. Secundò, si potestas Capituli redacta est ad unum solum Electorem, opus non est nominatione & electione distinctis; sed poterit is nomine totius Capituli eodem actu nominare, eligere & publicare electionem, dicendo coram testibus (& majoris securitatis gratiâ adhibito insuper Notario) *vice Collegii eligo Titium.* Cuchus *de elect. l. 4. n.* 202. Donat. *tr. 1. q. 17. n. 7.* Pass. *n.* 70. Si autem & is solus de collegio habeat vocem passivam, cùm se ipsum eligere nequeat, non manet locus electioni; sed vel ille tunc censetur electus à jure, ita ut opus tantùm sit, electionem istam factam à jure confirmari à confirmatore, ut Cuch. *loc. cit. n.* 3. vel confirmator ipse dare illum debet in Prælatum Ecclesiæ, ut Sigism. *dub.* 23. *n.* 8. ubi eligendus debet esse de collegio; Superior enim, dum ad eum devolvitur electio, alium promovere nequit, quàm habentem requisitas in eligendo per Electores qualitates. Pass. *num.* 70. Quòd si autem adessent voce passivâ privati, quos Superior (ubi id posset) habilitaret denuò ad vocem passivam, non jam ipse Superior, sed is, penes quem solum remanserat jus eligendi, unum ex iis nominare posset. Pass. *n.* 71.

3. Tertiò, si duo tantùm sunt Electores, nec hi habere tenentur, aut possunt scrutinii leges, sed possunt publicè inter se eligere. Tuscus *Lit. E. concl.* 71. *&* 78. Lavor. *c.* 19. *n* 58. Pass. *n.* 72. sive enim eligere possunt aliquem extra Collegium, sive non, scrutinium semper erit inutile; cùm quisque eorum legeret alterius schedam, & sciret electionem illius non minùs, ac si voce facta esset. Porrò ubi extraneum eligere non possunt, poterit fieri electio valida. Peyr. *to. 3. c. 13. n.* 19. ubi nimirùm unus ex illis renunciat voci suæ activæ, & sic ab altero nominatur. Pass. *loc. cit.* Sigism. *dub.* 23. *n.* 5. Samuel. *de elect. tr. 1. d. 5. controv.* 8. *n.* 7. ubi tamen speciali statuto vel consuetudine statutum, ut quis nequeat vi renunciationis vocis suæ evadere electus, devolvitur tunc in dicto casu electio ad Superiorem, qui tamen non nisi unum ex istis duobus promovere poterit. Navar. *de elect. cons. 6. n.* 4. Sigism. & Pass. *ll. cit.*

4. Quartò, si tres tantùm sunt Electores, nec hi servare possunt leges scrutinii, dum extraneum eligere nequeunt, quocunque enim modo fiat, vota eligentium toti Capitulo erunt manifesta, ut benè ostendit Pass. *n.* 73. contra Sigism. *loc. cit. n.* 2. Idem est in scrutinio auriculari, etsi extraneum eligere possint, ut patet, tunc tamen in scrutinio per schedas, ubi fortè ad illud ex speciali statuto tenentur, cùm ex vi *c. quia propter.* aut Concilii Trident. ad istum scrutinii modum non teneantur. Pass. *n.* 74. Forma dicti capitis servari potest, ac debet; licèt enim & tunc, nisi Electores in scribendo ordinarium suum scribendi stylum seu characterem valdè mutent, vel manu alienâ scribant schedas suas, impedire nequeant, quin singuli aliis duobus, adeòque toti Capitulo innotescant; quia tamen sic sua nomina occultare possint, ni-

nihilominus tenebuntur ad leges scrutinii, Pass. *loc. cit.* Lavor. *c.* 19. *n.* 59.

Quæstio 366. *Qualiter terminetur & compleatur Scrutinium?*

Respondeo: Per hoc, quòd scrutatoribus vel omnibus eligentibus auditis, & omnium schedis lectis, vota omnium scripto adnotârint, distinctéque scripserint, à quot unusquisque Electorum nominatus fuerit.

PARAGRAPHUS X.

De publicatione Scrutinii, & Electione communi.

Quæstio 367. *Quid faciendum post completum scrutinium?*

Respondeo: Illud mox publicandum, *c. Quia propter.* Ita ut *mox* importet exiguam moram temporis, vel potiùs, quòd publicatio fieri debeat in continente, nullo actu extraneo interveniente, gl. *in c. Quia propter, ibid.* Barb. *n.* 25. Lavor. *loc. cit. n.* 82. Miran. *to.* 2. *q.* 23. *a.* 29. Pass. *c.* 19. *n.* 2. De cetero ubi mora illa à jure vel consuetudine (cui aliàs standum) determinata non est, verificanda ista dictio *mox* ad arbitrium judicis, habito respectu ad circumstantias, Lavor. Pass. *ll. cit.* Tusch. *l. d. concl.* 311. Sigism. *d.* 36. *n.* 4.

Quæstio 368. *Cui, à quo, qualiter, & quâ necessitate facienda hæc publicatio?*

1. Respondeo ad primum: Capitulo congregato; id enim intelligitur per verba illa *cap. Quia propter: Vota redacta in scriptis mox publicent in communi, &c.* Sylv. *v. Electio* 2. *n.* 9. ex Archid. Perinde autem est, an ibi tunc etiam simul adsint extranei, Pass. *n.* 4.

2. Respondeo ad secundum: Ab uno Scrutatorum, Suar. *to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 5. *num.* 15. cum communi, illo nimirum, qui est inter illos primus, vel qui ex illis à Capitulo ad hoc electus, vel per statuta particularia, aut consuetudinem deputatus fuerit, Pass. *loc. cit.*

3. Respondeo ad tertium: dicendo v. g. *habemus Prælatum: nam cùm essemus decem, Titius habuit sex vota, Caius duo, Sempronius unum, & unum votum fuit album, vel incertum & inutile;* sic enim vota determinatè describi & distribui debent, ut capitulum sciat, qualiter ad electionem procedere possit, Abb. Pass. & alii passim cum communi.

4. Respondeo ad quartum: Publicationem Scrutinii factam in communi esse de substantia & forma electionis, Abb. Host. Jo. And. *ad c. Quia propter,* Miran. Suar. Lavor. *ll. cit.* Pass. *n.* 3. & apud illum Castel. Donat. Tamb. &c.

Quæstio 369. *An, non obstantibus verbis istis* c. Quia propter: Vota mox publicentur, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto; *possit appellari à scrutinii publicatione?*

1. Respondeo primò: Antequam, vel etiam postquam vota redacta sint in scriptum, usque ad illud momentum, quo publicandum scrutinium, locum habet appellatio, & suspendit; dum nimirum volenti intra hoc tempus mutare suum votum, id denegatur, potest is protestari contra istam denegationem, & à futura publicatione scrutinii appellare, si fiat eo non permisso mutare votum suum. Similiter si Scrutatores ante completum Scrutinium (quale est dum vota finaliter redacta in scriptum, nullo apparente, qui mutare velit votum) vellent illud publicare, meritò Electores contradicerent, & à tali publicatione appellarent; & huic appellationi citatus textus non est contrarius; supponit enim Scrutinium finitum, quo finito, vi dicti textûs non licet appellare à publicatione Scrutinii, & facta fortè appellatio est rejicienda, Pass. *num.* 5. Biax. *p.* 2. *c.* 29. *n.* 1.

Respondeo secundò: Post publicatum Scrutinium, si Scrutatores omnes, vel etiam duo eorum, concordent in Scriptura, quæcùnque appellatio contra Scripturam rejicienda, & electionem communem procedendum, Pass. *n.* 6. ubi etiam monet, nullatenus publicandum Scrutinium dubium, ita etiam, ut si Scrutatores discordes (intellige omnes) publicent scrutinium, illud tanquam nullum sit iterandum. Adeóque Scrutatores discordantes in Scriptura, priusquam publicent scrutinium inter se convenire debere, ut concordent, saltem duo illorum, iterum legendo & conferendo schedas, vel si scrutinium fuit auriculare, revocando ad scrutinium unum vel alterum, de quorum votis fortè est diffidium; quòd si est impossibile nullatenus publicando nominatos in scrutinio; debere illos illud curare iterari.

Quæstio 370. *Qualis collatio, quâ ex causa, à quo, & qualiter habenda, intelligatur per verba illa textûs* c. Quia propter; ut is collatione habitâ eligatur?

1. Respondeo primò: Intelligi collationem numeri votorum, quæ nominatus habuit, ad numerum Electorum, seu eorum, qui in ista electione votum habuerunt, Abb. *in c. Ecclesia, n.* 3. Barb. *n.* 27. non habendo rationem illorum, qui à loco electionis recesserunt, Abb. *loc. cit.* nec eorum, qui dederunt vota alternativa, incerta, aut inutilia, *c. In electionibus, h. t.* vel schedam albam, quæ est voti renuntiatio, Pass. *num.* 11. Econtra habendo rationem non vocatorum contemptorum, juxta dicta in antecedentibus, Pass. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum: Fieri hanc collationem, ut procedi possit ad electionem communem, Pass. *n.* 15. dum nimirum instituitur, ut videatur, an numerus ille votorum alicui suffragantium sit æqualis numero eligentium, (qualis erit si quis ab omnibus fuerit nominatus) vel habet se ad hunc ut pars major ad minorem, uti se habebit, si quis electus fuerit à pluribus, seu majori parte Electorum; quorum alterutrum, nimirum ut quis nominatus sit, vel ab omnibus, vel saltem à majore parte supra medietatem totius numeri eligentium, necessariò requiritur ad hoc, ut quis sit, & censeatur electus, *c. Ecclesia vestra, de election. ibi.* Abb. *n.* 1. Barb. *n.* 5. idem *in c. Cumana, n.* 1. *ad c. Quia propter, n.* 27. Tamb. *d.* 5. *q.* 6. *n.* 20. Suar. *cit. l.* 2. *c.* 5. *n.* 22. Pass. *n.* 10. ubi etiam ait: Specialiter in Ordine Dominicanorum, si electus est de numero eligentium, requiri, ut duobus votis excedat medietatem votorum eligentium. Porrò censetur quoque ille nominatus à majore parte capituli, qui etiam dimidiâ solùm voce excedit medietatem votorum, v. gr. qui, dum vocales sunt novem, nominatus est à quinque, Abb. *in c. Cumana, h. t. n.* 9. *ibid.* Butrio. *n.* 15. Sigism. *dub.* 36. *n.* 8. Pass. *cit. c.* 19. *n.* 18. ubi etiam ait: In suo Ordine, ubi de cætero, ut paulò ante dictum, requiruntur duo supra medietatem vota, sufficere, dum novem sunt Electores, ut nominatus quis sit à sex, cùm tamen numerus senarius medietatem numeri novenarii non excedat, nisi ono & dimidio voto. Quòd si autem habitâ hac collatione, nullus inveniatur nominatus à majore parte capituli, repetendum est scrutinium toties, quoties opus fuerit, ut aliquis à majore parte nominatus fuerit: Etsi intra terminum juris Electores in majore parte non conveniant in uno, electio devolvitur ad Superiorem, argumento *c. Cùm terra, h. t.* Abb. *ad c. Ecclesia,* 57. *h. t. n.* 13. ex Jo. And. Pass. *n.* 18. contra gl. *ad c. Ecclesia,* & Barb. *ad idem c. n* 8. ex Titaq. censentes, quòd, si post secundum scrutinium iterum Electores in eligendo

gendo sint pares in omnibus, posse Superiorem gratificari uni parti Electorum, cui voluerit.

3. Respondeo ad tertium & quartum: Hanc collationem faciendam ab eo, cui capitulum commiserit, Abb. vel cui commissa à lege vel consuetudine. De cætero in electionibus habendis juxta decretum Trident. vel etiam, ubi ad electionem non requiritur, nisi quòd electus sit nominatus à majore parte capituli, & major pars Capituli semper præsumi debeat sanior, sine alia inquisitione & collatione, non fit nisi hæc collatio numeri ad numerum, & ea non distinguitur à publicatione scrutinii, pertinebit ea ad illum scrutatorem, cujus est publicatio scrutinii, Pass. *n.* 12. qui eam facit dicendo, v.g. *habemus scrutinium completum, vel etiam electionem; cùm enim simus triginta, viginti nominârunt Titium, sex Cajum, quatuor Sempronium, &c.*

4. Respondeo denique: Dictam collationem absolutè esse de substantia, & semper fieri debere, etiamsi electio sit unanimis, Barb. *ad* c. *Quia propter*, *n.* 27. Pass. *n.* 8. ubi addit: Collationem illam, quæ fieri potest inter nominatos in scrutinio, ut appareat, quis eorum à majore parte nominatus sit, non esse de substantia electionis, nisi in caso, in quo plures nominati sunt.

Quæstio 371. Num præterea opus sit collatione meriti unius partis eligentium ad meritum alterius partis eligentium, zeli ad zelum?

1. Respondeo primò: Opus non esse istâ collatione, dum quis eligitur ab omnibus, Sylv. *v. Electio.* Castel. c. 12. *n.* 11.

2. Respondeo secundò: Similiter ea opus non esse, ubi ad electionem non requiritur, nisi ut electus quia sit à majore parte Capituli, cùm major pars præsumi semper debeat sanior, Pass. *n.* 17.

3. Respondeo tertiò: Fieri etiam non posse in iis electionibus, in quibus nomina eligentium publicari non possunt, Pass. *n.* 7. qui & *n.* 8. addit, quòd licèt juxta jus antiquum in Ordine suo scrutinium auriculare esset in usu, & in publicatione scrutinii publicarentur nomina eligentium, adhuc tamen non fuisse solitum fieri, nisi collationem numeri ad numerum.

4. Respondeo quartò: In electionibus habitis per scrutinium auriculare, ubi in publicatione illius juxta morem antiquum publicantur quoque nomina eligentium, istam formam collationis meritorum ad merita præmittendam electioni communi, ait Pass. *n.* 8. *&* 16. & antiquitùs eum, qui collationem faciebat publicando Electorum alicui faventium nomina, simul capitulo proposuisse eorum merita vel demerita, bonam vel malam intentionem in eligendo, ita tamen, ut putet non allata, nisi quæ notoria, & quæ, si mala, salvâ caritate & justitiâ publicè in capitulo dici poterant, quamvis & hoc ipsum obnoxium esset gravibus rixis & inimicitiis.

5. Respondeo quintò: Dum plures electi conferendi sunt ad invicem, & videndum, quis eorum à majore & saniore parte electus, spectabit id ad confirmatorem; quia hujus est judicare de meritis electi, si electio eget confirmatione; vel ad illum Superiorem, ad quem haberi potest recursus, si aliquid contra idoneitatem electi objiciendum venit, Suar. *l.* 2. c. 5. *n.* 19. Tamb. *cit. d.* 5. c. 6. *n.* 15. vide Pass. *n.* 12.

6. Respondeo denique, dum plures simul nominati sunt à majore supra medietatem parte Capituli (possunt enim quandoque plures eligi una electione) non spectare ad Capitulum, conferre eorum merita ad invicem; tenetur enim illud tunc omnes eligere (intellige electione communi) & præsentare confirmatori, & licèt hic attendere debeat ad istorum electorum merita, eáque inter se conferre, poterit nihilominus quemcunque ex his electis confirmare, etiam non attentâ inæqualitate suffragiorum; cùm omnes sint electi à toto Capitulo, quotquot nominati sunt à majore supra medietatem parte, Pass. *n.* 13. quem vide.

Quæstio 372. Quænam electio comprehendatur his verbis c. Quia propter: Collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars capituli consenserit?

Respondeo: Non intelligitur electio illa, quæ fit, dum Electores in scrutinio dant votum suum, quæ vulgariter solùm dicitur electio, & est potius quid viale, ut ait Pass. *cit.* c. *19. n.* 20. imperfectum, & præparatorium ad electionem, per quod explicatur desiderium, & votum Electorum, & per quod non datur jus electo: sed actus ille solennis, per quem, completo & publicato scrutinio, seu electione illâ quasi privatâ, collegium, ac si esset una persona, sententialiter, definitivè, & irrevocabiliter eligit Prælatum, eique jus confert, Suar. *loc. cit. n.* 24. Tamb. *loc. cit. n.* 17. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 373. Quanta sit necessitas hujus electionis?

Respondeo: Tanta, ut si omittatur, electio sit nulla, & nominatus in scrutinio nequeat confirmari, *c. Quia propter*, c. *In Genesi.* Suar. *l. cit.* Biax. *p.* 3. *c.* 34. *n.* 2. Tamb. *de jure Abb. cit. d.* 5. *q.* 6. *n.* 7. Sigism. *dub.* 37. *n.* 1. Pass. *n.* 29. Cùm enim electio sit actus Collegii, nunquam est, nisi fiat à Collegio ut à Collegio, hoc est, ab una persona legali repræsentante totum Collegium; in scrutinio namque electores nominant, & eligunt, ut singuli, Pass. *ibid.*

Quæstio 374. De quo habendus hic actus?

Respondeo: Habendum esse, & haberi non posse, nisi de illo, vel illis (ubi plures eliguntur, ut ex illis unum seligat confirmator) qui vel à toto capitulo, vel à majore & saniore capituli parte in scrutinio nominati sunt, ita ut nunquam minor pars, etiamsi sit sanissima & prudentissima, sufficiat; cùm textus requirat copulativè majorem & saniorem partem: & quidem primo loco majorem, Abb. *ad* c. *Quia propter*, *n.* 7. *ibid.* Barb. *n.* 27. Biax. *de elect. p.* 3. *c.* 35. *n.* 2. Menoch. *de præsump. l.* 6. *præsump.* 5. *n.* 4. Mirand. *to.* 2. *q.* 23. *a.* 17. Suar. *loc. cit n.* 22. Pass. *n.* 21. Modò autem in electionibus, ubi nomina eligentium publicari non possunt, adeóque ignoretur, quæ pars sit sanior, vel minùs sana, solus numerus major attenditur, & sic semper habetur sanior, nisi fortè persona electa sit indigna, Sigism. de Bon. *de Elect. dub.* 38. *n.* 8. Laymr. *cit.* 4. c. 19. *n.* 8. Tamb. *to.* 1. *d.* 5? *q.*. 6. *n.* 21. Barb. *cit. n.* 27. Suar. *n.* 23. Pass. *loc. cit.* Estque idipsum specialiter insuper concessum Ordinibus aliquibus religiosis, aut ab iis specialiter statutum, adeóque in iis locum non habet quæstio illa de parte saniore, de quo vide Pass. *loc. cit.* Neque contrarium evincitur ex eo, quòd Gregorius IX. ut habetur c. *Ecclesia vestra*, *h. t.* ex duabus electionibus, quarum una constabat votis 14, altera 16, cassaverit hanc, eò quòd facta licèt à majore parte, non tamen à saniore; non enim hoc ipso confirmavit alteram constantem votis 14, uti malè supponit & infert gl. hoc namque in textu non habetur, Pass. *loc. cit.* Unde, dum in tali casu, dum dignoscitur (nimirum ubi nomina eligentium publicantur) quòd minor pars in qualitate sanioris quamvis multum excedat majorem, hæc in numero modicè excedat minorem, neutrius electionem confirmandam docet Suar. *loc. cit. c.* 5. *n.* 22. idem approbat Pass. *loc. cit.*

Quæstio 375. A quo habendus hic actus?

Respondeo: Solennem hanc electionem faciendam à toto Capitulo, hoc est, ab uno, qui totum capitulum in hoc actu repræsentet, c. *Sicut cum, h.t. in* 6. Hunc autem deputandum à Capitulo, docent aliqui cum Sigism. *dub.* 38. *n.* 5. alii cum Suar. *loc. cit. n.* 24. pertinere hoc ad Præsidem: alii cum Abb. *in c. Quia propter*, *n.* 11. & gl. *in cit. c. Sicut cum*,

sufficere ad hoc quemlibet de Capitulo hoc assumentem, Capitulo non contradicente; imò posse id facere extraneum nomine Capituli, tenent Biax. *p. 3. c. 33. n. 3.* Cuch. *de elect. n.* 270. Rodriq. *to. 2. q. 52. a.* 14. Verùm omne Collegium habere in hoc suam legem vel consuetudinem, determinantem illum, qui hoc agat, Paff. *n.* 25. ait.

Quæstio 376. *Qua forma facienda hæc electio?*

1. Respondeo primò: Facienda est ore & clarâ voce, nec sufficit factum aliud (nisi fortè in electionibus, in quibus servanda non est forma, *c. Quia propter.* Biax. *p. 3. c. 36. n. 2.* ex Abb.) quo in communi manifestetur eligentium consensus; ubi enim verba sunt de substantia (uti sunt in præsente *c. Quia propter*, & *c. Ecclesia vestra, h. t.*) non æqvivalent iis facta, Abb. *in cit. c. Ecclesia, n. 3.* Biax. *loc. cit.* Cuch. *l. 4. n.* 276.

2. Secundò fieri debet ab uno loquente in persona singulari, & propria dicendo: *Ego Titius vice, seu nomine præsentium Electorum eligo Caium.* Abb. *in c. In Genesi, n. 7.* & *in c. Quia propter, n. 2.* Biax. *c. 19. nn. 6.* Tusc. *l. E. concl. 75. n. 8.* Sigism. *dub. 38. n. 2.* Paff. *n.* 25. Quod enim fit ab uno nomine plurium, & ut repræsentatore usitatem plurium in uno Collegio per modum decreti & sententiæ, meliùs exprimitur in singulari; cùm unus sit, qui facit, & in quo resider facultas capituli, Paff. *loc. cit.* modùsque hic loquendi servandus absque differentia, sive electus quis fuerit unanimiter ab omnibus, sive à majore parte tantùm; sive ipse faciens hanc communem electionem illum, sive alium elegerit in scrutinio; quod enim fit à majore parte Capituli, censetur factum à toto capitulo; & jura volunt, ut nominatus à majore parte capituli à capitulo eligatur, Paff. *n.* 27. Non tamen videtur hic loquendi modus in singulari esse de substantia Electionis, ita ut si ille, qui nomine communi eligit, dicat: *Nos eligimus*, electio sit nulla; ex una enim parte jura nullibi decernunt, ut electionem illam communem faciens loquatur in singulari; ex altera parte non repugnat, quòd plurium consensus & Collegii voluntas exprimatur in plurali, Bald. *in c. In Genesi, n.* 7. Paff. *n.* 26. quinihilominus servandam ait consuetudinem, ut electio communis fiat per verbum *eligo* in singulari numero.

Quæstio 377. *Quando fieri debeat communis hæc electio?*

Respondeo: Statim post publicationem scrutinii & collationem factam, *c. Cùm post, h. t.* & in continentì, ita ut Capitulum non divertatur ad actus extraneos, Abb. *in cit. c. Cùm post, n.* 2. Biax. *p. 3. c. 33. n. 18.* Cuch. *l. 4. n.* 271. Sigism. *dub. 37. n. 3.* Paff. *n.* 30. qui interpositam tunc cantationem Missæ de Spiritu Sancto incongroam quidem dici; eò quòd electio illa communis de jure facienda necessariò est in personam illius, qui nominatus est à majore parte in scrutinio, non tamen vitiaturum electionem; multò minùs hanc vitiabit mora impensa in tractanda concordia inter Electores, ut minor pars accedat ad majorem, quod fieri potest, Biax. *c. 34. n. 2.* De cætero, quanta mora vitiet electionem, pertinebit ad æquum judicem arbitrari, Paff. *loc. cit.* Porrò, tunc dilatione electionis æquo longiore eandem irritandam, ita ut si post talem moram ea sequatur, nulla sit, ubi hæc dilatio facta ex ignorantia vel negligentia & ignavia eligentium, ait Paff. *n.* 31. citans Gemin. *in cap. Si confirmationem, h. t. in 6. n. 4.* Abb. Jo. And. *in c. Publicato.* Tolosan. *de elect. c. 17. n. 17. &c.* ubi verò facta hæc dilatio ob justam causam, vel etiam ex malitia & dolo in fraudem electi, compellendi sunt Electores (nimirum à confirmatore; eo ipso enim, quòd spectet ad eum confirmare, spectant etiam ad eum præambula ad confirmationem, eorùmque cognitio, Abb. *loc. cit.* Biax. *c. 34. n. 4.* Paff. *n.* 32.) ad eam faciendam, & valebit ea tunc secuta post tale dectetum Superioris. Potuit ipse quoque nominatus in scrutinio (absque omni etiam nota ambitionis, Biax. & Paff. *ll. cit.*) implorare ad hoc officium dicti confirmatoris, ut is compellat Electores ad electionem communem faciendam & publicandam; ad hoc enim jus habet, quo nullius dolo aut malitiâ privari potest, etsi ad ipsam confirmationem jus plenum non habeat. *c. publicato.* Paff. *n.* 31.

Quæstio 378. *Num igitur omissio, dilatio, vel quiscunque defectus electionis communis reddens illam irritam, irritet etiam omnia antecedentia, ita ut scrutinium ritè habitum & validum per hoc quoque invalidetur, & de novo repetendum?*

Respood. affirmativè Abb. *in c. publicato. n. 9.* Cuch. *l. 4. n.* 246. Sigism. *dub. 38. n. 7.* Paff. *cit. c. 19. n.* 33. contra Innoc. Archid. &c. falsò supponentes, ex scrutinio publicato nasci nominato jus ad confirmationem; dum enim valor actûs aut negotii in indivisibilitate formæ consistit, (uti contingit in negotio electionis) hæc vel tota inest; aut nihil de ea est, adeòque totum corruit, & nihil in eo est validum, & sic nullitas actûs posterioris, qui est de forma & substantia electionis, omnes actus præcedentes reddit nullos & iterandos. AA. iidem.

Quæstio 379. *An & qualiter electio communis publicanda?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. *c. quia propter.*

2. Respondeo ad secundum: per actum distinctum ab actu, quo ea fit coram Capitulo; hæc enim publicatio electionis communis est illa, de qua loquitur *c. quia propter*; proindenpus est aliâ, per quam ea publicetur populo vel Conventui toti. Paff. *n.* 34. Potest nihilominùs uno eodémque actu fieri hæc communis electio, & simol publicari hàc posteriore publicatione propriè dictâ; dum nimirùm electio communis fit publicè coram populo vel Conventu toto ad hoc coovocato. Sigism. *d. 38. n. 9.* Paff. *loc. cit.*

Quæstio 380. *Num igitur, si distincta illa solennis publicatio electionis facienda coram populo extra Capitulum, omittatur, vitietur, & irritetur electio?*

1. Respondeo primò: si omittatur in fraudem & odium Electi, noo vitiare electionem; jura enim non favent fraudibus, æquúmque est, ut innocens effectus non patiatur ex eo, quòd in odium illius aliqua solennitas electionis malitiosè omittatur. Host. Abb. Castel. &c. quos citat sequitùrque Paff. *n.* 35.

2. Respondeo secundò absolutè, præscindendo etiam à tali odio & fraude per occultationem electionis communis (etsi ea sit contra justitiam, utpote contra jus, quod habet populus seu universitas, de cujus Prælato agitur, habendi ab ipsis Electoribus notitiam illius, ut possit contra Electum excipere apud confirmatorem, Paff. *n.* 37.) non vitiandam electionem, Abb. *in c. quia propter*, Biax. *p. 3. c. 37. n. 4.* Sigism. *d. 38. n. 9.* & alii docentes, eam non esse de substantia electionis, (qualis foret, si electio non fiat collegialiter, si scrutinium non publicetur primò coram Capitulo, sed in occulto reveletur aliquibus tantùm, si electio communis non fiat publicè coram toto Capitulo, &c.) Estque adhuc ex eo simpliciter publica, quòd publicè in Capitulo facta & publicata. Paff. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: sed neque propterea cassanda est electio, etiam ad instantiam populi, cùm non sit de forma, sed accidentarium quid, consequens ad electionem ritè factam. Paff. *ibid.*

4. Respondeo quartò: peccare tamen graviter Electores

ctores dictam publicationem sine justa causa omittendo; tum quia, ut dictum, sit contra justitiam; tum quia eam præcipit Concil. Lateran. *cit. c. quia propter.* Pass. *ibid.* citans Abb. Host. Jo. And. & hinc corrigendi Electores ob eam omissam, eâque non publicatâ publicanda ab Electoribus, vel à confirmatore. Pass. *ibid.*

Quæstio 381. *Num ipse quoque ordo actuum, qui sunt partes electionis, prout expressus* in c. quia propter. *nimirùm, ut priùs assumantur scrutatores, dein fiat scrutinium, & hoc publicetur, ac denique collatione factâ, fiat electio communis, sit de substantia electionis, ita ut hæc sit nulla, si ordo hic non servetur, sed præponatur actus, qui loco posteriore faciendus exprimitur?*

Respond. affirmativè Abb. *in cap. quia propter. n.* 16. Biax. *p.* 3. *c.* 38. *n.* 1. Donat. *tr.* 1. *q.* 18. *n.* 23. Pass. *n.* 38.

PARAGRAPHUS XI.

De Electi consensu, & instrumento, seu scriptura Electionis.

Quæstio 382. *Num Electores teneantur postulare consensum nominati à majore parte Capituli?*

Respondeo affirmativè, quantùm est de jure communi. *c. cupientes. h. t. in* 6. quamvis hunc Canonem non nisi in electionibus ad Ecclesias Cathedrales & Regulares locum habere dicant Gl. *ibid. v. electiones.* & Franc. *n.* 2. Pass. *cap.* 20. *n.* 1. Dixi jure communi; nam ex statuto speciali vel consuetudine quorundam Ordinum (ut de Dominicanis testatur Pass. *n.* 10.) est, quòd Electi, etiamsi præsens sit, consensus non requiratur, eò quòd Religiosus, ut dicitur, non habeat in hoc velle aut nolle.

Quæstio 383. *Num Electores consensum nominati in scrutinio ante factam electionem communem, etiam post publicationem scrutinii, inquirere, & nominatus eum præstare possint?*

Respondeo negativè. Quin &, si id fiat, electionem ipso jure esse nullam. Abb. Innoc. Butr. *in c. cùm post. h. t. ibid.* Barb. *n.* 2. Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 13. *n.* 2. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 5. *q.* 22. *n.* 4. Sigism. *d.* 39. *n.* 1. Peyr. *in subd. q.* 1. *c.* 31. Pass. *v. electio. n.* 12. Pass. *loc. cit. n.* 3. Porrò cassandæ in dicto casu electionis ratio non est ambitio nominati, ut volunt Barb. & Sylv. (etsi enim ambitiosum præsumatur & sit, consentire propriæ electioni ante publicationem scrutinii, seu antequam constet, Electores sibi suffragatos esse; non est tamen ambitiosum aliquem, postquam ei aperto scrutinio constat, se à majore parte nominatum, adeóque judicatum idoneum Prælaturæ, consentire electioni suæ; cùm talis jam non consentiat, nisi vocatus à DEO & fratribus. Abb. *in c. cùm jure. h. t.* Pass. *n.* 5.) sed quia idipsum est contra formam *cap. quia propter.* utpote quod præcipiendo, ut habitâ collatione, mox nominatus à majore parte eligatur, vetat, ullo actu interposito, (qualis est tam inquisitio consensûs facta ab Electoribus, quàm consensus præstitus à nominato) collationem & electionem communem interrumpi & differri. Abb. *in c. cùm post petitam. n.* 4. Miran. *tom.* 2. *q.* 23. *a.* 29. Sigism. *loc. cit. n.* 3. Pass. *loc. cit.* Unde sequitur, etiamsi nominatus requisitus non consentiat, ex eo solùm electionem esse nullam, quòd priùs Electores exquisiverint consensum nominati. Argumento *c. cùm post.* ubi nulla fit mentio præstiti à nominato consensûs, sed solius consensûs requisiti, & cassatur ibi electio ob inordinatum in ea servatum processum, consistente hâc inordinatione in eo, quòd non fuerit servatus in ea ordo statutus *in c. quia propter.* ut nimirùm sine actu intermedio mox post collationem fiat electio. Pass. *n.* 7. contra Sigism. *dub.* 39. *n.* 4. Tametsi igitur quandoque sit utile, ante electionem explorare consensum eligendi, (intellige per requisitionem privatam non factam à Capitulo) ne in vanum fiat electio communis, (qualiter intelligendus est Abb. *in cit. c. cùm post.* & alii DD.) non licet tamen id facere velut ex officio & per publicam requisitionem Capituli, divertendo per actum istum intermedium ab electione; cùm immediatè ad eam est procedendum. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 384. *Quandònam igitur & qualiter (ubi consensus hic requirendus est) Electores teneantur illum requirere?*

1. Respondeo: intra octo dies à completa electione communi. *cit. c. cupientes, & ibi* DD. communiter. Si tamen hoc commodè facere possunt, de quo judicare erit judicis. Barb. *ad cit. c. cupientes. n.* 10. Pass. *n.* 11. Qui in præsente est confirmator, etiamsi is non sit ordinarius Superior, sed delegatus. Abb. *in c. publicato.*

2. Octo diebus illis elapsis, si Electores omiserint consensum illum exquirere, præsumuntur id fecisse ex dolo vel negligentia culpabili. Barb. *loc. cit.* puniontur autem pœnâ duplici, exclusione nimirùm à prosecutione processûs, & suspensione per tres annos continuos ab omnibus beneficiis, quæ habent in ea Ecclesia, pro qua fit electio. Barb. *loc. cit.* Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 5. *q.* 7. *n.* 50. Mirand. *tom.* 2. *q.* 23. *a.* 10. Pass. *n.* 12. Porrò lapsus temporis inducit præsumptionem culpæ contra omnes; unde nullus liberabitur à dicta pœna, nisi qui probaverit se innocentem ab ista negligentia. Gl. *v. culpabiles.* Pass. *n.* 14. Quin etiam negligentia missi ad præsentandum electionem electo redundat in mittentes, nempe Electores, si miserunt talem, qui non videbatur diligens. Gl. cit. & Gemin. *in cit. c. cupientes. n.* 5. Pass. *n.* 15.

Quæstio 385. *An sufficit Electores præsentare electionem Procuratori generali ipsius Electi?*

Respondeo negativè, nisi ubi Electus ipse infra tempus ratam habeat præsentationem; sufficit tamen, si præsentârint illam Procuratori ad hoc specialiter instituto.

Quæstio 386. *Qualiter Electus præstare debeat consensum suum, ne vitietur electio?*

1. Respondeo primò: si ante electionem communem requiratur ejus consensus, ita se gerere debet, ut non exprimat determinatè consensum suum in electionem; quamvis necesse non sit dicere: *Nolo eligi;* sed sufficiat dicere, v. g. *Obsequar voluntati DEI & Superiorum: Opto me esse dignum, ut eligar, &c.* Abb. *ad c. cùm post. n.* 5. Biax. *p.* 3. *c.* 42. *n.* 3. Sigism. *dub.* 39. *n.* 5. Pass. *n.* 16.

2. Respondeo secundò: dum post electionem requiritur consensus, statim determinatè consentire poterit, etsi honestum, ut id non nisi cum matura deliberatione faciat. Quòd si autem ex honestate & urbanitate dicat, se nolle consentire, non per hoc censendus est renunciare. Abb. Pass. *ll. cit.* Rota *decis.* 636. *recent.* Imò postquam semel verè dissentit, potest mutare voluntatem, & electionem acceptare, Electoribus persistentibus in priore voluntate. Sigism. & Pass. *ll. cit.* Sanch. *de matrim. l.* 5. *d.* 32. *n.* 2. Monet. *de commut. ult. vol. c.* 8. *n.* 845. ubi etiam renunciatione subsistente & admissâ potest renuncians reeligi. Paris. *de resignat. l.* 15. *q.* 1. *n.* 24. Pass. *n.* 25.

Qua-

sufficere ad hoc quemlibet de Capitulo hoc assumentem, Capitulo non contradicente; imò posse id facere eattaneum nomine Capituli, tenent Biaa. *p.* 3. *c.* 33. *n.* 3. Cuch. *de elect. n.* 270. Rodriq. *ra. a. q.* 52. *a.* 14. Verùm omne Collegium habere in hoc suam legem vel consuetudinem, determinantem illum, qui hoc agat, Pass. *n.* 25. ait.

Quæstio 376. Qua forma facienda hæc electio?

1. Respondeo primò: Facienda est ore & clarâ voce, nec sufficit factum aliud (nisi fortè in electionibus, in quibus servanda non est forma, *c. Quia propter.* Biaa. *p.* 3. *c.* 36. *n.* 2. ex Abb.) quo in communi manifestetur eligentium consensus; ubi enim verba sunt de substantia (uti sunt io præsente *c. Quia propter*, & *c. Ecclesia vestra, h. t.*) non æquivalent iis facta, Abb. *in cit. c. Ecclesia, n.* 3. Biax. *loc. cit.* Cuch. *l.* 4. *n.* 276.

2. Secundò fieri debet ab uno loquente in persona singulari, & propria dicendo: *Ego Titius vice, seu nomine præsentium Electorum eligo Cajum.* Abb. *in c. In Genesi, n.* 7. & *in c. Quia propter, n.* 2. Biax. *c.* 19. *nu.* 6. Tusc. *l. E. concl.* 75. *n.* 8. Sigism. *dub.* 38. *n.* 2. Pass. *n.* 25. Quod enim fit ab uno nomine plurium, & ut repræsentante unitatem plurium in uno Collegio per modum decreti & sententiæ, meliùs exprimitur in singulari; cùm unus sit, qui facit, & in quo residet facultas capituli, Pass. *loc. cit.* modúsque hic loquendi servandus absque differentia, sive electus quis fuerit unanimiter ab omnibus, sive à majore parte tantùm; sive ipse faciens hanc communem electionem illum, sive alium elegerit in scrutinio; quod enim fit à majore parte Capituli, censetur factum à toto capitulo; & jura volunt, ut nominatus à majore parte capituli à capitulo eligatur, Pass. *n.* 27. Non tamen videtur hic loquendi modus in singulari esse de substantia Electionis, ita ut si ille, qui nomine communi eligit, dicat: *Nos eligimus*, electio sit nulla; ex una enim parte jura nullibi decernunt, ut electionem illam communem faciens loquatur in singulari; ex altera parte non repugnat, quòd plurium consensus & Collegii voluntas exprimatur in plurali, Bald. *in c. In Genesi, n.* 7. Pass. *n.* 26. qui nihilominus servandam ait consuetudinem, ut electio communis fiat per verbum *eligo* in singulari numero.

Quæstio 377. Quando fieri debeat communis hæc electio?

Respondeo: Statim post publicationem scrutinii & collationem factam, *c. Cum post, h. t.* & in continenti, ita ut Capitulum non divertatur ad actus extraneos, Abb. *in cit. c. Cùm post, n.* 2. Biax. *p.* 3. *c.* 33. *n.* 18. Cuch. *l.* 4. *n.* 271. Sigism. *dub.* 37. *n.* 3. Pass. *n.* 30. qui interpositam tunc cantationem Missæ de Spiritu Sancto incongruam quidem dici; eò quòd electio illa communis de jure facienda necessariò est in personam illius, qui nominatus est à majore parte in scrutinio, non tamen vitiaturum electionem; moltò minùs hanc vitiabit mora impensa in tractanda concordia inter Electores, ut minor pars accedat ad majorem, quod fieri potest, Biaa. *c.* 34. *n.* 2. De cætero, quanta mora vitiet electionem, pertinebit ad æquum judicem arbitrari, Pass. *loc. cit.* Porrò, tunc dilatione electionis æquo longiore eandem irritandam, ita ut si post talem moram ea sequatur, nulla sit, ubi hæc dilatio facta ex ignorantia vel negligentia & ignavia eligentium, ait Pass. *n.* 31. citans Gemin. *in cap. Si confirmationem, h. t. in* 6. *n.* 4. Abb. Jo. And. *in c. Publicata.* Tolosan. *de elect. c.* 17. *n.* 17. *&c.* ubi verò facta hæc dilatio ob justam causam, vel etiam ex malitia & dolo in fraudem electi, compellendi sunt Electores (nimirum à confirmatore; eo ipso enim, quòd spectet ad eum confirmare, spectant etiam ad eum præambula ad confirmationem, eorúmque cognitio, Abb. *loc. cit.* Biax. *c.* 34. *n.* 4. Pass. *n.* 32.) ad eam faciendam, & valebit ea tunc secuta post tale decretum Superioris. Potuit ipse quoque nominatus in scrutinio (absque omni etiam nota ambitionis. Biax. & Pass. *ll. cit.*) implorare ad hoc officium dicti confirmatoris, ut is compellat Electores ad electionem communem faciendam & publicandam; ad hoc enim jus habet, quo nullius dolo aut malitiâ privari potest, etsi ad ipsam confirmationem jus plenum non habeat. *c. publicata.* Pass. *n.* 31.

Quæstio 378. Num igitur omissio, dilatio, vel quiscunque defectus electionis communis reddens illam irritam, irritet etiam omnia antecedentia, ita ut scrutinium ritè habitum & validum per hoc quoque invalidetur, & de novo repetendum?

Respond. affirmativè Abb. *in c publicato. n.* 9. Cuch. *l.* 4. *n.* 246. Sigism. *dub.* 38 *n.* 7. Pass. *cit. c.* 19. *n.* 33. contra Innoc. Archid. &c. falsò supponentes, ex scrutinio publicato nasci nominato jus ad confirmationem; dum enim valor actûs aut negotii in indivisibilitate formæ consistit, (uti contingit in negotio electionis) hæc vel tota inest; aut nihil de ea est, adeóque totum corruit, & nihil in eo est validum, & sic nullitas actûs posterioris, qui est de forma & substantia electionis, omnes actus præcedentes reddit nullos & iterandos. AA. iidem.

Quæstio 379. An & qualiter electio communis publicanda?

1. Respondeo ad primum affirmativè. *c. quia propter.*

2. Respondeo ad secundum: per actum distinctum ab actu, quo ea fit coram Capitulo; hæc enim publicatio electionis communis est illa, de qua loquitur *c. quia propter*; proinde opus est aliâ, per quam ea publicetur populo vel Conventui toti. Pass. *n.* 34. Potest nihilominùs uno eodémque actu fieri hæc communis electio, & simul publicari hâc posteriore publicatione propriè dictâ; dum nimirùm electio communis fit publicè coram populo vel Conventu toto ad hoc convocato. Sigism. *d.* 38. *n.* 9. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 380. Num igitur, si distincta illa solennis publicatio electionis facienda coram populo extra Capitulum, omittatur, vitietur, & irritetur electio?

1. Respondeo primò: si omittatur in fraudem & odium Electi, non vitiare electionem; jura enim non favent fraudibus, æquúmque est, ut innocens electus non patiatur ex eo, quòd in odium illius aliqua solennitas electionis malitiosè omittatur. Host. Abb. Castel. &c. quos citat sequitúrque Pass. *n.* 35.

2. Respondeo secundò absolutè, præscindendo etiam à tali odio & fraude per occultationem electionis communis (etsi ea sit contra justitiam, utpote contra jus, quod habet populus seu universitas, de cujus Prælato agitur, habendi ab ipsis Electoribus notitiam illius, ut possit contra Electum excipere apud confirmatorem. Pass. *n.* 37.) non vitiandam electionem. Abb. *in c. quia propter.* Biax. *p.* 3. *c.* 37. *n.* 4. Sigism. *d.* 38. *n.* 9. & alii docentes, eam non esse de substantia electionis, (qualis foret, si electio non fiat collegialiter, si scrutinium non publicetur primò coram Capitulo, sed in occulto reveletur aliquibus tantùm, si electio communis non fiat publicè coram toto Capitulo, &c.) Estque adhuc ex eo simpliciter publica, quòd publicè in Capitulo facta & publicata. Pass. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: sed neque propterea cassanda est electio, etiam ad instantiam populi, cùm non sit de forma, sed accidentarium quid, consequens ad electionem ritè factam. Pass. *ibid.*

4. Respondeo quartò: peccare tamen graviter Electores

ctores dictam publicationem sine justa causa omittendo; tum quia, ut dictum, sit contra justitiam; tum quia eam præcipit Concil. Lateran. *cit. c. quia propter.* Pass. *ibid.* citans Abb. Host. Jo. And. & hinc corrigendi Electores ob eam omissam, eâque non publicatâ publicanda ab Electoribus, vel à confirmatore. Pass. *ibid.*

Quæstio 381. *Num ipse quoque ordo actuum, qui sunt partes electionis, prout expressus* in c. quia propter. *nimirùm, ut prius assumantur scrutatores, dein fiat scrutinium, & hoc publicetur, ac denique collatione factâ, fiat electio communis, sit de substantia electionis, ita ut hæc sit nulla, si ordo hic non servetur, sed præponatur actus, qui loco posteriore faciendus exprimitur?*

Respond. affirmativè Abb. *in cap. quia propter. n.* 16. Biax. *p.* 3. *c.* 38. *n.* 1. Donat. *tr.* 1. *q.* 18. *n.* 23. Pass. *n.* 38.

PARAGRAPHUS XI.

De Electi consensu, & instrumento, seu scriptura Electionis.

Quæstio 382. *Num Electores teneantur postulare consensum nominati à majore parte Capituli?*

Respondeo affirmativè, quantùm est de jure communi. *c. cupientes. h. t. in* 6. quamvis hunc Canonem non nisi in electionibus ad Ecclesias Cathedrales & Regulares locum habere dicant Gl. *ibid. v. electiones.* & Franc. *n.* 2. Pass. *cap.* 20. *n.* 1. Dixi jure communi; nam ex statuto speciali vel consuetudine quorundam Ordinum (ut de Dominicanis testatur Pass. *n.* 10.) est, quòd Electi, etiamsi præsens sit, consensus non requiratur, eò quòd Religiosus, ut dicitur, non habeat in hoc velle aut nolle.

Quæstio 383. *Num Electores consensum nominati in scrutinio ante factam electionem communem, etiam post publicationem scrutinii, inquirere, & nominatus eum præstare possint?*

Respondeo negativè. Quin &, si id fiat, electionem ipso jure esse nullam. Abb. Innoc. Butr. *in c. cùm post. h. t. ibid.* Barb. *n.* 2. Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 13. *n.* 2. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 5. *q.* 22. *n.* 4. Sigism. *d.* 39. *n.* 1. Peyr. *in subd. q.* 1. *c.* 31. Pass. *v. electio. n.* 12. Pass. *loc. cit. n.* 3. Porrò cassandæ in dicto casu electionis ratio non est ambitio nominati, ut volunt Barb. & Sylv. (etsi enim ambitiosum præsumatur & sit, consentire propriæ electioni ante publicationem scrutinii, seu antequam constet, Electores sibi suffragatos esse; non est tamen ambitiosum aliquem, postquam ei aperto scrutinio constat, se à majore parte nominatum, adeóque judicatum idoneum Prælaturæ, consentire electioni suæ; cùm talis jam non consentiat, nisi vocatus à DEO & fratribus. Abb. *in c. cùm jure. h. t.* Pass. *n.* 5.) sed quia idipsum est contra formam *cap. quia propter.* utpote quod præcipiendo, ut habitâ collatione, mox nominatus à majore parte eligatur, vetat, ullo actu interposito, (qualis est tam inquisitio consensûs facta ab Electoribus, quàm consensus præstitus à nominato) collationem & electionem communem interrumpi & differri. Abb. *in c. cùm post petitam. n.* 4. Miran. *tom.* 2. *q.* 23. *a.* 29. Sigism. *loc. cit. n.* 3. Pass. *loc. cit.* Unde sequitur, etiamsi nominatus requisitus non consentiat, ex eo solùm electionem esse nullam, quòd priùs Electores exquisiverint consensum nominati. Argumento *c. cùm post.* ubi nulla fit mentio præstiti à nominato consensus, sed solius consensûs requisiti, & cassatur ibi electio ob inordinatum in ea servatum processum, consistente hâc inordinatione in eo, quòd non fuerit servatus in ea ordo statutus *in c. quia propter.* ut nimirùm sine actu intermedio mox post collationem fiat electio. Pass. *n.* 7. contra Sigism. *dub.* 39. *n.* 4. Tametsi igitur quandoque sit utile, ante electionem explorare consensum eligendi, (intellige per requisitionem privatam non factam à Capitulo) ne in vanum fiat electio communis, (qualiter intelligendus est Abb. *in cit. c. cùm post.* & alii DD.) non licet tamen id facere velut ex officio & per publicam requisitionem Capituli, divertendo per actum istum intermedium ab electione; cùm immediatè ad eam est procedendum. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 384. *Quandónam igitur & qualiter (ubi consensus hic requirendus est) Electores teneantur illum requirere?*

1. Respondeo: intra octo dies à completa electione communi. *cit. c. cupientes,* & *ibi* DD. communiter. Si tamen hoc commodè facere possint, de quo judicare erit judicis. Barb. *ad cit. c. cupientes. n.* 10. Pass. *n.* 11. Qui in præsente est confirmator, etiamsi is non sit ordinarius Superior, sed delegatus. Abb. *in c. publicato.*

2. Octo diebus illis elapsis, si Electores omiserint consensum illum exquirere, præsumuntur id fecisse ex dolo vel negligentia culpabili. Barb. *loc. cit.* puniuntur autem pœnâ duplici, exclusione nimirùm à prosecutione processûs, & suspensione per tres annos continuos ab omnibus beneficiis, quæ habent in ea Ecclesia, pro qua fit electio. Barb. *loc cit.* Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 5. *q.* 7. *n.* 50. Mirand. *tom.* 2. *q.* 23. *a.* 10. Pass. *n.* 12. Porrò lapsus temporis inducit præsumptionem culpæ contra omnes; unde nullus liberabitur à dicta pœna, nisi qui probaverit se innocentem ab ista negligentia. Gl. *v. culpabiles.* Pass. *n.* 14. Quin etiam negligentia missi ad præsentandum electionem electo redundat in mittentes, nempe Electores, si miserint talem, qui non videbatur diligens. Gl. cit. & Gemin. *in cit. c. cupientes. n.* 5. Pass. *n.* 15.

Quæstio 385. *An sufficit Electores præsentare electionem Procuratori generali ipsius Electi?*

Respondeo negativè, nisi ubi Electus ipse infra tempus ratam habeat præsentationem; sufficit tamen, si præsentârint illam Procuratori ad hoc specialiter instituto.

Quæstio 386. *Qualiter Electus præstare debeat consensum suum, ne vitietur electio?*

1. Respondeo primò: si ante electionem communem requiratur ejus consensus, ita se gerere debet, ut non exprimat determinatè consensum suum in electionem; quamvis necesse non sit dicere: *Nolo eligi;* sed sufficiat dicere, v. g. *Obsequar voluntati DEI & Superiorum: Opto me esse dignum, ut eligar, &c.* Abb. *ad c. cùm post. n.* 5. Biax. *p.* 3. *c.* 42. *n.* 3. Sigism. *dub.* 39. *n.* 5. Pass. *n.* 16.

2. Respondeo secundò: dum post electionem requiritur consensus, statim determinatè consentire poterit, etsi honestum, ut id non nisi cum matura deliberatione faciat. Quòd si autem ex honestate & urbanitate dicat, se nolle consentire, non per hoc censendus est renunciare. Abb. Pass. *ll. cit.* Rota *decis.* 636. *recent.* Imò postquam semel verè dissentit, potest mutare voluntatem, & electionem acceptare, Electoribus persistentibus in priore voluntate. Sigism. & Pass. *ll. cit.* Sanch. *de matrim. l.* 5. *d.* 32. *n.* 2. Monet. *de commut. ult. vol. c.* 8. *n.* 845. uti etiam renunciatione subsistente & admissâ potest renuncians reeligi. Paris. *de resignat. l.* 15. *q.* 1. *n.* 24. Pass. *n.* 25.

Quæ-

Quaestio 387. Num electus sine licentia Superioris possit ante confirmationem renunciare electioni in manibus eligentium?

Respondeo: Id eum posse, etiam postquam consensit electioni, re adhuc integra, hoc est, antequam confirmator receperit instrumentum seu decretum electionis missum ad confirmatorem; possetque tunc Electores alium eligere, nullâ aliâ licentiâ vel decreto confirmatoris exspectato, Abb. *in c. Quia propter, n.* 5. Sigism. *loc. cit. n.*8. Pasif. *de resignat. l.* 1. *q.* 1. *n.*78. Pass. *n.* 17. citans plures alios. Re verò non amplius integra, eò quòd decretum dictum & negotium jam delatum ad confirmatorem, si electus renunciet, non possunt Electores absque confirmatoris licentia procedere ad novam electionem, AA. iidem. Verùmque id est sive aliquid opponatur electioni, quod eam vitiet, sive non, Pass. *n.* 18. contra Sigism. *loc. cit. n.* 10.

Quaestio 388. Num idem teneat in Religiosis?

Respondeo: Affirmativè, nisi obstet speciale statutum; potest enim quilibet renunciare juri suo, nisi oppositum sit illi injunctum à Superiore suo, Pass. *n.* 19. tantùmque Religiosus non habet velle vel nolle contra vel ultra voluntatem Superioris; ubi autem contrarium non constat, Superior praesumitur velle, quod volunt juta, ac se conformare cum eorum dispositione, Gonz. *ad reg. 8. cancell. Gl.* 4. *n.* 166. Adeòque ad hoc, ut Religiosus electioni intra Monasterium possit renunciare, sufficit, quòd Superior id facere non vetet, Suar. *tom.* 4. *d.* 46. *s.* 1. *n.* 12. Sigism. *loc. cit. n.* 14.

Quaestio 389. Intra quantum tempus Electus consentire debeat electioni?

Respondeo: Intra mensem à die electionis sibi praesentata, quo elapso, si non consenserit, amittit jus quaesitum ex electione, & vacat Praelatura, Barb. *ad c. Quàm sit, h. t. in 6. n.* 3. Gonz. *loc. cit. gl.* 15. *n.* 50. Castel. *c.* 14. *n.* 40. Pass. *n.* 23. Quòd tamen locum non habet, ubi Electus consentire nequit absque licentia Superioris; necesse enim est tunc, electum vel Electores quàm citiùs hanc licentiam petere, determinandumque est tempus licentiae hujus obtinendae arbitrio judicis, spectatâ distantiâ loci, in quo moratur Superior. Et si in congruo tempore non obtineatur licentia, vacat Ecclesia, possuntque Electores alium eligere, Pass. *loc. cit.* Potrò competit Electo adhuc integer mensis ab obtenta licentia ad consentiendum, Biaa. *p.* 3. *c.* 24. Peyr. *tom.* 3. *c.* 9. *n.* 21. Pass. *l. cit.* citans Boër.

Quaestio 390. Quid sit decretum, seu instrumentum Electionis?

Respondeo: esse scripturam continentem ab initio ad finem totam electionis seriem; seu esse scriptam dispositionem & ordinationem totius electionis principaliter consistentis in eo actu, quo unus Electorum per modum decernentis, definientis, & sententialiter eligentis nominatim in scrutinio à majore parte Capituli nomine ejusdem eligit. Gl. *in c. innotuit. v. decreto. ibid.* Abb. *n.* 13. Hanc scripturam in suo Ordine ait Pass. *c.* 21. *n.* 1. dici scrutinium, quia continet totum ordinem scrutinii.

Quaestio 391. Num hoc decretum scriptum sit de substantia Electionis?

Respondeo negativè; tametsi enim de substantia Electionis sit, ut ipsa innotescat confirmatori, quantùm opus est, ut de ea judicet, & illam aut confirmare, vel cassare valeat; per accidens tamen est, quòd confirmator accipiat hanc notitiam per scripturam potiùs, quàm per relationem oretenus factam à testibus, scrutatoribus, vel Electoribus, facientibus fidem de processu electionis. Barb. *ad c. innotuit. n.* 17. *ibid.* Abb. *n.* 16. Host. Imol. Castel. *c.* 12. *n.* 25. & 30. Sigism. *dub.* 41. *n.* 2. Pass. *n.* 2. cum communi contra Gl. *in c. innotuit.* Sed neque necesse est, ut simul cum decreto electionis mittantur ad confirmatorem personae aliquae ex iis, quae electioni interfuerunt, ut Superior per eas de persona electi, forma electionis & studiis eligentium informetur; etsi enim id fundamentum habere videtur *in c. cupientes*; rectiùs tamen dicitur, id solùm innui ob majorem cautelam, Abb. *ad cit. c. innotuit. n.* 14. Quin & in *cit. textu* non esse sermonem, nisi de electionibus confirmandis à summo Pontifice, Pass. *n.* 3.

Quaestio 392. A quibus necesse sit subscriptum esse hoc decretum?

1. Respondeo primò: in electionibus non regularium ordinarium quidem esse, non tamen necessarium, ut omnes Electores subscribant, hâc v. g. formâ: *Ego Titius Canonicus S. Petri interfui huic electioni, consensi, & propriâ manu subscripsi*, docet Innoc. *in c. innotuit. h. t. n.* 3. contra Sigism. *loc. cit. n.* 7. & Lavot. *c.* 19. *n.* 102. apud Pass. *n.* 4. docentes, id esse necessarium.

2. Respondeo secundò: ut hoc decretum plenam fidem faciat, praescindendo à speciali statuto vel consuetudine, non est necessarium, ut sit subscriptum à Notario publico coram testibus, uti vult Sigism. *dub.* 4. *n.* 9. ita etiam, ut hi interfuerint processui electionis, omniaque in eo acta viderint; sed sufficit, scriptum esse à Scrutatoribus, ubi hi à lege assumuntur & deputantur ut Tabelliones ad conscribendum processum electionis; sunt enim hoc ipso personae publicae, scribentes ex officio, adeòque ex hac auctoritate publica plenam fidem facientes, absque eo etiam, quòd opus tunc sit testibus; majorem enim fidem merentur tres personae ex publico officio scribentes, quàm unus Notarius & duo testes: quin & hi ipsi Scrutatores, Argumento *c. cùm dilectus.* habent officium testium: siquidem & Notarii testes sunt, sed publici, Cast. *de elect. c.* 1. *n.* 30. Pass. *n.* 6. & 7. qui tamen etiam *n.*9. addit, in eo casu nimirùm, dum Scrutatores ex lege conscribunt decretum electionis, necessarium esse, ut apponatur Sigillum Collegii vel Conventûs: dum autem Notarius alius publicus conscripsit hoc decretum, & apposuit Sigillum sui Tabellionatus, opus non esse, ut insuper apponatur Sigillum Collegii.

3. Respondeo tertiò in genere: ut instrumentum electionis plenam fidem faciat, debere esse confectum juxta leges cujuscunque Collegii, auctoritate Apostolicâ approbatas, ita ut, ubi ex lege aut stylo assumendus est Tabellio, hoc servandum sit; ubi autem Scrutatores ipsi hoc munere funguntur, per eos, & non per alium Notarium confici debere instrumentum hoc, Pass. *n.* 11. de caetero assumi quoque potest in Notarium laicus, Abb. *in c. innotuit. n.* 15.

PARAGRAPHUS XII.

De Electione per compromissum & communem inspirationem.

Quaestio 393. Num Electio per compromissum sit licita?

1. Respondeo primò negativè quoad Regulares: pro his enim hic modus eligendi reprobatur per Trident. *sess.* 25. *de Regul. c.* 6. Pass. *c.* 22. *n.* 2.

2. Respondeo secundò quoad Clericos alios affirmativè: pro his enim approbatur haec forma eligendi *in c. quia propter.* his verbis: *Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur*, (nimirùm ab Electoribus) *qui vice omnium Ecclesiae viduatae*

ta prospiciant de Pastore, &c. Meliùs autem committitur hæc potestas aliquibus in numero impari. c. in causis. c. cùm dilectus. c. cùm in jure. h. t. Potest etiam committi uni. Abb. in c. in causis. n. 2. Butrio in c. cùm dilectus. n. 2. Quin & meliùs committitur uni. Pass. n. 3. Qui etiam esse potest non Prælatus, etiam ipse confirmator. Pass. loc. cit. Etiam mas respectu monialium. c. causam. h. t. Pass. n. 3. Poterit quoque Capitulum aliquos eligere, per quos eligantur compromissarii, electi vice Capituli. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. n. 6. Sigism. dub. 20. n. 2. Miran. tom. 2. q. 23. a. 34. Pass. loc. cit. Porrò dum tres electi seu constituti compromissarii sub hac verborum forma: Dantes eis, & cuilibet eorum, potestatem eligendi, &c. illorum quilibet censetur institutus in solidum, Gemin. ad c. cùm expediat. h. t. in 6. n. 7. primoque electus ab uno illorum est confirmandus. Gemin. loc. cit. Pass. n. 4.

Quæstio 394. An Compromissarii debeant esse Clerici, & de Capitulo?

1. Respondeo ad primum affirmativè, Gl. in c. quia propter.

2. Respondeo ad secundum negativè. c. causam. h. t. ibidem. Abb. & Butrio, Biax. p. 3. c. 17. Sigism. loc. cit. n. 1. Pass. n. 3.

Quæstio 395. Quotuplex sit compromissum?

Respondeo: duplex, aliud absolutum, dum Electores absolutè & sine limitatione compromittunt in aliquos, ut eligant, quem voluerint. c. in causis. c. causam. h. t. Aliud limitatum, quo compromittitur limitatè, ut, scilicet compromissarii, auditis omnibus vocalibus, eligant illum, in quem major pars Electorum convenerit, de hoc compromisso sermo est in c. cùm dilectus. c. si cui, & cap. cùm expediat. h. t. ubi sumque est hoc compromissum, ut decernitur c. si cui. Dum Electores facultatem dant Compromissariis eligendi illum, qui fuerit à pluribus Electorum, non tamen constituentibus majorem partem Capituli nominatus. Laym. de Elect. q. 85. Pass. n. 5. Porrò hoc compromissum limitatum est forma quædam electionis mixta, nimirùm ex scrutinio & compromisso, etsi principaliter dicatur forma compromissi. Gl. in c. cùm expediat. v. exquisitis. Gemin. ibid. n. 7. Adeòque Electores in nominando compromissariis illo, quem eligi volunt, accuratè servare debent leges scrutinii statutas cap. quia propter. Pass. n. 7. (non tamen ipsa nominatio compromissariorum subjecta est scrutinii legibus, sed potest fieri vivâ voce, ubi id specialiter prohibitum non est, vel per fabas aliove modo. Pass. n. 18.) erit enim aliàs forma eligendi distincta ab illis tribus statutis in c. quia propter. adeòque reprobata & nulla, juxta cap. si cui. Unde, si compromissarii unum de Collegio ab omnibus nominatum elegerunt, non exquisito illius voto, & hic electus consensit electioni, electio erit nulla, quia de ratione scrutinii est, ut vota omnium Electorum inquirantur. Pass. n. 10. Item nulla est electio, si compromittant Electores, ut determinatè eligatur talis; talis enim nominatur extra scrutinium, quod non valet; secùs tamen est, dum à se nominatum in scrutinio determinatè compromittunt eligendum. Item nulla est Electio, si statuantur compromissarii, limitando eis electionem, ita v. g. ut eligant unum ex tribus, quos tres de Capitulo nominabunt, quia hæc est forma non expressa in c. quia propter. Omnis autem forma ibi non expressa est nulla. c. si cui. Econtrà autem si dictæ leges scrutinii serventur, non tamen erit forma distincta ab illis tribus, quàm integrata ex earum duabus & minimè contraria illis species. Gemin. in c. cùm expediat. h. t. in 6. Pass. n. 7. Qui etiam n. 15. & 16. rectè observat, in hoc compromisso limitato non compromitti nisi electionem communem, vel ad summum publicationem scrutinii, & collationem, siquidem nominare in scrutinio eligendum sibi reservant Electores, & compromissario non conceditur facultas, nisi eligendi nominatum à majore & saniore parte; distingui nihilominùs adhuc à forma scrutinii pura per hoc, quòd in electione per scrutinium is, cui committitur electio communis, eligat vice præsentium Electorum: in dicto autem compromisso eligat vice propriâ, & aliorum compromissariorum, si eorum sint plures, cùm facultas talis electionis à Capitulo transferatur in compromissarios. Unde etiam licèt, ubi in forma scrutinii puta à lege determinatus est, qui faciat electionem communem, non possit ea committi alteri, possit tamen per viam compromissi deferri alteri, dum compromissum non est quoque prohibitum. Observandum etiam quoad hoc compromissum limitatum, quòd, ubi singulorum Electorum vota exquiri debent per ipsos compromissarios, plures necessariò constitui debent, & tot, quot ex jure necessarii sunt scrutatores: nam tunc hi compromissarii sunt ipsi Scrutatores electionis; Si verò compromittitur sola electio illius, qui ex scrutinio facto ab aliis & publicato inventus fuerit nominatus à majore & saniore parte, unus solus constitui possit compromissarius; quin &, ut Pass. n. 17. ad hunc effectum ineptè statuuntur plures. Observandum denique in hoc compromisso, non habere locum accessum, adeòque à Compromissario eligi non poterit is, qui cùm in scrutinio nominatus non esset à majore parte, tot tamen post scrutinium ad eum accedunt, ut jam evadat nominatus à majore parte; cùm vota data extra scrutinium non valeant. Vide de hoc Pass. n. 9.

Quæstio 396. Num valeat compromissum aliquo Electorum contradicente?

1. Respondeo primò negativè de compromisso absoluto; nullus enim tenetur cedere jure suo: quilibet autem Electorum habet jus eligendi. Abb. in cap. scriptum. h. t. n. 3. & in c. in causis. n. 30. Franc. & Butrio in cap. quia propter. Biax. p. 3. c. 18. n. 1. Lamb. de jurep. l. 2. p. 2. q. 2. a. 17. Sigism. dub. 10. n. 31. Pass. n. 19.

2. Resp. secundò: de compromisso limitato sufficere, quòd in electione compromissariorum consentiat major pars, cùm in isto modo electionis nulli fiat injuria, dum unusquisque nominare potest personam, quam vult, & compromissarii nequeant eligere, nisi nominatum à majore parte Capituli. Gemin. & Franc. in c. cùm expediat. & plures alii, quos citat Pass. & sequitur n. 20.

Quæstio 397. Quæ sint substantialia electionis per compromissum?

1. Respondeo primò in genere: ea omninò necessaria esse, quæ necessaria sunt ad electionem in genere; quod enim est necessarium generi, necessarium etiam est speciei. Pass. n. 21.

2. Respondeo secundò in specie: necessarium esse primò, ut compromissum in genere compromissi sit validum. Secundò, ut compromissarii non excedant formam compromissi, & potestatis sibi commissæ. Tertiò, ut electio communis fiat ab eorum uno, dum plures sunt. cap. sicut. h. t. in 6. idque per verba numeri singularis, sicut & in electione per scrutinium. Pass. n. 22. Quartò, ut in decreto electionis unus ex compromissariis dicat: Ego Titius vice meâ & sociorum compromissariorum (si sunt plures) virtute compromissi eligo Cajum. Pass. n. 24. Quintò, ut compromissarii non eligant, nisi collegialiter unitis præsentibus, scilicet, qui debent, volunt & possunt commodè interesse. Pass. loc. cit. Sextò, ut eligantur compromissarii (subintellige in compromisso absoluto) ab omnibus, nemine Electorum contradicente. Pass. n. 22.

Quæstio 398. An Electores possint revocare commissionem datam Compromissariis?

1. Respondeo: id eos posse, re adhuc integrâ; secùs re non ampliùs integrâ. Sigism. c. in causis. ibid.

ibid. Abb. *n.* 11. Barb. *n.* 4. Mirand. *t.* 2. *q.* 23. *a.* 34. *concl.* 3. Sigism. *dub.* 20. *n.* 7. Pass. *n.* 25. cum communi contra Gl. *in c. in causis.* tum autem res in præsente materia adhuc est integra, cùm promissarii nondum attigerunt substantialia negotii, omnium dum necdum cœperunt tractare de persona eligenda, licèt inceperint actus quosdam alios, qui tantùm sunt de solennitate, v. g. cantare missam de Spiritu sancto. Barb. Sigism. *ll. cit.* Pass. *n.* 26. Porrò etiam re adhuc integrâ revocari non potest data potestas compromissariorum, nisi à majore parte Capituli. Abb. *in c. in causis. n.* 16. Felin. *in c.* 1. *de major. & obed.* Sigism. *l. cit.* Pass. *n.* 27. remanente semper apud minorem partem facultate rationabiliter opponendi contra defectus compromissariorum. Pass. *loc. cit.* qui tamen etiam præcisè ob infamiam post facti rejici non poterunt, cùm hæc infamia non vitiet electionem. Sigism. *loc. cit. n.* 11. Pass. *n.* 28. Sed neque re adhuc integrâ, etiam à majore parte revocari potest compromissum, dum data est compromissariis facultas ista gratiâ & favore ipsorum, nimirùm ut Electores illos hâc ratione honorent; (in dubio autem non censetur illis hoc modo donata hæc potestas. Lavor. *c.* 19. *n.* 23.) habet se enim tunc hæc collatio per modum donationis irrevocabilis. Abb. & Gl. *in cap. in causis.* Biax. *p.* 3. *c.* 19. *n.* 2. Pass. *num.* 30.

2. De cætero, ut potestas hæc re integrâ adimatur compromissariis, requiritur revocatio expressa, intimata compromissariis. Abb. *in c. in causis.* Biax. *loc. cit. n.* 3. Pass. *n.* 31. nec sufficit revocatio tacita, nisi in hoc casu, dum Capitulum re adhuc integrâ prius eligeret, quàm compromissarii incepissent tractare de electione, cùm re integrâ potestas adhuc remaneat apud Capitulum; unde dum illud tunc eligendo utitur potestate suâ, locum non habet electio subsecuta compromissariorum, licèt hi electionem à Capitulo factam ignoràssent. Biax. & Pass. *ll. cit.*

Quæstio 399. *An compromissum sit validum, si compromissarii eligantur à Superiore, vel ab uno aliquo Capitulari, reliquis tacentibus, & non repugnantibus?*

Respondeo negativè: in rebus enim arduis magnæque importantiæ debent omnes singulatim interrogari, & expressè consentire, & in re onerosa & gravi taciturnitas non habetur pro consensu. Abb. *in c. in causis. n.* 3. Biax. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 2. Lambert. *loc. cit. a.* 17. Sigism. *dub.* 22. *n.* 1. Pass. *n.* 32. Verùmque idipsum est, etiamsi singuli de Capitulo vocarentur, sed non daretur eis intervallum, in quo nedum possent respondere, sed commodè & prudenter deliberare & contradicere, quia taciturnitas post responsionem non statim habetur pro consensu. Innoc. *in c. cùm in cunctis. h. t.* Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. gl.* 46. *n.* 40. Sigism. *dub.* 22. *n.* 4. Pass. *n.* 35. citans quamplurimos alios. Neque obstat, quòd, ubi in Capitulo tractatur aliquid illicitum & damnabile, qui sunt in Capitulo, teneantur illud expressè contradicere; nam hoc ad summum verum est, quantùm ad vitandam culpam: sed nec hæc incurritur, aut tacens haberi potest pro consentiente, dum Capitulatis tacet, quia videt se loquendo nihil profecturum, vel à numero sufficiente vocalium negotium illicitum jam esse conclusum. Abb. *in c. in causis.* Pass. *n.* 37. citans Biax.

Quæstio 400. *An, ubi unus solus est compromissarius, is possit se ipsum eligere?*

Respond. negativè. Gl. *in c. cùm in jure. h. t.* Pass. *n.* 38. cum communi. Verùmque idipsum est, etiamsi compromissarius jurâsset se electurum digniorem, & ipse esset evidenter melior; censeretur enim adhuc ambitiosus, & hinc repellendus. *c. in Scripturis.* 8. *q.* 1. Pass. *n.* 39. Neque ipse cadit sub isto juramento, sed intelligitur exceptus. Pass. *ibi.* quia in generali sermone loquens non comprehenditur. *c. petitio. de jurejur.* Gl. *in c. cùm in jure.*

Quæstio 401. *Num ubi compromissarii sunt plures, possint eligere unum ex suis, seu ex se ipsis?*

1. Respondeo primò: si compromissum sub hac forma, ut compromissariorum unus possit eligi, valebit ista electio. *c. cùm in jure. h. t.* Imò sufficiet, quòd sit electus à medietate aliorum compromissariorum, & ipse consentiat electioni; consentiendo námque augebit numerum suffragiorum, ita ut jam evadat Electus à majore parte supra medietatem. *cit. c. cùm in jure.* Verùm intelligendum hoc de electione, in qua servanda non est forma *cap. quia propter.* nam tunc, si electio fiat per vota publica, is, qui se videt Electum à medietate eligentium, potest suo consensu augere numerum, absque eo, quod ex hoc ambitiosus censeatur; si autem fiat per vota secreta, poterit adhuc publicatis votis, mutato voto suo, consentiendo suæ nominationi, accedere ad medietatem, & sic augere numerum. Sylv. *v. Electio. n.* 20. Pass. *n.* 42.

2. Respondeo secundò: si forma compromissi est exclusiva, nimirùm ut nullus compromissariorum eligatur, non valebit talis electio. Pass. *n.* 43.

3. Respondeo tertiò: si compromittendo nec expressè datur facultas eligendi unum ex compromissariis, nec illa facultas expressè adimitur, valere adhuc talem electionem. Lavor. *cap.* 19. *n.* 36. Pass. *n.* 43. citans Abb. Archid. Innoc. Host. contra Sylv. Tancred. &c.

Quæstio 402. *Num, si major pars compromissariorum eligat sciènter indignum, minor verò pars vel etiam unus solus dignum, valeat hujus minoris partis electio? An verò cesset compromissum, & electio redeat ad Electores?*

1. Respondeo: non valere tunc electionem, eámque tunc redire ad Capitulum. Sylv. *v. electio. q.* 2. *n.* 25. Lavor. *de elect. c.* 21. *n.* 51. Pass. *n.* 46. contra Abb. *in c. cùm in jure. n.* 7. Tabienam *v. electio. q.* 2. *n.* 6. & alios censentes in isto casu majore parte compromissariorum privatâ voce (nam & hi eligentes scienter indignum privantur potestate eligendi. *c. si compromissarius. h. t. in* 6.) electionem factam à minore parte dici posse factam ab omnibus, neque delictum majoris partis debere nocere minori parti, ita ut potestas data redeat ad Capitulum; Verùm ratio responsionis est, quòd cùm Electores ideo elegerint tres v. g. compromissarios, quia noluerunt ligari ad unum, seu confidere judicio unius solius, electio digni facta ab uno non est secundùm formam compromissi; adeóque etiam isti uni vel minori parti non fit injuria, quia jam non adimitur illi, quod ei datum fuerat: quippe non compromiserunt Electores stare illius solius judicio. Pass. *l. cit.*

2. Porrò redire quoque potestatem eligendi ad Capitulum, dum compromissarii ignoranter elegerunt indignum, tenet Sylv. *loc. cit.* Barb. &c. *ad c. si compromissarius. n.* 2. Cuch. *l.* 4. *c.* 38. & quod hinc infert Pass. *n.* 47. in genere, quoticunque electio facta à compromissariis, est ipso jure nulla, si eam potestatem Capitulum non ratificet, rediitque ea iterùm ad Capitulum, & potest hoc iterùm eligere, non exspectato confirmatoris judicio; si tamen necdum exspiraverit tempus datum Electoribus ad eligendum. Pass. *loc. cit.* Si enim compromissarii non eligant intra tempus statutum, electio devolvitur ad Superiorem. *c. si compromissarius. h. t. in* 6. Lavor. *loc. cit.* Pass. *n.* 48. Ad hæc compromissarii eligentes indignum puniuntur suspensione per triennium ab omnibus beneficiis, quæ obtinent in Ecclesia, quam eligendo indignum offenderunt, quæ tamen pœna locum non habet, nisi in electione Episcopi, vel Episco-

Episcopo Superioris, neque etiam in alia ectione, si compromissarius sit Episcopus. *cit. c. si compromissarius. h. t. in 6. ibidem.* Barb. *n.* 7. Pass. *n.* 49.

Quæstio 403. Num si Electus per compromissum non consentiat electioni, redeat ad Electores?

Respondeo affirmativè. *cap. si compromissarius.* Cuch. Sigism. Barb. apud Pass. *n.* 50.

Quæstio 404. Num compromissarii possint eligere extraneum?

Respondeo: etsi meliùs sit cæteris paribus eligere de gremio. *c. quod sicut. h. t.* absolutè tamen possunt eligere personam de quocunque loco, si nec à lege aut consuetudine, nec ex forma compromissi (quæ lex vel forma aliàs servanda est) sint ligati. Sylv. *loc. cit. n.* 26. Pass. *n.* 51.

Quæstio 405. Num, si ipse confirmator sit compromissarius, possit uno eodémque actu eligere & confirmare?

Respondeo: negat Abb. *in c. causam. h. t. n.* 6. Jo. Andr. Butrio. Sylv. eò quòd eligere & confirmare conveniat tunc confirmatori ex diverso jure. Affirmat econtrà Pass. *n.* 52. eò quòd ex distinctis virtutibus possit procedere idem actus, habens ab utroque valorem, & institutio simul sit electio, fiátque frustrà per plura, quod potest fieri per pauciora; sic itaque posse Episcopum compromissarium uno actu simul eligere & instituere, v. g. Abbatissam.

Quæstio 406. Num Regulares possint compromittere in Superiorem?

1. Respondet affirmativè Peyr. *tom.* 3. *c.* 3. *n.* 8. citans Abb. & alios. Respondet negativè Pass. *n.* 53. eò quòd sustineat & probet Regulares vi Concilii Trid. non posse eligere per formam compromissi.

Quæstio 407. Quænam sint de substantia electionis per communem inspirationem?

Respondeo: primò fieri debet ab omnibus Electoribus, nemine non consentiente in eandem personam. Abb. *in c. quia propter.* Biax. *p.* 3. *c.* 16. *n.* 3. Pass. *c.* 23. *n.* 1. Secundò sine ullo prævio tractatu. AA. iidem. Quamvis non obstet tractatus generalis de persona idonea eligenda; sed neque tractatus particularis de hac vel illa persona eligenda, dum postmodum repentè excitati omnes, nullo dissentiente, alium eligunt, de quo nulla fuit facta mentio in præcedente tractatu. Sigism. *dub.* 2. *n.* 6. Pass. *v. electio. n.* 5. Pass. *l. cit.* Tertiò, multóque magis sine prævia ullius nominatione; dum enim quis proponitur à Præside vel alio, electio censetur ex inspiratione humana, adeóque requiritur, ut vel turmatim ab omnibus per verbum *eligo*, vel ab uno aliquo incipiente, quem mox omnes subsequantur, fiat. Sigism. Barb. Pass. *ll. cit.* Quartò, quòd commune est huic electioni cum aliis, ut ex commissione vel determinatione legis aut Capituli unus vice omnium eligat, & electionem perficiat, iidem AA. *ll. cit.* Biax. *p.* 3. *c.* 16. Mirand. *tom.* 2. *q.* 23. *a.* 42.

Quæst. 408. An sit Electio per communem inspirationem, si unus Elector sit absens & contemptus?

Respond. negativè Biax. *p.* 3. *c.* 16. Butr. *in c. quia propter. n.* 1. Tusc. *lit. E. concl.* 74. *n.* 2. Sigism. *dub.* 2. *n.* 6. Talis enim absens est de numero eligentium, & si ratam habet alterius electionem, præsumitur hoc facere persuasus à facto aliorum, & non ex DEI instinctu. Pass. *n.* 2.

Quæstio 409. An sit electio per communem inspirationem, si qui consensit ex primo impulsu motûs, dum adhuc potest variare votum, pœniteat, & votum revocet?

Respondeo negativè; jam enim non est electio uniformis, seu unanimis. Pass. *n.* 3. Potéstque idipsum contingere etiam in scrutinio secreto per schedas, dum nimirùm, postquam dedit schedam, dicat Capitulo, se non persistere in voto dato, etsi id dicat ante publicationem scrutinii, nihil refert, quòd sciri non possit, quæ fuerit ejus scheda. Pass. *n.* 16.

Quæstio 410. Num eligi possit per hanc electionem vocalis præsens electioni?

Respondeo affirmativè: dum electio fit publicâ voce, & ipse videns se ab aliis electum consentiat suæ electioni. Pass. *n.* 5. citans Tabien. *v. electio. n.* 9. Quin & si repugnet, non quidem tali formæ electionis per quasi inspirationem, sed electioni suæ, non pertinaciter, sed humiliter se excusando, ac tandem acquiescendo. Pass. *n.* 16. Sed neque, dum electio fit secretò, ex quo præsens acquievit formæ eligendi per inspirationem, obstat valori electionis, quòd electus ab aliis non eligens se ipsum, sed alium, modò postmodum sciens se electum ab aliis acquiescat. Pass.

Quæstio 411. An electio per communem inspirationem egeat confirmatione?

Respondeo non, dum constat eam factam, inspirante DEO, ut constabat in electione SS. Nicolai & Ambrosii. Sylv. *v. electio.* 2. *n.* 28. Pass. *n.* 4. Verùm de cætero spectat ad Superiores videre, an hic & nunc adsit Divina inspiratio. Biax. *loc. cit. n.* 4. & non debet electus administrare sine Superiorum scientia & permissione. Pass. *loc. cit.* Verùm de hoc pluribus *cap. seq.*

CAPUT TERTIUM.

De Confirmatione Electionis.

PARAGRAPHUS I.

De natura & necessitate Confirmationis.

Quæstio 412. An & qualiter confirmatio quandoque cum institutione, collatione & ipsa electione confundatur?

1. Respondeo primò, *confirmationem* & *institutionem* terminos promiscuè sæpè sumi, unumque pro altero poni. Lott. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 16. cum gl. *in* ♠ *hoc tantum.* 18. *q.* 2. juxta dicta à nobis sub initium *partis hujus* 2. Quod ipsum tamen sine imprudentiæ nota minimè licere in foro beneficiali, ait Lott. *loc. cit. n.* 17.

2. Respondeo secundò, venire quoque quandoque confirmationem nomine collationis, satis à nobis osten-

ostensum est aliàs *loc. cit.* quin & confundi cum ipsa electione, præsertim, dum & quandoque dicitur habere simul vim confirmationis, juxta dicenda *quæst. seq.* De cætero, etiam loquendo propriè, venit confirmatio electi, non secùs ac institutio præsentati nomine collationis non liberæ, seu distinctæ ab ea collatione independenta ab alterius voluntate, quæ propriè nomen collationis sine addito retinet. Lott. *loc. cit. n. 8.* Sic etiam actum confirmationis dici actum electionis perfectissimæ, ait Lott. *l. 2. q. 18. n. 41.*

Quæstio 413. An & qualiter confirmatio distinguatur ab electione?

Respondeo: propriè loquendo, sicut institutio correlativum est præsentationis, ita confirmatio electionis. Lott. *l. 2. q. 1. n. 23.* cum Abb. *in c. auctoritate. de institut. n. 5.* Estque confirmatio accessorium quoddam ad electionis actum, & ideo ejus naturam sequitur. Lott. *l. 2. q. 21. n. 113.* citans Gemin. *in c. cum in illu. de præb. in 6. §. cum autem. n. 3.* Unde & hanc supponit, & ab ea distinguitur, & separatur. Lott. *l. 2. q. 21. n. 10.* ubi electio & confirmatio nedum inter se dividui actus reputantur, sed penitùs diversi ac separati. Idque non tam in personæ confirmantis diversitate, quàm ea diversitate causæ, nempè ut ipsam electionem perficiat ac consummet. Lott. *l. 2. q. 18. n. 39.* adeò, ut uno eodémque actu expediri nequeat electio & confirmatio, dum fortè in eadem persona concurrerent ambæ facultates, nempe eligendi & confirmandi, v. g. dum Canonici electuri Episcopum compromitterent in Metropolitanum, qui jam ante ex privilegio Sedis Apostolicæ haberet potestatem confirmandi Episcopos suffraganeos suos: ita ut dictus Metropolitanus priùs eligere seu nominare deberet Episcopum, secundùm formam compromissi, ac dein eundem confirmare. Laym. *in c. cum inter universas. de elect. num. 4.* citans Abb. *in c. ne pro defectu. de elect. n. 4.* gl. & Innoc. *in cit. c. cum inter.* Sic etiam, si fortè ex indulto Apostolico alióve jure singulari inductum esset, ut electus à Capitulo per idem Capitulum installetur, jam illum actum installationis habiturum vim confirmationis, per quam præcedens actus electionis perfectissimum sortitur effectum, qui nimirùm consumitur in potestate administrandi, ait Lott. *l. 2. q. 18. n. 39.* ex Oldr. *cons. 148. n. 5.* Ubi etiam notandum illud, quod ex eodem Oldr. addit Lott. *num 41.* nempe quòd, si præter hunc actum (intellige electionis) aliquid aut de jure, aut ex consuetudine fiat, quod implicet jus administrandi, dicitur actus confirmationis, & sic electionis perfectissimæ. Ita etiam in quibusdam locis Abbates & Præpositos non solere aliter confirmari per Episcopos, quàm ut ipsis Canonicè electis benedictionem solemnem impendant, in quo casu ista benedictio sit loco confirmationis, ait Laym. *in c. cum inter. num. 4.* dicens, in hoc sensu intelligendum Innoc. *in c. 1. de suppl. negl.* ubi significat, quòd Abbas ante acceptam ab Episcopo benedictionem non debeat administrare.

2. De cætero hisce non obstat, quòd dicatur electio quandoque habere vim confirmationis, nempe, dum Capitulum simul eligit & confirmat, nullâ aliâ exspectatâ Superioris approbatione. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 2.* cum Tosch. *lit. E. concl. 90. n. 3.* Siquidem hic actus non tam rationem confirmationis, quàm liberæ collationis factæ per suffragia plurium repræsentantium totum Capitulum habet; cùm neque procedat ab habente superioritatem in eligentes seu potiùs suffragantes, neque supponat actum ab altero positum, debitum confirmari; quorum tamen utrumque ad confirmationem requiritur, ut patebit *in respons. ad quæst. seq.* Unde etiam Tond. *loc. cit. n. 3.* inquit, beneficia alia dici electiva collativa, alia electiva confirmativa. Et Lott. *l. 2. q. 18. n. 40.* ex Abb. *in c. publicato. de elect. num. 9.* suffragium & collatio (intellige in hoc casu, dum penes Capitulum est eligere & simul conferre) ordinantur ad actum electionis, ideóque eo subsecuto, non reputantur plures, sed unus actus, in quo consumitur electio.

Quæstio 414. Quid sit, seu qualiter definiatur confirmatio propriè talis, seu prout est correlativum electionis?

1. Respondeo: tametsi Pass. *de elect. c. 33. n. 1.* dicat, describi confirmationem optimè à gl. *in c. nostr. de elect. v. confirmata.* dum inquit: per confirmationem acquirit electus plenam administrationem & vinculum conjugale, quod contractum est: minùs tamen aptè id pro descriptione admitti potest, ut liquet ex eo, dum vel sic, non tam quid sit, quàm purè solùm, quid operetur confirmatio, exprimatur. Meliùs verò describitur, quòd sit approbatio electionis Canonicæ ad prælaturam vel beneficium facta per Superiorem habentem ad id potestatem.

2. Dicitur autem primò: *approbatio*, non quidem merè speculativa, seu nudum judicium de electione legitimè gesta; sed practica, in quantum nimirùm approbatione hâc gestorum ab Electoribus eorundem desiderio ac voluntati, quâ personam talem cupiunt esse Prælatum, aliúmve beneficiatum aut Officialem, satisfit, causatúrque in persona illa electa, ac confertus titulus Canonicus, seu jus ipsum Prælaturæ vel beneficii, actúque illam & illud administrandi.

3. Dicitur secundò: *facta per Superiorem.* Confirmatio enim cùm sit actus jurisdictionis. Lott. *l. 2. q. 18. n. 28.* citans Buttio *in c. 1. de translat. prælator. n. 9.* & Seraph *decis. 637. n. 1.* supponit subjectionem confirmandi seu electi respectu confirmatoris. Lott. *ibid. n. 27.* citans Host. *in sum. de elect. n. 27.* Quin & respectu eligentium videtur importare hanc superioritatem & jurisdictionem, secùs ac fortè accidit in institutione, quæ, etsi denotet subjectionem præsentati ad institutorem. Lott. *cit. n. 27.* citans *c. decernimus. & ibi notata. 16. q. 7.* non tamen necessariò denotat subjectionem præsentantis; cùm quandoque præsentator seu patronus esse possit Episcopus, & instituens Prælatus aliquis inferior eidem Episcopo subjectus, quamvis & quoad hunc actum institutionis petendum dici posset talis Episcopus patronus inferior instituente, & subjectus illi.

4. Dicitur tertiò: *electionis Canonicæ*; dicetur enim infrà, electionem contra Canones seu non Canonicè gestam confirmari non posse.

5. Dicitur quartò: *ad prælaturam vel beneficium*, tam enim in beneficiis inferioribus, quàm in Episcopatu (idem est de aliis prælaturis) locum habet electio & confirmatio. Lott. *l. 1. q. 15. n. 40.* citans gl. *in Clem. 1. v. de dignitate. de præb.* Felin. *in c. nostra. de rescript. n. 26. & 27.* Rotam *decis. 1. de præb. in antiq.*

Quæstio 415. Quotuplex sit confirmatio?

Respondeo: aliam esse in forma communi, quæ jus aut valorem actui non tribuit, sed supponit; ideóque approbat actum, quatenùs de jure validus est, juxta *c. 1. & 2. de confirm. util. vel inutil.* Aliam esse ex certa scientia, dum nimirùm Princeps actum approbans seu confirmans, ejus plenam cognitionem se habere significat, & hæc confirmatio jus & valorem tribuit actui, defectu aliàs aliquo laboranti, juxta limitationes tamen paulò infrà dandas. Laym. *in c. sicut grave. de transactionib. n. 2.* citans Tabien. *v. confirmatio. in fine.* Tusch. *eod v. conclus. 17.* Quæ divisio, tametsi sit generica, seu confirmationis respectu cujuscunque actûs confirmandi; in specie tamen actui electionis Canonicæ applicari potest, ut patebit ex infrà dicendis, ubi an electio defectuosa aut aliàs invalida confirmari valeat, & ejus defectus suppleri seu sanari per confirmationem.

Quæstio 416. Utrùm electus petere teneatur confirmationem?

Respondeo affirmativè. Laym. *in qq. de elect. q. 108.* de quo plura inferiùs, ubi, intra quod tempus petenda; item ubi, per quem petenda confirmatio.

Qua-

Quæstio* 417. *An valeat consuetudo, ut Prælatus electus nullam teneatur petere confirmationem?

1. Respondeo negativè. Laym. *in c. cùm venerabilis. de consuetud. n.* 2. citans Jo. Andr. *in cit. c. n.* 8. Abb. *in c. transmissam. n.* 3. *& in c. qualiter. n.* 2. *de elect.* Additque rationem Laym. quia talis consuetudo est contra bonum Ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, secundùm quem inferiores ministri ac Prælati Ecclesiæ à Superioribus dependere, & in sua institutione jus & auctoritatem accipere debent, eò quòd, cùm consuetudo sit instar juris ac legis, adeóque rationabilis & justa esse debeat, adeóque nullam ex Principum voluntate & constitutionibus assistentiam vigorémque habeat, ac proinde ait, consuetudines, præsertim speciales Ecclesiarum quarundam, si bono universalis Ecclesiæ ejúsque fini, quæ est salus animarum, & vita æterna nullâ temporis diuturnitate robur acquirere posse, ideóque abolendas; quales sunt, quæ benè constitutum Ordinem ac dependentiam tollunt, disciplinam Ecclesiasticam enervant, cultum Divinum imminuendi, Divina negligendi, occasionem vagandi, luxûs & otii licentiam Clericis præbent. Neque his obstat, quòd quidquid per privilegium, idem per consuetudinem obtineri possit, dum in usucapiente non est incapacitas. Jam verò pluribus Religionibus indultum à summis Pontificibus, ut eorum electi Prælati necessè non habeant petere ulteriorem confirmationem, sed mox à legitima sua electione plenam jurisdictionem & administrationem consequantur, de quo plura & expressè §. *seq.* Nam respondet idem Laym. *loc. cit.* quòd, cùm omnis jurisdictio & potestas Ecclesiastica in inferioribus Prælatis non nisi à Papa profluat, possint aliqui capaces reddi dictæ exemptionis à necessitate petendi confirmationem per concessionem Papalem, (tùm vel sic adhuc dependentia illa & Ordo Hierarchicus in Ecclesia non turbetur) non verò per meram consuetudinem.

2. Tradit nihilominùs Pirh. *ad tit. de elect. n.* 304. posse per consuetudinem induci, ut electi ad dignitates inferiores, v. g., Decanatum, sine Superioris confirmatione statim post consensum ab iis electioni præstitum jus omne seu plenum acquirant, modò tamen electio concorditer facta fuerit, & talis consuetudo non cedat in damnum Ecclesiæ, ita ut indigni promoveantur.

Quæstio* 418. *An igitur omnis electio egeat confirmari, & in specie de hoc quid dicendum de electione Papæ, electione factâ unanimiter, vel per Divinam inspirationem?

1. Respondeo ad primum: omnis electio propriè talis ad Prælaturam inferiorem Papam eget confirmatione; cùm enim electio fiat in ordine ad consequendum jus in beneficio vel Prælatura, eámque administrandi tanquam finem ultimatum; finis autem hic obtineri nequit sine confirmatione, electio ex natura sua exigit confirmari. Laym. *Th. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *q.* 1. Azor. *p.* 2. *instit. mor. l.* 6. *c.* 14. *q.* 3. Lott. *l.* 2. *q.* 27. *num.* 14. ubi constituendum ante omnia, eam duntaxat dici electionem, quæ confirmatione Superioris eget; ea autem, quæ tali confirmatione non eget, electionem minimè fore. Et *n.* 15. Hinc, si illicò secutâ electione supponamus sine aliqua confirmatione jus quæri electo, eam veriùs collationem dici, tradit Rota *decis.* 1. *de elect. in antiq.* Et *n.* 20. fateri ergo oportet, eam tantùm dici electionem, cui reciprocat confirmatio Superioris. Sic quoque ait *l.* 2. *q.* 44. *num.* 49. in casu, quo electio non spectat confirmationem, resolvitur in simplicem provisionem, ut Rebuff. *in pr. tit. de elect. n.* 4. & dicitur electio æquivocè, ut gl. *in c. cùm dilectus.* §. *dictus. v. electio. de consuetud.* Unde etiam, ut idem Lott. *cit. q.* 27. *n.* 16. *&* 17. citans Felin. *in c. in nostra. n.* 25. *de rescrip.* Dispositio generalis loquens de beneficiis electivis, v. g. quæ dicit, beneficia electiva speciali notâ digna, non comprehendit beneficia electiva hâc electione annomalâ, seu non egente confirmatione.

2. Respondeo ad secundum: electus legitimè in Papam non eget aliâ confirmatione. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 2. *n.* 112. citans Campanil. *in divers. juris rubric.* Lavor. &c. Laym. *ad c. licet. de elect. n.* 7. Confirmatio enim fieri debet à Superiore, qualem non habet Papa. Barbos. *loc. cit.* citans Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 5. *n.* 1. *&* 2. Sed neque potestas illius est ex homine, sed à solo Deo. *c. novit. de judic.* eáque mox à canonica ejus electione ei confertur à Christo. Laym. *loc. cit.* & *Th. mor. l.* 1. *tr. q.* 6. *n.* 6. ubi, quòd Papalis potestas ac jurisdictio non confertur à Cardinalibus per electionem; (quomodo enim eam conferrent, quâ ipsi carent, cùm nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur. *reg.* 79. *in* 6.) sed tantùm illi designant personam, cui ea vi promissionis institutionisque à Christo factæ Petro ejusque successoribus suprema jurisdictio confertur. Advertit tamen Laym. *in c. licet. loc. cit.* Pontificem nihilominùs post electionem, tempore antecedente consecrationem & coronationem, non appellare se absolutè Episcopum in Bullis, sed Episcopum electum, & tempus illud intermedium non vocare tempus Apostolatûs sui, sed *suscepti Apostolatûs officii*, ut gl. *in reg. juris. super data. v. Pontificatus.*

3. Respondeo ad tertium: electio facta unanimi consensu, vel etiam per quasi inspirationem Spiritûs S. eget adhuc confirmatione. Donat. *p.* 2. *tr.* 1. *q.* 13. *n.* 4. Lott. *l.* 2. *q.* 19. *n.* 57. *&* 61. 63. cum Host. *in c. quia propter. de elect. n.* 50. *&* 51. Olit. *conf.* 115. *num.* 2. quos citat. Subjacet enim talis electio adhuc legibus humanis, nempe *c. quia propter.* Donat. *l. cit.* Idque propter dubium, ut inquit Hostiens. nempe an verè sit à DEO. Unde & non nisi præsumpta inspiratio dicitur hæc quasi inspiratio, ut Lott. *cit. n.* 63. Particula etiam illa *quasi* in natura sua, ut Donat. *loc. cit.* ex Barbos. *de dictionib. dict.* 261. improprietatem, fictionem & diminutionem sonat.

4. Econtrà electio facta per inspirationem nullâ eget ulteriore confirmatione. Barbos. *Juris Eccl. l.* 1. *c.* 9. *n.* 7. Donat. *loc. cit. n.* 3. Lott. *loc. cit. n.* 56. *&* 57. ex eodem Host. *loc. cit.* quippe quæ manifestè DEUM, qui est super omnes, nec falli nec fallere potest, habet Auctorem; ideóque non eget adminiculo aliquo, ut Host. *loc. cit.* nec legi humanæ subjacet; quippe quæ Spiritu DEI aguntur, humanis legibus non debent nec possunt subesse, juxta Apost. *ad Galat.* 5. *&* 1 *ad Corinth.* 3. & *can. duæ sunt.* 19. *q.* 2. Donat. *loc. cit. n.* 1. ut constat ex electione S. Ambrosii, S. Nicolai, &c.

5. Verùmtamen, quæ dicenda sit electio per inspirationem, & quæ per quasi inspirationem, AA. planè non conveniunt; plures enim, ut Donat. *loc. cit. n.* 2. *&* 3. Sigism. à Bonon. *de elect. dub.* 2. *n.* 4. *&* 5. hanc ex Host. (quem tamen longè diversum & secum sensisse ostendit Lott. *n.* 50. *&* 51. recitatis ejusdem verbis) dant differentiam inter electionem per Divinam inspirationem, & electionem per quasi inspirationem; quòd prior sit ea, quæ fit nullo ordine servato, nulloque habito tractatu inter eligentes, dum ii quasi inebriati spiritu, uno ore repentè eligunt & proclamant eundem. Posterior illa, quando subitò quidem, aliquo tamen servato ordine inter eligentes, unus post alterum sine intervallo unanimiter eligunt eundem. Alii verò, ut Lott. *cit. n.* 51. *& seq.* citans pro hoc Abb. *n.* 3. Bellam. *n.* 5. Butrio. *n.* 48. Card. *ante n.* 1. *sub q.* 3. ac præcipuè Imol. *n.* 10. *in* §. *nisi c. quia propter. de elect.* hanc solam dicunt electionem per inspirationem Divinam, quæ habet DEUM Auctorem immediatum, & super hoc certum signum aliquod extrinsecum, unde ipsa dicatur certa, quale fuit in inspirata electione S. Ambrosii loquela infantis pronunciantis eum Episcopum; in electione S. Nicolai præcedens monitum Divinum, ut, quem in Ecclesiæ foribus deprehenderent, Nicolaum nomine, assumerent in Episcopum; non secùs ac in electio-

ne Aaronis ejus virga miraculosè floruit: ubi verò electio & inspiratio non est insignita simili miraculo, & deficit tale signum externum, removens illam dubietatem, an sit electio facta à DEO, tanquam illius immediato Auctore, quantumcunque aliàs electio fiat uniformiter, conspirantibus omnibus in unum absque ordine, tractatu & intervallo, per quasi inebriationem (cùm hæc omnia adhuc habere possint causam naturalem sui) adhuc non dicatur electio per inspirationem sine addito; sed ad summum electio per quasi inspirationem, utpote inspiratione hâc Divinâ non nisi præsumptâ ex isto subitaneo & unanimi consensu; (cui ipsi etiam præsumptioni locum non esse; ait Lott. *n.* 63. ubicumque adest vel unius contradictio, etiamsi ille posteà consentiat) & hinc adhuc dubiâ, adeóque egente confirmatione. Lott. *loc. cit. n.* 58. qui etiam *n.* 62. hæc ipsa diligentissimè observanda monet, ne quandoque prætextu inspiratæ electionis à DEO, omittatur electionis confirmatio.

Quæstio 419. An & qualiter confirmatio sit actus necessarius seu debitus canonicè electo?

1. Respondeo: Canonicè Electum præsentatum, ut confirmetur, tenetur Superior confirmare, dum is est persona habilis, & non est vitium in electione, & in hoc sensu confirmatio est actus necessarius ac debitus. Donat. *p. 2. tr. 1. q. 1. n. 11.* citans Host. *in sum. de postul. prælat. n. 1.* & Gl. *in c. unic. eod. tit. in 6.* Pass. *de elect. n. 304.* Laym. *in qq. de elect. q.* 106. Card. de Luca *de Regular. d.* 13. *n.* 7. ubi: electo per legitimam benéque conclusam electionem acquiritur jus, adeò, ut Superior, ad quem confirmatio pertinet, sine justa causa eam denegare non possit, atque in causa denegationis concedatur electo appellatio, vel recursus ad Papam, aliósve Superiores. Lott. *l. 3. q. 17. n.* 74. (ubi confirmatio electo denegari nequit, nisi manifestè appareat de electi indignitate; citat pro hoc Decian. *cons.* 18. *q.* 2. *l.* 4) & *l. 1. q. 27. n.* 2. ubi ait, confirmationem esse actum necessitatis, juxta notata per Abb. *in c. postquam. de elect n.* 1. ponderantem verbum *impleantur*, conceptum modo imperativo, quo utitur citatus textus: *Per confirmationem petentium desideria, si nihil obstat, quod electionem impediat, impleantur.* Atque ita confirmatio in dicto casu, nimirùm electionis & electi non patientis defectum, non est liberalitatis & gratiæ, uti est collatio beneficii, sed necessitatis, juxta commune axioma Juristarum: *Eligere est libertatis, confirmare necessitatis.* Pass. *l. cit. num.* 58. *juncto n.* 61. & Justitiæ. Pass. *ibid.* Lott. *l. 3. q. 17. n.* 74. citans Bald. *cons.* 101. *in fine. l.* 5. & Rotam apud Gregor. *decis.* 240. *n.* 11. Unde, qui confirmat, non donat, sed exercet actum Justitiæ. Lott. *l. 2. q. 2. n.* 19. citans Anchar. Jo. And. & Imol. Et qui petit confirmari, non petit gratiam, sed Justitiam. Pass. *cit. n.* 58. Quod ipsum tamen in Ordine Prædicatorum non habere locum, ubi ex speciali ejus statuto non acquiritur jus electo ad Prælaturam, constabit ex dicendis paulò pòst, idque tam respectu electi, quàm Electorum. Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *loc. cit.* ubi; electum ex officio Superior confirmare tenetur, alioquin injuriam facit tam eligentibus, quàm electo, postquam electionem acceptavit, ita ut is electionem suam prosequi, & confirmationem tanquam sibi debitam petere possit; quod idem etiam Electores facere possunt, cùm ipsorum quoque & Ecclesiæ suæ intersit, ut legitimè electus confirmetur.

2. Ampliatur responsio primò, ita ut, esto, Capitulum totum Electorum, vel Ecclesia tota eorum, qui tempore electionis erant in Collegio vel Monasterio, perierit, dum alii eorum loco sunt subrogati, adhuc electio sit necessariò confirmanda, quia semper manet Ecclesia, licèt individua materialia sint mutata. Pass. *loc. cit. n.* 57. citans Biax. *in director. election. p. 3. c. 44. n.* 5. Cuch. *tit. de confirm. n.* 7. Sigism. de Bonon. *de elect. dub.* 43. *n.* 5. Samuel *d. 8. controv.* 1. *n.* 1. ubi etiam is idem dicendum putet de electione communi habenda à Capitulo subrogato, si post publicatum scrutinium Capitulum deficeret ante electionem illam communem.

3. Ampliatur secundò, ita ut Superior teneatur confirmare talem electionem non patientem defectum, etiamsi regularis electus procuraret favoribus apud Superiorem, ut ejus electio in Prælatum confirmetur; neque enim incidit per hoc in pœnas constitutas à Pontificibus contra mendicantes favores, eò quòd Bullæ illæ prohibeant mendicare favores pro obtinendo officio, non verò pro consequenda confirmatione debita electionis ad tale officium. Pass. *cit. n.* 58. citans Portel. *v. officium. n.* 41. Bordon. *controv.* 31. *n.* 31. Limitat tamen hoc ipsum Pass. *in fine cit. n.* 58. nisi confirmatio (uti id contingit in multis casibus apud Regulares) esset liberalitatis; tunc enim non liceret eam procurare favoribus, quin incideret talis in dictas pœnas. Econtrà

4. Limitanda responsio primò, ita ut Princeps seu Papa ex plenitudine potestatis rejicere possit legitimè electum, denegatâ ipsi (intellige de cætero habili) confirmatione, si id gravis causa seu publica utilitas exigat, ut persona multò dignior & magis idonea promoveatur, ut patet ex Concordatis Germaniæ. §. *Item places*, ubi Nicolaus V. ait: *Electiones, si Canonicæ fuerint, confirmabimus, nisi ex rationabili & evidente causa de digniore & utiliore persona duxerimus providendum, &c.* Laym. Pirh. *ll. cit.*

5. Limitanda secundò, nisi ex speciali jure & statutis quorundam Ordinum contrarium servetur, quemadmodum, ut testatur de Ordine Prædicatorum Donat. *p. 2. tr. 6. q. 16. n.* 4. ubi, quòd electus in hoc suo Ordine ex tali electione nihil juris acquirit; quin &, quòd, quamvis ab omnibus eligatur Prior alicujus Conventûs, in potestate Prælati sit eum confirmare; & quamvis eum non confirmet, non tamen restet tali locus appellandi, vel aliquâ causâ prosequendi, sive aliquid in foro contentioso repetendi, quia per dictam electionem jus nullum acquisivit. Item Card. de Luca *de Regular. d. 13. n. 7. juncto n. 8.* ubi, quòd in Ordine Dominicanorum ex speciali ejus instituto ac legibus per electionem jus nullum formatum acquiritur, per quòd Generalis cessante justâ causâ ex lege Justitiæ dicatur obligatus illum confirmare, sed in ejus libera potestate sit, etiam nullâ assignatâ causâ confirmationem denegare, mandando, ut ad aliam electionem procedatur, seu aliter providendo, ita ut inter electionem & postulationem quoad hoc punctum in hac Religione nulla dignosci videatur differentia, cùm adinstar postulationis electio jus nullum tribuat, neque facultatem appellandi, vel recursum habendi adversùs denegatam confirmationem concedat.

6. Verùm de hoc ipso fusè agit Passerinus & ipse Dominicanus. *cit. c. 33. n.* 54 atque *n.* 62. quòd neque in hoc suo Ordine per se cassari possit à Provinciali Prioris, à Generali Provincialis electio undequaque tam ex parte sua, quàm electi valida, eò quòd clausula illa: *Si bene visum fuerit*: quâ utitur in hoc puncto confirmationis dicta Ordinis constitutio, non tribuat facultatem omninò liberam, sed arbitrium boni viri, quod jure communi regulari debet, ut Paris. *cons.* 8. *n.* 4. Bartol. *in l. fin. §. sed & si. c. de legat. peregrin. decis.* 239. *in fine. l.* 2. & Rota apud eundem Pass. *n.* 60. ita ut, si quid commissum ad arbitrium boni viri, is teneatur servare omnes regulas juris communis, ut Menoch. *cons.* 69. *n.* 4. & 5. Tusch. *lit. A. conclus.* 470. *n.* 2. Barbos. *axiom.* 32. *n.* 2. Craven. *cons.* 612. *n.* 11. apud Pass. *loc. cit.* Jus autem commune sit, ut electio ex nulla parte deficiens Canonicè confirmetur, cui juri communi derogare non voluerit constitutio illa Ordinis Dominicanorum, neque poterat sine speciali auctoritate Apostolicâ; sed, ut Pass. *n.* 63. electio undecunque valida possit per accidens cassari, & non confirmari à Superiore. Idque ex duplici capite, nempe vel ob circumstantias extrinsecas per accidens

dens

dens contingentes, ut dum electus per intrinseca dignissimus veluti ab extrinseco redditur non idoneus ex eo, quòd v. gr. non sit acceptus Principi vel Patrono loci, ubi est conventus, & vel hinc timeantur gravia incommoda aut scandala; in quo casu seu ob quam causam non esse confirmandam electionem, docent Donat. *tom. 2. p. 1. tr. 7. q. 9. n. 4.* citans Turrecrem. *in c. Si fortè, d. 63.* Felin. *in c. 2. de rescript. n. 2.* Peyr. *in subd. tom. 1. q. 1. c. 7. concl. 4.* vel propter votum obedientiæ, dum nempe ob bonum commune Religionis, videtur Prælato conveniens non confirmare electionem aliàs maximè legitimam, & electo ad Prælaturam, uti vult ad ministerium aliud incompatibile cum ea Prælatura; & generaliter ob quamcunque causam, quæ est juxta regulam, ex qua præcipere potest electo, ut electioni & Prælaturæ renunciet, cassare potest electionem quantumcunque validam; adeóque clausula illa: *Si ei visum fuerit*; ut habet Pass. *n. 64.* denotet arbitrium, quod habet confirmator ad decernendum, an conditiones illæ adsint, quæ electionem reddant validam vel invalidam, & vel sic arbitrari, an sit confirmanda nec ne; aut etiam denotet facultatem illam, quam habet ordinandi electionem ad bonum commune; vel denique denotet arbitrium seu potestatem illam, quam habet ex voto obedientiæ subditi talis Superior ad præcipiendum electo, ut non sit Prælatus, & vel sic ad non confirmandum illum, & cassandam electionem. Veruntamen nec sic adhuc afferri aliquid, ait Pass. *n. 65.* quod sit speciale in suo Ordine; cùm & alii seu omnes confirmatores possint per accidens cassare electionem aliàs validam, si sit in grave damnum boni communis; & quilibet Prælatus regularis possit ex vi voti obedientiæ in casu, in quo id sit secundùm regulam, præcipere subdito, ut non sit Prælatus. Sed neque importari quicquam per clausulam illam: *Si ei videbitur*; ut ea non sit superflua; cùm vel sic per illam nihil magis exprimatur, quàm si diceretur, quòd Superior debeat confirmare; quia id semper & non aliter intelligitur esse verum, quàm per se loquendo, & absque præjudicio boni universalis Ecclesiæ, vel Religionis, vel voti obedientiæ.

7. Negat insuper Pass. *n. 66. & 67.* quod tradit Sanch. *l. 2. opusc. c. 1. dub. 6. n. 4.* citato Salon. 2. 2. *q. 63. a. 2. controv.* 4. ad quos accedit Donat. *tom. 2. p. 1. tr. 7. q. 8. n. 4.* (limitans tamen id ipsum cum Lezana. *p. 2. c. 12. n. 39.* ad casum, in quo constaret evidenter relictum, seu non electum esse digniorem) nempe quòd in Ordine Dominicanorum possit Superior cassare electionem digni ex eo, quòd videt omissum digniorem, seu non teneatur confirmare electionem digni in concursu dignioris, & sic nedum cassare electionem per accidens ratione alicujus damni emergentis, sed per se ex hoc solùm capite, quòd sit minùs utilis bono communi, & quòd possit dari melior, & bono communi utilior electio, (quod ipsum est contrarium juri communi præcipienti, non cassari electionem digni, seu non negari confirmationem digno, etiam in hoc casu concurrentiæ cum digniore; Idque in favorem electi, & ne hoc prætextu oriantur multæ lites & contentiones) etiam his non obstante, quòd in hoc Ordine, ut admittit Pass. non acquiratur electo jus ad Prælaturam, ratione cujus ille agere possit ad sui confirmationem, aut non confirmatus quæri de injuria sibi facta; utpote cui favori renunciavit hic Ordo. Consequenter & negat hanc facultatem, seu arbitrium non confirmandi in hoc casu dignum, signari per clausulam illam: *Si ei videbitur*; seu: *Ad arbitrium suum*; Idque etiam ex hoc capite, quòd, dum dicitur arbitrium boni viri regulandum secundùm jus, intelligatur id solum de jure naturali (contra quod non faceret ob majus bonum sui Ordinis, negando confirmationem tali electo; utpote per electionem non acquirenti jus, quod læderetur) sed etiam de jure scripto, pro quo quamplurimas citat Rotæ decisiones, & AA. Quapropter ipse Pass. *n. 67.* concludit ex eo, quòd in Ordine Prædicatorum confirmatio est commissa arbitrio Provincialis, non sequi, quòd is possit contra jus commune, & doctrinam S. Thomæ, & DD. non confirmare electionem digni; esto, quòd electio in hoc Ordine electo non conferat jus: sed id solùm, quòd in confirmatione possit aliqualiter temperare rigorem juris, ubi id ratio & rationabilis causa postulabit, & relicto altero rigoroso, servare æquitatem. Idque ipsum denotetur, & non plus, per dictam clausulam: *Si ei videbitur*; vel: *Ad arbitrium*; utpote quæ clausula, non obstante, quòd arbitrium etiam secundùm leges & jus commune regulandum sit, id efficit, quòd det facultatem relaxandi aliquid de jure, ut Rota *decis. 224. n. 5. decis. 450. n. 1. decis. 578. p. 2.* adeoque ex hoc capite adhuc dicta clausula non sit superflua. Verùm id ipsum, nempe in quo puncto relaxandi rigorem facultatem habeat talis Superior, non explicat Pass.

Quæstio 420. Quid faciendum, ubi is, qui habet confirmare, non vult confirmare?

1. Respondeo primò: Si deneget injustè confirmationem, recurrendum est ad Superiorem confirmatoris, qui potest ac debet eum compellere, præfigendo illi tempus, intra quod confirmet; vel aliter ipse Superior jure ad eum devoluto (etiam, ut addit Pass. sine intimatione ulteriore) confirmet, Tamb. *de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 2. n. 10.* Pass. *cit. c. 33. n. 56.* citans Gl. *in rubric. de postul. in 6.* Abb. *in c. Nullus, de jurepat.* Cochum. *tit. de confirm. n. 37.* Lavor. *de elect. c. 25. n. 44.* Castellin. *de elect. c. 14. n. 15. & 16.* Etsi enim tempus ad confirmandum à jure determinatum non sit, (de quo infra) in casu tamen denegatæ injustè confirmationis illud ipsum præfigere potest Superior illius, Pass. *loc. cit.* citans Lavor. *de elect. c. 25. n. 44.* Abb. *in c. Postquam, de elect. n. 8.* Rotam. *in Legionens. confirm. 23. Jan.* 1617. Et quidem tempus illud assignandum breve esse debet, & non excedere sex menses, ait *ibid.* Pass. ex Lavor. *loc. cit.*

2. Porrò: An liceat confirmatori dare pecuniam, ad hoc, ut desistat ab injusta vexatione, non convenit inter omnes, Sotus *de just. l. 9. q. 6. a. 1.* apud Donat. *tom. 2. p. 1. tr. 7. q. 16. n. 1.* censet id esse simoniacum, eò quòd confirmare sit quid spirituale, adeóque vendi non possit; quod ipsum confirmat Donat. ex eo, quod talis datio pecuniæ non tantùm tenderet ad tollendam iniquam vexam, sed & ad sternendam sibi viam ad confirmationem; & non daturus pecuniam, nisi intenderet hâc viâ consequi confirmationem; adeóque ex intentione obtinendi spirituale det temporale, quod est simoniacum. Econtrà admittit Pasquil. *decis. 135. à n. 3.* apud eundem Donat. *loc. cit. n. 3.* posse dari pecuniam purè ad redimendam vexam; eò quòd tale pretium non ordinetur ad confirmationem, nec detur ex intentione confirmationis obtinendæ, etsi talis intentio adsit, sed purè ad hoc, ut confirmator desistat à duritie, & se constituat in debita æquitate, unde talis actus non nisi dictam æquitatem habeat pro objecto. Quam opinionem Pasquilig. Donat. ait, posse esse veram de jure naturæ, & in foro poli, secùs in foro fori, seu de jure canonico, in quo, quod fit, & non quod intenditur, examinetur, ac remittit ad Suar. *tom. 1. de relig. l. 4. c. 50. n. 59.* Peyr. *tom. 1. de subd. q. 1. c. 31. §. 11.* Verùm de hoc statues accuratiùs & ex fundamento, ubi legeris, quæ dicta sunt à nobis *part. 3.* ubi de resignatione simoniaca.

Quæstio 421. An Superior potens non confirmare, etiam electionem legitimè factam, de persona aliàs habili, urgente ad id bono communi, dum negat confirmationem, teneatur edicere & probare causam negatæ à se confirmationis?

1. Respondeo primò: Quidquid sit de eo, num causa rationabilis intercedere debeat, quæ juri-

juridicè probari possit, si fuerit necesse, ut tenent Donat. *loc. cit. q. 9. n. 7.* cum Castel. *de elect. c. 14. n. 56.* Lavor. *de elect. tit. 4. c. 25.* Item Pass. *de elect. c. 33. n.* 148. ubi expressè, quòd ratio hæc seu causa, ob quam cassata est electio, debeat esse visibilis, & talis, quæ deduci possit ad forum publicum, etiam judiciale, si opus sit, inde probatur, quòd in confirmatione & cassatione electionum agitur de maximo interesse, non solùm eligentium & electorum, sed & Religionum & Ecclesiæ; si autem confirmatores, cùm extrajudicialiter procedunt, non tenerentur reddere rationem, quare confirmâsint, vel cassarint electionem, esset res in Ecclesia summi præjudicii, & explanata via latissima passionibus & privatis affectibus istiosmodi Superiorum, qui homines sunt, ad fovendas impunè factiones, & promovendos suos, sive dignos, sive indignos, & deprimendos dignissimos cum summo præjudicio Religionum & Ecclesiæ, si electionum confirmatio & cassatio ita remissa illorum Superiorum arbitrio & conscientiæ, ut nulli teneantur reddere rationem facti sui; sed sufficeret illos dicere, se ex causa rationabili cassasse vel confirmâsse, & super hoc nulla iis moveri posset quæstio. Quidquid enim sit, ut ait idem Pass. *n.* 149. de quæstione illa communi, an dum aliquid commissum est conscientiæ alicujus, ejus dicto sit standum, & non possit contra illum dari querela, (de quo videri possit Sanch. *de matrim. l. 3. d.* 10. *n.* 12.) ubi tamen agitur de re præjudiciali tertio & bono communi, ideoque de re summè egente discretione Superiorum, seu dum sumus in materia justitiæ & juris naturalis, ac Divini præcipientis, ut nulli inferatur injustum damnum, & nemo damnetur sine culpa, dicitur, quòd & contra factum ab eo, qui agit secundùm arbitrium boni viri, seu secundùm conscientiam, potest haberi recursus, & quòd non est necessitas credendi, quòd illud sit factum ex conscientia recta & rationabili arbitrio, & quòd Superioris officium est emendare, quod malè gestum ab inferiore. Unde concludit Pass. certissimum est, quòd Provinciales (idem est de aliis confirmatoribus regularibus) solùm ex causa rationabili, deducibili, si opus sit, ad forum externum, cassare possunt electiones.

2. Loquendo tamen ordinariè seu regulariter non tenetur confirmator juridicè probare justam causam, quam prætendit, non confirmandi; sed sufficit, eam probatam habere extrajudicialiter, Donat. *loc. cit. n. 8. & q. 14. n.* 11. Idque præcipuè in confirmatione electionum regularium; cùm, ut Gl. *in Clem. Exivi, de verbor. signif. §. denique*, apud Donat. *cit. q. 9. n. 9.* in confirmatione Provincialium non procedatur judicialiter.

3. Sed neque tenetur in decreto cassationis electionis exprimere causam, quâ motus fuit ad cassandam electionem; quia Judex regulariter, ut notatur *in c. Sicut de re judicat.* & per Bald. *in l. Si quis, ff. de petend. hared.* non tenetur in sententia exprimere causam, adeóque sufficiet, confirmatorem dicere, se ex causis bene visis cassare electionem, Pass. *n.* 149.

4. Neque etiam tenetur hanc justam causam, quam prætendit, ei, cui denegat confirmationem, edicere, sed sufficit, ut eam ostendat Superiori suo, si necesse fuerit, Pass. *cit. n.* 149. Donat. *cit. q.* 14. *n.* 11. verùm loquuntur il de electione, per quam, etsi legitima sit, ut est in Ordine Prædicatorum, non acquiritur electo jus ad Prælaturam, & ubi non fuit appellatum à non confirmatione.

Quæstio 422. An, & qualiter confirmatio sit actus jurisdictionis & judicialis?

1. Respondeo ad primum: Esse actum jurisdictionis, eò quòd potestas confirmandi sit potestas jurisdictionis, Lott. *l. 2. q. 18. n. 28.* citans Butrio. *in c. 1. n. 9. de translat. Prælator.* Seraph. *decis. 637. n. 1.* Pass. *cit. c. 33. n. 139.* ubi: Evidens est, non convenire alicui, ut privatæ personæ, quod ei convenit ratione publici officii & administrationis publicæ jurisdictionis; at verò potestas confirmandi est potestas publica, & non nisi ratione publici officii habet, ut sit Judex, ad quem pertineat vel confirmare, vel cassare electiones: unde & confirmatio subjectionem in persona electi respectu confirmatoris supponit; cùm fieri debeat per Superiorem, Lot. *loc. cit. nn.* 27. citans Host. *in sum. de elect. n. 27.*

2. Respondeo ad secundum: Tunc duntaxat confirmationem dici actum, seu confirmationem judicialem, quando fuit in formali judicio obtenta, Lott. *l. 3. q. 17. n. 313.*

PARAGRAPHUS II.

De virtute confirmationis, deque eo, quid possit, vel non possit electus ante & pòst confirmationem.

Quæstio 423. Quæ sit virtus confirmationis in ordine ad supplendos & sanandos defectus commissos in electione?

1. Respondeo primò: Electio ipso jure nulla ob defectum juris naturæ vel Divini (intellige etiam positivi) nullâ potestate potest confirmari validè. Siquidem Princeps supplere nequit & sanare defectus, in quibus dispensare nequit; tales autem defectus naturales, seu juris naturæ aut Divini sunt absolutè indispensabiles respectu cujuscunque potestatis humanæ, Pass. *de elect. c. 33. n. 167. in fine.* citans Lavor. *de elect. c. 25. n.* 72. Laym. *in c. Sicut grave, n. 3* (exemplificans hoc in contractu usurario, qui ex nullius Principis confirmatione, etsi ea dicatur facta ex certa scientia, potest validari, ut Imol. *in cit. c. Sicut grave in fine.* Abb. *n.* 5.) Donat. *tom. 2. p. 1. tr. 7. q.* 13. *n.* 2. ubi etiam ponit pro exemplo electionem, in qua desideratur consensus majoris partis, quem dicit esse de forma & naturali substantia electionis. pro quo citat Castell. *de elect. c. 4. n. 45.* & DD. communiter *in c. Quod sicut, de elect.* Hoc verum, posse taliter electum confirmari in hoc sensu, quòd non obstante tali electione possit à Superiore, qui aliàs independenter ab electione eidem de illo beneficio aut Prælatura providere potest, promoveri ad illam; non tamen per hoc, ut patet, convalidatur illa electio, aut electus, ne quidem partialiter, vi illius promovetur; sed & dicitur absolutè provisus à tali Superiore, v. g. Apostolicus, si à Papa.

2. Respondeo secundò: Electio ipso jure nulla ob defectus juris positivi humani confirmatur validè ab eo confirmatore, qui potest ac vult defectus illos supplere, seu sanare, Laym. Donat. Pass. Lavor. *ll. cit.* Etsi autem hi AA. in terminis non loquantur de electione ipso jure nulla, patet tamen & hanc ab illis comprehendi ob rationem ab iis datam; nempe ut Laym. quia Princeps approbans seu confirmans actum ex certa scientia (intellige de invaliditate illius) hac confirmatione sua tribuit illi jus & valorem, quem de se non habebat; habétque se jam actus ille, ac si ab initio defectibus illis caruisset. De cetero electio ob tales defectus ipso jure nulla omninò invalidè seu nullatenus confirmatur aut sanatur ab eo, qui super illis defectibus dispensare nequit; accessorium enim (quale quid est confirmatio respectu electionis) sequitur naturam sui principalis, *reg. 42. in 6. inter delectos, de fide instrum.* Et sic, ubi electio est ipso jure nulla, superveniens quoque ei confirmatio à tali est ipso jure nulla; quod enim jus ipsum irritat, si confirmetur (intellige ab eo, qui in illo jure dispensare nequit) eodem jure est, & semper manet invalidum, irritum, inane, Pass. *loc. cit.* Donat. *loc. cit. q. 12. à n.* 1. cum communi. Atque ita in hoc sensu valet commune dictum AA. ubi electio vitiosa est, & non tenet, confirmatio non prodest, pro quo Pass. citat Gl. *in c. 1. v. Irritum, de postul. in 6.* Abb. *in c. Ad probandam, n. 19. de re judicat. n. 5.* Tamb. *de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1. n. 24.* Lavor. *ubi ante, &c.*

3. Respondeo tertiò: Ut talis electio ipso jure

nulla

nulla validè confirmetur à tali potente super illis defectibus dispensare, necesse est, ut confirmatio illa procedat ex certa illius confirmatoris scientia de illis defectibus. Donat. *cit. q.* 13. *n.* 4. Laym. Pass. *ll. cit.* Unde si confirmatio repentè & sine cognitione causæ & electionis à parte rei invalidæ facta, etiam à tali, qui aliàs posset super illis defectibus dispensare, non supplentur illi defectus. Pass. *loc. cit.* Idque ex defectu intentionis; cùm confirmator non inquirens de validitate electionis non censetur (ubi aliud non exprimit) voluisse confirmare electionem aliam, quàm validam; jam autem, ut Lott. *l.* 2. *q.* 56. *n.* 38. natura confirmationis est, ut id, quod confirmat, saltem in intentione agentis sit validum; quippe confirmatio dicitur quasi cum aliis firmatio. Porrò ut confirmatio censeatur valida in hoc casu, necesse est, ut hoc ipsum, nempè quòd procedat ex certa scientia & plenitudine cognitionis, significet & exprimat Princeps. Laym. *loc. cit.* Donat. *cit. q.* 13. *n.* 3. ubi: quia jus positivum Canonicum non potest abrogari, nisi de expressa scientia Papæ, quæ non præsumitur, sed debet expressè constare; confirmatio enim, quæ datur citra expressionem certæ illius scientiæ, & hinc dicitur confirmatio in forma communi, jus aut valorem actui non tribuit, sed supponit, ideóque approbat actum, quatenùs de jure validus est, juxta *c.* 1. & 2. *de confirm. util. vel inutil.* Laym. *loc. cit.*

4. Respondeo quartò: dum verò fit in casu hoc confirmatio ex certa scientia, idque exprimitur, videndum adhuc est, qualiter idipsum exprimatur; nam si in specie exprimantur istiusmodi defectus substantiales dispensabiles, seu dicat confirmator, supplete hunc vel illum defectum, dubium non est, quin validè confirmetur talis electio. Pass. *l. cit.* Item si adhibeat clausulam generalem: *Supplentes ex plenitudine potestatis omnem defectum:* si talis confirmatio ex certa scientia fiat à Papa vel ejus Legato, electionem aliàs invalidam fieri validam, asserit Pass. *loc. cit.* ex Abb. *in c.* 1. *de confirm. n.* 6. & 7. Biax. *de elect. p.* 3. *c.* 43. *n.* 11. Peyt. *in formular. lit. c.* 28. *n.* 4. quamvis ipse Pass. addat, adhuc per illam clausulam non supplendos defectus substantiales, (hoc est, ut Donat. *cit. q.* 13. *n.* 1. qui lædunt formam, reddúntque electionem ipso jure nullam) sed solùm accidentales, (hoc est, ut idem Donat. dum neglecta fuit solennitas aliqua juris positivi, ex quo reddatur electio solùm annullanda) supplendos verò & illos, si in genere dicatur: *Supplentes omnem defectum, etiam substantialem.* Pass. Biax. Peyt. *ll. cit.* Quod ipsum verum ait Pass. etiam, ubi inferior Papa confirmat quoad defectus, super quibus is dispensare potest. Sic etiam, dum dicitur in genere: *Confirmamus ex certa scientia, vel per plenitudinem potestatis, ut vires habeat perfectissima notionis, &c.* non censeri adhuc supplere defectus, qui specialem dispensationis expressionem desiderant, cujusmodi est personæ inhabilitas; vel si confirmatio cedat in præjudicium aliorum, tradit Laym. *loc. cit.* exemplificans id confirmatione electionis factæ de intruso, quam, etiamsi fieri dicatur ex certa scientia, ait, censeri subreptitiam, nisi mentio fiat intrusionis. Similiter si alicui possessiones per violentiam acquisitæ confirmentur ex certa scientia, confirmationem subreptitiam censendam ait, nisi fiat mentio violentæ occupationis, vel nisi aliunde constet, Principem ejus notitiam habuisse; pro quo citat Bertach. *in repertor. v. confirmatio privilegior.* Tusch. *eod. v. concl.* 710. *n.* 22. Tabien. *eod. v. n.* 15. *&c.*

5. Respondeo quintò: electionem de jure cassandam non licet confirmare; non enim licet facere contra juris prohibitionem; adeóque cùm lex velit, electionem annullandam, haberi & judicari nullam, seu annullari, non licebit facere contrarium, & illam habere validam, seu confirmare. Pass. *cit. n.* 167. ad initium. Sed neque electionem jure solùm annullandam ullas recipere vires per talem confirmationem, (intellige factam per inferiorem, qui in lege Canonica dispensare nequit) tradit Donat. *cit. q.* 13. *n.* 4. citans *c. quod sicut. de elect. §. etiam confirmata,* quia vim ab inferiore habere non potest, quod Superior præcipit infirmari. Pass. *loc. cit.* Quamvis is dicat, talem confirmationem non esse nullam ipso jure, sicut nec electio est irrita ipso jure; cùm factum contra legem non sit statim irritum ipso jure, nisi lex idipsum præcipiat; esse tamen cassandam talem confirmationem non secùs ac ipsam electionem. Ex quibus tamen illud sequi videtur, quòd, sicut electio talis cassanda, si non cassatur à Superiore seu confirmatore, tenet mero jure; sic quoque supervenientem illi confirmationem tenere mero jure, quamdiu illa non cassatur à Superiore confirmatoris talis perperàm confirmantis.

6. Respondeo sextò: quod attinet ad stylum sanandi electionis nullitatem, illum esse antiquum Sedis Apostolicæ stylum, & de præsente adhuc continuari solitum, ait Card. de Luca *de regular. d.* 3. *n.* 5. quòd, ubi electionis nullitas non provenit ex culpa inexcusabili de facto, adeò, ut tam in eligentibus, quàm in electo mala fides non dignoscatur, & eorum, quæ gesta sunt, retractatio aliquod scandalum vel grave præjudicium parere potest, tunc nullitatem sanare soleat, sive electum cassatâ electione ex sua auctoritate eidem muneri præficere. Eundémque etiam frequenter dicit stylum esse S. Congregationis propositæ negotiis Episcop. & Regular. in electionibus Provincialium vel Superiorum localium; nempè quòd, ubi etiam electio de stricta juris censura sit nulla, adhuc tamen rescribere soleat, ut electus (præsertim, ubi electio non est integra) in suo munere continuet, tanquam ab ipsa Congregatione deputatus, ut etiam dicit practicasse sæpè in electione Vicarii capitularis. Eadem ferè habet *loc. cit. d.* 12. & *d.* 53. *n.* 4.

Quæstio 424. Quid operetur, seu quid juris ultra id, quod electo per electionem quæsitum, tribuat confirmatio?

1. Respondeo: in hoc puncto valdè inter se dissidere AA. Nam primò jus ipsum prælaturæ, & jus eandem administrandi tribui electo vi electionis, & per confirmationem nihil juris, sed solum exercitium juris quæsiti tribui, tenet Gl. *in c. quanto Apostolica. d.* 63. apud Pass. *l. cit. n.* 6. Item tenuit Rota apud eundem *ibid.* coram Gregor. XV. *decis.* 240. *n.* 17. *p.* 5. *recent.* & *decis.* 444. *n.* 15. dum dicit, electionem esse potentiorem confirmatione, quia per electionem plenum jus acquiratur, per confirmationem verò nihil novi, sed tantùm exercitium, ut Oldr. *cons.* 146. *n.* 4. Item Selva *de benef. p.* 3. *q.* 1. *n.* 11. asserens, per electionem acquiri jus in re, per confirmationem verò acquiri solùm hujus juris corroborationem & exercitium; citatur quoque pro hac sententia à Pass. Lamb. *de jurep. l.* 2. *q.* 1. *a.* 4. *n.* 2. & *p.* 2. *l.* 2. *q.* 5. *a.* 8. *n.* 1. Eandem tenet Donat. *in pr. resolut. rer. Reg. tom.* 2. *tr.* 6. *q.* 19. *n.* 3. hisce expressis: quamvis sola electio faciat Prælatum, & quærat jus electo, & per confirmationem nihil novi juris illi quæratur, sed solum exercitium juris per electionem quæsiti. Et *tr.* 7. *q.* 12. *n.* 1. confirmatio est juris priùs habiti per electionem. (Pro quo ibidem citat Castel. *de elect. c.* 54. *n.* 5. Peyr. *in subd. q.* 1. *c.* 21. §. 11. *in probat.* 2. *concl.* 8.) Item *tom.* 3. *tr.* 2. *q.* 11. ubi ait: confirmare electum, in rigore non est dare officium. Sequi quoque illam doctrinam videtur Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 110. ubi: confirmatio nihil juris addit confirmato; quamvis *q.* 18. *n.* 18. & *l.* 1. *q.* 27. *n.* 1. teneat contrarium hisce expressis: ex sola electione, quæ exspectat adhuc confirmationem, non est dubium, vix quæri jus ad rem. Parum aut nihil in substantia ab hac sententia discrepant, qui docent electionem dare jus & potestatem administrandi in habitu, non in actu; atque ita electionem dare potestatem, sed veluti ligatam, & non expeditam, & à confirmatione dependentem, quantùm ad exercitium agendi, ut Abb. *in cap. postquam. num.* 2. *cap. transmissam. num.* 3. *cap. sacrosancta. n.* 4. *de elect.* apud Pass. *loc. cit.* Et ne sibi contradicere videatur Abbas, dum *in c. cùm in jure. n.* 3. & *cap. nihil. n.* 10. *de elect.* fatetur, electio-

rem non tribuere jus plenum, id ita explicat, ut eatenus non tribuat jus plenum, quatenus non dat administrandi exercitium. Cui Abbatis doctrinæ in hoc sensu inhærent Lavor. *de elect. c.* 25. *n.* 3. Sigism. à Bonon. *de elect. dub.* 42. *n.* 2.

2. Econtra electionem non dare jus in re, nempè in prælatura vel beneficio, seu potestatem ipsam administrandi, sive temporaliter sive spiritualiter, sed solùm jus ad rem, nempe ad Prælaturam, & ad dictam potestatem habendam & exigendam, tenent Pass. *loc. cit. num.* 7. dicens communiorem & veram. Item *nu.* 8. ubi: Electus vi electionis, neque est Prælatus, neque spirituale matrimonium contraxit cum Ecclesia; adeóque nec habet potestatem, quæ officii sunt, ad quod eligitur, sed habet solum jus ad rem revocabile vel confirmabile per Superiorem, citat pro hoc Gl. ordinar. *in c. Nosti, in c. Qualiter, in c. Transmissam, de elect.* Rotam. *decis. ult. de elect. in novis.* Felin. *in c. Cum Bertoldus, de accusat. num.* 2. 3. 4. Nav. *in c. Si quando, de rescript. excep.* 10. *nu.* 13. Staphil. *de lit. grat. tit. de modis provision. nu.* 5. Rebuff. *in pr. tit. ad regulam, de non tollendo jure quæsito. Gl. num.* 46. Corasf. *de benef. p.* 4. *c.* 1. *nu.* 14. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 28. *num.* 8. Garc. *p.* 4. *c.* 3. *num.* 3. Tambur. *de jure Abb. To.* 1. *d.* 6. *q.* 1. *num.* 2. & 20. & plurimos alios, quibuscum sentit Pirh. *ad tit. de elect. num.* 304. Lott. *loc. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. *q.* 4. Laym. *ad c. Nihil, de elect. num.* 11. ubi: Per electionem non acquiritur beneficii titulus, aut quasi dominium ejus, sed per sequentem confirmationem Superioris, citat is se ipsum *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *q.* 1.

3. Probatur hæc sententia efficaciter ex eo, quod, dum electus ante confirmationem moritur, non viduatur de novo Ecclesia sponso suo, neque vacat Prælatura per talis electi non confirmati mortem, sed pergit vacare eadem vacatione, qua vacabat ante illam electionem per mortem prioris Prælati, ut cum communi juxta dicta à nobis sæpè aliàs tenet Pass. *cit. num.* 8. citans Rotam *ubi antè.* Felin, &c. Laym. *Th. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *num.* 2. Donat. *cit. q.* 19. *num.* 4. juxta *c. Quam sit, de elect. in* 6. Quod nequaquam dici posset, si electus non confirmatus in eadem Prælatura jus habuisset, ac vi electionis sponsus illius Ecclesiæ fuisset. Unde non capio, quod Donat. *loc. cit. num.* 2. 3. 4. ait: Quamvis vinculum spirituale matrimonii contrahatur per solum consensum eligentium & electi; & quamvis sola electio faciat Prælatum, & quærat jus electo, & per confirmationem nihil novi juris quæratur, nihilominus ante confirmationem Ecclesia dicitur vacare, & durat prima vacatio usque ad confirmationem, & per confirmationem vacare desinit, &c. cùm ex communi Beneficialistarum per mortem illius verè vacet beneficium, qui in eo intitulatus, verum in eo jus ac quasi dominium illius habuit, etiamsi nunquam possessionem illius accepisset; quin & ab exercitio Prælaturæ vel officii fuisset suspensus, etiam censura Ecclesiastica. Item probatur ex eo, quòd, ut habetur *c. Inter corporalia, de translat.* Episcopus confirmatus ex vi juris Divini non potest cedere Episcopatu sine licentia Papæ; possit autem electus Episcopus ante confirmationem cedere sine licentia Papæ, & quidem in manibus non Superioris, sed Electorum juri quæsito per electionem, ut eum Gl. *in c.* 2. *de Restit. in integ. v. Renunciavit, in c. Inter corporalia, de translat. v. Confirmatus, in c. Cum inter, de elect. v. Conjugale,* AA. passim, ut videre est apud Pass. quod argumentum est manifestum, conjugium illud spirituale non contrahi electione sola & electi consensu, Pass. *loc. cit. n.* 8.

4. Probatur & alia ratione à priore à Pass. *loc. cit. n.* 7. electum ad Prælaturam, quæ est cum jurisdictione (idem est de officiis aliis Ecclesiasticis, quæ sunt cum sola administratione) vi solius electionis non habere jurisdictionem (adeóque jurisdictione uti non posse, non quia habet eam ligatam & impeditam, sed quia nullatenus eam habet) neque eam habere posse vi electionis ab Electoribus; siquidem nemo dat, quod non habet; at Electores ad ecclesiastica ministeria non habent potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ, utpote quam Christus soli Petro ejusque successoribus commendavit, ita ut Ecclesia ut distincta à suo capite summo Pontifice nullam habeat jurisdictionis, seu spiritualis gubernationis potestatem, sed illius sit, pasci & gubernari, (uti etiam id tradit Laym. *in c. Cum venerabilis, de consuetud. n.* 3. ubi: Quòd Ecclesiæ ministri & Prælati non sint capaces jurisdictionis consequendæ & exercendæ, nisi cum ordine ad Papam, à quo tanquam capite omnis Ecclesiastica potestas in inferiores ministros convenienti ordine descendit, pro quo citat seipsum, *Theol. mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 2.) unde illa sua electione non dat potestatem hanc jurisdictionis, sed solùm id, quod Christus & summi Pontifices concessere, ut daret; potestatem enim eligendi ad officia Papatu inferiora non habet, nisi ex summorum Pontificum auctoritate, qui concedentes Electoribus electionem puram, & reservantes sibi vel aliis Prælatis confirmationem vel institutionem, sibi quoque vel aliis reservârunt facultatem largiendi potestatem officiorum Ecclesiasticorum, quam tamen legitimè electis promiserunt. Unde jam ex eo, quòd detur potestas absque eo, quòd detur illius exercitium (ut videre est in ordinato in sacerdotem, cui vi ordinationis datur potestas remittendi peccata, negato illi ejusdem potestatis exercitio, usque dum subjiciatur ei populus, in quem illam exerceat. Item in consecrato in Episcopum nullâ assignatâ ei diœcesi) pessimè infertur, sic contingere in electione. Quinimò, cùm per electionem electo determinetur materia seu populus exercendæ potestatis; quia eligitur Præsul determinatæ Ecclesiæ, si reverà per electionem acciperet hanc potestatem, ex hac saltem parte nihil deesset, quò minus etiam simul per eam haberet hujus potestatis exercitium, Pass. *loc. cit. n.* 9.

Quæstio 425. An, & qualiter legitimè electus ante confirmationem habeat jurisdictionem, seu potestatem administrandi ea, quæ sunt beneficii seu Prælaturæ, saltem in habitu, seu quò ad actum primum?

Respondeo: Non convenire in hoc AA. nam quidam cum Gloss. *in c. Quanto, d.* 63. *v. Relatio, vers. Si quæras*, tenent, habere illum eam in habitu, seu quò ad actum primum, non item quò ad actum secundum, seu quò ad exercitium, sic docet Lotter. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 76. ubi: Secutâ in tempore acceptatione electi, similque petita electionis confirmatione (in quibus duobus consistit officium electi) censetur electo jus Prælaturæ acquisitum in habitu, non tamen etiam in actu & exercitio, citat pro hoc Abbatem *in c. Nosti de elect. n.* 2. Felin. *in c. Cùm Bertoldus, n.* 2. *de sent. & re judicat.* Sigism. de Bonon. *de elect. p.* 1. *c.* 6. *dub.* 44. *n.* 1. *&c.* Et ne censeri posset loqui de jure Prælaturæ acquisito in habitu seu tantùm in actu primo proximo, addit Lott. *n.* 77. & 78. quod enim dicitur, electum ante confirmationem non habere plenitudinem officii, à quo pendet administrandi potestas, juxta *c. Nihil, de elect.* intelligitur de exercitio, non de jure ipso administrandi, ut Præpos. *in c.* 1. *d.* 23. *n.* 23. Econtrà probabiliùs & conformiùs his, quæ dicta sunt à nobis *Quæst. præced.* tradunt alii, per electionem ab Episcopo alióve Prælato acceptatam (seclusa speciali concessione Sedis Apostolicæ) non acquiri jurisdictionem & potestatem illam, ne quidem in actu primo, sed purè solùm jus petendi illam à Superiore seu confirmatore conferendam; eò quòd jurisdictio illa & potestas non detur, nec dari posset, ut dictum, ab Electoribus; ita docent Laym. *ad c. Nosti, de elect. n.* 1. citans seipsum *Theol. moral. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 2. & ex eo Pirh. *ad tit. de elect. n.* 228. Verùm supponendo etiam tantisper primam sententiam, seu quòd reverà jus ipsum seu ipsam jurisdictionem & administrationis potestatem habeat, est

Quæ-

Quæstio 426. An, & qualiter legitimè electus, postquam electioni consensit, administrare actu possit, seu habeat exercitium administrationis ante confirmationem tanquam principalis?

1. Respondeo in genere: Vetitum est electis, ne se ingerant administrationi ante confirmationem, sive omnis illis interdicta est administratio, c. *Nosti*, & c. *Qualiter*, *de elect.* Azor. p. 2. l. 3. c. 17. q. 14. Lott. l. 3. q. 17. n. 289. & l. 1. q. 27. n. 3. Pass. *de elect.* c. 33. n. 2. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. d. 6. q. 2. n. 3. Prohibetúrque administrare tam in temporalibus quàm spiritualibus; tam in partem quàm in totum; tam per se quàm per alios, & quovis alio colore quæsito, ut expressè constituitur c. *Avaritiæ*, *de elect. in* 6. quòd enim ibi dicitur de administratione facta ab electo sub titulo œconomi aut simili, idem censendum de administratione, quam electus exercet ut principalis, Pass. *loc. cit.* Quin etiam tam directè quàm indirectè, ut Tamb. Exstat quoque constitutio 86. Pii IV. in qua specialiter circa Abbatias, Præposituras, aliásque Dignitates conventuales interdicitur hæc administratio, Pass. & Tamb. *ll. cit.*

2. Talis actus administrationis prohibitus ante confirmationem, ut constat ex c. *Qualiter*, est, si electus à subditis, sive laicis, sive Clericis, exigat & recipiat juramentum fidelitatis, vel promissionem obedientiæ, Pass. *loc. cit.* n. 3. citans Abb. *in c. Qualiter*, n. 1. Barbos. *ad cap. Avaritiæ*, n. 9. & *de off. Episc. alleg.* 57. n. 204. Per hoc verò, quòd permittat neo-electus se installari, seu poni in stallo, seu sede Prælati, non censetur immiscere se administrationi Prælaturæ; quia hæc installatio non est administratio officii, seu Prælaturæ, sed signum quoddam, ut Pass. vel etiam immissio aliqua in possessionem, ut Pith. eámque generalis consuetudo excusat Pass. *loc. cit.* n. 3. Pith. *de elect. n.* 290. citans Abb. *in cap. Qualiter*. n. 1. Innoc. *ibid. v. Immiscuit.*

3. Ratio autem, cur electus jura Ecclesiæ & Prælaturæ administrare non debeat ante confirmationem, est; quia aliàs confirmatio nihil, aut vix aliquid operaretur, si ante illam competeret potestas actu administrandi, neque is multum sollicitus foret de obtinenda confirmatione, ne se periculo cassationis electionis exponeret; & si quando contingeret cassari electionem, non ita facilè à Prælatura, quam jam administrare cœpit, removeri posset, Azor. *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de elect. n.* 287. citans Host. *in c. Qualiter*, *de elect. ad initium.* & Gl. *in cap. Avaritiæ*, v. *Confirmetur*. Porrò hæc intelligenda, quantùm est ex vi electionis, & quantùm est de jure communi, sub limitationibus tamen etiam, de quibus paulò post.

Quæstio 427. An saltem ut œconomus, vel ut Procurator, similive titulo non principali administrare possit?

1. Respondeo: Negativè, Lott. *lib.* 1. q. 27. n. 4. & 5. Pass. *l. cit.* n. 4. Pirh. *ad tit. de elect.* n. 29. cum communi, juxta expressum textum *cap. Avaritiæ*, *de elect. in* 6. qui Canon emanavit à Gregor. X. in generali Concilio Lugdun. ad obviandum fraudibus, quas quidam consueverant facere legibus vetantibus neo-electis administrationem ante confirmationem, dum hi avaritia & ambitione eos impellente procurabant interim, usque dum confirmarentur, committi sibi tanquam œconomis vel procuratoribus, simili ve titulo prælaturam, seu beneficium. Hinc statutum in dicto *cap.* ne quis administrationem dignitatis, ad quam electus sub titulo œconomi aut procuratoris alióve quæsito colore (v. gr. Vicariæ aut Commendæ, vel ut Canonicus ejusdem Ecclesiæ, ut Pirh. *loc. cit.* juncta Gl. *hic v. colore*) in spiritualibus (quale est infligere censuram, dispensare, &c.) vel temporalibus (ut est recipere census, debita, habere curam colligendi & conservandi fructus, ut Pirh. cum eadem Gl. v. *In spiritualibus*) per se, vel per alium, in toto vel in parte (sive in judicio, sive extra illud, ut Gl. v. *Gerere*) recipere, vel illi se ingerere præsumat, & qui secus facit, jure electionis, si quod per illam ei quæsitum, ipso jure sit privatus.

2. Unde jam etiam, licèt non solùm à Papa ex certa scientia & causa cognita soleat quandoque deputari tantisper Ecclesiæ vacanti œconomus, etiam ipse electus, cum libera tam in spiritualibus quàm temporalibus administrandi facultate, Laym. *in c. Cùm nobis*, *de elect. n.* 8. Lott. *l.* 3. q. 27. n. 295. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 292. Pass. *cit. n.* 4. ut constat ex *cit. c. Cùm nobis*. Quamvis etiam respectu dignitatum inferiorum à Cathedrali (de qua aliàs solùm loquitur *cap. Cùm nobis*) inferioribus Papa sit permissa deputatio œconomi, ut Lott. *l.* 3. q. 27. n 296. ex Abb. *in cit. c. Cùm nobis*, *n.* 6. nullatenus tamen iis concessa est potestas deputandi pro œconomo eundem met electum; quia lex, nimirum *cap. Avaritiæ*, illum ad hoc inhabilitat, in qua lege inferior dispensare nequit, Lott. *loc. cit. n.* 297. & 298.

3. Sic etiam, etsi penes Capitulum sit administratio, tam in spiritualibus quàm temporalibus, possitque eam alteri committere, nunquam tamen potest eam committere ipsi electo; quia alioqui fieret adhuc fraus ipsi legi prohibenti, ne is administret, Pirh. *loc. cit.* Quin etiam, si contingeret, quòd Ecclesiæ procurator aut œconomus (intellige constitutus ad liberum alicujus arbitrium, v. g. à Capitulo sede vacante, vel, si sermo est de Prælato Ecclesiæ inferioris, ab Episcopo; secus enim esset de eo, qui ex consuetudine Ecclesiæ alióve jure speciali debebat deputari œconomus, ut Lott. *l.* 3. q. 17. n. 10. juxta mox dicenda) eligeretur in Prælatum, illum debere statim cessare ab administratione œconomiæ, tradit Bass. *cit. n.* 4. *ad initium*, citans Jo. And. & Gemin. *in c. Avaritiæ*, *n.* 4. Verall. qui dicit se habuisse à compositoribus in Concilio Lugdun. unde desumptus iste Canon *Avaritiæ*, & hoc fuisse de eorum mente.

4. Neque obstat his, quòd dicatur S. Congregatio *Anno* 1593. ad interrogatum illud: Num dignior (intellige ex concursu) ante confirmationem possit gaudere fructibus parochialis sub prætextu Rectoris, Commendatarii, seu Vicarii? Respondisse, ut refert Garc. *de benef. p.* 9. c. 2. n. 21. apud Pass. *cit. n.* 4. illum ante collationem non posse percipere fructus, nisi ut administratorem. Nam, ut ait Garc. *loc. cit.* n. 25. id obiter fuit dictum, & non principaliter, vel, ut melius Pass. non satis constat de illa declaratione, seu num sit authentica. Ad hæc in dicta declaratione est sermo de parochiali; cùm tamen c. *Avaritiæ*, loquatur tantùm de beneficiis sonantibus in dignitatem. Adde, quòd *cit. cap.* loquatur de electo canonicè, seu ab Electoribus confirmando; non verò de electo digniore ex pluribus dignis ab Episcopo, deinde providendo per collationem.

5. Posse nihilominus aliquem, cui ex privilegio vel consuetudine competeret administratio Episcopatûs vel Prælaturæ vacantis, si eligeretur ad eam, eandem administrare ante confirmationem, tradit Pirh. *cit. n.* 292. *in fine*, citans Franc. *in cit. c. Avaritiæ*, n. 1. Item Lott. *l.* 3. q. 17. n 310. dicens: In eo casu cessare commentum fraudis, & hinc talem posse impunè continuare administrationem ante confirmationem; citat pro hoc Gemin. *in c. Avaritiæ*, n. 4. Anchar. n. 3. Butrio n. 3. Quin etiam posse administrare, etiam sub nomine œconomi, etiamsi hos procurâsset, ubi ageretur de electo ultra montes, quippe cui aliàs, ut per se administrare possit ante confirmationem, conceditur vi c. *Nihil*, *de elect.* tradit Lott. *loc. cit. num.* 308. & 309. citans Jo. Monach. Gemin.

Quæstio 428. An solùm lege positivâ humanâ, an verò etiam ex Lege Divina vetita sit administratio ante confirmatio-

mationem, & opus illa ad administrandum?

Respondeo: Resolutionem hujus quaestionis ex eo pendere, num potestas administrandi & agendi, quae spectant ad dignitatem, officium, beneficium, ad quod quis eligitur, habeatur per ipsam electionem; an verò ea potestas priùs conferatur per ipsam confirmationem. In qua secunda sententia, quam nos amplexi sumus, ubi quod electo per electionem non conferatur jus in re, seu jus ipsum & titulus Praelaturae, sed solùm jus ad illam, indubitato vetita est ex lege, etiam divina connaturali institutioni electionis canonicae ad officia Ecclesiastica, praecipuè ad Praelaturas habentes potestatem Ordinis & jurisdictionis, administratio ante confirmationem: Et sic de jure naturae actus exercitus à non habente potestatem illum exercendi est nullus, & illum agere illicitum, Pass. *cit. c. 33. n. 5. juncto n.* 10. & 11. Addit tamen Pass. *n.* 10. quòd confirmatio jure Divino sit necessaria, id intelligendum de confirmatione necessaria sub disjunctione; nempe vel in se, vel in alio aequivalente; eò quòd Papa concedere possit, ut electio sit simul confirmatio, & quòd electus ex vi electionis habeat potestatem jurisdictionis.

Quaestio 429. An igitur per legitimè electum gesta ante confirmationem sint nulla?

1. Respondeo: Omnia, quae talis ingerens se administrationi ante confirmationem ratione officii vel jurisdictionis usurpatae in vim electionis à se acceptatae gessit, sunt revocanda & rescindenda (intellige tanquam irrita & nulliter facta) Laym. *ad c. Qualiter, de elect. n. 3.* Pith. *ad tit. de elect. n. 290.* Pass. *cit. c. 33. n. 3.* quia ea, quae ex tali, vel ob talem electionem non confirmatam gesta sunt, expressè Papa *in cit. c. Qualiter, 17. de elect.* pronunciat penitus non tenere. Idque ex defectu potestatis in operante non ligatae solùm, sed nullatenus existentis, juxta dicta *quaest. praeced. & supra.* Secus ac accidit in Episcopo, aliòve Praelato legitimâ Superioris authoritate instituto vel confirmato, licèt invalidè ob occultum vitium; eò quòd cum titulo colorato, & cum errore communi, seu defectu publicè ignorato administravit, quae erant muneris & officii, ad quod institutus vel confirmatus, Laym. Pith. *ll. cit.* Argumento *l. Barbarius. ff. de off. Praetor.*

2. Hinc jam electus in Episcopum ante confirmationem non potest solenniter benedicere, Pass. *cit. n. 3.* citans Gemin. *in c. Avaritia, n. 5.* & Franc. *n. 4.* Non potest conferre beneficia suae dioecesis, Pass. *loc. cit.* citans Selv. *de benef. p. 2. q. 15. ad initium.* Rebuff. *de pacif. poss. n. 251.* Barbos. *ad cap. Nosti, de elect. n. 2.* Pith. *l. cit. n. 288.* Quod intelligendum de beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi, quà talis, seu quà Ordinarii, seu jure ordinario. Vide de hoc dicta alibi, ubi de collatoribus beneficiorum. Quòd autem dicitur *in fine, c. Nosti, de elect.* ut Episcopus electus non confirmatus collationes beneficiorum à se factas revocare studeat, id ita intelligendum; quòd de facto solùm revocare debeat, non de jure; cùm de jure fuerint invalidae: & sicut Episcopus ante confirmationem non habuit potestatem ea conferendi, sic nec habet eam ad illa auferenda, Pith. *cit. n.* 288. qui etiam addit ex Laym. quòd Papa per hoc aliud nihil significare voluerit, quàm ut significetur, Episcopo electo insinuandum esse, ut collationes à se factae revocentur; non quidem sua auctoritate eas rescindendo; sed ut intimetur provisis, collationes ipsas factas esse ipso jure manifestè irritas. Quòd si autem provisi ab eo beneficia illa dimittere nollent, cogendi forent; non quidem ab Episcopo electo, sed à Capitulo, penes quod ante confirmationem Episcopi residet interim jurisdictio Episcopalis, Pith. *loc. cit.*

3. Sic quoque nulliter administrat bona temporalia, & contractus ab eo initi sunt nulli, Pass. *loc. cit.* ubi etiam addit, hinc colligi ab AA. quòd debitores Praelaturae, si solvant illi electo non confirmato, non liberari à debito, quod minùs rectè ait limitari ab Abbate, ut tales debitores solvendo evadant liberi à debito, ubi obligati fuissent in contractu cum eodem electo inito, etsi super bonis Ecclesiae; eò quòd Ecclesia debeat servari indemnis, & tales debitores etiam ratione rei, quam acceperunt, teneantur reddere, quia res est & manet Ecclesiae, eique, ubi fructifera est, fructificat, & quia talis contractus cum tali initus fuit injustus & nullus.

Quaestio 430. Num igitur lex illa de non administrando ante confirmationem, praecipuè contenta in decretalibus illis, Nôsti 9. qualiter. 17. de elect. & Avaritiae. 5. de elect. in 6. *sit universalis, extendens se ad omnia beneficia & omnes dignitates?*

1. Respondeo primò, legem illam naturalem, ut nullus purè electus administret aut ministrare valeat, universalem esse, extendentem se ad omnia officia & beneficia Ecclesiastica, ad quae quis eligitur, dubium non est, ob rationis identitatem respectu omnium, nempe defectum potestatis. Pass. *cit. c. 33. de elect. n. 11.*

2. Resp. secundò, legem etiam illam humanam contentam *in c. nôsti. & in c. qualiter.* universalem esse, & comprehendere beneficia omnia electiva. Pass. *loc. cit.* citans Bald. Butrio & Rotam *coram Crescent. decis. 6. de surep. n.* 14. eò quòd his decretalibus non tam lex imponitur, quàm lex universalis supposita declaretur; dum in utraque hac decretali assignetur ratio de se universalis & absoluta, ac formalis non administrandi ante confirmationem, nempe defectus potestatis: supponunt enim hi Canones, electionem non dare potestatem administrandi; adeoque cùm non habeamus expressam legem anteriorem positivam vetantem illam administrationem, lex illa, quam hi Canones supponunt, est lex illa Divina universalis.

3. Respondeo tertiò, similiter, quòd Canon ille *avaritia* (licèt lex sit poenalis. Pith. *ad tit. de elect. n. 291. notando* 3. Pass. *loc. cit. n.* 12. citans Barbos. *ad c. avaritia. n.* 8.) universalis sit, & extendat se ad omnia beneficia, tradunt Pith. *loc. cit.* & quos citat Pass. nempe Mandos. *de sign. grat. tit. de privat. vers. dubitabatur.* Franc. *in c. avaritia. n.* 2. Gabr. *cons.* 199. *l.* 1. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 216. & Rota *in Eugubin. Canonic. an.* 1561. Item Lott. *l. 2. q. 13. n.* 4. Tum quia in hac decretali fit mentio de electo ad regimen cujusvis Ecclesiae. Pith. *loc. cit.* tum quia constitutio, etiam poenalis emanans ad coadjuvandum jus antiquum (qualiter haec decretalis emanavit ad confirmandum jus antiquum contentum in illis decretalibus, *nôsti.* & *qualiter.*) est latè interpretanda, ut comprehendat omnia illa in veteri illo jure contenta. Pith. *loc. cit.*

4. Contrarium tamen tenet ipse Pass. *loc. cit. n.* 13. citans pro hoc Less. *de Just. l. 2. c. 34. n.* 15. Gemin. *in c. avaritia. n. fin.* nempe decretalem illam non comprehendere alia beneficia, quae habent (intellige ad summum) administrationem sine jurisdictione, sed comprehendere solùm dignitates, utpote quae solae habent administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione, ac ideo specialis in eis reperiatur ratio, ut ad vitanda majora damna Ecclesiarum speciali poenâ coërceantur electi, dignitates non administrare ante confirmationem. Neque obstare ait, quòd dicto canone dicatur *nullus, &c.* cùm statim se ipsum explicet & restringat, dicens: *Nullus administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam electio confirmetur, gerere praesumat.* Sed & illud principium, quod dicitur in confirmationem prioris sententiae: constitutio poenalis emanans ad jus vetus coadjuvandum debet extendi ad omnia in vetere jure contenta: negat, dicens non

esse

esse Doctorum, regulas constituere agendorum contra regulas juris communis certas, qualis sit illa regula Canonica: ut odia restringantur, non amplientur. *regul. odia. 15.* & quòd in pœnis benignior fiat interpretatio. *reg. in pœnis. 49. de reg. juris. in 6.* Hinc non magis ex eo, quòd cujuscunque beneficii administratio ante confirmationem sit vetita jure Divino, aut lege aliquâ humanâ, sequi, quòd lex pœnalis prohibens administrationem beneficii, quod est cum jurisdictione, extendat se ad omnia beneficia, etiam quæ sunt sine jurisdictione, quàm ex eo, quòd omne mendacium sit jure prohibitum, sequatur, quòd lex pœnalis prohibens mendacium in judicio extendat se ad omnia mendacia. Ex hoc eodem principio negabit utique Pass. nomine dignitatis *in cit. c. avaritiæ.* venire Episcopatum; quod ipsum admittit Pirh. *loc. cit.* ex eodem suo principio, nempè quòd, licèt in materia ambitiosa, odiosa & pœnali nomine dignitatis non veniant Episcopatus, ut Gl. communiter recepta *in c. 2. v. dignitatum. de præb. in 6.* comprehendamt tamen nomine dignitatis in constitutione pœnali confirmante & extendente jus antiquum.

5. Similiter postulatum (quem certum est ante admissionem postulationis administrare non posse, cùm postulatio ne quidem det jus ad rem; quin & jura id ita vetuerint, ut, si is administret ante receptam postulationem, non solùm administratio sit irrita ipso jure, sed & Electores postulatum recipientes sint ipso jure privati potestate postulandi & eligendi. *c. bona. 23. de elect.*) administrantem ante receptionem postulationis non comprehendi *cit. c. avaritiæ*, tenet Pass. *loc. cit. n. 14.* eò quòd privatio juris quæsiti, de qua *etiam Can.* non cadat in postulatum; & cùm speciales Canones specialem suam pœnam statuerint tali postulato, non sit, cur dicamus, eam comprehendi *c. avaritia.* Contrarium iterùm sentientibus, (nempè & illum comprehendi) Pirh. *loc. cit.* & quos citat Pass. Gemin. *in c. avaritiæ. n. 4.* Franc. *n. 2.* Barbos. *n. 6.* *Roman. cons. 330. n. 21.* ad quos accedit Tamb. *de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1.* citatis plurib. Lott. *l. 2. q. 13. n. 3.*

6. Item comprehendi quoque præsentatum ante institutionem administrantem, tenent ferè iidem, ac præcipuè Tamb. citans Mareschot. *var. resol. l. 2. c. 35. n. 45.* Mantic. & alios plures. Lott. *cit. n. 3.* Etsi Pirh. *loc. cit.* Gemin. *loc. cit.* apud Pass. id limitent ad præsentatum ad dignitatem. Contrarium de quocunque præsentato tenente Pass. ac dicente, sic tenere omnes, qui tenent in pœnalibus legibus non fieri extensionem de casu ad casum.

Quæstio 431. An ergo lex illa vetans administrare ante confirmationem nullas patiatur exceptiones seu limitationes? Sive an nulli electi id possint; & si qui id possunt, quinam illi sint?

1. Respondeo: legem illam multiplices pati exceptiones seu limitationes. Pass. *cit. c. 33. n. 34.* Ac quidem

2. Primò generalis limitatio est, ut possit electus non confirmatus administrare, ubi ita suadet necessitas. Lott. *l. 3. q. 17. n. 289.* nec adest, qui confirmare posset; si enim talis adesset, v. g. adesset in Provincia Legatus Apostolicus, qui talem electum confirmare posset, cessaret exinde necessitas administrandi ante confirmationem, cùm ab eo peti deberet. Lott. *loc. cit. n. 293.* citans Archid. & Præposit.

3. Secunda limitatio est, ut, ubi est legitimè præscripta consuetudo administrandi ante confirmationem, interim, dum ea petitur & exspectatur, (quod longè quid diversum est ab eo, num valeat consuetudo administrandi sine confirmatione etiam exspectata, seu non petendi unquam confirmationem, quam consuetudinem suprà rejecimus tanquam irrationabilem) ea valeat, & sustineri possit. Pass. *loc. cit. n. 36.* citans Anchar. *cons. 51.* Imol. *in c. nostri. de elect.* Decius *in c. postquam. eod. tit. n. 21.* Tusch. *lit. E. concl. 90.* Sigism. de Bonon. *de elect. dub. 42. &c.* contra Abb. *in c. transmissam. de elect. n. 3.* Franc. *in c. avaritia. de elect. in 6.* Cuchum. *l. 4. de confirm. n. 13.* Lavor. *de elect., c. 25. n. 5.* ad quos accedit Pirh. *de elect. n. 290.* nisi fortè velit id de consuetudine, quâ dicitur posse induci, ut electus absolutè non egeat confirmatione. Rationem limitationis hujus duplicem dat Pass. Primam, quia si habens confirmare sciat ac toleret electum administrare ante confirmationem, concedat isti hoc ipso (seu potiùs interpretemur & præsumamus illam concedere) jurisdictionem & potestatem sic faciendi, quia consuetudo tolerata à Superiore sciente & potente dare jurisdictionem sit signum concessæ ab eo jurisdictionis; pro qua citat Bartol. *in l. 1. ff. de aqua pluvia arcenda.* Abb. *in cap. cùm contingat. de foro compet. n. 10.* Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 27. s. 3. n. 3.* Sigism. de Bonon. *de elect. du. 42. n. 4.* Alteram, quòd consuetudo legitimè præscripta det jurisdictionem, eò quòd deroget legi positivæ, juxta *c. fin. de consuetud.* pro quo citat Nav. *in c. nullam. 18. q. 2. n. 52.* Suar. *de LL. l. 6. c. 14. n. 12.* Sigism. de Bonon. *ubi antè.* Addit etiam Pass. quod Abb. *in cap. cùm de jure. n. 3. de elect.* admittat in minoribus dignitatibus, ut in Decanatu, consuetudinem facere, ut electio valeat, & det jus plenum, ut electus valeat administrare sine confirmatione, & *in c. nihil. de elect. n. 44. n. 10.* quòd etiam in dignitatibus habentibus curam animarum consuetudo facere possit, ut electio det electo jus plenum sine confirmatione, & quòd electus non egeat confirmatione; etsi neget de cætero, valere consuetudinem, ut, qui eget confirmatione, administrare possit ante illam.

4. Tertia: dummox, ut electus quis legitimè in Papam consensit suæ electioni, habet auctoritatem actu regendi Ecclesiam, etiam ante coronationem & consecrationem. Barbos. *juris Eccles. l. 1. c. 2. n. 112.* Pass. *cit. n. 34.* citans *c. in nomine Domini. d. 24.* Abb. *in cap. nihil. de elect. n. 10.* Sylv. *v. confirmatio. n. 2.* juxta dicta à nobis suprà.

5. Quarta: dum hodiedum Generales ferè omnium Ordinum Religiosorum per specialia privilegia eis concessa statim, ac electi sunt, censentur confirmati, seu ipso jure sunt confirmati; adeòque absque alia Papæ (intellige, & alterius, si fortè non exempti sint) confirmatione administrare possunt ac solent. Pass. *cit. n. 34.* Donat. *tom. 2. tr. 7. q. 2. n. 6. & 7.* Et sic de Generali Minorum videre est apud Rodriq. *tom. 2. q. 52. n. 2.* Mirand. *tom. 2. man. prælat. q. 23. a. 32. concl. 3.* de Generali Dominicanorum apud Donat. *loc. cit.* de Generali Minimorum apud Peyr. *tom. 1. de subd. q. 1. c. 3. d. 11.*

6. Quinta: ut Abbatissa vel Priorissa electa quidem à majore parte, quæ tamen neque in scrutinio, neque post illud apertum habuit duas partes votorum, interim, dum Superior, ad quem confirmatio spectat, cognoscit de hac electione, auditque objectiones illarum, quæ electioni contradicunt, factâ inquisitione plenâ sine strepitu judicii, administrare potest tam in spiritualibus, quàm temporalibus; ita tamen, ut nihil de rebus monasterii alienet, (& ut Laym. monialem nullam etiam recipiat) Pass. *cit. n. 34.* Donat. *loc. cit.* ex Sylv. *in sum. v. confirmatio. q. 1. n. 2.* Laym. *in c. indemnitatibus. n. 7.* Pirh. *de elect. n. 298.* ubi id expressè statuitur *in cit. c. indemnitatibus. n. 7.* nisi fortè, ut dicitur *ibidem*, pars opponentium extiterit duplò major; tunc enim administrare non debet, sed eventum litis exspectare.

7. Sexta: ut Episcopi aliique Prælati (non enim decretalis illa *nihil.* de qua paulò pòst, obtinet in solis Cathedralibus, sed etiam in aliis inferioribus Ecclesiis, ut expressè Lott. *l. 3. q. 17. n. 291.* citans Archid. & Præpos.) Papæ immediatè subjecti, dum valdè remoti sunt ab Urbe, videlicet extra Italiam constituti, & in concordia electi, dispensativè propter necessitates & utilitates Ecclesiarum (ne illæ

in-

interim, dum confirmatio à Sede Apostolica advenerit, damnum patiantur) administrationem in spiritualibus & temporalibus capere non prohibentur, ita tamen, ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitùs alienent; sic expressè dicit textus *c. nihil. de elect.* Pass. Donat. *loc. cit.* Laym. *in cit. c. nihil. n.* 4. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 295.

8. Porrò per Prælatos immediatè Papæ subjectos intelliguntur hîc illi omnes, qui ratione Ecclesiæ suæ, ad quam eliguntur, immediatè spectant ad Papam, & ab eo confirmationem accipere debent ac solent; sive sint Archi-Episcopi, sive Episcopi, Abbates, Præpositi, &c. Laym. *loc. cit. n.* 5. Pirh. *n.* 296. juxta Gl. *hic v. ad Romanam.*

9. Per remotos valdè ab Urbe non solùm intelliguntur ii, qui existunt extra Italiam, ut litera textûs sonat; verùm omnes Ecclesiæ, ubicunque eæ sint, quæ tantum distant à Curia Pontificis, quantum Urbs Romana à finibus Italiæ, eò quòd verba legis seu dispositionis adaptari debeant menti & intentioni legislatoris, præsertim ubi ea in ipsa lege est expressa; principalis autem intentio & ratio hujus constitutionis fuerit, ne Ecclesiæ, dum diu exspectatur confirmatio, patiantur detrimentum in spiritualibus aut temporalibus. Unde verba illa: *Videlicet extra Italiam constituti*, potiùs exempli gratiâ fuisse adjecta censeantur; exempla autem non restringant legem, aut ejus rationem universalem, quòminùs ad similia, in quibus illa locum habet, extendi possit. Neque obstet, quòd constitutio illa sit correctiva juris antiqui; quia etiam lex correctiva juris antiqui extendenda est ob rationem universalem expressam in ea, utpote quæ est anima legis, & cui verba illius deservire debent. Quin & , ubi eadem omninò ratio locum habet, non fit propriè extensio; sed ea mente legislatoris comprehenditur sub ea omnis casus, in quo ea ratio locum habet. Ad hæc jus favorabile Ecclesiis, quale est hæc constitutio, etsi sit correctivum juris antiqui, vel etiam pœnale, favore Ecclesiarum est extendendum, ut Abb. *in cit. c. nihil. n* 9. Ita ferè Pirh. *cit. n.* 296. Unde jam constitutio hæc locum habet in omnibus Ecclesiis, sive ea sint intra, sive extra Italiam; modò tantum distent à Curia Papæ, ubicunque tandem commorante, quantum fines Italiæ ab Urbe Roma, ubi modò commoratur dicta Curia. Econtrà verò locum ea non habet, si eò viciniores sint Curiæ Papæ, v. g. dum ea commoraretur in finibus Italiæ, vel in ipsa Germania, etiamsi essent extra Italiam, utpote in quibus cessaret ratio legis. Pirh. *loc. cit.* contra Host. *in cit. c. nihil. v. ultra Italiam*, qui censet, quòd, si Papa seu ejus Curia moraretur in finibus Italiæ, etiam vicinas Ecclesias, modò sint extra Italiam, gaudere privilegio hujus constitutionis. De cætero hanc constitutionem adhuc habituram locum, ubi Ecclesiæ, ad quam quis electus non multùm distaret à Curia Romana; si tamen propter viarum discrimina, v. g. tempore belli intra breve tempus non pateret aditus ad Curiam, per se, nec per alium ab eo missum ad confirmationem obtinendam, eò quòd in eo casu, etsi deficiant verba legis, non tamen mens legislatoris, & ratio legis, censet Pirh. *loc. cit.* ex Abb. *loc. cit.*

10. Per electionem in concordia factam, tametsi propriè & strictè loquendo veniat aliàs solùm ea, quæ facta nemine discrepante, sive in qua ad unum omnes Electores convenerant in eandem personam, adeoque quasi per inspirationem unanimiter celebrata est; quam etiam propterea solam venire in dicta constitutione *nihil*, in ordine, ut electus administrare queat ante confirmationem, volunt Abb. *in cit. c. nihil. n.* 4. Fagn. *n.* 12. Probabilius tamen est, electionem in concordia factam, de qua dictus Canon, censeri ac dici debere quoque illam, in qua major & sanior pars Capituli ita convenit in unum, ut, si pars minor seu pauciores, nullam justam causam contradicendi reliquis habeant, consentire & approbare debeant, ut Laym. *in c. in causis. de elect. not.* 4. Tum quia talis electio secundùm latiorem quidem, frequenter tamen usitatam acceptionem concors dici solet, ut Gl. *in c. ubi periculum. v. singulis. de elect. in* 6. Hæcque acceptio in hac materia Ecclesiis favorabili præferenda, tum quia, cùm rarissimè contingat, omnium Electorum vota, nemine discrepante, conspirare in unum, rarissimè satisfieret intentioni hujus constitutionis, dantis hanc administrandi potestatem, ne Ecclesiæ patiantur. Laym. *in cit. c. nihil. n.* 6. Pirh. *l. c. n.* 297. Unde jam etiam Archi-Episcopos & Episcopos Germaniæ in concordia electos uti posse hoc privilegio in dicto *can. nihil.* concesso administrandi ante confirmationem, præcipuè ubi apparet, & experientiâ constat, vacante Ecclesiâ, rem à Capitularibus per vices, alternatim gerentibus administrationem malè administrari non sine prodigalitate & dilapidatione bonorum Ecclesiæ, (in quo casu ad damnum illatum restituendum omni jure obligatur Capitulum, juxta Laym. argumento *c. nihil.* in quo statuitur, ut ipsemet etiam electus, cùm potiùs administratorio nomine res Prælaturæ teneat ante confirmationem, nihil penitùs alienare, aut sine utilitate absumere debeat) tradit Laym. *ad c. nihil. n.* 12. & ex eo Pirh. *loc. cit. n.* 303. Verùm non video, quæ de hoc dubitandi, & dictam limitationem adjiciendi potuerit esse ratio; cùm per concordata Germaniæ jus eligendi Episcopos Capitulis Cathedralium & Metropolitanarum relictum sit, eisdémque concordatis, ut Pirh. *loc. cit.* ex Fagn. *ad cit. c. nihil. n.* 18. non obstent reservationes non contentæ in corpore juris, & ita in praxi servetur.

11. Porrò, quòd in fine *cit. c. nihil.* prohibentur tales alienare de rebus Ecclesiæ, id ita intelligendum, quòd nihil possint dare vel expendere, per quod bona Prælaturæ minuantur; adeòque nihil donare, nisi ob urgentem necessitatem, vel aliam causam justam, (quod commune est omni administratori seu habenti tantùm generatim liberam administrationem, ut nihil liberaliter donare possit, ut habet Gl. communiter recepta *in c.* 2. *v. liberam, de suppl. negl. prælat.* Pirh. *n.* 301) adeòque licèt valeant gesta ab iis circa temporalia emendo, recipiendo ad utilitatem Ecclesiæ, non tamen valent gesta ab iis dando seu donando. Pirh. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. n.* 11. cum Gl. *in c. nihil. v. administrant.*

Quæstio 432. *An & quales ampliationes patiatur cit.* c. nihil? *Sive an ergo etiam vi dicti* cap. *ea potestas administrandi ante confirmationem competat quoque iis Prælatis extra casum necessitatis, seu ubi nullum adest periculum damni Ecclesiæ nasciturì? Item num competat quoque Prælatis aliis Papæ immediatè non subjectis, quin & postulatis?*

1. Respondeo ad primum affirmativè, eò quòd sufficiat ad permanentiam legis, quòd ratio in lege expressa communiter, & in plerisque casibus locum habeat, & non cesset dispositio legis, etsi ea ratio in uno alteróve casu particulari cesset, ut DD. communiter. Pirh. *loc. cit. n.* 298. Laym. *in cap. nihil. n.* 7. citantes Gl. *in eodem. c. v. administrent.* & Innoc. *n.* 2. contra Imol. *ibid n.* 6. Atque ita tales Prælatos ea agere & exercere posse, quæ dilationem patiuntur, v. g. obedientiam à subditis, fidelitatem à vasallis recipere, tradunt iidem; eò quòd *in cit. c. nihil.* hujusmodi Prælatis potestas administrandi in temporalibus & spiritualibus concedatur absolutè sine ulla limitatione, exceptâ solùm facultate alienandi, quæ exceptio confirmat potestatem concessam in omnibus aliis casibus non exceptis.

2. Respondeo ad secundum, probabile esse, constitutionem *cit. cap. nihil.* locum quoque habere in aliis Prælatis, immediatè non Papæ, sed Episcopo vel Archi-Episcopo subjectis quoad accipiendam confirmationem; ita ut hi legitimè electi ante confirmationem in spiritualibus & temporalibus liberè administrare possint, si propter longam itineris distan-

tiam,

tiam, vel aliud impedimentum intra breve tempus confirmationem obtinere nequeant; eò quòd ratio, ob quam in *dicto cap.* ea potestas conceditur Prælatis immediatè Papæ subjectis, eadem locum habeat in Prælatis Episcopo vel Archi-Episcopo subjectis; ne scil. grave detrimentum inferatur Ecclesiis, si Prælati ad eas electi longo tempore administrare nequeant. Et causa, cur solorum Prælatorum Papæ subjectorum, & non etiam horum et non subjectorum immediatè, in *cap. nihil.* fiat mentio, ea tantùm sit, quòd in iis Prælatis Papæ subjectis hujusmodi casus distantiæ à Curia frequentiùs occurrat; Et licèt constitutio illa *c. nihil.* à jure communi exorbitet, quatenus administrationem indulget, principaliore tamen ratione censenda sit favorabilis, quatenus favorem & utilitatem Ecclesiarum spectat, adeòque propter identitatem rationis infertæ hanc extensionem mereatur. Laym. *loc. cit. n. 9.* Pith. *loc. cit. n. 299.* citantes Abb. *in c. nihil. n. 9.* contra Gl. *ibidem. v. administrent.* & Bur. *n. 26.*

3. Respondeo ad tertium: postulati tamen, etiam in concordia consentientibus ad unum omnibus, licèt valdè remoti sint à Curia, & Papæ subjecti, nullatenus, nec vi dicti textûs, nec alterius administrare possunt ante acceptatam eorum à Papa postulationem; eò quòd per postulationem postulato jus nullum quæratur; adeòque nec actio competat, utpote quæ, ut dicitur ad *initium Institutionum*, est jus petendæ ejus rei, quæ ei ex Justitia debetur. Cujus contrarium est in electione, per quam quæritur electo jus ad Prælaturam, & actio petendi confirmationem debitam, adeòque etsi in aliquibus postulatio æquiparetur electioni, in pluribus tamen, & in hoc præcipuè puncto ab ea discordat. Laym. *loc. cit. n. 8.* Pith. *n. 302.* citantes Abb. *in c. nihil. n. 7.* Innoc. *ibid. ad init.*

Quæstio 433. *Quid si igitur postea ob defectum repertum rescindatur electio talis electi administrantis ex concessione* c. nihil. *an gesta per illum adhuc maneant valida?*

Respondeo: si electio talis sit, quæ non ipso jure fuerit irrita, sed solùm per sententiam irritari potuit, v. g. si aliquis habentium jus eligendi contemptus fuit, & eo petente rescissa est electio, gesta ab illo valida sunt & manent. Si verò electio ipso jure fuit invalida, non valebunt ab eo gesta, si defectus fuit manifestus, seu publicè notus. Valebunt verò, ubi defectus (subintellige tempore gestorum) fuit occultus & publicè ignotus. Laym. *ad c. nihil. n. 10.* & ex eo Pith. *loc. cit. n. 300.* citans Gl. *in c. nihil. v. administrent.* Innoc. *ibid. n. 3.* Abb. *n. 11.* Idque quia in tali casu administravit de licentia & auctoritate Superioris, & hujus *can.* concurrente publicâ, eâque probabili ignorantiâ defectûs pendentis ex jure positivo, adeòque supplebilis per Superiorem, AA. iidem. Idémque dicendum de casu, in quo electus jam stabiliter confirmationem acceperit, quæ dein ob deprehensum defectum occultum rescindatur; nempe gesta à tali ante hanc rescissionem valere. Pith. Laym. *ll. cit.* citantes Bur. *in cit. c. nihil. n. 39.*

Quæstio 434. *Utrùm legitimè electus ante confirmationem accipere possit possessionem; & num electus in vim* cit. cap. nihil. *administrans ante confirmationem per hoc sit in possessione Prælaturæ?*

1. Respondeo ad primum negativè; possessio enim, & specialiter quidem in beneficialibus supponit titulum seu canonicam institutionem. Argumento *reg. 1. in 6.* per solam autem electionem non acquiritur titulus beneficii, aut quasi dominium illius; sed per subsequentem à Superiore datam confirmationem. Laym. *ad cit. c. nihil. n. 11.* & ex eo Pith. *de elect. n. 300.*

2. Respondeo ad secundum: talis administrans ex concessione *c. nihil.* ante confirmationem est in quasi possessione; quia Prælaturam quasi suam, seu quasi jus in ea habens tenet. Idque non tantùm ob canonicam electionem, ex qua ei nata actio, ut confirmetur, qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur. *reg. 15. ff. juncta Gl.* sed etiam ob *canonis Nihil* assistentiam, tribuentis ei plenam administrationem, perinde ac si esset Prælatus confirmatus, exceptâ tantùm potestate alienandi. Quæ quasi possessio, casu quo electus confirmetur, corroboratur; casu quo verò fuerit cassata, ab electo tollitur. Gl. *in cit. c. nihil. v. administrent.* Laym. & Pith. *ll. cit.*

Quæstio 435. *Quænam sint pœnæ legitimè electorum citra necessitatem, aut concessionem à cit.* c. nihil. *administrantium ante confirmationem?*

1. Respondeo primò: In pœnam usurpatæ illius administrationis ante confirmationem vi *c. qualiter. de elect.* ipso facto irrita existit ejus electio, privatúrque ipso jure quæsito et jure per electionem; etsi ad hoc opus sit sententiâ declaratoriâ & executione Judicis, juxta Laym. *in c. avaritia. de elect. in 6. n. 2.* Ita in dictus canon *qualiter* sit canon latæ sententiæ, & quòd in eo dicitur, electionem irritandam esse, id ita sit accipiendum, quòd sit irrita declaranda. Adeoque per *c. avaritia.* non augeatur hæc pœna, sed eadem extendatur etiam ad eos, qui quæsito colore, seu prætextu, v. g. œconomi administrant. Quam Laymanni sententiam & interpretationem, etsi novam dicat Pith. *ad tit. de elect. n. 292.* ait tamen, non esse improbabilem. Eique expressè favet Tamb. *de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1. n. 4.* ubi ait, dispositionem *c. avaritia.* quò ad privationem ipso jure incurrendam procedere etiam, quando quis simpliciter, & absque ullo quæsito colore administrat, pro quo citat Gl. *in c. avaritia. v. privatos.* Abb. *in c. qualiter. n. 4.* Cresc. *decis. 6. n. 16. de jurep.*

2. E contra tenet communior, quam sequitur Pass. *cit. c. 33. n. 37.* Pith. *cit. n. 292.* citans pro hac sententia Jo. And. Jo. Monach. Lott. *l. 3. q. 17. n. 305. juncto n. 307.* dictum *c. qualiter.* esse solùm sententiæ ferendæ, & in eo constitui solùm, quòd electio ejus sit cassanda, & ipse jure per illam quæsito sit privandus; adeòque per *c. avaritia.* utpote statuens pro pœna privationem omnis juris per electionem quæsiti ipso jure incurrendam ab iis, qui colore quæsito sub nomine œconomi aut Procuratoris similive titulo ministeriali administrare præsumunt ante confirmationem dictari pœnam majorem, quàm quæ statuitur in *c. qualiter.* Idque meritò, cùm gravius puniendi sint; quia in fraudem legis nempe *cit. c. qualiter.* id agant. Ita ut per *c. avaritia.* non corrigatur jus illud antiquum, (quod sine necessitate corrigi non debet) dum secundùm hanc sententiam etiam adhuc hodiedum seu hodierno jure electus administrans simpliciter nullo tali colore quæsito, non ipso jure sit privatus, sed per sententiam privandus jure quæsito per electionem.

3. Respondeo secundò, ut interi privatio illa ipso jure, requiritur in administrante præsumptio seu temeritas, malitia & dolus, uti hæc tria exprimuntur in dicto canone *avaritia.* constituto ad occurrendum fraudibus & malitiis; dum dicitur: exquisitis fraudibus. Item *non sit malitiis hominum indulgendum: immiscere præsumant.* Pass. *ad n. 37.* Lott. *l. 3. q. 17. n. 303.* ubi: tota hæc actio regulanda secundùm rationem conceptæ fraudis ex temeritate electi. Quapropter jam, ut ait Idem Lott. *n. 305.* justificato simplici facto administrationis ante confirmationem, (quod poterat procedere sine speciali malitia & dolo ex simplicitate) licèt consequatur, electionem esse cassandam ex dispositione *cap. qualiter.* at minimè cassatam seu irritam ipso jure dispositione *cap. avaritia.* nisi ostendatur, electum superinduxisse personam œconomi, aut procuratoris, aut alium similem colorem; super hoc enim facto

lex fundat præsumptionem fraudis, Concilio illo generali, ex quo desumptus hic *Canon*, contemplante affectionem hanc veluti fraudis argumentum. Unde jam etiam, licèt dictus Canon *avaritia* sit latæ sententiæ, & vi illius administrans sub prætextu œconomi similive titulo & colore quæsito eo ipso privatus sit, ita ut jam opus non sit sententiâ hominis (intellige ad irrogandam hanc privationem & cassandam electionem, ut priùs; vi nimirùm *cit. c. qualiter.*) sed ipso jure resolvatur totum illud jus quæsitum per electionem; opus tamen adhuc est præviâ sententiâ declaratoriâ super hujusmodi facto qualificato, nimirùm administratione cum malitia, fraude & præsumptione; siquidem ad pœnam incurrendam non sufficit factum, sed requiritur qualitas facti, uti contingit in præsenti, necessaria est sententia Judicis, quæ utrumque, nempe & factum & qualitatem ejus comprehendat, & non sufficit docere de facto, nisi etiam doceatur de qualitate, quæ est fundamentum dispositionis. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 6. *q.* 1. *à n.* 16. Pass. *cit. n.* 37. Lott. *loc. cit. n.* 303. *&* 304. citantes Tiraq. *de retract. lignag.* § 8. *gl.* 7. *n.* 1. Paris. *cons.* 152. *n.* 5. *vol.* 4. Socin. Jun. *cons.* 22. *n.* 2. *l.* 1. Juxta quæ

4. Respondeo tertiò: à dicta pœna statuta *in c. avaritia.* excusare causam quamlibet, quamvis injustam & fatuam, modò excludat dolum. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 8. *&* 9. ubi: procedit hæc pœna, nisi proferatur titulus, unde nascatur fides, vel afferatur excusatio colorata, cùm in materia pœnali quælibet causa excuset. Gl. *in l.* 1. § *ult. v. judicium. ff. si quis dicenti.* Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 19. *n.* 247. Pass. *cit. n.* 37. citans eundem Barbos. *in c. avaritia. n.* 4. Item eam pœnam non incurrit electus ultra montes, administrans tantisper ante confirmationem sub nomine œconomi; uti & ille, qui jure speciali vel consuetudine deputatus jam fuerat ante electionem in œconomum. Lott. *cit. q.* 17. *à nu.* 308. juxta dicta suprà ad *quæst.* 20 electus ut œconomus administrare queat ante confirmationem. Item qui deputatus quidem (intellige, etiam ex libero aliorum arbitrio, & non ex jure speciali) ad administrandum sub titulo œconomi similive, non tamen se administrationi actu immiscuit; cùm ad dictam pœnam incurrendam non sufficiat sola possessio vel constitutio in œconomum vel procuratorem; sed requiratur realis administratio & perceptio fructuum, quia constitutio puniens facientem, non censetur lata in eum, qui se parat ad faciendum; & verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu. Tamb. *loc. cit.* citans Gl. *in c. avaritia. v. eo ipso.* Archid. *n.* 4. Abb. *in c. qualiter. n.* 1. Put. *decis.* 45. *l.* 5. Laym. *in c. avaritia. n.* 3. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 292. *not.* 4. citans insuper Gl. *hic. v. privatos.* Franc. *n.* 8. Alias limitationes plures vide suprà, ubi, an textus ille *c. avaritia.* sit universalis. De cætero vera non videtur illa limitatio, quam affert Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 248. quòd procedat pœna illa solùm contra eos, qui administrationi se ingerunt, non curando de confirmatione, ne se submittant periculo cassationis; cùm tangat etiam eos, qui, etsi petierint, interea tamen, dum exspectant confirmationem, administrant.

5. Econtrà primò incurri adhuc dictam pœnam ab administrante post confirmationem quidem, sed nullam, dum proponitur excusatio ex errore juris; secùs si ex errore facti, sive dum administrans ob ignorantiam juris credit eam esse validam; secùs si illud credit ob ignorantiam facti, tenent Tamb. *loc. cit. n.* 8. *&* 9. cum Gl. *in c. fin. v. inanes. de elect. in* 6. Gemin. *in c. avaritia. n.* 7. Franc. *n.* 4. *in fine.* Gabr. *cons.* 199. *n.* 5. *l.* 1. Maresch. *var. resol. l.* 1. *c.* 35. *num.* 50. *in fine.* & Rota *in Bracharens. paroch.* 13. *Jun.* 1605. & *in Benevent. Vicariæ.* 18. *Jun.* 1617. ad quos accedunt Castell. *de elect. c.* 14. *n.* 14. Lavor. *de elect. c.* 25. *n.* 68. citati à Pass. Item Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 316. *& l.* 2. *q.* 13. *n.* 10. *&* 11. ubi: quod dictum est de quacunque causa colorata, referendum est ad causam erroris in facto, non autem ad causam erroris in jure. Quin & idem esse de errore in jure, quod de errore in facto, dum jus est valdè dubium, consurgente hâc dubietate aut ex mixtura facti, aut ex opinionum conflictu, tenent iidem Tamb. *loc. cit.* & Lott. *cit. q.* 13. *n.* 12. citantes Maresch. *var. resol. l.* 2. *c.* 35. *n.* 50.

6. Contrarium tamen etiam probabiliter, si non probabiliùs, ob rationem, quam affert, censet Pass. *cit. c.* 33. *n.* 19. nempe in casu confirmationis nullius non incurri dictas pœnas *cap. avaritia*, ubi administrans eam validam credit, sive id credat errando in jure, sive errando in facto; adeóque sive ea à parte rei sit invalida ex jurisdictionis defectu in confirmante, sive ex defectu & omissione citationis faciendæ. Tum quia etiam administrantem ante confirmationem ignorantia & quælibet causa excusat, ut dictum, à pœnis *cit. capitis*: tum quia non sufficit sola intrusio ad alias incurrendas; sed requiritur etiam temeritas, à qua talem liberat dicta ignorantia, sive facti, sive juris; ac denique quia pœna illa in *c. avaritia.* lata est contra administratores ante confirmationem; non verò contra administrantes post illam, etsi nullam; pœnæ autem ad diversos casus non sunt extendendæ.

7. Secundò etiam incurritur dicta pœna *c. avaritiæ.* quando appellatum est à confirmatione, & nihilominùs electus confirmatus, non attentâ legitimâ appellatione attentans administrat. Tamb. *loc. cit. q.* 11. Lott. *loc. cit. n.* 312. Pass. *cit. n.* 19. cum Gl. *in c. avaritia. v. confirmetur*; cùm enim appellatio legitima suspendat effectum confirmationis, talis re ipsâ confirmatus non est. Pass. *loc. cit.* adeóque si in vim talis confirmationis, cujus effectus est suspensus, cœpisset administrare, non excluderetur adhuc fraus, sed censeretur adhuc inde quæsisse colorem. Lott. *loc. cit.* Verùm hæc intelligenda de confirmatione judiciali, seu obtenta in formali judicio, scilicet vocatis vocandis, & iis comparentibus & opponentibus; siquidem, si nullo tali comparente, Superior confirmavit sine contradictione, etsi de cætero interposita fuerit à tertio non vocato, nec existente in judicio, appellatio hæc, utpote extrajudicialis, non impedit effectum confirmationis, sed eâ non obstante, dabitur possessio, & possessor administrabit. Lott. *loc. cit. n.* 313. *&* 314. Tamb. *cit. n.* 11. citans Gemin. *in c. avaritia. n.* 7. Butrio. *n.* 7. *& seq.* Lap. *n.* 2. 3. 4. *&c.* Quin & ait Pass. *loc. cit.* dici posse quoque oppositum; nempe non incurri dictas pœnas ab administrante post appellationem à confirmatione, non tantùm ubi appellatio est extrajudicialis, sed etiam absolutè, eò quòd talis adhuc administret, non ex vi solius electionis, (quod est id, quod prohibetur in *c. avaritia.*) sed ex vi confirmationis; pro quo citat Seraph. *decis.* 1238. *n.* 9.

8. Tertiò, quod notandum, pœna illa incurritur per unicum actum perfectum & consummatum administrationis. Pass. *cit. c.* 33. *n.* 21. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 247. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 6. Dicitur autem actus perfectus & consummatus, non ex instrumentali possessione, sed ex actuali possessione fructuum, sive temporalium, sive spiritualium, v. g. per exactionem & præstationem juramenti. Lott. *loc. cit. n.* 7. Pass. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit.* citans Gabr. *cons.* 199. *num.* 4. *l.* 1. Put. *decis.* 45. *lib.* 3. Rotam *decis.* 83. *n.* 3. *&* 6. *p.* 3. *l.* 3. *divers.*

Quæstio 436. An præter hanc pænam privationis juris quæsiti eo ipso jure inductam propter administrationem usurpatam ante confirmationem incurratur quoque & alia pæna, nempe privatio aliorum beneficiorum ab eo habitorum, & inhabilitas ad beneficia?

1. Respondeo primò: tametsi non habitâ confirmatione (idem est de institutione, juxta Tamb. Lott. cæterósque AA. illos suprà citatos) miscentis se administrationi cassatâ electione ipso jure,

jure, vel per sententiam, prout is immiscuit se simpliciter vel colore quæsito, vacet eo ipso beneficium, ad quod electus fuit talis, ut priùs, ac quasi nulla facta fuisset electio aut præsentatio, illudque juxta Tamb. loc. cit. num. 14. & Lott. l. 2. q. 13. n. 15. impetrari possit vacans ut priùs, nullâ etiam factâ mentione intrusionis in specie; cùm sufficiat clausula: Amoto, (quod tamen intelligendum: non eligentibus de novo Electoribus, vel Patrono præsentante, cùm non statim, ut dicetur posteà, hoc ipso per talem electi ingestionem in administrationem tollatur quoque illis jus eligendi & præsentandi) non tamen in pœnam dictæ administrationis inducitur privatio reliquorum beneficiorum ab eo priùs habitorum; cùm neque verba, neque ratio dictæ decretalis avaritiæ. vel etiam c. qualiter. hoc inferant. Lott. cit. q. 13. num. 16. Tamb. n. 15. testantes, sic resolutum à Rota in Mutinens. Canonic. 14. Martii 1603.

2. Respóndeo secundò, reddi tamen talem, qui in dictam decretalem commisit, in pœnam hujus delicti non solùm ineligibilem ad eandem Prælaturam, sed & ad alias Prælaturas, vel beneficia, sive in eadem, sive in diversa existant Ecclesia, tenent Azor. p. 2. l. 3. c. 17. q. 14. Lott. cit. q. 13. n. 17. Tamb. loc. cit. n. 15. citantes Pet. de Baisio tr. de elect. p. 2. c. 8. n. 1. Menoch. de arb. cas. 403. n. 2. & 3. Verumtamen Pirh. ad tit. de elect. n. 290. not. 2. Pass. l. c. n. 18. cum Abb. in c. qualiter. n. 8. etsi admittant hanc ad ea ineligibilitatem, cùm tamen tradunt non oriri seu infligi, (intellige immediatè) ratione illius administrationis usurpatæ; adeòque nec vi c. qualiter. aut c. avaritia. sed ratione cassationis electionis, dum vi c. super eo. de elect. rejectus semel ob vitium sui ab una electione, seu cujus semel rescissa electio ob vitium electi, redditur ineligibilis per alias electiones, seu ad nullam ampliùs Prælaturam per electionem promoveri potest. Quin &, si Papa, ut Pirh loc. cit. ex Abb. loc. cit. n. ult. talem semel rejectum promoveat ad Prælaturam, ignorans vitium intrusionis, invalida erit promotio, quia subreptitia, nisi promotus vitium intrusionis expressisset.

Quæstio 437. An & qualiter legitimè electus, qui ex potentia Principis sæcularis ingessit se administrationi ante confirmationem, incurrat dictam pœnam privationis juris quæsiti per electionem, aut etiam aliam illam ineligibilitatis?

1. Respondeo primò, talem incurrere dictam pœnam vi cap. qualiter. vel avaritia. ipso jure vel per sententiam, prout administravit simpliciter, vel sub nomine œconomi, similive titulo ministrandi; vel etiam sub hoc ipso prætextu, nempe in vim procuratæ seu adhibitæ potentiæ sæcularis, dubium vix esse potest.

2. Respondeo secundò, incurri quoque à tali ineligibilitatem illam, non tamen ratione puræ illius administrationis, seu dictarum decretalium, sed propter abusum sæcularis potestatis vi cap. quisquis. de elect. censet Abb. loc. cit. apud Pass. cit. n. 18. qui tamen ipse dicit, ne quidem illud undequaque verum esse, eò quòd inhabilitas lata in c. quisquis. respiciat solùm illos, qui consentiunt electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis, quique non simpliciter redduntur inhabiles, sed ad dignitates: non verò is Canon eos afficiat hâc pœnâ, qui, ubi sunt legitimè electi, per abusum sæcularis potestatis, se ingerunt in administratione Prælaturæ, ad quam electi sunt, cùm pœnæ non sint extendendæ à casu ad casum.

Quæstio 438. An & qualiter confirmati, necdum obtentis literis confirmationis, possint administrare?

1. Respondeo primò: Episcopi & alii Prælati superiores, nec non Abbates, Priores & cæteri monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine censeantur, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut confirmationem, consecrationem, vel benedictionem recipiunt, nullatenùs absque obtentis ab eadem Sede Apostolica hujusmodi eorum promotionum, confirmationum, consecrationum, vel benedictionum literis, iisque Capitulo vel Conventui ostensis ac præsentatis, administrationem suscipere, aut tanquam Prælati Ecclesiæ recipi queunt; sic enim expressè statuit Bonifac. VIII. in Extravag. injunctæ. de elect. inter commun. Pirh. ad tit. de elect. n. 293. Pass. de elect. c. 33. n. 21. citans Paris. de resign. l. 8. q. 5. n. 33. Azor. p. 2. l. 7. c. 1. q. 2. & plures alios.

2. Ratio hujus Constitutionis est, quòd, licèt scripturæ, literæ, Bullæ, continentes concessionem gratiæ seu privilegii, non sint de substantia acquisitionis beneficii, vel confirmationis, vel gratiæ obtentæ à Papa, (etsi hic non concedat gratias verbo, sed scripto. Felin. cons. 6. n. 2. apud Pass. n. 27.) vel Prælato superiore. Pass. cit. n. 27. Pirh. l. cit. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 16. q. 2. n. 1. citans Nav. cons. 1. de privileg. n. 1. Rodriq qq. regul. tom. 1. q. 7. a. 5. Abb. in c. nostra. de rescrip. n. 11. Gonz gl. 12. n. 45. Sanch. de matrim. l. 8. d. 29. n. 2. & plures alios: Et gratia Papæ non per literas, sed per signaturam gratiæ registratam essentialiter perficitur, ut dictum sæpè aliàs. Et hinc, si Papa solo verbo aliquem pronunciet Episcopum, Prælatum, Abbatem, &c. vel electionem ejus, aut aliam provisionem approbet, is illicò, etiam sine literis nondum formatis vel expeditis, sit verus Episcopus, Prælatus, Abbas. Pirh. l. cit. Tamb. l. cit. n. 2. Attamen in foro exteriore, ut talem se habere non potest, adeundo administrationem; neque ut talis recipiendus, cùm gratia sine literis probari nequeat. Pirh loc. cit. Tamb. n. 3 citans AA. in rubric. de constit. & ibi. Felin. n. 5. Bald in l. humanum. c. de LL. Bellam. decis. 746. Sarn. &c. ne quidem per testes, ut Pirh. citans Abb. in c. nosti. de elect. n. 4. & in c. qualiter. not. 1. Adeóque literæ sint de substantia probationis gratiæ, nimirùm ad hoc, ut iis, quorum interest, nota sit gratia. Pass loc. cit. (quod ipsum tamen limitandum aliquantùm, prout mox limitatione 3. dicetur) juxta quæ intelligendum illud: quòd supplicatio perficitur expeditione literarum, & quòd sola non sufficiat: nempe quòd illud procedat quoad justificationem & canonizationem gratiæ, ut dictum aliàs. Rationem quoque dictæ Extrav. dicit Pirh. ex Imol. esse, ut promoti citiùs literas Papales ex Curia procurent, de quibus aliàs non curarent. Unde jam declaratus Episcopus per Papam in Consistorio, ut moris est, certissimum habens de hac sua promotione nuntium, adhuc tamen administrare nequit sine acceptis & exhibitis suæ promotionis literis. Pirh. loc. cit. citans Abb. in c. qualiter. de elect. n. 1. Sic quoque Prælatus, sciens certò literas suæ promotionis, confirmationis, &c. expeditas, & ad se transmissas, adhuc ante eas acceptas, & Capitulo vel Conventui præsentatas administrare nequit. Pass. loc. cit.

3. Quin & respectu recipientium talem ita necessaria est ista literarum exhibitio, ut nulla ex parte eorum ostendi possit excusatio, prætextu certæ notitiæ de promotione talis aliunde habitæ. Lott. l. 3. q. 19. n. 6. citans Felin. in c. eam te. de rescrip. n. 3. eò quòd cùm lex certam exigat formam probationis, (uti dicta Extrav. pro forma probationis in ordine ad receptionem talis ad administrationem exigit exhibitionem literarum, quæ proinde aliter impleri non potest, quàm per earum exhibitionem. Lott. loc. cit. nu. 5. citans Vital. in Clement. 1. de jurep. n. 30.) non admittitur suppletio ex notitia aliunde, seu aliter comparata. Lott. n. 7. citans Felin. in c. cæterùm. n. 17. de rescrip.

4. Limitatur responsio & dicta Extrav. primò, ut locum non habeat in Commendatario ad tempus, quia loquitur tantùm de titulari. Pass. loc. cit. n. 22. citans Paris. de resig. l. 7. q. 21. n. 20. Barbos. ad cit. Extrav. n. 4.

5. Limitatur secundò, ut non extendatur ad Car-

Cardinales; sed hi administrare possint, & jurisdictionem exercere ante expeditionem literarum Apostolicarum. Pirh. *n. 294. in fine*. Pass. *l. cit. n. 23.* citans Gonz. *gl. 24. n. 7.* Selv. *de benef. p. 2. q. 3. n. 46.* Barbos. *de off. Episc. alleg.* 111. *n. 35.* Dian. *p. 5. tom. 2. resol. 47.* Rationem etiam addit Pass. eò quòd in iis deficiat ratio citatæ *Extrav.* quæ fuit tollere abusum aliquorum Prælatorum, qui volebant sibi credi super provisionibus sine literis, & suâ auctoritate more malo conculcabant Collegia ad se recipiendum; quod de S. R. E. Cardinalibus præsumi nequit.

6. Limitatur tertiò à Gl. *in cit. Extrav. v. non præsumant*, quam citat & sequitur Pirh. *cit. num. 294.* quámque apud eundem esse conformem æquitati, & temperare rigorem juris, dicit Fagn. *in c. nihil. de elect. n. 21. & seq.* quamvis ipse contrarium teneat *n. 31.* ut ea *Extrav.* non habeat locum, si Episcopus promotus, vel confirmatus, aut consecratus in Curia, literas Papales desuper obtinere non possit, v. g. propter obitum Papæ; tum enim non teneatur longo tempore in Curia manere, sed possit inde discedere, & interim res & jura suæ Ecclesiæ administrare, etiam literis non expeditis, eò quòd in illa *Extrav.* damnetur temeraria præsumptio recedentium à Curia, & administrantium sine dictis literis; qualis præsumptio temeraria non est in tali casu necessitatis; cùm, qui non nisi necessitate compulsus agit, non dicatur præsumere; & necessitas in qualibet dispositione intelligitur excepta, juxta *c. licet. de pæn. & remiss.* Et necessitas faciat licitum, quod aliàs est illicitum, juxta *c. quoniam. 1. q. 7. c. 1. de ferus. &c.* Ad hæc talis pronuntiatus vel confirmatus, etiam ante Bullas, sit verus Prælatus, & plenum jus habeat, ideo non debeat rigidè exigi, ut provisio seu promotio Episcopi in Curia probetur per literas, sicut ob necessitatem tenor gratiæ Apostolicæ probari potest per testes, si literæ sint perditæ, ut Felin. *in rub. de constit. n. 6.*

Quæstio 439. Quæ pœnæ sint statutæ in committentes contra hanc Extravag.

1. Respondeo primò: statui, ut quidquid tales circa hanc administrationem egerint, irritum sit. Secundò: ut interim nihil ex Ecclesiarum vel Monasteriorum proventibus percipere possint. Ita dicta *Extravag. §. quod si forsan.* Tertiò: ut Capitula Ecclesiarum Cathedralium, vel aliarum sæcularium, & Conventus Ecclesiarum Regularium, & alii quicunque ipsos absque hujusmodi literis Sedis Apostolicæ recipiunt, vel eis obediunt, tamdiu sint à beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec à Sede Apostolica gratiam relaxationis obtineant. Ita illa *Extrav. §. Capitula verò.* Porrò hæ pœnæ, nempe ut proventus interim non faciant suos, & quidquid ab iis gestum, non subsistat, extenduntur ad Episcopos aliósque Prælatos administrantes non præstito solito fidelitatis juramento. *ibid. §. similiter.* Item ad Episcopos, qui apud eandem Sedem Pallium accipere debent, & ab ea discedunt non obtentis literis traditionis Pallii, vel non præstito solito fidelitatis juramento. Eadem *Extrav. §. fin.* Pirh. *n. 293.*

2. Limitatur responsio seu *Extrav.* dicta quoad has pœnas primò: ut ab aliis pœnis incurrendis excusset causa qualibet, etiam injusta & fatua, modò dolum excludat, eò quòd ad has pœnas incurrendas requiratur præsumptio & dolus; quod indicatur illis *Extrav.* verbis: *Administrationem admittere non præsumant.* Pass. *n. 21.* citans Barbos. *ad c. avaritiæ. n. 4.* & *l. 1. juris Ecclesiast. c. 19. n. 247.* ubi tamen is non agit de pœnis statutis per hanc *Extrav.* administrantibus post confirmationem quidem, sed sine literis; sed de pœnis statutis *in c. qualiter.* & *c. avaritiæ.* administrantibus ante confirmationem. Verumtamen in utrisque par videtur ratio; cùm tam in his, quàm illis incurrendis Papa requirat temeritatem & præsumptionem.

3. Limitatur secundò: ut pœnæ illæ latæ tam contra ipsos Prælatos miscentes se administrationi, quàm Capitula eos recipientes sine literis, non videantur obligare in conscientia ante sententiam declaratoriam, ut doceri ait Pass. *loc. cit.* à Nav. *in c. accepta. de restit. spoliat. opposit. 8. n. 35.* Jo. Valer. *de differ. utriusque fori. v. obedientia. diff. 4.* Barbos. *ad cit. Extrav. injunctæ. n. 3.* Sic etiam Pirh. *cit. n. 294.* ait, hujus *Extrav.* pœnas non incurri ab eo in foro conscientiæ, qui, collatione sibi factâ, ante receptas literas bonâ fide administravit quædam negotia Ecclesiæ, pro quo citat Nav. *ubi ante.*

4. Illud quoque notandum circa pœnam suspensionis latam contra Capitula recipientia tales, quòd ea juxta Suar. intelligatur de solis beneficiis, quæ capitulariter possident; à Passerino verò, citante pro hoc Bonacin. *de cens. d. 3. q. 11. p. 10.* de beneficiis singulorum, ita ut suspendantur singuli à propriis beneficiis, cùm suspendantur, quicunque Prælatos sine literis Apostolicis venientes recipiunt.

Quæstio 440. An & quid quoad hoc punctum non administrandi ante literas constitutum sit circa Regulares?

1. Respondeo: dum Regulares aliqui ad eludendam Regulam Cancellar. in qua Papa sibi reservat omnia virorum monasteria valorem annuum 200. florenorum aureorum excedentia, quomodocunque vacantia; & quoad ea, quibus ex speciali gratia permittebat electionem, sibi in specie confirmationem reservavit: curabant se indifferenter eligi, & electionem per Regulares Superiores suos, aut per Ordinarios locorum confirmari, hisque confirmationibus freti intrudebant se in monasteriis aliisque dignitatibus regularibus; ad occurrendum hisce fraudibus, statuit Pius IV. *anno* 1564. Constitut. suâ in Bullario 86. præter irritationem istarum electionum & confirmationum, & privationem fructuum, ut regimini & administrationi monasterii aliúsve dignitatis Conventualis, ad quod vel ad quam electi in spiritualibus, antequam ritè celebratâ electione à Sede Apostolica confirmata, & literæ desuper expeditæ, per se vel per alium, in totum vel in parte, quovis colore immiscere, aut ad illud vel illam se recipi facere, vel aliàs se pro ejus Prælato gerere præsumentes jure, si quod illis ad monasteria vel eorum regimina ac alias Conventuales dignitates per electionem quæsitum, eo ipso sint privati, & deinceps ineligibiles, ipsáque monasteria ac dignitates ab eadem Sede impetrari possint; qui verò similes electiones confirmare præsumpserint, eo ipso etiam, si sint Superiores Ordinum, suis dignitatibus sint privati; si autem sint Ordinarii locorum, etiamsi Archi-Episcopali & majore præcellant dignitate, ingressu Ecclesiæ interdicti, & ab Ecclesiarum suarum regimine sint suspensi. Ita ferè sonant verba dictæ Constitut. ut videre est apud Lott. *l. 3. q. 17. n. 317.*

2. Circa hanc Constitutionem advertenda sequentia: primò, eam non esse restrictam ad casum coloris quæsiti, de quo *c. avaritiæ.* nec ad casum regiminis aut administrationis cum effectu susceptæ, hoc est, actuali perceptione fructuum, sive temporalium, sive spiritualium; sed extendi etiam ad casum simplicis occupationis de facto, non tantùm ante confirmationem obtentam, sed etiam post eam obtentam à Sede Apostolica, sed nondum expeditis literis; ad quod postremum se non extendit *c. avaritiæ.* Item non tantùm ad eos, qui se ingesserint, sed etiam ad eos, qui vel id præsumpserint, aut aliàs se gesserint pro Prælatis, (hoc est, ut Lott. se nominàrint tales, eúm gerere se pro aliquo non tam sit facti, quàm animi, et ideo in simplici asseveratione verificetur) Lott. *loc. cit. n. 318. 319.* Secundò, quòd pœna illa inhabilitatis, quæ in *cit. c. avaritiæ.* non exprefsè, sed ad summum interpretativè ex quadam necessaria consequentia inducitur, inducatur per hanc Constitutionem exprefsè, adeóque magis censentur afficere. Lott. *n. 320. & 321.* Tertiò, mirùs nihilominùs in hac

expressione agi cum regulari, quàm cum cæteris agat ille text. *avaritia*; cùm hæc inhabilitas in hac Constitut. Pii IV. rastringatur ad locum, cùm dicatur: *Ac deinceps ibi ineligibiles esse*: in *cap.* autem *avaritiæ.* reddantur ineligibiles indeterminatè. Lott. *n.* 322. & 323.

Quæstio 441. An Prælati, qui non providentur aut confirmantur per Sedem Apostolicam, sed ab inferioribus Prælatis, confirmati vel instituti, ante tamen obtentas confirmationis suæ aut institutionis literas accipere possint possessionem, & ingerere se administrationi?

1. Respondeo primò: in iis quidem locum non habere dictam *Extravag. injuncta*; cùm hæc Constitutio sit pœnalis, adeòque non extendenda ad casus non expressos. Pass. *cit. c.* 33. *n.* 24. juxta Gl. *in cit. Extrav. v. non præsumant.* adeòque, ut idem Pass. locum quoque non habet in beneficiis, (intellige, quorum de cætero provisio, vel institutio, vel confirmatio accepta in Curia per Papam) quæ non sunt dignitas, nec habent administrationem jurisdictionis; cùm nec ista in illa *Extrav.* sint expressa. Verumtamen

2. Respondeo secundò: etiam independenter à dicta *Extrav.* & generaliter loquendo; adeòque etiam confirmati, instituti ab inferiore, quàm Papa, ante obtentas & ostensas literas suæ confirmationis, institutionis, alteriusve provisionis possunt administrare validè ac impunè quidem, sed non ordinatè, quietè ac securè Prælaturam, ad quam per electionem confirmati, aut per institutionem promoti sunt. Pass. *loc. cit. n.* 25.

3. Primò impunè: quia in iis locum non habent Decretales *qualiter.* & *avaritia.* utpote per quas imponitur pœna non nisi administrantibus ante confirmationem; neque etiam *Extrav. injuncta.* ut dictum. Dein etiam validè, quia per confirmationem, institutionem datur electo instituto jus in re, seu dominium in prælatura vel beneficio, & facultas, imò & exercitium administrationis, ut Abb. *in c. nòst. n.* 2. Felin. *in c. ne Dei. de simon.* Franc. *in c. quàm sit. de elect. in* 6. *v. electus.* Oldr. *cons.* 146. *n.* 4. Biax. *in direct. elect. p.* 1. *c.* 8. Barbos. *in c. transmissam. de elect. n.* 2. *&c.* quos citat & sequitur Pass. *loc. cit.* Item Lott. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 7. ubi: confirmatione obtentâ, assequitur confirmatus plenam administrationem omnium pertinentium ad jurisdictionem: adeòque statim vi confirmationis, etiam sine literis, & ante apprehensam possessionem corporalem validè administrat. Pass. *loc. cit.* citans pro hoc Abb. *in c. transmissam. n.* 3. & Barbos. *n.* 2. Milis. *in repertor. v. possessio.* Rebuff. *de pacif. poss. n.* 243. Garc. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 7. ubi non adest jus positivum, dominium illud vinculans, & exercitium impediens & irritans, uti facit *cit. Extrav. injuncta.* respectu confirmatorum à Papa. Unde jam etiam beneficiatus vel Prælatus vi confirmationis habens jam titulum Canonicum, propriâ auctoritate sine alia facultate validè & impunè accipit possessionem beneficii vel Prælaturæ. Pass. *ibid.* citans Abb. *ubi antè.* Barbos. *ubi antè. n.* 3. Ripam *in c. sæpè. de restit. spol. num.* 69. Garc. *ubi antè. n.* 6. Mandos. Menoch. &c.

4. Secundò: non tamen ordinatè, quietè & securè; (multa enim fiunt validè & impunè, quæ tamen non fiunt quietè & sine oppositione, sed impediuntur, ne fiant, vel facta vocantur in dubium; & sic etiam consistunt: esse dominium rei, & tamen indigere ope Judicis, ut mittatur in possessionem illius, ut patet in legatario, qui à tempore aditæ hæreditatis dominium acquirit legati, & tamen convincitur remedio possessorio, si propriâ auctoritate accipiat possessionem. Pass. *n.* 26.) quia, ut quietè ac pacificè administret, requiruntur tria; nempe literæ continentes promotionem, facultas acquirendi possessionem, & missio in possessionem. Pass. *loc. cit.* Imprimis enim literæ hæ, ut dictum, sunt de substantia probationis gratiæ, in ordine, ut nota sit gratia, v. g. in præsenti confirmatio electionis iis, quorum interest; cùm aliàs Ecclesia non teneatur credere asserenti electionis suæ confirmationem; sed potest illi resistere, & impedire, ne administret Prælaturam vel beneficium. Pass. *n.* 27. Atque ita jam, si confirmatus ab inferiore confirmatore ante obtentas literas sine contradictione administret, administrat validè; & si Collegium vel Conventus eum in Prælatum recipiat, recipit validè; verùm, si contra eum insurgat oppositio & lis, non erit in sua administratione & possessione quietus, donec probet suam confirmationem per literas. Hinc per se & universaliter loquendo, literæ hæ sunt necessariæ ad hoc, ut promotus seu confirmatus quietè, ac pacificè, & securè administret.

Quæstio 442. An confirmatus sine accepta possessione beneficii vel Prælaturæ possit administrare? Et an dictam possessionem accipere possit literis nondum expeditis, aut ostensis?

1. Respondeo ad primum: (quod commune est confirmato cum instituto vel aliter proviso) sine possessione legitimè accepta non posse confirmatum administrationem suscipere, ait Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 25. ubi etiam ex Archid. *in c. avaritia. de elect.* & *in c. enim qui. de preb.* quòd etiam antiquitùs dicebatur, non posse confirmatum administrare, nisi secutâ installatione, seu investiturâ, seu missione in possessionem. Neque tamen sibi contradicit idem Pass. dum paulò pòst subjungit: confirmatus ex vi confirmationis sine literis, & ante apprehensionem possessionis corporalis validè & impunè administrat. Unde etiam Garc. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 7. dicat, eum, qui obtinuerit beneficium, cui annexum jus patronatûs, ante adeptam possessionem beneficii posse præsentare; & dum hujus à se dicti rationem dat *in fine n.* 25. dicendo: qui enim obtinet Prælaturam vel beneficium, statim sine apprehensione aliqua vi confirmationis obtinet jus & dominium in beneficio: non, inquam, hæc scribendo sibi contradicit; Nam ut ex ipsiusmet verbis patet, restringit id tantùm ad validam & impunem administrationem; ita tamen, ut velit eum non posse adhuc administrare quietè & securè ante acceptam possessionem.

2. De cætero, posse spectato jure communi electum confirmatum vel aliter institutum ante solennem installationem & corporalem introductionem in possessionem statim administrare jura ac bona Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, habet communis. Lott. *l.* 1. *q.* 27. *à n.* 23. Item Garc. *p.* 5. *c.* 4. *num.* 244. & 250. Innoc. *in c. transmissam. de elect. n.* 1. Jo. Andr. *n.* 6. Abb. *n.* 3. quos citat & sequitur Pirh. *ad tit. de elect. n.* 340. Idque Argumento *c. nòsti. c. qualiter. c. nihil. de elect.* Quippe qui textus videntur requirere solam confirmationem ad administrandum; *Extravag.* verò *injuncta. de preb. inter comm.* & *Constit. Julii III.* de qua paulò pòst, præter confirmationem non nisi literas Apostolicas quoad beneficia, de quibus quis provisus à Sede Apostolica. Argumento etiam illud est, quòd post provisionem vel confirmationem, & literis desuper expeditis, etiam ante occupatam possessionem, censetur Sedes non ampliùs vacare, & Capitulum nequeat ampliùs jurisdictionem exercere. Pirh. *loc. cit.* citans Garc. *ubi antè. n.* 245. Huc etiam spectat, quòd, ut dicendum paulò pòst, in juribus incorporalibus pro eorum exercitio sufficiat habere jus citra facti possessionem. Limitando nihilominùs hæc secundùm dicenda *q. seq.* & reflectendo ad illud, quod dictum: *Spectato jure communi.*

3. Respondeo ad secundum: vetitum jam olim sub pœna privationis beneficii accipere possessionem beneficiorum, de quibus à Papa provisus, etiamsi

etiamsi ea consistoralia non sint, literis non expeditis, ait Lott. *l. 3. q. 19. n. 3.* citans Felin. *in c. veniens. de accusat. n. 3.* Similiter *vi constitutionis Julii III.* quæ est illius 34. quámque ad sussum recitat Lott. *loc. cit. n. 1.* prohibentur non solùm electi & promoti ad consistoralia, sed etiam omnes alii provisi Apostolici de quibuscunque beneficiis, eorum possessionem apprehendere ante expeditionem literarum, sub pœna privationis ipso jure; quin & sub pœnis statuis in *Extrav. injunctæ.* contra recipientes illos sine ostensis literis ad administrationem; cùm priùs hæc pœna privationis ipso jure respectu tantùm consistorialium beneficiorum inducta fuisset, & respectu non consistorialium solùm pœna privationis ferendæ. Lott. *loc. cit. n. 17.* qui etiam *n. 18.* addit rationem ampliandæ illius pœnæ respectu adeuntium sine literis beneficiorum illorum non consistorialium possessionem. Sic itaque ad incurrendam hanc pœnam privationis non solùm beneficii, ad quod quis promotus per Sedem Apostolicam, sed & aliorum jam priùs habitorum requiritur factum ipsum apprehensionis, & non sufficit, electum, confirmatum, seu aliter provisum per Sedem Apostolicam ante adeptam possestionem se gessisse pro tali, cùm id ad contemptum non concludat: veluti si beneficia ad suam collationem spectantia contulisset, quod ei est permissum, & quò non extendit se *Extrav. injunctæ.* cùm in juribus incorporalibus pro eorum exercitio sufficiat habere jus citra facti possessionem; ut patet etiam in patronatu hæreditario, ubi patronus juxta Roch. *de jurep. v. ipsi vel n. n. 24.* Rebuff. *in pr. de simon in resig à n. 25.* cum communi, validè præsentat, etiam antequam sit immissus in hæreditatem. Lott. *cit. q. 19. à n 28.*

4. Quò minùs verò censeatur actum contra dictam Constitut. & pœnæ ejusdem incursæ, non obstat nullitas sumptæ vel acceptæ possessionis; quippè lex contemptum considerat, qui in simplici facto consistit, cujus proinde consideratio militat æquè in actu nullo ac valido. Lott *loc. cit. n. 31.* quamvis id limitet ad finem *n. 3x.* hisce verbis: utcunque stante nullitate hujusmodi non incurratur pœna privationis quoque aliorum beneficiorum ab eo obtentorum, ut Verall. *decis. 98. n. 2. & 3. p. 3.* & Rota *in Verdunens. paroch. 23. Julii, 1586.* Uti nec obstat, quò minus dictæ pœnæ incurrantur, pœnitentia & abstinentia ab ulteriore ingestione; cùm, ut Gl. *in Clem. 1. §. quia verò, vers. ipso facto. de statu Monach.* Consummato delicto intempestiva sit pœnitentia pro evitanda pœna ipso jure inflicta. Lott. *n. 3x.* Neque evitabitur transgressio hujus Constitutionis & incursûs pœnarum, quòd provisus à Papa prætermissâ expeditione literarum prætexto multiplicandi titulum, procuret sibi provideri de eodem beneficio ab inferiore, (dum is quoque de eodem providere potest) & cum tali provisione ingreditur possessionem, cùm videatur sic potiùs quæsitus color pro eludenda hujus Constitutionis dispositione, quàm adhibitum sanum consilium pro multiplicando titulo, (etsi de cætero etiam titulus Apostolicos, etiam validus, multiplicabilis sit ex provisione facta ab inferiore. Lott. *loc. cit. n. 4x.*) cùm cessante necessitate hujus multiplicationis, hæc dicatur nimia cautela, ex qua magis fraus & dolus colligitur. Lott. *n. 40. & 41.* Qualiter verò etiam multiplicando titulum ex alia ejusdem Papæ provisione committi possit in dictam constitutionem, & incorri ejus pœnæ, ostendit Lott. *n. 5x.* Illud etiam ex eodem Lott. *à n. 33.* notandum, eum, qui impetrat ex hoc capite vacans beneficium, debere probare non expeditionem literarum tempore sumptæ possessionis, quod ait esse difficile, eò quòd quandocunque exhibentur literæ, præsumatur expeditio facta in tempore, tum pro evitando delicto, tum quia inter alia illud est possessionis commodum. Cautelam quoque addit Lott. *n. 35.* quâ uti posset reus, ne ex productione literarum prodatur, illas esse expeditas post sumptam possessionem. Justificatâ verò semel impetratione ex hoc capite, intrusum non solùm destitui beneficio regularum de annali & triennali; sed nec excusari posse ex non usu, stante decreto irritante contento in illa Constitut. aut ignorantia, utpote nimis crassâ, ait Lott. *num. 57. & 58.* Uti nec ullam prætendi posse dictæ Constitutionis ignorantiam, cùm sit in viridi observantia, *cit. n. 60.*

5. Respondeo ad secundum secundò: loquendo de aliis provisis vel confirmatis, non per Sedem Apostolicam, sed ab aliis inferioribus, possunt hi capere possessionem sine literis provisionis. Lott. *cit. q. 19. n. 26.* ubi ait, quòd dicta Constitutio Julii nullo modo locum sibi vendicare possit in aliis, quàm in provisis Apostolicis, utpote in quibus solis militare possit ratio illa contemptûs præcepti de expediendo literas; cùm in inferioribus non cadat illa necessitas literarum. Idem de iisdem provisis, etsi utens distinctione aliquâ, nempe possessionis captæ validè & impunè, & possessionis captæ quietè & pacificè, tradit Pass. dum *c. 33. de elect. sub n. x5.* ait, quòd beneficiatus vel prælatus vi confirmationis suæ, utpote jam habens titulum Canonicum, propriâ auctoritate sine alia facultate, validè & impunè accipere potest possessionem beneficii vel prælaturæ, citátque pro hoc quàm plurimos, juxta dicenda à nobis *in fine hujus part.* ubi de capienda possessione; quòd autem subintelligat, etiam sine dictis literis, satis ex eo liquet, quòd hoc exemplo de possessione capienda confirmet id, quod dixerat, posse confirmatum sine literis impunè & validè administrare, dicátque *n. 29.* expeditis literis confirmationem continentibus per se nulla licentia est necessaria pro accipienda possessione corporali, etiam quietè & pacificè, per quod quoque indicat, quòd ante illas literas non capiat possessionem quietè & pacificè.

6. Sic etiam, si quis auctoritate legitimâ Ordinarii provisus, & ductus in possessionem, dein obtinuisset novam provisionem à Papa, posse eum sine literis Apostolicis accipere vel continuare possessionem, eò quòd in tali non possit deprehendi aliud delictum, quàm simplicis negligentiæ, ex qua necessariò non infertur ad contemptum, prout contemptus est crimen distinctum à simplici negligentia, cujus potest esse, & non esse causa, tradit Lott. *cit. q. 19. n. 35.* Quinimò, si præsentatus à patrono, declinatâ auctoritate Ordinarii, qui posset illum instituere, curaret se institui à Papa, adhuc non intraturam hanc Constitutionem Julii III. eò quòd deficiat ejus ratio, quæ fundatur in supposito meræ gratiæ, cujusmodi non est institutio, quæ potiùs est de justitia, tradit Lott. *n. 47.* Unde etiam *n. 50.* ait, considerandum propterea in hoc puncto semper, an præsentatus egeat gratiâ Apostolicâ, nec ne, quæ ipsa videntur applicari posse electo, qui, etsi ab inferiore Confirmatore confirmari possit, recurrit tamen ad Papam sine necessitate, & ab eo confirmationem accipit.

7. Porrò hæc intelligenda, ubi ita beneficium vacat, ut alius nullus sit actu in possessione illius, illúdque administret; in hoc enim casu iste possessor non potest propriâ auctoritate, nec licitè nec validè spoliari possessione suâ; adeoq; opus ministerio & officio judicis ad adipiscendam possessionem. Pirh. *n. 34.* Lott. *l. 1. q. x7. n. 26.* Pass. *n. 31.* juxta dicta à nobis aliàs.

8. Quòd si tamen etiam ad executionem hujus possessionis requiratur aliqua conditio, (uti in *Extrav.* illa *injunctæ.* requiritur, ut confirmatus præstet juramentum fidelitatis & obedientiæ) non potest accipere corporalem possessionem, nisi impletâ illâ conditione, & ut possessionem pacificè sumat, sufficit exhibere literas authenticas, in quibus constet de illa conditione impleta. Pass. *n. 29.* Quin &, licèt per se loquendo, etiam ad capiendam possessionem pacificè confirmatus obtentis confirmationis suæ literis non egeat ministerio Judicis, aut alterius Officialis pro missione in possessionem; si tamen talis esset consuetudo, vel leges speciales de non adeunda possessione auctoritate propriâ, vel etiam non administrandi validè aut licitè sine prævia installatione solenni, hæ leges & consuetudines observandæ erunt. Pass. *n. 30.* Lott. *l. 1. q. 27. à n. x5.* Quemadmodum etiam si in ipsis literis confirmationis, institutionis, &c.

da-

daretur Judex executionis, qui confirmatum vel institutum mittat in possessionem, hæ literæ servandæ, & non accipienda possessio propriâ auctoritate, sed confirmatus institutus mittendus in possessionem à Judice ad id præstandum delegato. Pass. *n. 32.* quem vide ibidem pluribus de hac missione in possessionem per delegatum, uti & Garc. *p. 6. c. 2. à n. 17.* uti & dicenda à nobis infrà, ubi de possessione.

Quæstio 443. An & qualiter administrare possit Episcopus post obtentas confirmationis suæ literas ante consecrationem?

1. Respondeo primò: Episcopus confirmatus, obtentis literis confirmationis suæ, potest ea omnia exercere, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis; non verò ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, seu consecrationem, sive jure Divino, sive Ecclesiastico requirunt. Pass. *de elect. c. 33. n. 5.* Pith. *ad tit. de elect. n. 338.* cum communi, juxta *c. inter corporalia. de translat. Episc.* & *c. transmissam de elect.* & ibi DD. Per confirmationem enim Canonicam electus acquirit jus in re, & perfectum quasi dominium in prælatura, contrahit conjugium cum Ecclesia quasi ratum, quod per electionem initiatum erat; & hinc conceditur ei plena administratio & potestas exercendi omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, & non requirunt Ordinem seu characterem Episcopalem: hoc verò conjugium spirituale per consecrationem veluti consummatur. Pith. *loc. cit.* juxta *c. 2. & ult. de translat. Episc.* & Gl. *in c. transmissam, de elect. v. de talibus.* & Abb. *ibid. n. 3.* Unde, quod ait Gl. *in c. transmissam.* eatenùs Ecclesiam adhuc videri viduatam, quatenùs Episcopus seu sponsus illius necdum est consecratus, intelligendum est respectu eorum, quæ sunt Ordinis. Lott. *l. 1. q. 27. n. 10.* ex Host. *in c. de multa. de præb. n. 3.* Unde jam

2. Respondeo ad primum secundò: potest Episcopus ante consecrationem excommunicare, aliásque censuras infligere, & ab iisdem absolvere, etiamsi ne quidem sacerdos sit, siquidem id jurisdictionis, non Ordinis est Episcopalis; dum etiam Prælati, non Episcopi, nec Sacerdotes habentes jurisdictionem Ecclesiasticam, id possint; eadémque est ratio in absolvendo, quæ in ligando; estque utrumque ejusdem potestatis, non tamen potest absolvere ab iis in foro interno pœnitentiæ. Pith. *l. cit. juncto n. 339.* Pass. *loc. cit.*

3. Item potest cognoscere & judicare per se causas Clericorum etiam criminales, etiam principaliter, & non solùm incidenter propositas in judicio. Laym. *in c. transmissam. n.* 2. Pith. *cit. n.* 339. citans Innoc. *in cit. c. n.* 2. *V. inquisitionis.* contra quosdam apud Abb. *in c. 1. de translat. Episc. n. 9.* admittentes, id eum tantùm posse, ubi tales causæ incidenter proponuntur in judicio. Ratio est: tum quòd Episcopus etiam hujusmodi cognitionem criminalem delegare possit alicui non habenti characterem seu consecrationem Episcopalem: tum quia quilibet Judex Ordinarius habens merum imperium (quale Episcopus habet vi confirmationis, cùm possit excommunicare, qui est actus meri imperii) potest cognoscere causas criminales. Laym. Pith. *ll. cit.* per verba autem illa *c. transmissam: præter ea, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant:* non tam excipit Papa has causas criminales, etsi eæ inter arduas numerentur, quàm eas solùm inquisitiones, quæ ad realem, actualem & solennem degradationem Clericorum spectant; quippe quæ juxta *c. 2. de pœnis.* & Laym. *Th. mor. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 4.* Episcopalis consecrationis ministerium requirunt. Pith. *loc. cit.* Laym. *cit. n.* 2. fatente ipso Abb. *in cit. c. 2. de pœnis. in fine.* apud Pith. posse Episcopum confirmatum non consecratum de criminibus, quæ non tendunt ad actualem degradationem, sed ad aliam pœnam, cognoscere. Quamvis alii velint, dicta verba *c. transmissam.* intelligenda procedere juxta antiquos Canones, & morem Ecclesiæ veteris, quando juxta *c. si autem.* & *c. ult. 15. q. 7.* causæ criminales Sacerdotum & diaconorum cognosci non poterant à solo Episcopo; sed tantùm in Co-Episcoporum convocato Concilio, quos Episcopos convenientes pro majore auctoritate conservanda oportebat esse consecratos. Laym. & Pith. *ll. cit.* cùm, ut Pith. Episcopus electus & confirmatus ante consecrationem non vocetur simpliciter Episcopus, sed cum addito *electus.*

4. Item potest Episcopus ante consecrationem punire, gratias & privilegia concedere, à vasallis juramenta recipere, beneficia conferre, (idem est de erigere) investire, præsentatos instituere, electos confirmare, jurisdictionem in foro externo (imò & interno, ut addit Laym. dando alteri potestatem absolvendi à peccatis, etsi ipse Episcopus Sacerdos non sit, quia hæc delegatio non est Ordinis. Pith. *loc. cit. n. 334.*) delegare. Pith. *cit. n. 338.* Laym. *in cit. c. transmissam. n.* 1. citans Sanch. *l. 7. mor. c. 32. n. 67.* Suar. *l. 4. de LL. c. 4. n. 9.* (ubi etiam cum D. Thom. *in 4. d. 20. q. unic. a. 2. quæstiunc.* 2. addit, quòd & indulgentias concedere possit, cùm tamen indulgentiarum concessio videatur actus maximè spiritualis inter omnes, qui jurisdictionis sunt) & gl. communiter receptam *in cit. c. transmiss. v. talibus.*

5. Item potest Synodos celebrare, casus reservare, quæ sunt consecrationis, aliis Episcopis committere, &c. Pass. *cit. n.* 5. Pith. *n.* 334. Quemadmodum etiam Capitulum sede vacante facultatem ordinandi suæ Diœcesis Clericos concedere potest.

6. His non obstante communi aliàs illâ regulâ: *Quod quis per se facere non potest, neque per alios potest;* sive *quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. regula juris 67. in 6.* Nam istæ regulæ in iis solùm locum habent, quæ commissarius vel mandatarius facit nomine alieno sine auctoritate committentis; talia enim committi vel demandari nequeunt, nisi committens jus habeat per se illa faciendi; cùm nemo plus juris in alterum transferre possit, quàm ipse habeat. *regula 79. in 6.* Jam verò Ordines, ipsumque etiam Ordinem Episcopatûs conferunt Episcopi Commissarii, non potestate Ordinis accepti ab Episcopo committente non consecrato; sed conferunt vi Ordinis & consecrationis suæ. Et sic Episcopus ille committens non dat potestatem ordinandi, quam per se habet Commissarius talis ante mandatum & delegationem; sed tantùm dat seu committit illis jurisdictionem in non subditos, quæ necessaria est ad licitum exercitium ordinationis, & hæc jurisdictio iis à non consecrato conferri potest. Ita ferè Pith. *n.* 334.

7. Econtrà non potest Ordines, nec Sacramentum Confirmationis conferre, Chrisma conficere, benedicere virgines, sacra vasa, altaria & templa consecrare. Pith. *loc. cit.* citans gl. *ubi antè.* Quod autem addit, quòd nequeat deponere & degradare Clericos, verum non est, si per deponere & degradare intelligat privare beneficiis & officiis, quia hoc est jurisdictionis; secùs fortè, si intelligat actualem & solennem degradationem, quâ factâ, Clericus tradatur potestati sæculari.

Quæstio 444. An & quid speciale sit in hoc puncto circa Archi-Episcopos?

1. Respondeo primò in genere: Archi-Episcopus confirmatus, etiam consecratus, ante acceptum à Sede Apostolica pallium non omnia, quæ ad Archi-Episcopum spectant, exercere potest, cùm ante illud non obtineat Officii Archi-Episcopalis plenitudinem. *c. nisi. de auctorit. & usu pallii.* Laym. *ibid. n.* 1.

2. Respondeo secundò magis in specie: quantùm spectat ad actus jurisdictionis, actus majores exercere nequit ante acceptum pallium, v. g. convocare Concilium Provinciale. Pith. *loc. cit. n.* 333. Laym. *loc. cit.* juxta *c. quod sicut. de elect. §. præterea.* quò etiam spectat Provinciam visitare. Pith. *loc. cit.* cum Gl. *in cit. c. quod sicut. v. sine pallio.* Secùs est de aliis actibus inferioribus jurisdictionis; hos enim ante acceptum pallium potest exercere, v. g. causas cognoscere,

delegare, Judices constituere, committere potestatem ordinandi, vel etiam consecrandi Episcopos, argumento *c. suffraganeus, de election.* Laym. *loc. cit.* Pirh. *n.* 334.

3. Quantùm spectat ad actus Ordinis Episcopalis, actus, qui inter Missarum solemnia, aut saltem cum Episcopalibus ornamentis peraguntur, v.g. ordinare, Chrisma conficere, consecrare Ecclesias, exercere nequit, juxta expressum textum *cit. c. quod sicut.* eò quòd talia facere videatur non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archi-Episcopus. Laym. *loc. cit.* Pirh. *n.* 333. *junctè n.* 335. ubi etiam ait: similiter eum non posse ante acceptum pallium conferre Sacramentum Confirmationis, benedicere Abbates & virgines. Actus verò Ordinis, quos solâ stolâ indutus Archi-Episcopus facere solet, ut sunt: vasa sacra consecrare, corporalia vel cæmiteria benedicere, ea licitè exercere potest ante pallium acceptum. Laym. *loc. cit.* Pirh. *n.* 335. citans Host. *in sum. de usu pallii n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 33. *q.* 5. Porrò si Archi-Episcopus consecratus ante acceptum pallium ea exerceat, quæ illi prohibita, validè quidem exercet, sed peccat contra Canones, puniríque potest, vel amotione ab Officio, vel aliâ mitiore pœnâ. Pirh. *cit. n.* 25. citans Azot. *ubi antè.*

Quæstio 445. An & quæ Abbates ante benedictionem administrare possint?

1. Respondeo primò: potest Abbas post confirmationem ante benedictionem exercere ea omnia, quæ ad jurisdictionem spectant. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 402. Tamb *de jure Abb. To.* 1. *d.* 11. *q.* 3. *n.* 2. juxta *c. transmissam de elect.* Eademque quoad hoc est ratio de Abbate confirmato non benedicto, quæ de Episcopo confirmato nondum consecrato; nempe quòd per confirmationem accipiat potestatem jurisdictionis & administrationis. AA. iidem *ll. cit.* Lott. *l.* 1. *q.* 27 *n.* 24. Multóque magis hæc ratio locum habet in Abbate, quàm Episcopo, dum electus & confirmatus in Episcopum dici adhuc nequeat Episcopus, nisi consecratus, ut Zabarell. *in c. eam te. de rescrip n.* 1. cùm necdum intelligatur inter ipsum & Ecclesiam consolidatum matrimonium spirituale; (unde & adhuc liberè resignare potest, & per acceptationem incompatibilis inducitur illa resignatio. Lott. *loc. cit. n.* 17. citans eundem Cardinal. *in Clem. gratiæ. de rescrip. n.* 9. & Præposit. *in c.* 1. *d.* 23. *col.* 3.) sed solùm dicitur *electus*, etiamsi confirmatus. Electus verò & confirmatus in Abbatem illicò Abbas est & dicitur. Lott *loc. cit. n.* 13. *junctè n.* 16. & 18. Tamb. *loc. cit. q.* 5. *n.* 1. ubi quòd Abbates constituantur in suo munere, non per benedictionem, sed per electionem & confirmationem. Argumento *c.* 1. *de suppl. negl. præl.* & ibi communiter AA. citat pro hoc Jo. And. *in c. inter monasterium. de sent. & re judic. n.* 6. Felin. *ibid. n.* 1. Old. *conf.* 14. *col.* 2. (qui etiam dicat, de stylo etiam Cancellariæ electum & confirmatum vocari Abbatem) Barbos. *ad cit. c. inter monast. n.* 6. contra Host. *in c. innot. de ætat. & qualit. à n.* 7. Limitandum hoc ipsum ita, ut, dum benedictio hæc vim habet confirmationis, (uti quandoque contingit, dum nullâ aliâ confirmatione præcedente Episcopi aliter Abbates & Præpositos non confirmant, quàm impertiendo illis solennem hanc benedictionem) adeoque per eam confertur potestas jurisdictionis, ante eam administrare nec debent, nec possunt Abbates aut Præpositi electi. Pirh. *loc. cit. n.* 402. *in fine.* citans Sylv. *v. Abbas. n.* 4. ac dicens, de hac confirmatione loqui Innoc. *in c.* 1. *de suppl. negl. Prælat. n.* 1.

2. Respondeo secundò: administrare tamen seu exercere, quæ sunt Ordinis, (quales actus Ordinis dignitati Abbatiali concessi sunt Ordines minores conferre, solenniter populo benedicere, vasa sacra & vestes benedicere, & alia Pontificalia exercere) non posse Abbatem ante benedictionem, ait Pirh. *loc. cit.* juxta *c. transmissam.* hoc ipsum tamen limitans ad loca, ubi consuetudo viget, ut Abbates post obtentam confirmationem benedicantur, eò quòd ibi hanc potestatem Ordinis accipiant per benedictionem. Quod, si intelligat Pirh. de non posse licitè, & acceptione potestatis exercendi illos actus licitè, verum est; si verò etiam intelligat de non posse validè, & de acceptione ipsius potestatis Ordinis, non subsistit, juxta mox dicenda.

3. Respondeo tertiò: non solùm in locis, ubi ex recepta consuetudine Abbates non benedicuntur, sed & in aliis, ubi viget ea consuetudo, seu absolutè loquendo, Abbates non vel nondum benedicti omnia Officia Abbatis propria, etiam ea, quæ sunt Ordinis, statim post confirmationem acceptam, expeditisque & exhibitis, ubi opus est, literis confirmationis, administrare possunt validè; (quin & in locis, ubi non solent benedici, licitè) Lott. *loc. cit. n.* 14. (ubi: quod dicitur de Episcopo circa consecrationem, nullatenus trahendum est ad Abbatem respectu benedictionis; nimis enim diversa est ratio. *junctè n.* 18. ubi: benedictio non est de essentia, subintellige: sicut consecratio est de essentia, & simpliciter necessaria Episcopo, ut validè exerceat actus Ordinis Episcopalis) Tamb. *loc. cit. q.* 3. *n.* 4. ubi: dicendum, benedictionem non esse simpliciter necessariam Abbati ad hoc, ut actus Ordinis exercere possit; quod ipsum expressè asserit Pirh. *loc. cit.* Idque unà cum Tamb. & Lott. probat ex *c. de suppl. negl. Prælat.* ubi Alexander III. concedit Cisterciensibus, ut, si Episcopus tertiò cum humilitate & devotione requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios monachos suos benedicere, & alia, quæ ad hoc officium spectant, exercere, &c. Si enim benedictio hæc ad hoc esset simpliciter necessaria, Papa in negligentiam & contumaciam Episcopi diœcesani potiùs dedisset Abbatibus facultatem in eo casu eligendi, quem maluissent, Episcopum, à quo munus benedictionis consequerentur, quàm absque benedictione exercendi omnia, quæ ad eorum officium spectant. Item ex eo, quòd Abbates non perpetui, licèt non benedicantur, (benedictio enim est etiam quasi perpetua, indelebilis & inevitabilis, adeóque non datur propter officium temporale) tamen gaudent omnibus privilegiis & indultis ad agendum, quibus fruuntur Abbates benedicti. Pirh. *loc. cit.* Tamb. *q.* 3. *n.* 5. Ac denique quasi à priori probant id iidem Pirh. *loc. cit.* Tamb. *n.* 6. 7. 8. ex eo, quòd benedictio hæc non imprimat characterem, uti facit consecratio Episcopalis, nec à Christo instituta sit; quódque hanc potestatem exercendi actus illos non consequuntur tam per benedictionem, quàm ex privilegio generali potissimùm concesso Abbatibus benedictis. *c. quoniam. d.* 69. quod dein privilegium extensum ad Abbates non benedictos; pro quo Tamb. *n.* 7. citat Abb. *in c.* 1. *de suppl. negl. col.* 3. Cardin. *in Clem. attendentes. §. statuimus. q.* 5. *& seq. de statu Monachor.* quin idem Abb. *loc. cit.* uti & Imol. & Felin. *in cap. eam te. n.* 7. *de rescript.* dicat, hanc benedictionem ad exercendum, quæ sunt beneficii Abbatum, potiùs esse de solennitate, & ad benè esse, quàm de substantia; quod ipsum repetit Tamb. *loc. cit. q.* 5. *n.* 3. ubi: non est eadem ratio de hujusmodi benedictione, quæ est de consecratione Episcopi; quia hæc benedictio est potiùs de solennitate, quàm de substantia. Unde jam etiam ait Tamb. *cit. q.* 5. *n.* 4. Abbatem ante benedictionem uti posse baculo Pastorali & reliquis Pontificalibus; pro quo citat Cardin. *ubi antè in Clem. attendentes.* Abb. *ubi antè.* & *in c. quanto. de off. Ordinar.* Felin. *in c. eam te. de rescript. n.* 7.

PARAGRAPHUS III.

De iis, per quos petenda confirmatio, deque tempore ac loco ejus petendæ & dandæ.

Quæstio 446. An ipsi electi confirmationem suæ electionis petere possint?

1. Respon-

1. Respondeo: de jure communi legitimè electi non solùm sine nota ambitionis possunt, sed & debent petere confirmationem. Pass. *de elect. c. 33. n. 39.* cum communi, juxta *c. quam sit. de elect. in 6.* ubi præcipitur, ut quivis electus intra trimestre petat confirmationem; quem textum non procedere solùm de electione ad Cathedrales Ecclesias, sed de quacumque electione ad quamcunque Ecclesiam, ostendit *ibidem* Pass. Unde etiam electus sine omni nota ambitionis agere potest, & officium Judicis implorare pro confirmatione, ubi ea differretur. Donat. *tom. 2. tr. 6. q. 16. num. 2.* citans Host. *in cap. quia propter. de elect. n. 66.* postquam enim per consensum majoris partis eligentium perfecta naturaliter est ejus electio, potest is absque ambitione consentire; cúmque per consensum illius & eligentium inter hos & illum contrahatur conjugale vinculum, is agere potest ad id, quod ei vi talis vinculi debetur, quod est confirmatio, quæ non est gratiæ, sed necessitatis & justitiæ. Donat. *loc. cit.*

2. Dixi: quantùm est de jure communi; nam, ut testatur Donat. *loc. cit. n. 4.* in Ordine Dominicanorum non procedit textus ille *c. quam sit.* sive quòd electus petere debeat, vel etiam possit confirmationem; eo quòd is per electionem legitimam, etiam unanimem nihil juris acquirat, & quòd in potestate Prælati sit, eum confirmare vel non; & quamvis eum non confirmet, non tamen tali electo concedatur appellatio, vel causa aliqua prosequendi. Nihilominùs Pass. & ipse Dominicanus *loc. cit. n. 47.* ait: quòd tametsi, cùm electo non quæratur jus ullum, parùm conveniens sit, eum petere confirmationem; attamen, quia, ut habetur *c. quàm sit.* petitio confirmationis est Ecclesiæ beneficium, cujus negotium agitur, dum procuratur, ne diu maneat sine Prælato, etiam in hoc suo Ordine non damnandum electum, qui confirmationem sui peteret.

3. De cætero hujus contrarium est in postulato, qui petere non potest suæ postulationis admissionem. Pass. *loc. cit. n. 43. in fine.* ubi: tantùm abest, ut in *cit. c. quàm sit.* nomine electi comprehendatur postulatus, ut postulato potiùs prohibitum sit, non solùm petere, sed & consentire postulationi; electo autem præcipitur, ut illam, nempe confirmationem petat. Est quoque hujus contrarium in præsentato, ita ut, sive is præsentatus sit à pluribus patronis, aut etiam à Collegio aliquo Ecclesiastico, sive ab uno patrono, eoque laico, necesse non sit illum aut etiam patronum ulteriùs petere institutionem; eò quòd, ubi præsentatio facta est, jam Superior satis sit monitus de vacantia Ecclesiæ, & de eo, qui debet promoveri, & solùm superest, ut ipso suo muneri non non desit, sed in tempore sibi præscripto idoneitatem præsentati inquirat, & Ecclesiæ vacanti provideat, adeòque opus non sit ulteriore petitione institutionis. Pass. *loc. cit. n. 42. juncto n. 41.* ubi etiam ostendit, textum illum *c. quàm sit.* locum non habere in præsentato, eùmque non comprehendi ibi nomine *electi.*

Quæstio 447. An peti quoque possit per alios confirmatio electi? Et quid in specie sit in hoc circa Electores?

1. Respondeo primò: potest electus non tantùm per se, sed etiam per constitutum à se ad hoc procuratorem petere & procurare confirmationem electionis suæ. Azor. *p. 2. l. 3. c. 29. q. 11.* Pirh. *ad tit. de elect. num. 305.* Barbos. *juris Ecclesf. l. 1. c. 19. n. 246.* Pass. *loc. cit. n. 45.* (ubi etiam, quòd si electus impeditus sit, non teneatur procuratorem mittere, nisi in terminis *c. cupientes.* pro quo citat Franc. & Gemin.) Donat. *tom. 2. tr. 6. q. 17. n. 1.* ubi etiam, quòd, etsi in suo Ordine electus non possit petere confirmationem, possit tamen constituere procuratorem, non ad defendendum jus sibi per electionem quæsitum, quia id esset litigare de subjecto non supponente; sed ad informandum Papam de toto electionis negotio, præsertim, cùm neque Regularibus vetitus recursus ad S. Sedem. Additque idem Donat. *loc. cit. n. 2.* quòd, cùm hi procuratores debeant in judicio comparere, (quod, credo, intelligit de casu, ubi confirmatio judicialiter obtinenda) & non admittantur, nisi sint publicis instrumentis instructi, juxta *c. 1. de procurator. constit.* esse constituendos per publicum contractum rogatum manu publici Notarii: & cùm subscriptio constituentis, ut ait idem Donat. *n. 3.* potest esse non nota, & facilè falsificari, melius ac tutius esse, uti in hoc Notario sæculari, quàm regulari, dum quandoque ex privilegio (ut Dominicani, teste eodem Donat. & Rodriq. *qq. regul. tom. 3. q. 8. a. 1.*) habent id Ordines quidam, ut ab eorum Prælatis in causis Religiosorum creari possint Notarii ex ipsis Religiosis, qui inter eos sint ejusdem fidei & valoris, cujus sunt Notarii sæculares. Porrò procurator constitus ab electo potest esse de numero eligentium. Donat. *cit. q. 17. n. 1.*

2. Respondeo secundò: potest quoque electi amicus aliquis sine ipsius mandato nomine illius petere confirmationem; modò electus id dein ratihabeat intra tempus constitutum ad petendam confirmationem, cùm in omni casu ratihabitio debeat fieri intra illud tempus, intra quod actus possit geri; eò quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato æquiparetur, juxta *reg. juris. 10. in 6.* Azor. Pith. Barbos. *ll. cit.* Pass. *n. 46.* citans Lavor. *de elect. c. 25. n. 41.* Biax. *in director. elect. p. 3. c. 43. n. 2.* Gratian. *discept. for. c. 573. n. 1.* Tiraq. *de pœnis temperand. casu 22. n. 37.*

3. Respondeo tertiò: possunt quoque, & sufficit ad evitandam pœnam statutam *c. quàm sit.* contra electum non petentem intra constitutum tempus confirmationem, Electores petere confirmationem, electo non petente, modò tamen is jam consenserit electioni, & non dissenserit confirmationi petendæ. Laym. *in cap. scriptum. de elect. num.* 1. Pith. *cit. num. 308* citans *cap. cum Ecclesia. de causa possessionis & propriet.* Barbos. *loc. cit.* Pass. *loc. cit. n. 46. & 49.* juxta *c. cùm inter Canonicos. c. cùm dilectus c. dudum. de elect.* Sic quoque in suo Ordine Electores esse, qui petant confirmationem, ait Pass. *cit. n. 47.* Non tamen in *c. quàm sit.* præcipitur Electoribus, ut petant confirmationem electionis, cùm hoc ibi mandetur electo, non Electoribus. Pass. *n. 43.* Cujus contrarium est in postulatione, cujus admissionem petere præcisè præcipitur postulantibus *in cap. cupientes*; etsi hic textus non nisi de postulatione ad Cathedrales & Regulares Ecclesias loquitur. Pass. *loc. cit.*

4. Respondeo quartò: potest quoque Capitulum instituere procuratorem pro negotio confirmationis, qui etsi absens percipiat fructus beneficiorum, (intellige, quæ habet in Ecclesia, pro cujus bono laborat in hoc negotio) tanquam legitimè impeditus à residendo, cùm ejusdem Ecclesiæ negotium tractet. Pass. *n. 50.* ex Baldo *in c. præterea. de elect. n. 1.*

5. Respondeo denique: posse etiam quemlibet alium de Ecclesia instare pro confirmatione electi, cùm agatur de interesse totius Ecclesiæ, cujus Prælatus est electus. Unde & quilibet de Ecclesia potest appellare ab electione. Pass. *n. 49.* contra Bald. *loc. cit.* censentem, Electores posse petere confirmationem, sed quemlibet alium (subintellige, etsi de cætero de Ecclesia) non posse prosequi causam appellationis.

Quæstio 448. An sufficiat electum vel Electores petere, electionem declarari Canonicam?

Respondeo negativè; siquidem simul stare possunt, electionem declarari Canonicam, & tamen eam non confirmari. Pass. *cit. cap. 33. n. 51.* citans Franc. *in c. quàm sit. de elect. in 6. ad §. cæterum. n. 3.* Gemin. *ibidem. n. 2.*

Quæstio 449. An electus ad eandem Ecclesiam vel Prælaturam duabus diversis electionibus, utramque prosequendo, petere possit confirmationem?

1. Respond.

1. Respond. negativè. Pith. *ad tit. de elect. n.* 323. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 48. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 90. *juncto num.* 101. Laym. *in cap. ut quis. de elect. in* 6. juxta expressum textum *ejusdem cap.* ubi dicitur, non esse rationi consonum, ut quis per duas electiones ad eandem Ecclesiam simul (vel etiam divisim, ut Gl. *in cit. c. ut quis.* apud Pith. *loc. cit.*) est electus, (uti id contingere posset, dum, quia putatur in priore electione errorem seu defectum commissum fuisse, post lapsum trimestre vel semestre Superior quasi jure ad se devoluto eundem priùs jam electum in Ecclesia seu Prælatura instituit: vel si Capitulares post primam electionem nondum privati jure eligendi, ad aliam novam electionem progressi eundem elegerunt. Pith. *n.* 324. Laym. *loc. cit.* cum Gl. *in c. ut quis. v. duas.*) utramque prosequatur, & confirmationem ea eis petat, cùm non nisi ea una illarum valeat jus obtinere. Idque, etiamsi ab initio protestetur, quòd non intendat nisi ex una, nempe ea ea, quæ valida fuerit, seu ex qua jus sibi competere constiterit, effectum confirmationis consequi. Quare, ne cum Ecclesiæ, ad quam electus est, vel adversarii, si quem habet, discrimine in incerto vagetur, eligere debeat, quam ex illis duabus electionibus prosequi velit, ejusdémque confirmationem petere; ita ut ad alteram posteà electionem regressum habere non possit, utpote cui, alteram præferendo, renunciâsse censetur, profitendo sibi jus ea altera non competere. Ratio hujus decisionis est, quòd, cùm non nisi ea una earum electionum jus haberi possit, confirmatio habens pro objecto electionem, non possit habere pro objecto nisi unicam, eamque certam electionem. Quippe confirmatio, utpote habens se per modum decreti, quod fieri debet super re vel jure certo, in incertum ferri, seu in incerto vagari nequit; adeóque jam petitor determinare cogitur electionem, quam, seu in vim cujus confirmari velit, quod quia necdum facit, protestando, si alterutrâ contentum esse velle, protestatio talis nihil operatur. Laym, Pith. *ll. cit.* Quòd si autem quis eodem tempore electus esset diversis electionibus ad diversas Ecclesias, utramque electionem prosequendo, petere non potest confirmationem utriusque electionis, seu confirmari se pro utraque Ecclesia, non quidem quòd confirmatio sic vagaretur in incerto, sed quia non potest utrique simul Ecclesiæ desponsari, quo supposito, se priùs determinare debet ad unam, alteri renunciando. Pass, *loc. cit. n.* 48.

2. De cætero non obstat responsioni nostræ seu decisioni dictæ decretalis *ut quis*, quòd pluribus collationibus vel institutionibus obtinens idem beneficium, (dum v. g. quia dubitabat de valore prioris collationis sibi factæ, impetrat insuper aliam seu novam collationem vel institutionem, sive ab uno, sive à diversis, quod non tantùm potest, sed & consultò faciet. Laym. *loc. cit.* ex Abb. *in c. post electionem. de concess. preb.* absque eo, quòd per hoc censeatur renunciare primæ, cùm secunda non sit contraria primæ) utramque prosequi, & utrâque niti & uti possit ad defendendum se, juxta *reg.* 20. *in* 6. *nemo pluribus uti defensionibus prohibetur*; nam diversitas est in eo, quòd in hoc casu agatur de jure jam quæsito & obtento in beneficio per collationem vel institutionem retinendo seu defendendo, ad quod non requiritur confirmatio; in altero verò casu agatur de jure quærendo seu obtinendo in beneficio per confirmationem, quæ confirmatio, ut dictum, non potest inniti super incerto seu duobus titulis incertis, cùm debeat cadere super certum. Pith. *l. c. n.* 324. Vel, ut Laym. *l. cit.* (quod tamen ferè in idem recidit) in eo est diversitas, quòd electus sit petitor confirmationis, adeóque determinare debeat, quid petat, seu quam electionem confirmare velit: provisus verò non sit petitor, sed defensor sui juris; ad defensionem autem illi omnes modi permittantur, modò non sint contrarii.

3. Utrùm verò cit. decretalis *ut quis.* locum quoque habeat in præsentationibus, ita ut pari modo præsentatus duabus præsentationibus nequeat utramque prosequi; sed arctetur unam eligere, & in vim illius petere institutionem, non convenit inter AA. Affirmativam tenent Lap. *alleg.* 8. *n.* 4. Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 1. *q.* 5. *a.* 3. *n.* 6. Negativam tenent Pass. *cit. n.* 48. citans Barb. *ad cit. c. ut quis. n.* 5. Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 92. citans Gl. *in cit. c. ut quis. v. eligere.* & Rot. *in Lunens. Sarzan. Capellan.* 20. *Jun. & 5. Decemb.* 1601. Et expressiùs *n.* 49. ubi ait: arbitror textum *cit. c.* neque in verbis, neque in ratione applicari posse materiæ huic præsentationis & institutionis. Rationem etiam dat Lott. *à n.* 103. quòd nimirùm cesset in hoc casu principalis ratio decretalis illius *ut quis.* nempe incertitudo illa; quippe dum supponitur quis duas habere præsentationes ab eodem, vel diversis patronis, necessè est etiam supponere, eas coram diversis prætendentibus instituere; (cùm non, sicut electionis actus conficitur in personis eligentium & electi, ita etiam præsentationis actus conficiatur in personis præsentati & præsentantis, sed insuper requiratur persona habens instituere) unde licèt utramque simul promoveat præsentationem, dum tamen utramque non promovet coram eodem institutore, sed singulas singulariter coram singulis institutoribus, cesset illa incertitudo, & neutra harum institutionum vagetur in incerto. Verùm quid vetat, quò minùs contingere possit, ut idem duabus præsentationibus à diversis patronis, quorum singuli jus prætendunt, præsentetur eidem seu coram eodem habente instituere, isque utramque acceptet ad videndum interim, cui ea præsentantibus jus ad præsentandum, & vi cujus ea hisce præsentationibus præsentato jus competat; non secùs ac contingit, dum ab electo duæ electiones de se factæ offeruntur eidem confirmatori, isque utramque acceptat ad examinandum, &c. Certè in hoc casu æquè parùm præsentatus utramque præsentationem prosequi poterit, petendo institui in vim illius, quæ valida censebitur, quàm electus duabus electionibus, & utramque præsentans eidem confirmatori, petere possit confirmari se in vim illius, quæ valida censebitur; quia æquè vagabitur talis institutio in incerto, adeoq; in hoc casu adhuc locum habebit dicta decretalis. Ad hæc rationē aliam adjungit Lott. *num.* 105. nempe, quòd neque materiæ illi institutionis applicari possit illud dictæ decretalis, quòd per optionem factam de una duarum electionum ita extinguatur effectus alterius, ut ad illam non relinquatur regressus, siquidem ad hoc, ut per optionē unius viæ præcludatur altera, requiritur imprimis, ut ista præelectio fieri debeat juris necessitate; si enim in simplici ejus arbitrio positum sit, uti, quâ ipse velit, non præcluditur hoc ipso regressus ad aliam. Deinde ut ista præelectio fiat formaliter, id est, in executionem concessæ optionis; ac denique ut res desinat esse integra, (quod tunc intelligitur, quando per optionem unius optabilis quæritur jus cuipiam respectu alterius; ita ut si per talem optionem nihil quæratur alteri tertio, cesset ratio hæc denegativa regressûs) jam verò cessent hæc omnia in prosecutione plurium præsentationum, cùm nulli injecta sit hæc necessitas à jure, nec jussa electio, nec interim jus quæsitū alteri. Verùm quid si opponatur: etsi in verbis citatæ decretalis non imponatur illa necessitas præeligendi unam ex illis præsentationibus; quippè quæ tantùm loquitur de electionibus, imponi tamen & illam vi rationis ejusdem, nempe ejusdem incertitudinis, quâ nititur illa decretalis, intellige in nostro casu, dum eidem institutori idem præsentaretur duabus præsentationibus, seu à diversis patronis. Quid si etiam dicatur, etiam, dum præeligitur una ex dictis electionibus, nihil juris quæri per hoc tertio, nisi fortè, in quantum, dum hæc præelecta electio est invalida, jus providendi devolvitur ad confirmatorem.

Quæstio 450. Intra quod tempus petenda confirmatio?

1. Respondeo: quivis electus, postquam electionem acceptavit, seu electioni de se factæ consensit, intra tres menses à die præstiti consensûs numerandos confirmationem electionis petere debet.

Bar-

Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 246. Pith. *de elect. n.* 307. Laym *in qq. can. de elect. q.* 108. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 16. *q.* 2. Donat. *Tom.* 2. *tr.* 6. *q.* 3. *n.* 1. & *tr.* 7. *q.* 3. *n.* 1. cum communi juxta expressum textum *in c. quam sit. de elect. in* 6. Quod idem locum habere in postulato, nimirum ut intra trimestre à postulantibus petatur postulationis acceptatio, tradunt Laym. Pirh. *ll. cit.* cum Gl. *in cit. c. quam sit. v. vacnetur.* Sufficit autem, si petatur intra illud trimestre confirmatio: nec ad evitandam pœnam necesse est, ut confirmatio obtineatur. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 51. cum Gl. *in c. quam sit. v. petere.* Siquidem ex momento hujus nudi petitionis legitimè & canonicè factæ constituitur in electo jus irretractabile, etiamsi ipsa confirmatio non sequatur. Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 202. argumento c. *cùm inter canonicos.* & c. *cum dilectus. de elect.*

2. Neque etiam hoc tempus ad petendum datum currit legitimè impedito Pith. Laym. Azor. *ll. cit.* Pass. *n.* 54. juxta expressum textum *c. quam sit.* ubi: *si justo impedimento cessante* &c. Qualia impedimenta ponuntur à Gl. *in cit. c. v. impedimento,* infirmitas, viarum discrimen, Superioris seu confirmatoris impedimentum, frequens curiæ mutatio, tempestas maritima, vis fluminum &c. Proinde hoc tempus est utile, non continuum, aliàs maxima resultaret iniquitas. Lott. *loc. cit. n.* 203. juxta Gl. *in c. quam sit. v. obtinere* & *v. petere.* Ubi, & illud notandum, quod dictum supra ex Pass. *n.* 45. nempe quòd, si electus fuerit impeditus, non teneatur petere confirmationem per procuratorem, nisi in terminis. c. *cupientes.*

Quæstio 451. *Qualiter ad evitandas pœnas statuas negligentibus petere confirmationem, debeat probari hujusce impedimentum?*

RESpondeo: debet electus, qui passus est labi hujusmodi tempus, docere, fecisse se quidquid in se fuit, justificando justum impedimentum. Lott. *loc. cit. n.* 208. juxta *c. cupientes. de elect.* §. *insuper.* & *ibi* Archid. *n.* 4. Neque excusandum illum, qui probaret se ad Curiam accessisse in tempore præstituto; verùm non potuisse habere copiam Papæ aut illius ministrorum, nisi de hoc simul solenniter protestatus fuisset, tradit Lott. *loc. cit. n.* 209. cum Gl. *in c. cupientes.* §. *quòd si per viginti. v. proposita.* & Franc. de Marcha *decis.* 1324. *p.* 1. *in princip.* Imò nec excusandum, si post personalem accessum ad Papam, propositâ suâ petitione, re infectâ illicentiatus à Curia recessisset, tradit Idem Lott. *n.* 210. *citato c. si postquam. de elect. in* 6. Gl. *in c. cupientes. ubi ante V. comparere* & Franc. de March. *ubi ante n.* 2. Verùm loquitur Lott. de tempore constituto in *c. cupientes,* de quo paulò post.

Quæstio 452. *Quæ pœnæ statutæ negligentibus petere confirmationem intra illud trimestre?*

RESpondeo: amissio juris quæsiti electo ex electione. Barbos. *juris eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 27. Pass. *loc. cit. n.* 53. Pirh. Laym. Azor. *ll. cit.* Electio siquidem, ut dicitur in *c. quam sit.* eo ipso viribus evacuatur, seu ipso facto & jure irrita censetur. Proinde hic Canon & pœna non est sententiæ ferendæ, sed latæ; ita ut nullâ opus sit aliâ declaratione super privatione juris quæsiti electo. Pirh. *loc. cit. n.* 308. Pass. *cit. n.* 53. citans Franc. *in c. quam sit n.* 4. Gemin. *ibid. n.* 5. Barbos. *ibid. num.* 10. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 6. *n.* 4. cujus contrarium erat olim, seu jure antiquo, dum, si electus, post præstitum electioni consensum non petierat confirmationem, nunquam propterea privabatur jure sibi quæsito per electionem; sed per Superiorem cogebatur petere confirmationem. Pirh. *cit. n.* 308. *in fine.* citans Gl. *in c. quam sit. v. evacuetur.* Censetur autem in tantum jus illud quæsitum electo resolutum per negligentiam illam in petendo, ut etiamsi sequatur post elapsum illud tempus confirmatio, sit ipso jure nulla. Pith. *cit. n.* 308. Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 204. nisi fortè confirmatio scienter, seu ex certa scientia ab eo, qui aliàs sito jure conferre poterat Prælatum, facta fuisset. Pith. Lott. *ll. cit.* cum gl. *in c. quam sit. v. vacuetur. ad finem.* Porrò vis illa resolutiva juris quæsiti non consistit in contemptu, sed in simplici negligentia. Lott. *n.* 206. cum Gl. *in c. cupientes. v. exspectat.*

Quæstio 453. *An, & qualiter per negligentiam electi in petendo, & hinc evacuata electione, jus remaneat Electoribus procedendi ad novam electionem?*

RESpondeo: electo negligente intra illud trimestre petere confirmationem sui, non est eo ipso extincta pro illa vice in Capitulo facultas eligendi, jure providendi devoluto ad Superiorem; sed resoluto ob negligentiam illam jure quæsito per electionem electo, redintegratur potestas Capituli pro nova electione, ac si nova contigisset vacatio, aut ac si nulla contigisset adhuc electio. Pirh *cit. n.* 308. Pass. *n.* 51. Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 212. juxta. *c. si electio. de elect. in* 6. Unde jam etiam tempus integrum datum ad eligendum à jure communi habent electores. Addit tamen Lott. *n.* 213. quòd, ubi jam præsentata est electio Papæ, per negligentiam in prosequendo eandem extingui in Capitulo pro ea vice facultatem eligendi, seu eligendi iteratò, potestate providendi devolutâ ad Papam. Et quidem ut ait Lott. *n.* 214. non ex sola ratione plenitudinis potestatis aut celerioris expeditionis; sed quia beneficium hoc ipso jam censetur & manet affectum Papæ, ut ideo, non secus ac per appellationem ligentur manus quorumcunque inferiorum per hanc devolutionem in manibus Papæ.

Quæstio 454. *An superior possit abbreviare illud trimestre à jure communi datum ad petendam confirmationem, electúmque compellere ad citiùs eam petendam?*

RESpondeo: id eum posse ex legitima causa. Pass. *loc. cit. n.* 52. citans Franc. *in c. quam sit.* §. *ceterum. n.* 2. Gemin. *n.* 3. siquidem, sicut ubi confirmatori constat de electione & consensu electi, potest, quandocunque voluerit, electionem inventam canonicam confirmare, ita ex officio potest inquirere & instare, ut quàm citò habeat decretum electionis; quia agitur de utilitate Ecclesiæ, quam ipse ex officio promovere potest. Estque assignatio illa trimestris in indulgentia facta electo, ut antea non censeatur negligens, & puniatur ut talis; non tamen ligantur per hoc manus Superioris, quin ex rationabili causa possit abbreviare, seu non exspectare hoc trimestre, & compellere, ut in tempore breviore sibi scripturæ electionis consignentur, & pro confirmatione instetur, vel etiam nullo instante electionem confirmet, si Ecclesiæ utilitas sic postulet, & electus consenserit electioni, eique non renunciârit. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 455. *An, & qualiter trimestre illud concessum à Gregorio X. in* c. quàm sit. *restrictum sit per Nicolaum III.* in c. cupientes. de elect. in 6.

1. RESpondeo: quòd ad Ecclesias Cathedrales & regulares (scilicet virorum, nam in electionibus monialium non per omnia locum habet hæc decretalis *cupientes,* ut patet ex *c. indemnitatibus. de elect. in* 6. Pith. *loc. cit. n.* 309. cum Gl. *in c. cupientes. v. regula-*

gularium) ad quas electorum confirmationes peti debent à Sede Apostolica ratione immediatæ subjectionis vel appellationis ad eandem Sedem interpositæ,(uti hanc disjunctionem addunt Pith. & Laym *ll.* mox citand.) hoc tempus immutatum est; statuitur siquidem in *c. cupientes.* ut hi electi intra unum mensem post præstitum consensum in electionem debito tempore à Capitulo præsentatam electo: vel (in quo hæc decretalis decretalem *quàm sit.* declarat, utpote in qua non habetur ea disjunctio. Laym. *ad c. cupientes.*) ubi hæc præsentatio debito tempore facta non est, post habitam aliunde electionis de se factæ notitiam, iter arripiant ad dictam Sedem pro confirmatione petenda, & causa electionis prosequenda cum omnibus actis & momentis causæ. Finito autem eo mense (qui datur ad parandum se ad iter) considerandum tempus, infra quod electi, spectatâ locorum distantiâ, commodè Romam venire possunt; cùm aliquorum locorum vicinitas minus, aliorum distantia prolixius tempus exigat; ac insuper præter tempus illud boni viri arbitrio æstimandum, expectandum est per 20. dies, intra quos, si electi personaliter (nisi,ut addit Laym. *in c. cupientes*, ob magnam loci distantiam privilegio aut consuetudine præscriptâ remissio facta sit) non advenerint, aut si justè impediti sint, Procuratorem seu nuncium non miserint: aut si is intra dies 15. post dictos 20. numerandos plenam fidem non fecerit de impedimento, tum electi omni jure, si quod eis per electionem quæsitum, privati existant, nisi talia impedimenta intercessissent, quæ ad declinationem pœnæ hujus Judici sufficientia videantur, & propter quæ videatur illis ad personaliter comparendum longius tempus concedendum. Probare autem debent electi impedimentum personalis adventûs sui, & nihilominus, eo impedimento cessante, personaliter comparere, alioquin amittant jus suum, uti habetur §. *insuper.*

2. Quòd si etiam electi personaliter comparuerint,aut procuratorem miserint, sed sine actis, juribus & momentis suis, eam pœnam incurrunt, ut ad illa producenda extra Curiam nulla alia eis detur dilatio, nisi ex justa causa, ut quia instrumenta semper delata amiserunt; vel aliqua de novo eis opponuntur, uti habetur *cit. c. §. electus verò.* & Gl. *ibi. v. ex justa causa.* Ita ferè textum *cit. c. cupientes.* compendio referentes Laym. *in cit. c.* & Pith. *ad tit. de elect. n.* 310.

3. Et hæc de electo; quò ad Electores enim statuitur præterea in *eodem c. cupientes. §. ad hæc.* ut ii duas personas ex capitularibus (infra idem tempus, intra quod electus debet personaliter comparere) ad Sedem Apostolicam mittant, sufficienter instructas ad informandum Papam de tota causa electionis. Et quidem sumptibus Prælaturæ, si ejus bona à bonis Capituli sint divisa, & si bona sint communia, ex iisdem, vel à capitulo aliunde provisis, si non suppetunt, neque ex divisis, neque ex communibus. Dum verò electio celebrata in discordia, habitæque una vel plures electiones, duo ex utraque parte Capitulares mittendi sunt, & electus vel electi impensas præstare debent, idque sub pœna ferendæ privationis juris quæsiti per electionem, nisi eos inopia excuset,in quo casu electores impensas ferre debent juxta Gl. *ibid. v. impotentia.*

4. Ac denique, dum unicus electus, cui aliquis vel aliqui se opponunt, hoc casu opponentes expensis eorum propriis, si duo tantùm, vel si plures, saltem duo ex ipsis opponentibus, impensis ipsorum opponentium propriis, cum actis & momentis instructi compareant, ut per illos Papa plenè informetur. Ita iidem Pith. & Laym. *ll. cit.* qui etiam postremus addit, quòd si electores dictas personas, vel saltem, si ex impeditæ fuerint, procuratorem sufficienter instructum non miserint, passuri sint pœnam, intellige illam, de qua paulò ante ex Lott. ut nimirum amittant jus iteratò seu pro illa vice eligendi.

5. Postremò statuitur in eodem *c. cupientes. §. final.* eadem ferè procedere in postulatis ac postulantibus concorditer vel discorditer, (intellige quò ad procurandam permissos à Capitulo acceptationem postulationis) quæ in electis & eligentibus, dum postulati ideo, quia in ætate, Ordinibus vel similibus defectum patiuntur, (in iis enim, qui ideo postulati, quia jam aliis Ecclesiis alligati sunt, dicit textus, esse servanda jura antiqua) præterquam quòd postulati consentire non debeant postulationi, nec teneantur præstare sumptus ad missionem illam capitulariorum necessarios; sed id spectet ad postulantes, sive in concordia, sive discordia facta postulatio. Cetera, quæ statuuntur in *cit. c. cupientes.* circa illos, qui super electionis confirmandæ negotio accedunt ad Sedem Apostolicam, qualiter habeantur pro præsentibus, & frui possint interea fructibus suorum beneficiorum, vide apud Pith. *loc. cit. n.* 311. *&* 312. & dicta à nobis alibi, ubi de residentia.

6. Illud verò notandum, quòd dum electus juxta *c. cupientes.* personaliter Romam accedens ad electionis suæ negotium prosequendum, ante finitum hujusmodi negotium sine sententia recedat, is quoque jure per electionem sibi quæsito vi hujus decretalis eò ipso privatus existit, ac si Romam accedere intra tempus præfixum neglexisset. Lott. *l. 3. q. 17. n. 200.* Pith. *n.* 314. juxta *c. postquam. de elect. in 6.* & Gl. *in c. cupientes. §. quod si per 20. v. comparere.* Paria enim censentur juxta *c. certum.* 11. *q.* 3. non venire, & venire quidem, sed sine licentia recedere, sive non exspectare causæ suæ finem. Adeòque licèt *c. cupientes.* spectatis præcisè verbis tantùm, puniatur dicta pœna is, qui non venit ad Curiam; attentâ tamen mente legislatoris, quæ ex ratione ac fine legis cognosci debet, apparet, in dicta decretali *cupientes.* quoque exigi, ut electus ad Curiam veniens ad finem negotium electionis prosequatur. Atque ita etiam in lege hac pœnali constitutio illius extendatur ad casum verbis ejusdem non expressum, sed ex mente legislatoris & intentione, quæ verbis præfertur, comprehensum. Pith. *cit. n.* 314. Non tamen incurritur dicta pœna, dum electus Romam ex dicta causa veniens eo tempore, quo non impeditur processus causæ, peregrinaretur recreationis vel alia simili de causa extra Curiam ad pauca milliaria; cùm juxta *l. divortium. ff. de divortiis.* non videatur recessisse, qui brevi erit reversurus. Pith. *loc. cit.* juxta Gl. *in c. cupientes. v. mente.* Porrò quod hic dictum de pœna venientis Romam, & recedentis sine venia, pari ratione intelligendum esse de aliis quoque personis Capitularium Romam accedentium in dicto negotio, tradit *ibid.* Pith. cum Gl. *v. omnino.*

7. Illud item notandum, quòd, dum postquam à confirmatione, vel provisione facta ab eo, ad quem ob inferiorum negligentiam potestas eligendi devoluta est, ad Sedem Apostolicam appellatum est, observanda sint omnia ea, quæ in dicta decretali *cupientes.* de veniendo & mittendo ad Curiam dicta sunt: ut etiam electus, & eligentes, & appellantes venire teneantur, aut personas instructas mittere ad Apostolicam Sedem. Pith. *n.* 315. juxta *cap. si postquam. §. fin.* Cùm licèt in eo *cap.* agatur de electione, non factâ mentione confirmationis, eadem tamen sit ratio in confirmatione in hoc casu, quæ in electione, ut scilicet Superior informetur in causa; ac proinde idem esse debeat jus, ut nimirum in casu appellationis ad Sedem Apostolicam à confirmatione per Superiorem ordinarium facta, ipsi quoque principales veniant ad Curiam, aut mittant personas, & ante negotium finitum non recedant. Pith. *ibid.* juxta Gl. *in cit. c. postquam. v. confirmatione.* Idemque dicendum, si appelletur à provisione, cùm electio, confirmatio, postulatio, provisio in his casibus æquiparentur. Pith. *ibid.*

8. Illud denique notandum, quòd hæc decretalis *cupientes.* adhuc hodie locum habeat in electionibus, quæ fiunt à Capitulis Ecclesiarum Cathedralium; quia etsi eæ immediatè subjectæ non sint Sedi Apostolicæ, electiones tamen in iis factæ ad dictam Sedem deferendæ, & ab ea exspectanda earum confirmatio; adeoque exspectatur in Curia usque ad

tempus

tempus hic constitutum, etiam juxta concordata Germaniæ. §. *Item placet*. Pirh. *n.* 310. *in fine*.

Quæstio 456. Intra quod tempus danda confirmatio?

1. REspondeo: licèt ad eligendum, oti & ad petendam electionis factæ confirmationem, non tamen est certum præfixum in jure tempus, intra quod is, ad quem jus confirmandi spectat, electom confirmare teneatur; non secùs, ac illud constitutum non est habenti jus instituendi ad instituendum præsentatum. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 56. citans Abb. *in c. postquam. n.*8. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *nu.* 254. citans Massobr. *in prax habendi concurs. requisit.* 9. *dub.* 5. Lavor. *de elect. tit.* 4. *c.* 25. *n.*43. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 309. citans Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 6. Cùm enim tam electus quàm eligentes agere possint aut teneantur, ut confirmatio fiat, satis per hoc provisum censetur. Pirh. *loc. cit.* Ait tamen Donat. *tom.* 2. *tr.* 7. *q.* 3. *n.* 2. quòd confirmator teneatur ad summum intra tres menses confirmare, idque colligi *ex c. ne pro defectu. de elect.* ubi dicitur: *ad quem devoluta potestas, non differet ultra tres menses*. Verùm loquitur illud *cap.* de eo, ad quem devoluta potestas providendi ob non factam electionem intra præfixum tempus.

2. Quòd si tamen confirmator renuat, aut diu differat confirmationem, cùm Ecclesiæ intersit, quamprimùm, si commodè fieri potest, fieri confirmationem, ne diutiùs vacet, potest in hoc casu peti à Superiore confirmatoris, ut is eum ad confirmandum compellat, præfigendo ei terminum cum intimatione, nisi intra illum confirmet, ipse Superior jure devoluto id faciet. Pirh. *loc. cit.* Barbos. citans Lavor. *ubi ante. n.* 44. Sigism. *à Bonon. de elect. dub.* 45. *n.* 3. & Rotam *in Legion. confirm.* 23. *Jannar.* 1617. Pass. *loc. cit.* citans Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 6. *q.* 2. *n.* 10. Porrò hic terminus ei præfixus brevis esse debet, ita ut, licèt sit arbitrarius, excedere tamen non debeat 6. menses. Barbos. *loc. cit.* citans Massobr. *ubi ante.* & Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 3. *q.* 2. *a.* 6. *n.* 4. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 457. Ubi, seu in quo loco fieri possit, seu dari confirmatio?

1. REspondeo primò: necesse non est, ut ea fiat in Ecclesia, ut voluit Lavor. apud Pass. sed fieri potest in Ecclesia, vel in palatio, aut camera Superioris Ecclesiastici confirmantis; non tamen in palatio Principis sæcularis. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 170. (qui etiam addit, eandem esse rationem de quocunque loco honesto) Pirh. ad tit. *de elect. n.* 327. juxta *c. quà fronte. de appell.* ubi Alexander III. reprehendit Archiepiscopum Cantuariensem, quòd juris ordinem pervertens, non in Ecclesia, sicut honestum & canonicum est, nec in palatio aut camera sua, sed in Regis camera contra juris præscriptum & officiö pontificalis dignitatem Episcoporum electiones confirmet. Ratio autem est; quia confirmatio, ut dicetur infra, cognitionem causæ requirit, citationémque eorum, quorum interest, & ideo de plano expediri nequit, sed pro tribunali. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *in cit. c. quà fronte. v. contra debitum juris*; cujusmodi autem spiritualia in Ecclesia, vel aliis locis ad id deputatis fieri debeant. Pirh. cum Gl. *loc. cit. v. canonicum.*

2. Respondeo secundò: confirmatio tamen facta in domo Principis sæcularis ex hoc solùm capite non est irrita, cùm id in jure nullibi expressum. Pirh. *loc. cit.* citans Innoc. *in c. quà fronte. n.* 1. *v. debitum.* Quamvis, ut ait Pirh. irritari possit tanquam facta contra canones. Argumento *c. quanquam de elect. in* 6.

3. Respondeo tertiò: dum adest contradictor, ita ut in judicio contendendum sit, magis deceret, ut in palatio aut consistorio confirmatoris, quàm in Ecclesia, utpote quæ est domus orationis, non litium, lis hæc agatur. Pirh. *loc. cit.* citans Alex. de Nevo. *in c. quà fronte. n.* 4. & subjungens, processum judicii sæcularis institutum in Ecclesia esse vetitum, non verò processum causæ Ecclesiasticæ, juxta *c.* 2. §. *ordinarii, de immunit. Eccl. junctà gl. ibid. v. processus.*

Quæstio 458. An confirmari possit electus per Superiorem existentem extra suum territorium?

1. REspondeo primò: dum proceditur ad confirmandum in contradictorio judicio, non potest extra territorium suum eam confirmare; eò quòd tunc debeat fieri, seu dari in forma diffinitivæ sententiæ, & jurisdictio in alieno territorio exerceri non possit. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *n.* 141. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 170. citans Jo. Andr. & Dominic. *in c. fin. de off. Vicar.*

2. Respondeo secundò: quin etiam, dum non potest confirmatio fieri nisi solenniter, hoc est, non nisi servando in confirmatione formam *cap. fin. de elect. in* 6. nimirum cum citatione sese opponentium electioni, & cum causæ cognitione, non potest confirmari electus ab existente extra suum territorium sine licentia Judicis illius territorii. Pirh. *cit. n.* 327. Pass. *loc. cit.* citans Abb. *in cap. novit. de off. Vicar. n.* 5. Franc. *ad c. fin. de elect. in* 6. *n.* 9. *&c.* Quod idem ferè tenet Garc. *loc. cit. n.* 142. in quantum citato pro hoc Lamb. *de jurep. p.* 2. *l.* 2. *q.* 2. *a.* 6. *& p.* 3. *l.* 2. *q.* 2. *a.* 11. ait: quòd si ad confirmationem proceditur judicialiter, & cum cognitione causæ, sive instante contradictore, sive ex officio instante fiscali, vel aliàs in forma judicii per assignationem Auditorii, ut solet, non potest fieri extra territorium, neque cognitio causæ, neque confirmatio, si fit in sententia. Addit etiam Garc. quòd, ubi intra territorium confirmantis facta est sententia de confirmando, confirmatio jam fieri possit extra territorium, utpote jam actus extrajudicialis, & voluntariæ jurisdictionis.

3. Porrò procedere hanc secundam responsionem, nimirum adhuc censeri judicialiter fieri confirmationem, & hinc ad eam devenire non posse Superiorem existentem extra territorium suum, tradit Pass. *loc. cit.* etiamsi misceatur aliquid summarii judicii, v. g. si nullo comparente ex citatis, Superior ex officio se informet de aliquibus aliunde sibi indicatis; quod fieri potest in summario judicio & extrajudicialiter. Eò quòd per hoc judicium per se & simpliciter non desinat esse contentiosum & solenne, cùm non fiat sine citatione & defensione causæ solennis, quam citatio requirit. Quòd enim nullus contradictor compareat, id non faciat, ut judicium non sit solenne & contentiosum, & ut sententia data non sit diffinitiva. Cujus tamen contrarium sentire videtur Garc. *loc. cit.* dum citato per hoc Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 8. *n.* 6. ait: si verò discussio negotii esset extrajudicialis, & absque strepitu & forma judicii; quia fieret sine contradictore & coadjutore curiæ, seu fiscali, tunc totum potest fieri extra territorium sine licentia judicis illius; quia est voluntariæ jurisdictionis; & ita, ut ait Garc. procedet, quod tradit Gonz. *gl.* 62. *n.* 8. posse Episcopum extra diœcesin instituere, & electiones confirmare & infirmare, contradictore non apparente.

PARAGRAPHUS IV.

A quo, & quibus danda confirmatio?

Quæstio 459. In genere à quo petenda & danda confirmatio?

1. REspondeo in genere primò: confirmare non nisi ad Superiorem spectat. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 159. citans pro hoc *c. indemnitatibus.* & *c. fin de elect. in* 6. & *clement. extrav. de verb. signif.* §. *demum.* Lott. *l.* 2. *q.* 18. *n.* 27. ubi: confirmatio subjectionem in

in persona electi necessario supponit, cùm per Superiorem fiat; potestas enim confirmandi est actus jurisdictionis. Vide dicta à nobis *ad initium hujus cap.*

2. Respondeo secundò: electus regulariter & de jure communi confirmandus à Superiore proximo, seu immediato ipsius electi, seu cui Ecclesia aut dignitas electiva immediatè subjecta est. Barbos. *juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 1. & 2.* Tamb. *de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1. n. 1.* Laym. *in qq. can. de elect. q. 107.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 305.* Pass. *loc. cit. n. 68.* citans Abb. *in c. monachi de stat. monach. n. 10.* Barbos. *ad c. cùm dilectus, n. 4.* Biax. *in direct. elect. p. 3. c. 43. n. 6.* Castellin. *de elect. c. 14. n. 3.* Sigism. de Bonon. *de elect. dub. 44. n. 1. &c.* Sic itaque Prælati Episcopo inferiores non exempti ab Episcopo diœcesano, Episcopi ab Archi-Episcopo, seu Metropolitano suo, Archi-Episcopi à suo Primate, seu Patriarcha, Patriarcha à Papa confirmari debent, spectato nimirum jure communi, præsertim antiquo. Pirh. *loc. cit.* Atque ita olim fiebat, dum antiquitus Episcopus à populo & Clero electus, vel, ut dein factitatum, à solo Collegio seu Capitulo canonicorum, confirmabatur à Metropolitano suo. Azor. *p. 2. l. 3. c. 29. q. 1.* usque dum postmodum à tempore Bonifacii VIII. & Martini V. ob discordias & lites, quæ in Episcoporum electionibus oriebantur, sublatis electionibus, Ecclesias Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales Sedes Apostolica sibi reservavit, ut patet ex *Extrav. ad regimen. 2. de præb.* quæ reservatio dein regulæ quoque 2. Cancellariæ universaliter inserta, concessâ solùm Regibus quibusdam potestate nominandi Episcopos, à Papa instituendos, aut etiam relictâ nonnullis Ecclesiis, (uti contingit in Ecclesiis Germaniæ) potestate eos canonicè eligendi.

3. Limitanda tamen etiam responsio: nisi aliud jure speciali, aut consuetudine cautum sit. Siquidem ex speciali privilegio vel consuetudine legitimè præscripta potestas illa confirmandi ad alios, quàm Superiores immediatos spectare potest. Pirh. *loc. cit. n. 306.* citans Tholos. *tit. de elect. c. 19. n. 14.* Pass. *loc. cit. n. 69.* citans Paul. de Eliaz. *in rubric. de elect. n. 7.*

Quæstio 460. In particulari, à quo hodiedum confirmandi sint Episcopi, ubi adhuc viget mos eos canonicè eligendi, uti illa consuetudo servatur in Germania, & in qua, ut Pass. loc. cit. *Trident.* sess. 24. c. 1. *nihil duxit innovandum.*

1. RÉspondeo: eorum, etsi immediatè subjecti sint Metropolitano suo, uti & Archi-Episcoporum ipsorum confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, quam Papa post exhibita examinis instituti testimonia conferre solet, & jubere, ut consecrentur, ut constat ex concordatis Germaniæ. Azor. *p. 2. l. 3. c. 29. q. 10.* Laym. *loc. cit. & in cap. postquam. de elect. n. 3.* remittens ad Barbos. *de potest Episc. alleg. 27. n. 17.* Pirh. *cit. n. 305.* Pass. *cit. n. 70.* citans Barbos. *de off. Episc. p. 1. tit. 1. c. 4. n. 6.* & Rotam *in Trevirens. Abbat.* 20. *Nov.* 1624. Reperiri nihilominùs etiam in Germania adhuc Episcopatus, v. g. in Salisburgensi Provincia ita subjectos Metropolitanæ Ecclesiæ, ut eorum Episcopi à suis Capitulis electi à Salisburgensi Archi-Episcopo teneantur petere confirmationem, testatur Laym. *in c. ne pro defectu. de elect. n. 6. in fine.*

2. Posse etiam eosdem Episcopos, Archi-Episcopos, aliósque Prælatos exemptos à jurisdictione Ordinariorum, seu immediatè subjectos Papæ, existentes intra Legationis Provinciam, confirmari à Legato de latere, ex officio scilicet Legationis, & absque speciali ad hoc mandato, tradunt Pirh. *cit. num. 306.* Pass. *cit. num. 70.* Laym. *in cap. licèt de off. Leg. num. 1.* extendens idipsum ad Legatos missos cum potestate Legati de latere hisce expressis: si Legatus à latere, vel cum potestate Legati de latere missus sit, Episcoporum aliorúmque Prælatorum Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum electiones confirmare potest; secus est de legatis aliis, qui id facere nequeunt, nisi specialiter id iis à Papa commissum. Pirh. Laym. *loc. cit.* qui tamen posterior tradit, eos posse super Episcoporum electionibus examen instituere, illúdque & informationes mittere ad Sedem apostolicam, & ex eo tempore se non ampliùs immiscere, juxta *cit. c. licet.*

Quæstio 461. A quo accipienda confirmatio Abbatum, Præpositorum, similiúmque Prælatorum regularium?

1. RÉspondeo primò: ubi ii exempti sunt, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecti, confirmari debent à Papa, aut ejus Legato de latere, si in provincia sit. Laym. *ad c. postquam de elect. n. 3.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 398.* Pass. *de elect. c. 33. n. 71.* sic Generales Ordinum, qui immediatè subjecti Papæ, ab ipso, ejusve Legato in provincia existente, confirmationem petere & habere debent. Pass. Laym. Pyrh. *ll. cit.* nisi fortè privilegium habeant à Papa, ut mox ab eorum in canonicam suî electionem consensu plenam jurisdictionem & administrationem sine alia Papæ confirmatione consequantur (uti id concessum Generalibus Ordinum mendicantium, testatur plurimis citatis Pass. *loc. cit.* & in specie etiam de Societate nostra. Pirh. prout habetur in *compend. privileg. v. generalis. §. 1.*) AA. iidem.

2. Respondeo secundò: ubi verò hi Prælati exempti quidem sunt à jurisdictione Episcopi, non tamen subjecti immediatè Papæ in hoc sensu, quòd Ministrum seu Præpositum generalem sui Ordinis habeant; ut sunt Provinciales & Abbates quidam electi in capitulo, ab eodem Generali confirmationem accipiunt, nisi fortè tales sint, quibus concessum est, ut ritè electi aliâ confirmatione non egeant. Et si sint Prælati inferiores seu locales, putà Priores, Guardiani electi in capitulo vel convento, à Provinciali confirmationem habere debent. AA. iidem *ll. cit.* aut si hi Prælati provinciales, vel etiam locales non eliguntur à capitulo vel convento, sed constituantur à Generali, ut fit in Societate nostra, aliâ confirmatione non egent. Pirh. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Abbates, Præpositi, aliique Prælati regulares non exempti confirmandi sunt ab Episcopis, quibus proximè eorum Monasteria subsunt. Pirh. Laym. *ll. cit.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 46. q. 1. §. confirmationes.*

4. Porrò solere Episcopos, dum assumunt vicarium generalem, concedere ei potestatem confirmandi Abbates, Priores, similésve non exemptos, tradit Azor. *loc. cit.* quamvis addat *in fine citati §.* hæc tamen potestas in generali mandato non continetur, quare specialiter committitur.

Quæstio 462. A quo accipienda confirmatio, Abbatissarum, Priorissarum, similiúmque antistitum monialium?

1. RÉspondeo primò: si monasterium monialium immediatè subjectum sit Sedi Apostolicæ, Abbatissa, Priorissa, Præposita, electa à conventu, confirmationem petere & accipere debet à Papa. Laym. *ad c. postquam n. 4.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 417.* citantes Azor. *p. 1. l. 3. c. 10. q. 3.* Donat. *to. 4. tr. 7. c. 17. n. 4.* Tamb. *de jure Abbatiss. d. 29. q. 1.* Petenda autem est hæc confirmatio à Papa per procuratorem; cùm moniales non per seipsas electionis prosequendæ aut oppugnandæ causâ Sedem Apostolicam accedere, sed procuratorem ad hoc mittere debeant juxta *c. indemnitatibus. de elect. in 6. §. porrò.* Donat. Laym. Pirh. *ll. cit.* Addit etiam Donat. *loc. cit. n. 5.* citans pro hoc Castell. *de elect. c. 17. n. 29.* Barbos. *in collectan. ad Trid. c. 7. sess. 25. de regular.* Gavant. *in man. Episc. v. monialis officialis.* referentes super hoc plures S. Congreg. declarat. quòd nimirum licèt Episcopus loci ex dispositione Gregor. XV. in *constitut. inscrutabili.*

possit

possit unà cum Superioribus regularibus quarumcumque Abbatissarum electionibus per se vel per aliom interesse, ac præsidere; exinde tamen jus nullum habet confirmandi Abbatissam exemptam.

2. Respondeo secundò: si autem monasterium religioso virorum Ordini (intellige, etiamsi hic Ordo exemptus non sit à jurisdictione Episcopi) subsit, ad Prælatum istius Ordinis aut monasterii spectat confirmatio. AA. iidem.

3. Respondeo tertiò: si autem nolli religiosorum monasterio, sed Episcopo subsit, Episcopus confirmare habet.

Quæstio 463. An, & qualiter potestas confirmandi competat capitulo sede vacante?

RESpondeo: potestas confirmandi electos, non secus ac potestas instituendi præsentatos pertinens ad Episcopum, sede Episcopali vacante transit ad capitulum; quia instituere & confirmare sunt actus jurisdictionis necessariæ. *c. cum olim. de major. & obedient.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 304.* Laym. *in cit. c. cum olim. n. 2.* Lott. *l. 2. q. 2. n. 21.* citans Abb. *in c. 2. ne sede vac. n. 2.* Pavin. *de potest. cap. sede vac. p. 2. q. 5. n. 2. & 3.* unde jam quia capitulum sede vacante ordinariam Episcoporum jurisdictionem exercet, electos Abbates, aliosque Prælatos non exemptos confirmat. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 464. Ad quem jure devoluto spectet confirmare?

RESpondeo: dum intra terminum præfixum confirmatori ordinario ab ejus Superiore, is non confirmat, confirmatio jure devoluto spectat ad dictum Superiorem immediatum confirmatoris, juxta dicta supra ad *quæst.* intra quod tempus danda confirmatio. Sic dum per appellationem aut querelam electus prosequitur electionem suam, & instat pro confirmatione, potestas illa instituendi (idem est de potestate confirmandi) non devolvitur nisi per indirectum. Lott. *l. 2. q. 13. n. 64.* dum enim procedimr per viam querelæ, cui tunc est locus, ubi nullum gravamen positivum supponitur, sed tantùm negligentia & mora habentis confirmare vel instituere; Superior aditus præfigit terminum ordinario confirmatori, intra quem si is non confirmet, jure devoluto confirmat ille Superior. Lott. *loc. cit. n. 65. & 66.* si verò procedatur per viam appellationis à gravamine positivo illato, sive quia expressè est denegata confirmatio, sive quia ter requisitus solenniter, obstinatè confirmator distulit confirmationem, facultas hæc confirmandi devolvitur ad Judicem. Lott. *n. 67. & 68.* dicens de facultate confirmaodi sic devolvenda esse textum *in c. significaverunt. de excepi.* rationem etiam addit *n. 69.* nimirum quia appellationis hic est præcipuus effectus, ut negotium, pro quo est appellatum, devolvat. Sic quoque confirmationem sequi ordinem appellationis, quæ est ab inferiore ad Superiorem immediatè, ait Pass. *cit. c. 33. num. 75.* Unde in casu appellationis ad curiam, Auditor Papæ, qui de appellatione cognoscit, quæ à confirmatione vel cassatione electionis est interposita, & judicat bene appellatum esse, electionem vel confirmat vel cassat. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 465. An confirmator ordinarius, pendente lite super jure electionis, vel etiam ubi appellatum est ab electione, confirmare possit electum?

1. RESpondeo primò: pendente lite de jure electionis, dum ea interim instituta est, confirmari non debet, antequam lis decidatur; sed nec infirmari; cùm ejus vis suspensa sit, ac dependens à futuro eventu. *c. cùm venissent. de in integ. restitut.* Laym. *ibidem n. 4.*

2. Respondeo secundò: si ab electione in Ecclesia cathedrali vel regulari celebrata, cujus confirmatio ad Ordinarium, nempe ad Archiepiscopum vel Episcopum pertinet ex causa probabili (quæ si probetur, legitima seu justa reputari debet) ad Sedem apostolicam in scriptis fuit appellatum, & Ordinarius nihilominus electionam confirmet, talis confirmatio irrita est, cùm sit ab eo, qui non potuit, de facto præsumpta, nisi appellans priùs ab ipsa appellatione canonicè (id est, sine pravitate) recesserit. *c. si postquam. de elect. in 6.* Barbos. *ibid. n. 1.* Pirh. *de elect. n. 313.* Ratio est; quia per appellationem, etiam extra judicialem, ab electione ad Sedem apostolicam suspensa fuit jurisdictio inferioris judicis Ordinarii, unde hâc appellatione pendente, talem electionem confirmare nequit, nisi appellante renunciante suæ appellationi, per hunc ejus ab appellatione recessum recuperet Ordinarius jurisdictionem seu potestatem confirmandi. Pirh *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: quòd si tamen ab electione non ad cathedralem vel regularem prælaturam appellatum non est ad Sedem apostolicam, sed ad alium inferiorem judicem, sive extra, sive intra judicium ante sententiam diffinitivam, nihil impedit, quò minùs inferior seu Ordinarius, à quo appellatum, in causa procedere possit, donec appareat, an Superior, ad quem appellatum, cognitâ veritate suâ rescindere velit, juxta *c. non solum. §. illa verò. de appellat. in 6.* Siquidem id de electione ad cathedralem vel regularem statutum est; idque ob reverentiam Sedis apostolicæ, & quia causæ majores facilius devolvuntur ad Papam. Pirh. *loc. c.* Laym. *l. c. n. 2.* cum gl. *in cit. c. si postquam. v. ad Sedem apostolicam.*

4. Proceditque id ipsum etiam, ubi legitimè electus appellavit à confirmatore Ordinario; eò quòd is ipsum noluerit confirmare, ita ut pendente tali appellatione factâ ad Sedem apostolicam (secus, si ad alium inferiorem judicem appellatum) confirmatoe etiamsi jam velit, non possit eam confirmare validè. Castellin. *de elect. c. 16. n. 19.* apud Donat. *to. 2. tr. 6. q. 18. n. 2.* nihilominùs Porrell. *in dub. v. appellare. n. 8.* apud eundem Donat. *loc. cit. n. 1.* tradit absolutè posse in hoc casu adhuc confirmare validè confirmatorem illum Ordinarium, non obstante, quòd appellatio liget manus judicis appellati, & prohibeat ampliùs procedere; eò quòd appellatio introducta sit à jure in beneficium appellantis; quisque autem cedere possit juri & beneficio suo. Item quia id non est contra finem & intentionem appellantis; imò correspondet ejus desiderio. Et licèt appellatio suspendat jurisdictionem judicis, à quo appellatur, non tamen quò ad tendentiam in faciliorem exitum causæ, verùm videtur huic sententiæ obstare reverentia Sedis apostolicæ, ad quam appellatum.

Quæstio 466. An, dum Papa provisionem (comprehendendo hoc nomine electionem, confirmationem, ut factum in c. si eo tempore de elect. in 6.) *Ecclesiæ alicujus suæ dispositioni reservavit, inhibens, ne ad electionem vel provisionem illius procedatur, & quid attentetur, sive scienter, sive ignoranter, an inquam, in hoc casu ante emanatam hujusmodi particularem reservationem ad electionem in tali Ecclesia fuerit processum, adeoque valida sit electio, utpote antecedens illud decretum reservationis, validè dein post emanatam illam reservationem possit confirmari ab inferiore, nihil adhuc sciente de illa reservatione?*

RESpondeo affirmativè, si sermo est, non de Ecclesiis cathedralibus, sed Prælaturis inferioribus; ubi enim in his præcessit canonica electio reservationem, adeoque jam valida est, quidquid postea faciendum restat, expediri potest per Ordinarium, nec opus est pro confirmatione adire Papam; siqui-

siquidem qood in contrarium statutum, nempe ut post electionis talis validæ confirmatio aliqua circa illam gesta etiam ab ignorantibus illam reservationem post illius emanationem, id inquam, solùm locum habet in Ecclesiis cathedralibus, de quibus dontaxat loquitur *c. si eo tempore. de elect. in 6.* Pirh. *de elect. n. 330. juncto n. 329.* Laym. *in cit. c. si eo temp. n. 2.* citans gl. *in idem. c. v. cathedralis.* Franc. *ibid. n. 2.* & Garc. *de benef. p. 4. c. 3. n. 20. & 40.*

Quæstio 467. An confirmandus electus in discordia?

1. RESpondeo, electum in magna discordia, etiamsi ejus electio facta à majore parte eligentium, sine magno tamen excessu votorum, confirmari non debere, tradit Donat. *to. 2. tr. 7. q. 9. n. 5.* citans gl. *in c. si quando. de el. in 6.* (quæ tamen glossa nihil de hoc, ut Pass. mox citand.) Sylv. *v. confirmatio.* Castell. *de elect. c. 14. n. 58.* Azor. *q. 2. l. 6. de 4. decalog. prac.* ratio illius est evitatio futurarum discordiarum, quæ religiosam tranquillitatem evertunt. Idque ut ait Donat. ex Castell. *loc. cit.* præcipuè, ubi electus est vir cholericus, memor injuriarum, & vindicativus.

2. Verùm hanc sententiam non tenere in electione, in qua servanda forma *c. quia propter.* ad validitatem electionis requirentis, ut quis electus sit à majore parte capituli; nec esse conformem communi DD. asserentium, electum à majore parte, si non adsit defectus in electione vel persona electi, esse confirmandum, asserit Pass. *de elect. c. 33. n. 128.* eò quòd quantumcunque discordia in eligendo sit magna, si proveniat à bono zelo, non sit reprehensibilis *c. ult. d. 63. & c. 178. q. 1.* unde non sit, cur cassetur electio talis in discordia habita (maximè, si discordia non fuerit ex colpa electi) nisi forrè in casu aliquo particulari per accidens immineret ex confirmatione grave damnum & scandalum, quod per se non imminet ex eo, quòd electio facta sit in discordia. Ad hæc, ut Pass. *n. 129.* cùm in iis, quæ fiunt à pluribus jure collegii, id quod fit à majore parte, fieri censeatur a toto capitulo, argumento *c. in causis. de elect. c. ad aures. de his quæ vi. ut* Barbos. *ad c. bona. de postul. n. 6.* Archid. *in c. Nicena. d. 31.* Electio canonica, utpote quæ fit in re collegii, censeatur adhuc concors, si fit à majore parte consentiente in scrutinio; ita etiam, ut secundùm Bald. scrutinium tale dicatur factum unanimiter fictione juris: ac propterea talis electio, si aliunde quoqne valida est, sit necessariò confirmanda. Quin & de cetero, ubi in electione servanda non est forma *c. quia propter.* sed is censetur electus, qui plura habet suffragia, potest eundem confirmare habens confirmare. Pass. *loc. cit. n. 130.* Etsi multò magis hæc dici possit electio in discordia. Imò secundùm jus antiquum confirmari poterit electio, & unus ex electis, etiamsi vocales, seu habentea jus suffragii, se in partes æquales divisissent. Pass. *cit. n. 128.* Et potest adhuc id fieri (ubi forma *c. quia propter.* non est servanda) dum suffragia in duas divisa sunt partes, præferendo tamen illum ex duobus, qui majoribus meritis & magis idoneus fuerit. Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. q. 4.* juxta *c. si fortè. d. 63.* Ubi verò unus electus, alter postulatus, postulatio admittenda, si postulantium numerus numero eligentium fuerit major, aliàs confirmanda electio. Azor. *loc. cit. q. 5.* juxta *c. scriptum. de elect.* sed de his supra.

Quæstio 468. An confirmari possit, cujus electio facta per abusum sæcularis potestatis?

RESpondeo negativè. Donat. *tom. 2. tr. 7. q. 11.* Laym. *in cap. quisquis. de elect. n. 8.* ubi cum communi: si is, qui per abusum laicæ potestatis electionem acceptavit, non præcedente dispensatione à Superiore, confirmationem accipiat, titulum non consequitur; quia electio, quæ non consistit, non confirmatur, ut Felin. *in c. postulasti. de rescript. n. 5.* Et is, qui à manu potestatis laicæ Ecclesiasticam dignitatem recipit, inhabilis redditur, ut promoveri dein ad eandem aliámve nequeat sine dispensatione, ut Laym. *ibidem* cum communi. Undè si eandem à Superiore Ecclesiastico obtinere velit, explicare debet hanc inhabilitatem suam, & vitium intrusionis, si administrationi quoque se ingesserat. Laym. *loc. cit.* citans Felin. *ubi ante.* & Abb. *in cit. c. quisquis. n. 2.*

Quæstio 469. An electus invitus confirmari possit?

1. RESpondeo: electio, electo invito, non potest confirmari. Pass. *de elect. c. 33. n. 56.* citans Gl *in cap innotuit. de elect.* & Abb. *ibid. n. 13.* Donat. *tom. 2. tr. 6. q. 6. n. 1.* Tamb. *de jure Abb. to. 1. d. 6. q. 2. n. 11.* cùm enim inter eligentes, qui repræsentant ipsam Ecclesiam, & electum contrahatur matrimonium spirituale, juxta *c. inter Canonicos. de elect.* requiritur consensus, non tantùm eligentium, sed etiam electi, qui est futurus sponsus. Tamb. Donat. *ll. cit.*

2. Potest nihilominus Religiosus electus compelli ad acceptandum officium. Castell. *de elect. c. 14. n. 12.* Abb. *in c. non est. de regular. n. 4.* Tamb. *loc. cit. n. 13.* Pass. *loc. cit.* Donat. *loc. cit. n. 2.* Tradit nihilominus Donat. *loc. cit. q. 15.* quòd electus & confirmatus, qui tamen noluit Prælaturam & confirmationem acceptare, in Dominicanorum Ordine non possit dein Prælatus & sponsus dici Ecclesiæ, ad quam fuit electus, nisi largè & impropriè, cùm desit ei unum de substantialibus requisitis, nempe consensus. Idque eò fortiùs; quia in illo Ordine, etiam unanimiter electus & confirmatus quomodocunque, jus nullum ad illam Prælaturam acquirit, nisi consentiat liberè. Unde confirmatio in illo Ordine nisi acceptetur, non auffert vacantiam, v. g. Prioratûs, sed eadem vacantia adhuc perseverat; unde jus eligentium revertitur ad eligentes, qui sine fraude fuerunt, quod in se est, eligendo intra tempus capacem.

Quæstio 470. An confirmari possit electus, qui à confirmatore præsumitur malè recturus?

RESpondeo: etiam unanimiter electus, qui à confirmatore prudenter præsumitur malè recturus, v. g. laxaturus disciplinam religiosam, eò qoòd noverit, eum esse negligentem in observantia regulari, non potest sine peccato gravi confirmari. Pass. *loc. cit. n. 146.* ubi ait, hoc non esse proprium sui Ordinis, sed esse juris communis, imò naturalis & divini; citátque pro hoc Peyr. *in formul. lit. E. c. 18. n. 6. in fine.* Unde etiam concessum similibus confirmatoribus, seu Superioribus regularibus, habentibus confirmare electiones suorum, ut confirment eas, si eis visum fuerit expedire. *Clem. Exivi. de verb. signif.* (in qua licèt id statutum pro Minoribus, competere tamen omnibus Regularium Superioribus, probat Pass. *loc. cit. n. 148.* ex Barbos. tum quia ratio istius constitutionis est generalis: tum quia, quando Princeps uni Præsidi rescribit, omnibus rescripsisse censetur. ut Jason. *in l. 1. ff. de constit.*) Pass. *cit. n. 148.* qui rectè tamen addit, clausulam illam: *si videbitur*, importare arbitrium boni viri regulandum secundùm leges & rectam rationem: adeoque non posse talem confirmatorem ex qualibet præsumptione cassare electiones, sed præsumptionem debere esse rationabilem & proportionatam gubernio Ecclesiæ visibilis; adeoque debere inniti rationi, quæ, si opus sit, possit ab Ecclesia sciri & discuti. Vide de hoc plura supra, ubi, num teneatur confirmator reddere rationem negatæ à se confirmationis, seu cassatæ electionis.

Quæstio 471. An, & qualiter confirmari possit indignus?

1. RESpondeo primò: electio indigni confirmari nequit, quia hoc est contra jus naturæ, & divinum, & canonicum, quòd inhabilis & indignus promoveatur ad Ecclesiastica officia. Pass. *loc. cit. nu. 117.*

citans Peyr. *de subd. p. 1. q. 31. §. 11.* Donat. *p. 2. tr. 7. q. 7.* citans Ledesm. *p. 2. tr. 7. concl. 7. difficult. 7.* Peccat proinde mortaliter talis confirmator, & tenetur ad omnia inde secuta damna. Barbos. *juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 253.* citans Pet. Nav. *de restitut. tom. 1. l. 2. c. 2. n. 156.* Joan. Valer. *de different. inter utrumq. for. v. electio. difficult. 1. n. 4.* Addit tamen Pass. quòd nihilominùs in arbitrio Superioris multoties sit positum, ut consideratis, paucitate hominum, necessitate Ecclesiæ, conditionibus temporum, ut quis censeatur aliquando dignus, qui aliàs non esset dignus; eò quòd, licèt requisita de jure naturæ ac divino semper sint necessaria, nihilominùs in arbitrio positum sit decernere, an omnibus pensatis in casu particulari deficiant; quod magis verum dicit respectu eorum, quæ sunt necessaria ex jure positivo.

2. Respondeo secundò: potest tamen Superior habens facultatem dispensandi super jure positivo & pœnis, irregularitatibus, inhabilitatibus jure positivo impositis, indignum confirmare in hoc sensu, quòd confirmando talis dispenset cum tali, ac dispensando de indigno faciat dignum. Pass. *cit. num. 117.*

3. Respondeo tertiò: quin & confirmator sciens scientiâ privatâ, maximè haustâ in confessione, electum esse indignum, si aliud nihil obster, tenetur eum confirmare; eò quòd confirmator sit Judex, & confirmatio procedat ab eo ut Judice, adeoque procedere debet secundùm allegata in foro externo. Donat. *loc. cit. q. 8. n. 5.* de quo vide fusè dicta de non cassanda electione, ex scientia privata indignitatis à Pass. *n. 134. 144. & seq.* uti & à nobis dicenda §. *sequente.*

Quæstio 472. Quas pœnas incurrat confirmans indignum?

1. Respondeo primò: qui indignum (maximè si ob defectum scientiæ, ætatis, honestatis vitæ ac morum indignus est, ut dicitur *c. nihil. de elect.* etsi de cetero sint plures defectus & inhabilitates, prout etiam denotat particula *maximè*, quæ secundùm propriam significationem est inclusiva aliorum, Laym. *in cit. c. nihil. n. 2.*) per negligentiam confirmaverit (præterquàm quòd ipse actus confirmationis sit nullus. Lott. *l. 2. q. 18 n. 53.* & indignè promotus, seu confirmatus sit dejiciendus, seu privandus Prælaturâ vel beneficio, ad quod confirmatus, ut dicitur *cit. c. nihil.* etiam post factam confirmationem cum cognitione causæ factam, dum postmodùm constiterit, eum esse indignum, ut Pith. *ad tit. de elect. n. 326.* ex Abb. *in cit. cap. nihil. n. 1.*) Primò ipso jure privatus est facultate confirmandi pro illa vice, seu ut habetur *in c. nihil.* primum illius indignè confirmati successorem per novam electionem electum; devoluto electionem immediatè sequentem confirmandi jure ad Superiorem illius confirmatoris immediatum; quamvis Laym. *in cap. cùm in cunctis. de elect. §. Clerici sanè. n. 7.* satis insinuet, jus illud confirmandi non secùs ac jus instituendi devolvi ad Capitulum (intellige, ubi id culpam non admisit eligendo indignum, & ubi Episcopus non jure devoluto, sed proprio confirmavit indignum; si enim id fecit jure devoluto, Laym. admittit, devolvi institutionem ad Metropolitanum) ob maximam Capituli cum Episcopo conjunctionem, ob quam meritò unius defectus ab altero suppletur. Verùm obstare videtur, quòd potestas confirmandi, etiam devoluta, videatur in eo, ad quem devolvitur, jurisdictionem supponere, quam non habet Capitulum sede plenâ.

2. Insuper suspendendus est talis confirmator à perceptione fructuum proprii beneficii, quamdiu Superiori (intellige, qui suspensionem intulit. Pith. *loc. cit. num. 325.*) visum fuerit, seu ut Barbos. quousque indulgentiam promereatur. Laym. *in cit. c. nihil. n. 2.* Pith. *cit. n. 325.* Barbos. *cit. n. 253.* citans Lamb. *de jurep. l. 2. p. 3. a. 3.* Cosm. *in pragm. sanct. tit. de elect. v. ea vice.*

3. Respondeo secundò: si verò confirmator scienter per malitiam seu dolum id egerit, graviùs puniendus erit, ut dicitur *cit. c. nihil.* nempe pro arbitrio Judicis; cùm pœna à jure determinata non sit. Pith. *loc. cit.* quamvis Barbos. *loc. cit.* dicat expresse, debere illum deponi, citátque pro hoc Gl. *in cit. c. nihil. v. deponatur.* Vivian. *in pr. jurisp. l. 12. c. 7. n. 8.* Lavor. *de elect. c. 25. n. 65.* Firman. *de Episc. p. 2. secunda p. q. 5.* Debet autem dolus hic seu malitia, cùm non præsumatur, probari, juxta quod dicitur *in cit. cap. nihil: si verò convictus fuerit indignum confirmâsse.* & *l. quoties. §. 1. ff. de probat.* ubi dicitur: *qui dolo dicit factum aliquid, docere dolum admissum debet.* Pith. *cit. n. 326.* Laym. *cit. n. 2.* qui etiam addit: ceterùm ex verisimilibus conjecturis fieri posse præsumptionem de commisso dolo, juxta *l. dolum. c. de dolo.* saltem, ubi quis egit, quod omnes communiter sciunt esse prohibitum; vel non agit, quod scit sibi agendum esse, ut Gl. *in cit. l. dolum.* Tradit tamen Laym. *in c. innotuit. de elect. n. 6.* quòd, si electores elegerint illegitimum, alióve defectu laborantem, vel indignum, præsumptio sit contra illos, quòd id scienter fecerint; ideoque contrarii probatio illis incumbit. Neque obstat *regula juris 47.* in 6. ignorantia (intellige facti alieni) præsumitur, ubi scientia non probatur: eò quòd hanc patiatur exceptionem: nisi de eo inquirere, & notitiam capere alicui ex officio incumbat, juxta *c. quamvis. de reg. juris. c. ult. de clandest. despons. l. regula. §. sed facti. ff. de juris, & facti ignor.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 42. n. 1.* Quæ autem *in cit. cap. innotuit.* dicuntur de Electoribus, eâdem ratione intelligenda de confirmatore & institutore indigni, ait *ibid.* Laym. additque, quòd, tametsi pœna hæc privationis pro ea vice non incurratur, nisi quis indignum scienter promoveat, ut colligitur ex *cit. cap. innotuit. c. cum Vintoniensis. c. quanquam. de elect.* attamen ignorantia directè voluntaria seu affectata, si nimirum de industria intermittatur inquisitio, ne defectus appareat, æquiparetur scientiæ, ut Gl. *in cit. c. innotuit. v. ignorantiam.* Anton. de Butrio *ibid. n. 24.* quos citat Laym. uti & seipsum *Theol. mor. l. 1. c. 20. n. 2.*

4. Irrogari quoque easdem pœnas privationis juris confirmandi pro illa vice, & suspensionis à perceptione beneficii confirmatoribus indignum electum ad Prælaturam vel beneficium curatum vi *c. cùm in cunctis. § Clerici sanè.* etsi illud *cap.* expresse loquatur de eligentibus indignum: & quidem illas pœnas in dicto *c. cùm in cunctis.* statutas comprehendere quoque confirmatores non Episcopos, seu inferiores confirmantes indignum in beneficio curato vel Prælatura, tradit *ibidem* Laym. *n. 8.* citato Suar. *de cens. d. 31. s. 2. n. 10.* Utrum verò extendantur quoque ad confirmantes & instituentes indignum in beneficio, quod nec curatum, nec Prælatura est, ait Laym. se non audere affirmare, cùm nullus extet Canon, qui id significet, sed tantùm de Prælaturis, dignitatibus & beneficiis curatis; & in materia pœnali non liceat facere extensionem; nec ratio sit eadem, cùm majus delictum, adeoque graviùs puniendum sit, promovere indignos ad majora hæc beneficia; etsi dicat Idem Laym. non paucos Auctores universaliter & indistinctè affirmare, propter collationem, institutionem, confirmationem indigni pœnam illam privationis incurri, & devolutionem fieri ad alium. Et sanè etiam illud *c. nihil.* non loquitur nisi de Prælaturis.

5. Respondeo tertiò: si Superior, ad quem pertinet confirmatio, non per seipsum, sed per alium curet nominari & confirmari electum, cui potestatem examinandi & confirmandi commisit; is autem ex malitia seu dolo, vel ex ignorantia seu negligentia confirmet indignum, ipsum Superiorem, seu committentem puniendum esse, quia obligatur ex culpa & dolo commissarii sui, (tenetur enim dominus ex facto illorum, quorum operis utitur. *l. 1. ff. de publican.*) nisi tamen ex justa & probabili causa potestatem delegavit; eò quòd tunc non teneatur ex dolo & malitia commissarii, tradit Pith. *cit. n. 326.* citans Abb. *in c. nihil. n. 5.*

Quæstio 473. An confirmator cassare possit electionem digni legitimè factam?

1. Respondeo: confirmatorem id per se loquendo non posse. Pass. *n.* 134. ubi expressè ait: evidenter falsum est, in confirmatoris potestate esse, confirmare, vel cassare electionem, sicut liberum est Electoribus eligere, quem volunt, cùm ex justitia confirmator teneatur confirmare electionem canonicam digni; & *n.* 135. ubi: inter confirmatorem & Electorem hæc est diversitas: quòd elector per se validè quomodolibet quemlibet dignum excludit ab electione, nisi per accidens in casu, ubi unus solus est dignus, & quilibet alius indignus; confirmator autem per se nullum validè excludit à confirmatione, sed solùm per accidens ex extrinseca urgentissima causa. Idque, ut Idem habet *n.* 134. quia elector nihil positivum facit contra non electum, sed negativè se habet circa illum ex plenissima libertate non coarctabili non eligens, quem judicat non eligendum; cùm non electus non habeat jus, ut eligatur, confirmator verò positivè electionem cassat, & contra jus electorum & electi agit; de quo vide dicenda *quæst. seq.*

2. Potest nihilominus electionem digni undequaque validam ex causa rationabili per accidens ob bonum commune cassare. Pass. *num.* 136. citans Bannez. 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. *ad* 2. cum communi; quia Prælatorum munus est, ut boni communis rationem habentes, utilitatem publicam præferant privatæ. Pass. *ibidem* juxta *c. bona. de postul.* & ibi Gl. *v. communem.* Abb. *n.* 11. Et sic ratione scandali vitandi electio aliàs valida non est confirmanda. Pass. *cit. n.* 136. citans Abb. *in c.* 1. *de elect. n.* 8. Seraph. *decis.* 516. *n.* 4. Felin. *in c.* 2. *de præscript. n.* 2. Peyr. *in formular. lit. C. c.* 18. *num.* 6. Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 6. item plures textus juris.

Quæstio 474. An confirmari possit dignus, præterito digniore?

1. Respondeo non solùm posse, sed & debere confirmari dignum, seu electionem digni aliàs validam, etiam ubi prætermissus est dignior. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 166. *&* 135. ubi expressè ait: confirmator per se nullum dignum electum validè excludit à confirmatione; sed accidentali causâ rarissimè occurrente; quia cùm ex *c. postquam de elect.* aliisque juribus confirmator teneatur electionem digni confirmare, si aliter facit, contra legem facit, & ideo cassatio ab eo facta, juxta *reg. quæ contra jus. de reg. juris. in* 6. pro infecta haberi debet & cassari. Donat. *tom.* 2. *tr.* 7. *q.* 8. *n.* 1. *&* 2. citans Bannez. 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. dub. 3. *ad* 7. Cajetan. *in sum. v. electio.* Covar. *in reg. peccatum. p.* 2. §. 7. *n.* 4. Rodriq. *in sum. p.* 1. *c.* 106. *concl.* 11. *n.* 13. Ratio responsionis est, quòd licèt electores eligere teneantur meliorem, peccentque mortaliter non eligendo digniorem; de quo vide fusè agentem Pass. *c.* 30. *de elect.* valida tamen sit electio digni, omisso digniore, pro quo Pass. *cit. n.* 166. citat D. Thom. 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. *ad* 3. & *ibid.* Bann. Cajetan. Aragon. Abb. *in cap. constitutus. de appellat. n.* 7. & *ibid.* Franc. *n.* 4. Imol. & Præposit. *num.* 16. Pass. *de resign. l.* 4. *q.* 11. *n.* 40. Nav. *cons.* 21. *de simon.* Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 4. *n.* 129. Barbos. *ad c. cùm nobis. de elect. n.* 3. Covar. *in reg. peccatum.* §. 7. *nu.* 4. Rotam *in Eugub. paroch.* 13. *Jan.* 1623. & plurimos alios. Ita etiam, ut hoc verum sit, etiamsi electores jurâssent, se velle eligere digniorem; quin &, si fieret statutum, quo statueretur, ut non valeat electio digni, omisso digniore, illud tanquam contrarium juri communi non valeret, nisi confirmaretur à Papa. Pass. *cit. n.* 166. Unde jam confirmator ex justitia tenetur confirmare dignum ritè electum etiam prætermisso digniore; & si secùs faceret, gravaret electum dignum, utpote qui ex tali electione jus acquisivit ad Prælaturam; adeoque à tali injusto gravamine appellare potest ad Superiorem. Donat. *loc. cit.* citans Castell. *de elect. c.* 14. *n.* 17.

2. Limitat tamen responsionem Donat. *loc. cit. n.* 4. ut ea procedat secundùm jus commune; ait enim, quòd si jura particularia statuissent (ut asserit fieri in suo Ordine) confirmatorem posse cassare electionem digni, si viderit digniorem prætermissum, id possit confirmator; modò evidenter constet relictum esse digniorem; aliàs ad evitandas lites & contentiones meliùs sit, confirmare electionem digni, prout jure cautum est.

3. Quòd si tamen confirmatori proponantur plures electi, tenetur sub mortali confirmare digniorem ex illis; eò quòd tunc electoris, qui in conscientia tenetur eligere digniorem, & confirmatoris vices gerat. Donat. *loc. cit. n.* 6. citans Ledesm. *in sum. p.* 2. *tr.* 7. *c.* 2. *concl.* 7. *dub.* 7. Armill. *v. electio. n.* 2.

Quæstio 475. An confirmari possit infamis infamia facti; quia nimirum inquisitus aut accusatus de gravi crimine, & de eo apud viros graves diffamatus?

1. Respondeo primò: ex quo electus apparet infamis simplici infamiâ facti, non statim debet aut potest cassari ejus electio, seu rejici à confirmatione; non enim est eadem ratio de electione, ad quam electus nullum jus habet, & de confirmatione, ad quam electus vi electionis jus habet, & privatur jure suo, si non confirmetur: unde si ex libertate eligentium non eligatur, nulla ei fit injuria, secùs, si sine ratione non confirmetur; adeoque ex quo electus apud confirmatorem apparet infamis simplici infamiâ facti, datur locus ad inquirendum, non ad statim illum condemnandum; & sicut ex eo, quod apud confirmatorem sit accusatus, is non potest cassare electionem, ita nec id potest ex hoc, quòd sit accusatus apud alium Judicem, vel alios viros graves, sed debet inquirere (nempe vel in judicio contradictorio, seu instante adversario, vel ex officio confirmatoris) in veritatem delicti, juxta *c. nihil.* & *c. si fortè. de elect. in* 6. Ita ferè Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 118.

2. Respondeo secundò: quòd si confirmator, habitâ inquisitione, invenit infamiam à malevolis aut levibus personis ortam, nec habere fundamentum, unde verè non sit talis, ut privet electum existimatione viri probi apud probos ac graves viros, nec ejus idoneitatem dubiam reddat, danda est confirmatio, nisi fortè scandalum aliquod grave timeatur; non obstante de cetero, quòd hæc infamia sit deducta per accusationem ad tribunal Judicis alicujus confirmatore non superioris; eò quòd multò majus sit, quòd accusatus apud talem Judicem habitâ inquisitione, etiam extrajudiciali, inveniatur à confirmatore innocens, seu infamia talis, quæ tanquam orta à malevolis, non sit attendenda, quam si hoc fiatur à solis privatis; adeoque debet confirmari, etiam pendente ibi istiusmodi accusatione, secluso scandalo. Pass. *num.* 119. *juncto n.* 120. ubi etiam, quòd AA. qui aliàs docent, accusatum in judicio non debere promoveri, sunt intelligendi sub hac limitatione, ut non procedat in accusato à malevolis, non gravato apud viros probos & graves. Si tamen electus accusatus de crimine gravi in tribunali Judicis confirmatore superioris, maximè Sedis Apostolicæ, abstinendum esse à confirmatione, seu eandem differendam, ait Pass. *cit. n.* 119. tum ob reverentiam Superioris; tum ob periculum, cui se exponit confirmator in eo casu, utpote contra quem procedere poterit ille Superior tanquam confirmatorem indigni, ubi accusatus in illo Superioris judicio succumberet: tum ob præjudicium, quod fieri posset causæ in tribunali Superioris agitatæ, dum ex confirmatione redderetur difficilior probatio criminis contra electum, & requirerentur plures testes ad illum convincendum: tum ob scandalum, quod timeri posset, ubi damnatus à Superiore inveniretur confirmatus. Et de hoc ad summum procedit, quod ait Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 9. *n.* 1. quòd pendente accusatione promovo-

moveti non debet accusatus, & graviter puniendom promotorem illius juxta *c. tantus. d.* 81. & promotum pendente lite seu accusatione, quamvis innocens & sine culpa, juxta Gl. *marginal. in cit. cap. tantus. v. obrepsit.* Nam de cetero benè ait Pass. *n.* 123. ubi electus est accusatus apud aliud tribunal, quàm sit tribunal Superioris, ad quem pertinet confirmatio, non est necesse, quòd iste Superior exspectet, ut alius Judex inquirat ac cognoscat; sed potest ille in hac parte uti jure suo, vel judicialiter, si id ei liceat, vel extrajudicialiter: & ubi invenerit accusationem calumniam, & provenire à malevolis, seu infamiam non habere fundamentum, non est necesse, ut exspectet alterius judicium, & ubi vel bonum commune, vel necessitas vitandi scandalum, vel etiam reverentia Papæ, juxta qualitatem delicti & rerum circumstantias aliud non requirit, poterit electionem accusati confirmare.

3. Respondeo tertiò: ubi differenda confirmatio ob pendentiam accusationis apud aliorem Judicem, & accusator per annum tacuit; imò per tres menses respectu confirmandi seu promovendi in Episcopum, juxta *authent. de sanctiss. Episcop.* §. 3. *collat.* 9 nisi Judex brevius tempus fuerit moderatus, juxta *c. quisquis.* 4. *q.* 5. & Argumento *c. accepimus. de fide instrumentorum.* poterit accusatus confirmari seu promoveri. Pass. *l. cit. n.* 121. Donat. *l. cit.*

4. Respondeo quartò: confirmator, ad cujus tribunal accusatus est electus, non potest confirmare, nisi priùs examinatâ veritate de crimine, de quo est accusatus. Similiter, si electus remanserit de crimine convictus vel confessus, vel apud probos & graves viros adhuc infamatus, quia non fuit infamia deleta coram confirmatore ea inquisitione diligenter habita. Donat. *loc. cit.* Pass. *n.* 123. qui etiam *n.* 119. quòd si habitâ inquisitione infamia orta ex honestis & gravibus viris non cessat, nec electus infamiam purgavit, electio est cassanda. Porrò præ oculis habendum, ut ait Pass. *n.* 118. quòd infamia facti tollatur per pœnitentiam, unde arbitrio confirmatoris relinquitur judicandum, an electus diffamatus per pœnitentiam deleverit infamiam; videnda etiam dicta à nobis in 1. *part.* ubi, an infames promovendi ad beneficia Ecclesiastica.

PARAGRAPHUS IV.

De causis, modo ac forma procedendi ad dandam confirmationem.

Quæstio 476. An, & qualiter confirmatio requirat causam, & causæ cognitionem?

1. RESpondeo ad primum: causa motiva quasi ultimata confirmandæ electionis est, ut provideatur Ecclesiæ vacanti de novo sponso. Causa immediata veluti necessitans confirmatorem ad confirmandum (confirmare siquidem est actus Justitiæ, ut dictum supra ex Lott. *l. 2. q. 2. n.* 19.) est electionis legitimitas & personæ electæ idoneitas. Causæ impulsivæ ad idem, seu ad faciliùs concedendam confirmationem provisionémque Prælaturæ enumerantur à Laym. *in cap. innotuit. de elect. n.* 5. ex Abb. *in cit. c. n.* 5. Butrio. *n.* 28. Electorum concordia, petitiones populi, Principis assensus, aliorúmque vota.

2. Respondeo ad secundum: procedere non potest, nec debet ad confirmationem confirmator, nisi cum cognitione utriusque causæ hujus, sive priusquam inquisiverit, & informationes sumpserit tam super forma, processu ac valore electionis, quàm super electi meritis aut demeritis, seu conditione ac idoneitate. *c. nihil. de elect.* & *ibi gl. v. examinet.* Abb. *n.* 1. *c. postquam. de elect.* & *ibi* Abb. *n.* 7. Laym. *in cit. c. nihil. n.* 1. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 251. Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 5. (ubi etiam, quòd nemine opponente seu instante hæc duo debeant examinari) Pirh. *ad. tit. de elect. n.* 316. Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 18. & expressius *q.* 18. *n.* 37. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 16. *q.* 6. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 78. citans quamplurimos alios.

3. Estque confirmatio facta sine dicta cognitione causæ ipso jure irrita. Donat. *loc. cit. q.* 6. *n.* 1. ex Abb. *in c. nihil. de elect. num.* 1. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 6. *q.* 2. *n.* 6. Lavor. *de elect. c.* 25. *n.* 62. apud Pass. *loc. cit. n.* 102. juxta textum *in cap. fin. de elect. in* 6. vi cujus cassatur confirmatio repentinè facta, hoc est, sine citatione & discussione negotii. Nihilominùs manifestum esse, quòd hæc confirmatio ad sui nullitatem requirat sententiam declaratoriam, ut constet per eam de defectu discussionis negotii, & sic de nullitate confirmationis: eò quòd, cùm discussio hæc non sit una & indivisibilis, sed requiratur major vel minor, & ubi electi qualitates & electionis valor sunt notoria, non sit necesse aliqua inquisitio, difficile sit videre, an negotii discussio defuerit, ut confirmatio ex hoc capite censeatur nulla, ita dit Pass. *cit. num.* 102. Qui tamen etiam rectè illud addit: quòd, si electio verè fuerit nulla aut irritanda ex defectu, quem confirmator non potuit, vel censeatur non voluisse supplere, ex quo repentinè processit, & sine causæ discussione electionem confirmavit, etiam postquam electus fuit confirmatus, & est in possessione, possit electio iterum in judicium vocari, & si justitia id exigat, debeat cassari.

Quæstio 477. An confirmatores regulares pari modo teneantur præmittere dictam inquisitionem de electionis processu, electíque idoneitate confirmationi suorum regularium?

1. RESpondeo primò: Prælati regolares subjiciuntur juri communi, nempe decretali *nihil.* & aliis, quatenùs prohibent electiones confirmari, non exeminato negotio, scilicet non examinato processu electionis & meritis, seu idoneitate electi; & nominùs incidunt in pœnas *dicti cap. nihil*, si id omiserint, aut in hoc negligentes fuerint, & vel sic electionem cassandam, electúmve indignum confirmeot. Pass. *loc. cit. n.* 12. nam inquisitio hæc seu informatio de valore electionis electíque meritis est de substantia confirmationis legitimæ; idque non tantùm, quia est apex aliquis juris, seu solemnitas à jure positivo tanquam legitimæ confirmationis inducta, (ad quos juris apices & solennitates servandas vi multiplicium suorum privilegiorum sæpè non tenentur Regulares) sed quia necessaria est ex natura rei ad rectam confirmationem, eámque confirmator præmittere debet ex officio ratione publicæ utilitatis; cùm enim confirmator sit Judex & cognitor, ut in *cap.* 1. *de elect.* debet se informare de re judicanda, in qua in præsente materia partes sunt Electores, electus & Ecclesia; unde attendere debet, ne injustitiam aliquam contra illos admittat, & consequenter etiam, dum nullus est oppositor, se informare de electi dignitate, & electionis valore. Pass. *cit. n.* 112. *in fine, juncto n.* 110. citans pro hoc Peyr. *in formular. tit. C. c.* 18. *n.* 3. Sigism. de Bonon. *de elect. dub.* 46. *n.* 7. Castell. *cap.* 14. *n.* 6. Unde jam minùs rectè Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 6. *n.* 2. cum Rodriq. *tom.* 2. *q.* 52. *n.* 5. quem citat, item Peyr. *in subd. q.* 1. *c.* 31. Lavor. *de elect. tit.* 4. *n.* 60. & 61. Sigism. de Bonon. *dub.* 44. *num.* 12. &c. apud Pass. *n.* 108. asserunt, tutam esse consuetudinem illam, seu praxin, quam servant Generales Ordinum in confirmandis electionibus Provincialium, non præmittendo dictam inquisitionem: tum quia ob multa privilegia sua non tenentur servare omnes apices & subtilitates juris, inter quas est etiam illa cognitio causæ: tum quia ex privilegio iis concesso à Sixto IV. possunt hunc defectum supplere. Tum denique, quia sic colligitur ex *Clem. Exivi. de verbor. signif.* §. *demum.* Nam cùm dicta inquisitio non necessariò facienda sit judicialiter per testes juratos, ubi non fit in judicio con-

tradictorio, parte sic instante, sed fieri possit extrajudicialiter per famam & literas testimoniales, ut Pass. n. 111. dumque modus dictæ inquisitionis maximè dependeat ex specialibus statutis, consuetudinibus, aut etiam privilegiis uniuscujusque Ordinis, ut Pass. n. 113. malè dicitur, confirmatores illos sine ulla inquisitione facta vi privilegiorum suorum, aut ex præscripta consuetudine contra jus commune procedere ad confirmationes, ex sola fama & literis testimonialibus, quas habent ex Conventibus, ut dum in Ordine Minimorum, de quo testatur Peyr. loc. cit. mittuntur ad Generalem confirmatorem literæ testimoniales subscriptæ omnium vocalium seu Electorum nominibus, etiam illorum, qui electum non nominârunt, dum in Ordine Prædicatorum (de quo testatur Pass. n. 113.) absque eo, quòd tales testimoniales sint de substantia, ex solo decreto electionis procedunt confirmatores ad confirmandum, ubi nulla fit oppositio; in quo decreto nedum descriptus fideliter processus electionis, sed etiam datur testimonium de integritate morum electi; siquidem hæc ipsa est inquisitio & informatio sufficiens, quam jus commune requirit. Pass. n. 113. juncto. n. 111.

2. Respondeo secundò: non tamen tenentur confirmatores istiusmodi regulares ad formam c. fin. de elect. in 6. utpote quæ in eo consistit, ut citentur competitores & oppositores personaliter, & insuper, ut etiamsi electio facta in concordia, citentur per edictum omnes interesse habentes, quæ est solennitas tantùm & apex juris, ad quem non tenentur regulares vi suorum privilegiorum. Pass. loc. cit. n. 109. testans in suo Ordine tales non tantùm non citari personaliter ac nominatim, sed & prohiberi, ne veniant ad confirmatorem sine speciali licentia; eò quòd electis in hoc Ordine non competat prosequi causam suæ electionis; oppositores verò citentur ipso jure, ut simul cum scrutinio oppositionum suarum jura seu rationes transmittant, & si opus eorum præsentiâ, liceat iam petant veniendi.

Quæstio 478. An igitur hæc necessitas præmittendi dictam inquisitionem, & pœna statuta negligentibus illam extendat se ad omnem confirmationem, etiam electionum ad beneficia simplicia?

Respondeo: affirmativam indistinctè tenent Gemin. in c. fin. de elect. in 6. & ex eo Sylv. v. confirmatio. n. 5. Rectius distinguit Pass. n. 107. decretalem fin. de elect. in 6. loqui absolutè, & indefinitè de electione sine limitatione; ac proinde rectè dici, quòd extendat se quoque ad confirmationem electorum ad simplicia; & sic quoque ad hospitale, dum illud datur in beneficium viâ electivâ. Quin & ad institutionem, & ad admissionem postulationis, cùm præsentatio & postulatio veniat nomine electionis, pro quo postremo citat Jo. And. & Host. in c. proposuit. de concess. præb. Aliam verò decretalem illam nihil. expressè se explicare & limitare ad electiones ad beneficia tantùm Curata; adeoque pœnam illius non incurrere, qui sine dicta inquisitione confirmat electionem ad beneficium non habens regimen animarum. De cetero dictam necessitatem præmittendi examinis seu inquisitionis locum non habere patet in iis casibus, ubi actus confirmationis non distinguitur ab ipsa electione, sed hæc ipsa vim confirmationis habet, v. g. dum eligentes ita elegerunt, ut sine ulteriore alterius cujusvis personæ facto electus jus plenum assequatur. Et sic in specie electio Papæ, quæ fit per collegium Cardinalium, dum non exspectat confirmationem alterius, à nullo, posteaquàm facta est, examinari potest, ut Lott. l. 2. q. 18. n. 35. Idem dicendum videtur, dum electio & confirmatio sunt actus quidem distincti, electio tamen non exspectat confirmationem alterius Superioris, sed solùm ut ei, qui ab Electoribus nominatus est, ab iisdem adjudicetur beneficium; cùm ista non sit propriè confirmatio. Sic judicare videtur Lott. loc. cit. n. 54.

Quæstio 479. Quas pœnas incurrat confirmator omittens hanc inquisitionem, aut negligenter se in ea habens?

Respondeo: puniri illum vi c. nihil. potestate confirmandi pro illa vice, & suspensionem à beneficiis, juxta ea, quæ supra dicta sunt de pœnis confirmantium indignum. Pass. n. 104. qui etiam addit, ad incurrendam dictam pœnam debere de negligentia hac commissa io dicta inquisitione in judicio constare, unde requiratur processus & causæ instructio. Verùm non videntur hæ pœnæ locum habere, ubi ea omissa vel negligenter instituta dictâ inquisitione actu non sequitur confirmatio indigni aut electionis invalidæ. Illud etiam notandum, quod habet Pass. n. 114. nempe quòd pœnæ cit. c. nihil. locum non habeant, si ex negligentia casseetur electio confirmanda, sed solùm in confirmatione, per quam confirmatur electio cassanda; eò quòd de sola confirmatione textus ille loquatur, uti & textus c. fin. de elect. in. 6.

Quæstio 480. Quid circa electionem inquirere, unde & qualiter se informare debeat confirmator?

1. Respondeo ad primum: inquirere debet de forma & serie electionis, nùm canonicè facta, & nihil substantiale prætermissum sit. Pith. loc. cit. n. 317. Laym. ad c. postquàm. de elect. n. 6.

2. Respondeo ad secundum: potest se confirmator desuper informare, eique constare ex decreto electionis continente totam seriem seu processum electionis descriptum authenticè. Pith. & Laym. ll. cit. citantes Gl. in c. innotuit. de elect. v. decreto. Innoc. ibid. n. 3. eod. v. But. n. 15. Abb. n. 14. facit siquidem hoc decretum plenam fidem, si per publicam personam seu tabellionem confectum fuit, attestantem, omnia fuisse gesta in sua & testium præsentia. Pith. loc. cit. citans Abb. ubi ante. & Sylv. v. electio. q. 18.

Quæstio 481. In quas qualitates electi confirmator teneatur inquirere?

Respondeo: imprimis ac potissimùm Inquirere debet in legitimam ætatem, scientiam, Ordines electi. c. cum nobis. de election. Laym. in c. postquam. de elect. n. 5. Pith. ad tit. de elect. n. 318. Ceteræ qualitates, in quas inquirendum, spectant mores ac vitam electi, enumeranturque ferè c. 2. d. 23. ubi: quis Episcopus ordinandus est, ante omnia examinetur, si naturâ sit prudens, docibilis, moribus temperatus, vitâ castus, sobrius, suis negotiis cavens, humilis, affabilis, misericors &c.

Quæstio 482. An, dum nullum est de defectu electi indicium, nullus rumor; quin & publicato edicto, nullus apparet contradictor, nihil contra ejus vitam, mores, aliàque in eo ad prælaturam, ad quam electus, requisita auditur, nihilominùs adhuc fieri debeat in qualitates illius inquisitio?

1. Respondeo primò: supponendo, quòd ubi vel electo opponitur aliquod delictum, vel ubi de eo diffamatus est, vel etiam ubi est probabilis rumor privatus de aliquo illius defectu, confirmator teneatur inquirere, vel per specialem inquisitionem, si infamia contra illum, vel indicia sunt talia, ut ad sic inquirendum sufficiant, vel opponentes instent, vel ipse procedendum judicet; vel per inquisitionem generalem, si indicia sint leviora, & electus non diffamatus, sed solùm contra illum sparsus sit rumor aliquis talis, ut inducat probabile dubium vel rationabilem suspicionem de delicto aut defectu electi: nequit

quis enim confirmator confirmare electum, dum dubius est de illius idoneitate, donec se informet de veritate. Pass. *cit. n.* 33. *nu.* 83. Hoc supposito

2. Respondeo secundò ad quæstionem affirmativè, Lott. *l. 2. q.* 18. *n.* 48. & 49. ubi ait: etiam nemine opponente, quin & oppositore deficiente & renunciante, confirmatorem ex officio posse in ista Inquirere. Sed & debere adhuc inquirere, hisce expressis statuitur *c. cum nobis. de elect. quanquàm contra personam illius, quem elegistis, nihil dictum fuerit vel objectum; quia tamen juxta verba Apostoli 1 ad Timoth. 5. dicentis: nemini citò manum imponas, debemus attendere diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant &c.* Laym. *ibid. n.* 6. Pirh. ad *tit. de elect. n.* 317. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 252. Distinguit nihilominùs Tamb. *de jure Abb. Tom.* 1. *d.* 6. *q.* 2. *n.* 6. citans pro hoc *c. in Lateran. de præb. c. constitut. tl.* 1. *de Appell.* Nav. *conf.* 2. *n.* 3. *de elect.* Pass. *cit. n.* 83. citans insuper Samuel. *tr.* 1. *d.* 8. *concl.* 2. *n.* 24. Lavor. *c.* 25. *n.* 57. ut procedat, ubi electus & populo, & confirmatori est ignotus, eò quod confirmator nullum confirmare debeat, de cujus idoneitate non sit certus moraliter; multò magis etiam in confirmatore sit necessaria notitia de electo, quàm in electoribus. Secus verò, seu nullam aliam inquisitionem necessariam se credere, ubi electus ille est populo & confirmatori valdè notus, & communiter uti dignus approbatus.

3. Respondeo tertiò: sed neque, ubi nihil in contrarium urget, electus præsumi debet idoneus, ita ut ob hanc præsumptionem cesset obligatio inquirendi. Nam imprimis qualitates illæ, quas Gl. *in c. si fortè. de elect in 6. v. scientia.* extrinsecas, ascititias, seu quasi ab extrinseco advenientes vocat, nimirum ætas, scientia, Ordo, non præsumuntur inesse, nisi probentur, & hinc in has potissimùm inquirendum. Pass. *n.* 86. Laym. *in c. postquam. de elect. n.* 5. Pirh. *cit. n.* 318. Unde etiam, licèt, ubi circa has qualitates defectus aliquis objiciatur electo, objiciens teneatur illum probare. Pass. *cit. n.* 86. citans *c.* 1. *c. ut circa. c. si forte. de elect. in 6. c. cùm dilectus. de elect. c. tam literis. de testibus.* cùm excipiens excipiendo fiat actor. *l.* 1. *ff. de except.* Barbos. *ad cap. si fortè. num. ultimo.* Si tamen nullus sit opponens, & in dubium vertatur talis qualitas extrinseca, pertinet ad electum, eam probare. Pass. *loc. cit.* citans *c. cùm nobis. c. cùm dilectis. de elect.* Gl. *in c. si fortè. v. scientia.* Abb. *in c. postquàm. de elect. n.* 7.

4. Dein qualitates aliæ intrinsecæ (dictæ non tam ex eo quòd homini quasi innatæ sint, ut Gl. *paulò ante cit.* cùm virtutes non sint à natura, nec cum ea nascantur, sed magno labore, divinâ adjuvante gratiâ, acquirantur: sed potiùs ex eo, quòd in tantum homini connaturales sint, seu secundùm humanam naturam, in quantum est proprium ejus bonum, vivere ex recta ratione, & vitium fugere, adeoque ad hoc natura, quantùm est ex se, inclinet. Pass. *n.* 84.) putà, quod quis verax, castus, sobrius, pacificus, humilis, misericors &c. sit, & si præsumendæ sint inesse alicui, habendúsque quis sit pro viro bono ac integro, quamdiu non est, quod contrariam præsumptionem inducat; id tamen intelligendum, ubi nihil mihi est cum aliquo negotii; unde nec tunc in vitam illius inquirere oportet; attamen dum agitur de promovendo ad dignitatem & officia ecclesiastica, bonitas illa intrinseca non præsumitur, nec sufficit negativa illa notitia, ex eo consurgens, quòd nemo præsumatur malus: sed requiritur positiva illa notitia; & non secùs, ac dum filia tradenda est in matrimonium alicui (quemadmodùm Prælatus electus tanquam sponsus Ecclesiæ per confirmationem tradendus est) meritò in ejus vitam ac mores, num videlicet iis dotibus ac virtutibus instructus sit, quæ ad Prælaturæ munus sunt necessariæ, iisque vitiis careat, quæ illum ad eam ineptum reddunt, ac præcipuè quò ad ea, quæ *in c. cùm in cunctis. de elect.* continentur, inquiri potest ac debet, quantum quoad externa saltem de his Ecclesiæ testimonium dari potest. Pass. *n.* 85. *juncto n.* 87. (quamvis Idem *n.* 88. tradat, quòd si electus est benè notus populo, & confirmator inquisivit per edictum citando habentes interesse, & non solum non appareat oppositor; sed nec adest infamia, nec rumor aliquis, aut indicium malitiæ in electo, tunc locum habere posse Regulam: quisque præsumitur bonus, nisi contrarium probetur: & præsumptionem bonitatis in eo) Laym. Pirh. *l. cit.* Lott. *l. 2. q.* 18. *n.* 51. & 52. ubi: constat, præsumptionem illam bonitatis in hoc nihil suffragari, & ab illa in promotionibus & aliis actibus spiritualibus recedi; pro quo citat Satn. *de exspectativ. n.* 78. & 150. Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 2. n. 2.* Et ideo hæc probanda ait ex Card. *in clement. unic. de concess. præb. n.* 2. ubi: quòd, quia nascimur filii iræ & proclives ad peccandum, vehementer præsumitur contra quemlibet, ubi agitur de ipso promovendo; quæ eadem ferè repetit Pass. *n.* 87. citans insuper Barbos. *in c. si fortè. de elect. in 6. n. 8.* Neque his obstat, quod in *c. unico. de scrutin. in Ord. faciend.* dicatur de ordinando; quòd quis eum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare; nam ibi ordinandus per literas tanquam idoneus præsentatus & commendatus fuit, adeoque adsuit probabile indicium seu conjectura de probitate & idoneitate illius. Laym. *loc. cit.* ex Butrio *in c. unic. n.* 42. & cum illis Pirh. *cit. n.* 318.

5. Unde jam etiam sequitur primò, non esse testimonium sufficiens in ordine ad satisfaciendum intentioni Ecclesiæ, & avertendum periculum assumendi Prælatos indignos, ubi testes examinati super virtutibus seu qualitatibus illis intrinsecis, & habilitate electi, solum ex præsumptione illa communi, quòd oppositum non viderint, nec ab aliis audiverint, & quisquis præsumendus bonus, quamdiu non constat de contrario, respondeant, illum esse castum, sobrium, misericordem, &c. sed necesse est, ut habeant positiva & sensibilia indicia seu conjecturas, ex quibus probabiliter judicare possint, tales qualitates bonas ei inesse; eò quòd post naturæ lapsæ inclinationem in malum ejusmodi virtutes non sine labore & assuetudine acquirantur, adeoque & ipsæ aliquo modo sint ascititiæ, ita ut si se positivè non prodant, seu indiciis positivis non deprehendantur, non possit oriri præsumptio, seu probabile indicium, quòd homini insint. Laym. Pirh. *ll. cit.* Ad hæc licèt in privatis judiciis, dum non apparent manifesta indicia de vita mala alicujus, debeamus eum habere pro bono, & in meliorem partem interpretari, quod dubium est, ut D. Thom. 2. 2. *q.* 60. *a.* 4. *in corp.* in judiciis tamen publicis aut testimoniis dandis, stante dubio in utramque partem, ita ut non adsint indicia majora pro hominis probitate, seu bona qualitate quàm in oppositum, testimonium legitimum dari non possit pro illius probitate & habilitate, cùm tale testimonium periculo errandi, & falsò judicandi expositum sit, & in præsente casu error talis sit practicus valdè noxius Ecclesiæ; dum èontra error, quo quis in privato judicio habens aliquem pro bono, quamdiu de opposito ei non constat, fallitur, non imputetur ad culpam; quia in nullius cedit injuriam; & cùm, ut Cajetan. apud Laym. hujusmodi error Intellectûs speculativi versetur circa singularia, non censeatur notabilis defectus aut malum operantis. Laym. *l. cit.* & ex eo Pirh. juxta D. Th. *loc. cit.* & Molinam.

6. Sequitur secundò, quòd etiam, ubi non est oppositor (vel etiam oppositore renunciante, ut Lott. *loc. mox citand.*) electus ipse, dum ipse petit confirmari, vel aliàs eligentes, ubi hi confirmationem petunt, probare positivè teneantur hasce intrinsecas electi qualitates; eò quòd, ut dictum, ob inclinationem illam naturæ lapsæ ad malum Ecclesia habere possit vehementem contra quemlibet præsumptionem, quòd non sit bonus, dum agitur de eo promovendo ad Prælaturam. Lott. *l. c. n.* 49. & 50. citans Felin. *in c. in præsentia. de probat. n.* 27. Jo. Andr. *ad reg. infamibus. de reg. juris in 6. nn.* 8. & 9. Butrio *in c. bona. il* 1. *de elect. n.* 58.

Pass.

Pass. *n.* 87. quamvis restringat ad casum, ubi electus non satis est notus populo, & iis, qui per edictum citantur; vel adest rumor aliquis, vel indicium contra electum, vel probabile dubium de bonitate illius. Neque his contrarium tenet, adeoque sibi non contradicit Lott. *loc. cit. n.* 55. loquitur enim, ut paret *ex num.* 54. non de confirmatione propriè tali, seu quæ fit post electionem per actum distinctum ab alio superiore, & distincto ab eligentibus; sed de eo actu distincto quidem ab electione, qui tamen fit ab iisdem Electoribus, & per quem beneficium adjudicatur ab iis electo: atque, quòd post electionem ante dictum actum adjudicativum, seu quasi confirmativum, si oriatur controversia super aliqua electi inhabilitate, electum adhuc debere docere, se dignum, nec pati defectum objectum, saltem per juramentum purgatorium, dum datur aliqua præsumptio externa pro opponente, ut Burrio *in cit. c. bone. n.* 59. quem citat *num.* 58. Cessante verò illâ præsumptione, non teneri probare suam dignitatem, utpote qui jam censetur habere titulum perfectum, vi cujus petit sibi adjudicari beneficium, & in quo fundat intentionem suam. Siquidem provisus, tanquam habens intentionem fundatam super actu perfecto, non tenetur probare requisita ad illum actum, inter quæ est habilitas ipsius provisi, cùm juris auctoritate provisio perfectè præsumatur canonica. Gemin. *in c. licet Episc. de præb. in 6. n.* 22. Host. Jo. Andr. &c. quos citat *n.* 59. Et sic electus in hoc casu se non fundat agendo vel excipiendo super habilitate sua, sed super actu perfecto, nempe electione ista, quo probato, resultat probata dicta habilitas, utpote ad istam electionem præambula & necessaria.

Quæstio 483. An opus adhuc dicta inquisitione in mores & vitam electi, ubi ejus idoneitas notoria?

RESpondeo: fieri posse, ut electus ita sit notoriè (intellige respectu populi & confirmatoris) idoneus ad Prælaturam, ut nulla alia facienda sit inquisitio in ejus mores ac vitam. Pith. *n.* 320. citans *c. constitutus. vl* 2. *de appell.* & *cap. nullus. d.* 24. Pass. *cit. c.* 33. *n.* 92. citans insuper Abb. *in c. postquam. de elect. n.* 5. Oldr. *cons.* 146. *in fine.* Nav. *cons.* 2. *n.* 3. *de elect.* Castell. *de elect. c.* 14. *n.* 6. Sigism. de Bonon. *de elect. dub.* 44. *num.* 10. *&c.* Addit tamen Pass. quòd, si tamen adesset lex, quæ & in hoc casu præcepisset inquisitionem fieri, eam debere servari, per quod satis indicare videtur, modò non existere talem legem; adeòque dum ea inquisitio præcipitur *c. nihil. c. postquàm*, hunc casum excipi.

Quæstio 484. Qualiter sumenda ista informatio super valore electionis, & electi qualitatibus, an judicialiter, an extrajudicialiter; an inquirendo specialiter, an generaliter?

1. RESpondeo ad primum: ubi confirmator inquirit ad instantiam partis, & pars instat procedi judicialiter examinatis testibus cum juramento, debet hæc inquisitio fieri judicialiter examinando nimirum testes cum juramento. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 19. *n.* 251. Donat. *To.* 2. *tr.* 7. *q.* 5. *n.* 6. (ubi etiam quòd judicialiter sit procedendum, ubi electus habet malam famam) Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 89. *&* *n.* 140. ubi: quando pars instat pro cassatione, seu sunt oppositores, aut datur coëlectus, judicialiter procedendum est, & institui debet processus, & procedi ordine juris servato, pro quo citat Mareschot. *l.* 1. *variar. c.* 42. *n.* 30. Sigism. *dub.* 44. *n.* 8. Quamvis & hoc ipsum limitet Pass. *cit. n.* 140. dum ait, quamvis, quando etiam proceditur ad instantiam partis, lis & judicium sit contentiosum, procedi possit sine strepitu & figura judicii, ut in confirmationibus Abbatissarum. *c. indemnitatibus.* §. *sane. de elect. in* 6. Vel si Judex habet privilegium, ut sine strepitu procedat. Ex quo tamen ad instantiam partis procedit, non potest omnino sine forma judicii procedere, sed parte instante debet illi, quæ justè petit, concedere, etiam in modo procedendi.

2. Verùm per se loquendo non est necessaria hæc judicialis inquisitio, sed sufficit, confirmatorem inquirere per famam & literas testimoniales. Pass. *cit. n.* 89. *&* 111. dicens, hinc positum id esse in confirmatoris arbitrio, ut juxta qualitatem personæ, criminis, vel idoneitatis præsumptæ, & conditionem negotii agat, quod opportunum videbitur, ac citans pro hoc Abb. *in c. postquàm. de elect. n.* 5. Peyr. *in formular. lit. E. c.* 18. *n.* 3. Sigism. *dub.* 44. *n.* 8. Idem tenent Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 19. *n.* 251. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 9. §. 1. *in annot. contra nullitat. & attentat. in caus. benef. n.* 43. ubi: quòd juxta formam *c. fin. de elect. in* 6. disponentis, ut in confirmatione electionis vocentur competitores per edicta, & admittantur oppositores, interdum procedi potest extrajudicialiter, & interdum ac plurimùm processus fieri debet cum cognitione causæ, & in contradictorio judicio, & requiritur diffinitiva pronunciatio secundùm casus & occasiones occurrentes, & prout natura negotii postulat; citat pro hoc Lambert. *de jurep. l.* 2. *q.* 1. *a.* 4. *n.* 3. *& q.* 8. *a.* 11. & Franc. *in constitut. de appell. n.* 9.

3. Unde jam etiam ad hanc electi idoneitatem probandam pro confirmatoris satisfactione non est necessaria judicialis plena probatio, sed sufficit extrajudicialis, & quæ habeatur per testes non juratos, & deponentes de voce, & fama, & per literas testimoniales, & omni viâ, quæ moralem certitudinem possit inducere, eò quòd confirmator debeat esse moraliter certus de confirmandi idoneitate. Pass. *n.* 90. Quinimò, si adsit intrusus & contradictor, in sumenda illa informatione idoneitatis, quam confirmator accipit ex officio pro sui informatione, non esse ad hoc opus citare intrusum, vel contradictorem illum, cùm informatio illa sumatur pro informatione confirmatoris, ne officium detur indigno (uti nec Executor literarum Apostolicarum concedentium beneficium in forma *dignum*, tenetur citare intrusum vel contradictorem, si quis sit, ut ex Leone *in Thes. fori eccl. c.* 17. *à n.* 13. & Rota *decis.* 4. *de sent. & re judic. n.* 5. *in antiq.* probat Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 243.) tradit Pass. *cit. n.* 90. Qui tamen benè monet, debere semper confirmatorem in hoc servare formam, si aliqua est statuta à lege vel consuetudine.

4. Respondeo ad secundum: quando confirmator procedit ex officio, nisi præcedat infamia, vel aliud indicium sufficiens ad inquisitionem specialem, non posse confirmatorem inquirere in specie, sed solùm in genere inquirendo, cujus famæ sit electus, tradit Pass. *n.* 91. citans pro hoc Castell. *de elect. c.* 14. *nu.* 10. Lavor. *c.* 25. *nu.* 56. Abb. *in c. postquàm. n.* 5.

Quæstio 485. An ergo etiam sufficiat notitia extrajudicalis, seu quòd informet se extrajudicialiter de valore electionis, & electi vita ac moribus, dum vult cassare electionem; siquidem longè diversa est in hoc ratio, cùm in justa confirmatione per se fiat injuria solùm bono communi; per injustam verò cassationem fiat injuria bono communi, Electoribus & electo?

RESpondeo: confirmatorem, etiam dum procedit ad cassandam electionem, & negandam electo confirmationem, non teneri procedere judicialiter, examinando testes cum juramento, & servatis illis juris solennitatibus, quæ servari debent, ubi non proceditur summariè, & sine strepitu judicii; sed sufficit, quòd causam rationabilem, quæ illum movit ad cassandam electionem, probatam habeat extrajudicia-

liter

liter per fidem dignorum, literas teſtimoniales, & famam, dummodò de ea certus ſit moraliter. Donat. *To 2 tr. 7. q. 9. n. 8.* Barboſ. *juris eccleſ. l. 1. c. 19. n.* 251. Paſſ. *de elect. c. 33. n.* 138. citans pro hoc Abb. *in c. poſtquàm de elect. n. 5.* Anchar. *n. 3.* Lavor. *de elect. c. 25. n. 59.* Sigiſm. *dub 44. n. 8.* Peyr. *in formular. lit. C c.* 18. *n. 7.* Salgad. *de poteſt. regia. p. 2. c.* 13. *n.* 16. & plures alios, ac dicens ſic ſervari in Ordine Prædicatorum, Minorum ac Minimorum, probátque id Paſſ. *ex c. indemnitatibus. de elect. in 6.* ubi §. *ſanè.* dicitur: *tunc ſuper objectis partis alterius, ſi quæ fuerint, & ſuper aliis, quæ in tali negotio ſunt inquirenda ex officio, plenè ſine ſtrepitu judicii & figura per Superiorem inquiratur primitùs, antequam confirmetur eadem electio, vel etiam infirmetur:* qui textus etſi loquatur de electione Abbatiſſæ, quia tamen favorabilis, intelligatur ab AA. univerſaliter, qui non in alio ſenſu intelligant & explicent c. *poſtquàm de elect.* citátque pro hoc poſtremo Caſtell. *de elect. c.* 14. *n.* 47.

Quæſtio 486. An ergo poſſit confirmator in confirmando vel caſſando electionem uti notitia privata?

1. RESpondeo: id confirmatorem non poſſe; ſed ſemper debere ſecundùm allegata & probata procedere. Paſſ. *de elect. c.* 44. *n.* 140. dicens eſſe concluſionem ex terminis manifeſtam. & *n.* 144. ubi pro hoc citat Portell. *p. 2. caſu. 4. n. 3.* Lavor. *variar lucrubat. tit. 4. de elect.* c. *25. n.* 19. Peyr. *in formul. lit. C. c.* 18. *n. 6. & 7.* Donat. *in pr. p. 2. tr. 7. q. 9.* qui tamen poſtremus expreſsè contrarium tenere videtur, dum *loc. cit. n. 6.* ait: amplia, ut ipſi confirmatori integrum ſit, confirmare vel caſſare electionem, prout ſibi ſecundùm ſcientiam privatam vel publicam videbitur bono communi expedire. Tametſi enim confirmator non teneatur ad ſolennitates juris, ſed, ut dictum paulò ante, in confirmando & caſſando juxta *clem. diſpendioſam. de judiciis.* poſſit ſimpliciter de plano, & ſine ſtrepito & figura judicii, ſolâ rei veritate inſpectâ judicare: & ut Salgad. *ubi ante* ex Abb. *conſ.* 41. *n.* 1. Barboſ. *l.* 1. *voto.* 4. *n.* 27. apud Paſſ. *cit. n.* 140. neceſſe non ſit, ut proceſſum fabricet, & coram Notario teſtium depoſitiones ſumat, ſed ſufficiat, ut ſcripturâ per aliorum ſcripta, vel voces animum ſuum informet & conſcientiam; intelligendo nimirum id, quando confirmator non procedit ad inſtantiam partis, ſed ex officio. Verumtamen cùm confirmator in confirmando vel caſſando non ſit privata perſona, ſed publica, ut Paſſ. pluribus probat *n.* 139. debet uti Judex verus ea obſervare, quæ de jure naturæ & gentium neceſſaria ſunt, licèt ſummariè, ſimpliciter & de plano, & ſine ſtrepitu & figura judicii judicium ſuum poſſit exequi. Paſſ. *num.* 139. Judex námque quicunque, etiam habens facultatem judicandi ſine ordine judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, etiamſi ſit princeps ſupremus, non poteſt judicare ſine illo ordine judicii, quem præcipit lex naturalis & divina; inter illa autem, quæ jure naturæ omnino ſunt ſubſtantialia judicio, ſunt hæc tria; ſcilicet citatio, probatio & defenſio (uti id de ſingulis pluribus auctoritatibus ſtabilit Paſſ. *n.* 141.) adeoque ſervanda, etiam in judicio, in quo judex ſine figura judicii judicat ſecundùm conſcientiam ſuam, ſolâ veritate facti inſpectâ. Quanquam in his diſtingui debeat ſubſtantia horum trium actuum, & ſolennitas, quam habent ex jure poſitivo; quam ſolennitatem judex, qui in judicando ab ordine juris eſt abſolutus, non tenetur in citationibus, probationibus & defenſionibus ſervare, ſed ſolùm eorum ſubſtantiam. Paſſ. *cit. n.* 141.

2. Hinc itaque confirmator, ut Paſſ. *num.* 142. etſi poſſit judicare ſecundùm conſcientiam, incitatum tamen & indefenſum non poteſt privare jure ſuo. Sic, eſto non ſit adſtrictus ad examinandos teſtes cum juramento, & loco probationum accipere poſſit etiam teſtimoniales fideles, & ex quo judicare poteſt ſolâ inſpectâ veritate facti, admittere probationes non concludentes & perſuaſivas, etiam leviores, ſeu eas, quæ ad formalitatem juris poſitivi non perveniant; debent tamen eæ eſſe tales, ut convincant & moraliter certum reddant.

3. Unde jam rectè concluditur, non poſſe eum purè ex ſcientia privata, ſeu privatim acceptâ, ſeu habita procedere. Si enim, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q. 67. a. 2.* judicare pertinet ad judicem, ſecundùm quod fungitur publicâ poteſtate, & ideo informari debet in judicando non ſecundùm id, quod ipſe novit, ſed ſecundùm id, quod ſibi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ &c. & confirmator eſt judex, & ut talis, etiam dum ſummariè ſine ſtrepitu judicium exercet, debet procedere ex notitia acquiſita ab eo, ut judice & publica perſona in ordine ad confirmationem, qui eſt actus publicus ad publicum bonum Eccleſiæ promovendum. Siquidem, ut ait Paſſ. *n.* 144. non in jure poſitivo, ſed naturæ fundatur hoc ipſum, quòd, dum judicare ex natura rei eſt publicæ poteſtatis, & poteſtati correſpondere debet notitia, ſeu informatio, poteſtati publicæ correſpondeat informatio, ſeu notitia publica, quæ ordinatur ex natura rei ad bonum reipublicæ viſibilis. Et certè aliás, ſi liceret judicibus ex privata & ſecreta notitia, non deducibili ad forum publicum, judicare, eſſet repoſitum judicium in voluntate judicantium, qui ea quocunque judicia ſibi benè viſo impunè judicarent, nec judicati poſſent ſe defendere, quo nihil execrabilius. Paſſ. *cit. num.* 144. ubi etiam addit, hunc eſſe ſenſum communem DD. aſſerentium, canones ſupra citatos, obligantes confirmatorem ſe quàm diligentiſſimè informare de meritis cauſæ, intelligendos de informatione, quæ fit ex publica poteſtate, & ad publicum confirmandi & caſſandi actum proportionata, & ex qua viſibiliter poſſit formari judicium, ut Eccleſiæ apparere poſſit, an fuerit rationabile nec ne, & confirmator ex hoc ſit dignus vel laude vel pœnâ, irrationabiliter confirmantibus à SS. Canonibus ſtatutâ.

4. Oſtendit quoque Paſſ. *n.* 145. quòd in Ordine Dominicanorum confirmatio aut caſſatio non fiat ex notitia ſecreta; dum Patres diſcreti, ex quorum votis procedit ad confirmationem vel caſſationem Provincialis, dant quidem judicium ſuum per vota ſecreta, non tamen informatum ſolâ notitiâ ſecretâ, ſed ex cauſa per publicas ſcripturas aut teſtimonia publica in dictorum Patrum concilio examinata; Unde etiam ait, ſi quis dictorum Patrum ex cauſa ſibi ſoli nota daret votum ſuum pro caſſatione electionis, injuſtè ageret & peccaret; quia in judicio externo, in quo non habet votum, niſi ut publica perſona, ageret ut perſona privata.

5. Proinde jam non eſt eadem in Electore & confirmatore libertas, ut quia ille poteſt procedere ex privata, ſecreta, & ſibi ſoli propria notitia, & non deducibili unquam ad forum externum, poſſit ſuum judicium formare, & non eligere vel eligere, quem judicat eligendum, vel non eligendum; ita etiam confirmator poſſit ex ſimili ſcientia formare ſuum judicium, confirmare electionem vel eandem caſſare. Paſſ. *n.* 134. (ubi etiam vide hujus diſcriminis rationem) contra Bannez 2. 2. *q. 67. a. 2. ad* 2. ab eodem Paſſ. citatum. *n.* 133.

Quæſtio 487. An & qualiter, antequam procedatur ad confirmationem, citandi habentes intereſſe?

1. RESpondeo primò: dum electio in concordia celebrata non eſt, ſed vel duæ electiones factæ; vel etiam dum uni electioni ſe oppoſuêre aliqui, ne confirmaretur, adeoque electus coëlectum habet vel oppoſitorem, ſeu electionis ſuæ adverſarium alium unum aut plures habet, ii ad cauſam ſuam agendam ſunt nominatim citandi ante confirmationem.

2. Reſpondeo ſecundò: ſi verò nullus talis eſt coëlectus ſeu competitor, aut alius oppoſitor, per generale edictum valvis Eccleſiæ (in qua celebrata eſt electio, ut Pich. *loc. mox citand.*) affixum, in quo, ſi qui ſint, qui electionem, quò minùs confirmetur, im-

impugnare velint, peremptoriè citentur ad diem definitum (&,ut Pirh. ad locum confirmationis faciendæ) causas impugnandæ electionis impediendæque confirmationis dictum. Idque etiam, licèt electio facta in concordia, id est, unica, nemine opponente celebrata fuerit; quod nisi factum, seu si hæc omissa, confirmatio subsecuta sit omnino irrita. Barbos. *juris Ecclef. l. 1. c. 19. n. 251.* (ubi etiam, citato pro hoc Lott. *l. 2. q. 13. n. 47.* & Rota *decif. 553. n. 6. l. 3. p. 3. diverfar.* & *decif. 624. n. 10. p. 1. recent.* quòd debeat legitimè constare non solùm de lectione & affixione dictorum edictorum, sed etiam de refixione, & sic, quod lecta fuerint, & ibi relicta per congruum temporis spatium, quin &, ut pariter addit, citato pro hoc Put. *decif. 5. l. 3.* de hac publicatione non stetur simplici assertioni Notarii sine testibus.) Laym. *in c. fin. de elect. in 6.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 321.* juxta expressum textum *cit. cap. fin.* Cujus decretalis etiam hanc rationem addunt Laym. & Pirh. citatis pro hoc Abb. *in c. exhibita. de Judic. n. 5.* Felin. *ibid. n. 2.* nempe quòd quando per edictum vocandi sunt ii, quorum interest, nominatim & speciatim vocandi sint, si personæ sint certæ, vel noscantur; si verò sint incertæ, vel non noscantur, per edictum generale sint citandi.

3. Neque contrarium huic decretali tradit Pass. dum *cit. c. 33. de elect. n. 90.* ait, in probatione idoneitatis electi necessariam non esse citationem alicujus, aut vocationem partis, etiam ubi adest intrusus vel contradictor, & confirmator procedit extrajudicialiter. Aliud enim est, eam citationem necessariam non esse ad probandam idoneitatem electi, aliud non esse necessariam ad consulendum interesse oppositorum, vel coëlecti.

4. Porrò hanc constitutionem extendere se quoque ad admissionem postulationis, & institutionem faciendam post præsentationem ob paritatem rationis, ne scilicet supplantentur ii, seu fraude circumveniantur, qui volunt opponere vel objicere aliquid contra postulatum vel præsentatum propter suum interesse, tradit Pirh. *loc. cit. num. 322.* citato Garc. *p. 9. c. 4. n. 1.* & Gl. *in cit. c. fin. v. electio*, ubi idem quò ad institutionem fusè tradit Lott. *l. 2. q. 13. à num. 20.* ubi &, quem Lott. citat, Lamb. *de jurep. l. 2. p. 2. q. 6. per tot.* Non tamen extendit se hæc constitutio ad collationem liberam beneficiorum, utpote quæ simul vim electionis & confirmationis habet, & per quam confertur jus in re, & in qua dicta citatio fieri non potest: non ante illam; quia sic fieret ante omne jus quæsitum: non post illam; quia jam plenum jus quæsitum collatario. Pirh. *cit. n. 322. in fine.* citans Vivian. *in ration. juris pontif. in cit. c. fin.* Neque etiam hæc decretalis, seu citatio locum habet, quando à Papa ejusve legato petenda confirmatio. Pirh. *loc. cit.* citans Barbos. *in collect. ad cit. c. fin. n. 4. & 5.*

Quæstio 488. An, & qualiter audiendus oppositor, qui venit post terminum in edicto statutum, & confirmationem?

1. RESpondeo primò: si quis termino illo elapso & post secutam confirmationem venerit, electionem ejusque confirmationem oppugnaturus, audiendus non est, nisi fortè absens fuerit; vel etsi præsens fuerit, aut non longè distans, probabilem tamen edicti ignorantiam per verisimiles conjecturas allegare possit, eámque juramento confirmet. Laym. *in cit. c. fin. n. 2.* Pirh. *n. 322.*

2. Respondeo secundò: dum quis non per viam exceptionis (quippe electos per confirmationem jus plenum in beneficio accepit) sed denunciationis canonicæ opponit quid contra electum, ne indignus & inhabilis Ecclesiæ præficiatur, regulariter seu ordinariè audiendus est, etiam post confirmationem, imò & consecrationem. Laym. & Pirh. *ll. cit.* citantes Abb. *in c. nihil. de elect. in 6.*

* * *

Quæstio 489. An necessariò citandus electus, ubi ejus cassanda electio?

1. RESpondeo primò: dum ex defectu electionis cassanda est electio, neque electus, neque ullus alius citandus est, dum confirmator procedit extrajudicialiter, & nullus est oppositor, contradicens, vel coëlectus. Siquidem Electores, imò & ipse electus sunt à jure citati, cùm ad confirmatorem transmittere debeant decretum electionis, totum processum electionis continens, & confirmatoris sit, ex transmissis judicare, an electio subsistat, nec ne. Pass. *cit. c. 35. n. 150.*

2. Respondeo secundò: ubi cassanda est electio ex defectu electi, citandus necessariò est electus. Pass. *num. 152.* citans Rodriq. *p. 2. q. 52. a. 12. ad 1.* Portell. *p. 2. caf. 4. n. 3.* Peyr. *in formul. lit. C. c. 18. n. 7. in fine.* Barb. *l. 2. voto 35. n. 15. num. 22.* Valenzvel. *conf. 44. n. 6. tom. 1.* Salgad. *de protect. regia. p. 2. c. 13. n. 54.* Mirand. *tom. 2. q. 23. n. 22.* cùm enim agitur de gravi alicujus præjudicio, non potest contra illum non citatum & non auditum proferri aliqua sententia. Pass. *cit. n. 152.* citans Menoch. *conf. 96. n. 15.* Valenzvel. *conf. 544. n. 5.* Argumento *cap. 1. de cauf. poff.* ubi ait Papa: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Jam verò agendo de cassatione electi ob ejus defectum, agitur de gravissimo ejus præjudicio: siquidem cassatio electionis ob defectum electi non solùm privat electum jure, quod aliàs habebat ad Prælaturam vi electionis, sed & reddit omnino ineligibilem, non ad eam solùm, sed ad quamcunque aliam Ecclesiam, juxta *c. super eo. de elect.* ut Mirand. *loc. cit. q. 22. num. 11.* Tamb. *de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 21. n. 4.* Peyr. *in subd. q. 1. c. 51. §. 8.* Castell. *de elect. c. 14. num. 56.* Barbos. *loc. cit. &c.* apud Pass. *n. 151.* adeoque remanet infamis ex hac sua repulsa infamia facti, & inhabilis ad Prælaturas, ut Pass. *loc. cit.* juxta *c. testimonium. de testibus.* & *ibi* Gl. *v. opinio.* & Abb. *nu. 13.* Est proinde talis cassatio nulla ex defectu citationis ac naturalis defensionis. Pass. *loc. cit.* citans Vantium *de nullitat. ex defect. citation. num. 2. & seq.* Burat. *decif. 71.* juxta *l. 1. §. item cum edicto. ff. qua sent. appell.* & *l. unoquoque. ff. de judic.* non obstantibus, quòd confirmator procedat extrajudicialiter, seu sine figura judicii; cùm licèt eo modo procedendo Judex non teneatur servare solennitates juris positivi in citando & audiendo reum, debeat tamen eum citare; quia citatio ista & defensio est juris naturæ, & à necessariis jure naturæ non liberat privilegium procedendi sine strepitu & figura judiciali. Pass. *loc. cit.* ubi etiam, quòd nullitas illa cassationis sit insanabilis & indispensabilis, etiam per supremum principem, pro quo postremo citat Vantium *ubi ante. n. 9.* Gregor. *decif. 416. n. 2. &c.*

3. Unde jam, licèt ex hac citatione electi, præsertim ubi is in remotis degit, instructóque contra illum processu contingeret cassationes, & consequenter vacationes prælaturarum diutiùs differri; non tamen ex hac utilitate non differendi vacationem prælaturæ sumitur rationabilis causa cassandi electionem ex defectu electi, eo non vocato, aut eo defectu plenè non probato; nam præterquam quòd in casu, in quo electio redit ad Electores, faciliùs sæpe est & expeditius probare, quantum sufficit defectum, & dare electo terminum brevem ad se defendendum, quàm exspectare, ut per tempus à jure statutum iterum electores conveniant ad novom Prælatum eligendum, quod non caret periculo gravis damni Ecclesiæ viduatæ & dissensionum inter Electores. Præter hoc inquam, cùm ad eligendum dentur tres menses, ad conferendum sex, hæc mora sex mensium etiam non est excedens, ut intra eam fiat confirmatio; intra sex autem menses, vel etiam unum potest confirmator citato reo, prout juris est, se informare super defectu illius. Pass. *num. 158.* Quin & ubi datur opponens & instans contra electum, non potest confirmari electio, nisi instructo processu, & reo vocato & audito, quantumcunque duraturum sit opponentium

exa-

examen; adeoque ex parte temporis, & ne provisio Ecclesiæ differatur, non potest haberi ratio sufficiens non citandi & non audiendi electum, ut se defendat & purget. Pass. n. 164. Ad hæc, dum ob nimiam distantiam electi non potest intra tam breve spatium perfici hæc informatio, non desunt alia remedia, quibus Ecclesiæ viduitati provideatur, præsertim ubi electi statim, ac electi sunt, incipiunt administrare; ita ferè Pass. cit. n. 158.

4. Limitatur responsio primò, ita ut nunquam ex vitio electi cassanda sit electio, eo non citato, nisi vitium vel defectus electi plenè probatus sit & notorius. Pass. n. 153. quamvis addat, difficile esse, delictum plenè esse probatum, nisi reo citato & audito ac constito, nihil adduci posse, quod delictum & dolum tollat. Porrò electionem cassari non posse ex delicto electi, nisi illo plenè probato, etiamsi procedatur extrajudialiter, (ut docent Castell. de elect. c. 4. n. 30. Lavor. c. 19. n. 121. Pottell. p. 2. cas. 4. n. 2. Barbos. cit. voto. 35. n. 15. apud Pass. n. 154. in fine.) ex eo constat, quòd de jure naturæ sit, ut non imponatur pœna contra aliquem nisi confessum vel convictum, & ad damnandum aliquem non confessum probationes plenæ ac convenientes sint necessariæ. Et licèt, ubi agitur, non de privatione juris quæsiti, sed quærendi, leviores sufficiant probationes, tamen & illæ debeant esse tales, quæ animum judicantis convincant. Pass. cit. n. 154. Ita tamen, ut si confirmator procedat ad instantiam partis, ejus est probare objecta contra electum, non possit cassare electionem ex vitio electi, nisi illud sit plenè probatum; ubi tamen procedit ex officio confirmator, cùm illi non incumbat onus probandi, quæ contra electum audivit, & illi objicit; sed ad electum excludendum sufficiat incertitudo de ejus inhabilitate, satis censeatur vitium electi probatum in tali judicio, si electus se non purget, & propriam habilitatem probet; quæ tamen incertitudo non censetur probata & manifesta, nisi electo citato & audito, ipse objecta non diluerit. Pass. n. 155.

5. Limitatur secundò, ut tunc solùm procedat responsio, dum confirmator exprimit electionem cassari ex defectu; non verò, ubi electio dicitur cassari ex causis bene visis confirmatori, licèt in rei veritate cassetur ex defectu electi. Pass. n. 156. citans Barbos. l. 1. voto 4. n. 39. siquidem in hoc casu non sequitur electo infamia, nec inhabilitas ad alias prælaturas aut electiones; cùm, dum dicitur electio cassari ex causis bene visis confirmatori, non debeat, nec possit præsumi cassata ex defectu electi; quia ut rectè Abb. in c. super eo. de elect. n. ult. in dubio præsumi debet, electionem cassatam fuisse vitio formæ, vel etiam ob aliam causam extrinsecam, putà bonum commune Religionis, & non ex vitio personæ electæ. Pass. n. 156. Quin &, ut Bannez 2. 2. q. 67. a. 2. ad 2. quem citat Pass. temerarium forei judicium, quo judicaretur electio cassata ex vitio electi, cùm contingat electionem cassari ex pluribus causis. Unde & confirmator usus cautelâ simpliciter, absolutè, & generaliter confirmationem denegat, non expressâ causâ, ob quam denegavit, (uti quandoque, ubi non expedit propalare defectum occultum electi, deducendo illum in judicium & citando, bonum est, electionem cassare, ne promoveatur indignus, & ex altera parte electum non infamare, nec illi aliud præjudicium inferre causâ cassationis occultatâ) ita ut æqualiter præsumi possit, denegatam ob vitium aliquod electionis vel electi, vel ob causam extrinsecam, confirmator electoribus & electo non tenetur causam ullam aut excusationem reddere, redditurus illam Superiori id requirenti. Pass. loc. cit. ex Barbol. loc. cit. num. 13. Verùm

6. Sublimitanda hæc limitatio, ut locum non habeat in electo, qui per electionem aliàs jus acquisivit ad prælaturam & confirmationem. Licèt enim ei hac ratione non inferatur præjudicium infamiæ & inhabilitatis, fiat tamen ei injustitia, tollendo ab eo jus illud quæsitum ad prælaturam, quod tolli non debet nec potest, nisi aliquid sit, quod eum impediat, quod impedimentum probari debet, citato electo, ut se defendat. Pass. n. 157.

7. Ad hæc dicta limitatio non videtur subsistere, etiam dum electo per electionem non quæritur jus; quia adhuc dictâ ratione non satis occurritur præjudicio infamiæ & inhabilitatis imminenti electo; nam si contra electum factæ sint oppositiones, non verò contra electionem, si cassetur electio, censentur, & satis apparet, eam cassari ex defectu electi, etiamsi hoc non exprimatur. Item negotium cassationis vix ita secretò fiet, quin ejus notitia divulgetur vel à confirmatore ipso, vel ejus ministris, si illud tale, quale est, per Secretarium aliquem in libro registretur, cùm libri hujusmodi sint publici, & inter plurium manus versentur, indéque patriæ etiam autenticæ soleant extrahi. Item, cùm ex una parte constet, electiones non posse cassari sine rationabili causa, & præsumendum non sit, confirmatorem cassare sine justa causa; ab altera verò parte non sit tam facile, ut electiones cassentur ex sola extrinseca causa, nempe boni communis; insuper etiam sæpissimè evidens sit, saltem Electoribus, electionem ex parte formæ esse validam, facilè constabit electionem cassatam ex defectu electi.

8. Neque obstat, hujusmodi notitiam non esse juridicam, vel etiam non esse certam, cùm adhuc sit non leve præjudicium honoris, etiam quòd probabilis suspicio habeatur de electo rejecto ex proprio defectu, & quòd de hoc crescat fama; dum ad infamiam facti sufficit, quòd ex probabilibus suspicionibus & conjecturis ortum duxerit. Nec etiam obstat, quòd videatur sufficere, quòd tempore cassationis non appareat cassari electionem ex vitio electi, licèt id post tempus aliquod manifestetur; quia præterquàm quòd facillimum sit, ut fiat hæc manifestatio tempore cassationis, etiam magnum præjudicium est, si fiat post multum tempus; cùm enim per posterius factum declaretur, quod antea factum est, proinde censeri debet, ac si tempore cassationis facta esset hæc manifestatio; ita ferè Pass. n. 159 juncto n. 160. qui etiam num. 161. hinc concludit, quòd modus ille cassandi electiones ex defectu electi eo non citato, etiamsi occultetur cassationis causa, speciem boni non habeat, & parum congruat Religiosis, quorum est ab æmulationibus & carnalibus affectibus abstinere, Christianæ caritati incumbere, proximorum honori & saluti prospicere, ac ideo bonum sit ingredi regiâ viâ, & non auditum non damnare; idque eò magis, quòd experientiâ constet oppositiones ad vocem ejus, contra quem diriguntur, veritate elucescente, evanescere. Quanquam etiam n. 162. subjungat, posse nihilominùs esse talem boni communis necessitatem, ut nec expediat oppositiones examinare, nec electum confirmare, & in hoc casu, si electus non acquirat jus per electionem ad prælaturam, & ex altera parte verè consulatur ejus honori, ut non infametur, nec reddatur inhabilis, posse cassari ejus electionem, eo non vocato.

9. Respondeo tertiò: ex causa boni communis, seu bono communi sic exigente, cassari quidem potest electio aliàs valida electo minimè vocato; tenetur tamen confirmator consulere tunc honori electi. Argumento c. consideravimus. de elect. ubi Papa, cassatis binis electionibus, nullum ex eis reeligi volens, expressè eorum famam protexit his verbis: ita quòd utriusque prædictorum fama sua non minus integrè conservetur: adeoque via tuta & secura est, ut in hoc casu confirmator expressè consulat famæ electi, cùm electio cassatur, non ex ipsius defectu. Pass. n. 163. ubi etiam ex Franco in cap. si condemnationem. de elect. in 6. quòd, licèt Judex regulariter in sententia non teneatur exprimere causam, hanc tamen debeat exprimere, quando sententia potest referri ad plures causas diversos effectus producentes, vel quando potest ex causis ipsis partibus

tibus præjudicari. Et quòd si in sententia nulla exprimitur causa, & potest interpretari, quòd sit lata ex pluribus causis, tunc debeat interpretari, quòd sit lata ex causa, quæ minùs præjudicat parti.

Quæstio 490. An necessarius assensus aut consilium Capituli, aut alterius, ut Superior confirmet electionem?

1. Respondeo: de jure communi nulla est necessitas adhibendi consensûs, aut consilii Capituli, aut aliorum ad hoc, ut Superior confirmet electionem; cùm nullus in SS. canonibus exstet textus, vi cujus confirmator confirmare nequeat sine Capitulo vel consilio hujus vel alterius; exstetque consuetudo tam Episcoporum, quàm Prælatorum Regularium (si loquamur de assensu vel consilio Capituli) in contrarium. Unde per se loquendo Superior non tenetur, nisi sumere informationes, & discutere negotium, absque eo, quòd alterius consensum vel consilium teneatur requirere. Pass. *de elect.* c. 33. *n.* 115. contra Archid. *in c. fin. de elect.* quem absque eo, quòd quidquam afferat, quo dictum suum probet, secuti sunt Butrio *ibid.* Sylv. *v. confirmatio. num.* 5. & Tabien. *n.* 8. loquentes non de consilio aliquorum, sed de toto Capitulo.

2. Nihilominùs testatur Pass. *n.* 116. in Ordine Prædicatorum teneri Provinciales adhibere consilium Patrum Discretorum in confirmandis Prioribus, ita tamen ut eo consilio non adhibito confirmatio, dum alium defectum non habet, neque sit nulla, neque annullanda, non obstante regulâ illâ, quòd ubi necessaria est præsentia consilii, seu actus habendus cum consilio, sit nullus, si habeatur sine consilio: utpote quæ patiatur inter alias hanc limitationem, ut Pass. *loc. cit.* ex Abb. *in c. ex parte. de constitut.* & Sylv. *v. consilium. n.* 6. ut non procedat, dum præcessit agendi non impositâ necessitate consilii, & postea iterum ex nova lege præcipitur, ut adhibeatur consilium, eò quòd tunc actus ex vi prioris potestatis valet, nisi lex superveniens irritet actum aliter factum. Sic etiam ait Idem Pass. *num.* 145. Patrum illorum Discretorum vota, sine quibus à Provinciali non fit confirmatio in suo Ordine, non esse decisiva.

Quæstio 491. Ubinam, seu apud quos fieri debeat hoc examen, seu inquisitio de vita & moribus electi?

Respondeo: debere fieri in loco, ubi ille est conversatus, & apud illos, quibus notus est; quia universim inquisitio de fama alicujus debet fieri in loco, ubi diutiùs morabatur, tradunt Pirh. *ad tit. de elect. nu.* 320. Laym. *in c. postquam. de elect. nu.* 5. & *ibi* Gl. *v. conversatus.* & Abb. *num.* 6. juxta quod expressè statuitur *in eod. cap.* Verùm distinguendus hic processus informativus à processu, in quo examinantur merita electionis & electi, ac dicendum, quòd processus ad informationem facti fieri debeat, ubi sunt, qui de facto informare possunt, sive sit locus, in quo facta electio, sive alius. Processus verò, quo examinantur dein merita electionis & electi, fieri debet in loco, in quo est confirmator. Pass. *de elect. c.* 33. *num.* 82. contra Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 5. *num.* 5. quatenus is indefinitè pronunciat, processum fabricandum in loco, ubi celebrata electio.

Quæstio 492. An Prælatus examinatus, & dein electus ad aliam Prælaturam, iterum sit examinandus?

Respondeo affirmativè, præcipuè, si eligatur ad majorem dignitatem; quia interim novum impedimentum electus contrahere potuit. Laym. *in cap. postquàm de elect. num.* 7. Pirh. *ad tit. de elect. nu.* 319. Argumento *c. scriptum. de elect.* & Gl. *ibi. v. præsumptio.*

Quæstio 493. In specie, quis modus examinandi electum in Episcopum, nempe in Ecclesiis, in quibus adhuc relicta est potestas Capitulo eligendi Episcopum?

1. Respondeo: hunc modum præscriptum esse à Gregor. XIV. in Bulla, quæ incipit: *Onus Apostolicæ.* edita *anno* 1590. 1. *Maji.* & habetur apud Quarant. *in sum. Bullar. v. electio.* secundùm quam ita proceditur in Germania, ut electus viciniori alieni Episcopo examinandum se tradat super certis articulis per testes idoneos & juratos astruendis, obligatis, ut Laym. *in c. postquam. de elect. num.* 8. conscientiis eorum, à quibus instructio seu testificatio sumenda, ut ea fideliter & gratis referant. Peractoque hoc examine ejus processus Romam mittitur ad confirmationem electo & ritè examinato impetrandam. Laym. *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de elect. num.* 319.

2. Porrò puncta seu articuli, super quibus hoc examen instituitur, sunt sequentes, prout referunt iidem Laym. & Pirh. Primus: an electus natus ex legitimo matrimonio à parentibus catholicis? Qui articulus desumitur ex c. *cùm in cunctis. de elect.* & c. 2. §. *hæretici. de hæret. in 6.* Secundus: an 30. annum ætatis compleverit; juxta *cit. c. cùm in cunctis.* & si postulatus, 27. annum inchoaverit? Quod sufficit juxta *Extravag. unic. de postul. inter communes.* Tertius, an saltem sex mensibus in sacro Ordine constitutus fuerit, juxta Tridentin. *sess.* 22. *c.* 2. Quartus, an in Theologia vel jure canonico Doctor vel Licentiatus sit, aut saltem publico alicujus Academiæ vel aliorum probatorum vel expertorum testimonio ad alios docendos idoneus judicatus? juxta Trid. *loc. cit.* Quintus, an bonæ famæ & integræ vitæ sit? juxta c. 2. *d.* 23. & *c. ult. d.* 51. Sextus, an in ecclesiasticis functionibus versatus, prudens, ac rebus gerendis idoneus? ut habetur in *citata Bulla.* De cetero, quæ praxis servetur in examine Episcopi non electi à Capitulo, sed promoti a Sede Apostolica, sive liberè, sive ad denominationem Regis alicujus, vide apud Barbos. *juris eccles. l.* 1. *c.* 9. *n.* 10.

Quæstio 494. An confirmatio ipsa requirat certam formam?

1. Respondeo: non esse certam formam à jure præscriptam, ideoque per se loquendo, sufficit, quòd confirmator verbo, vel scripto, vel facto suam ostendat voluntatem, approbantem illius electionem; sive hoc faciat per electi installationem aut inthronizationem, vel ejus benedictionem, vel faciendo, ut subditi electo obedientiam præstent, seu recognoscant. Pass. *de elect. c.* 33. *nu.* 76. Tamb. *de jure Abb. d.* 6. *q.* 3. *n.* 1. & 2. citantes Archid. *in c. ut quis duas. de elect. in 6.* Innoc. *in c. cum Bertold. de re judicat. in gl. mirum videtur.* Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 4. *n.* 1. citans insuper Peyr. *in formul. lit. C. c.* 18. *n.* 1. Samuel. *d.* 8. *controv.* 2. *concl.* 7. Lavor. *de elect. tit.* 4. c. 25. *n.* 63. &c. ac numerans inter facta vim confirmationis habentia, si canonicè electus ad confirmatorem accedat, & ille dicat: *gaudeo de tua electione*; vel eum amplectatur. Quorum ratio est, quòd nihil intersit, sive verbo, sive facto declaretur voluntas operantis, ubi insuper nulla verborum forma aut scriptura requiritur. Pass. Donat. *ll. cit.*

2. Et sic in specie confirmationem Abbatissarum non habere certam à jure præscriptam formam, fierique posse oretenus & scripto, modò animus confirmatoris declaretur, tradit Donat. *To.* 4. *tr.* 7. *q.* 17. *num.* 6.

3. Observat autem benè Laym. *in c. cum inter universas. n.* 4. quòd ubi, cùm duæ agendi facultates tendentes ad eundem finem seu effectum in eadem persona fundatæ in diversis potestatibus, simul eodem actu expediri nequeant, non possit electio & confirmatio expediri eodem actu, v. g. dum Canonici cathedrales compromitterent in Metropolitanum,

qui

qui ex Sedis Apostolicæ privilegio habuit potestatem confirmandi suos suffraganeos, hic priùs deberet eligere seu nominare Episcopum secundùm formam compromissi, & deinde confirmare eundem, pro quo citat Gl. & Innoc. *in c. cum inter. v. confirmavit.* Abb. *in c. ne pro defectu. de elect. n. 4.* & seipsum *in c. causam de elect. not. 2.*

4. De cetero aliud est quò ad fidem faciendam de confirmatione; ad hoc enim opus est literis confirmatoris, ubi electio in præsentia Ecclesiæ, cui electus præficitur, non confirmatur, ori & ad hoc, ut electus confirmatus à Sede Apostolica administret, necessariæ sunt literæ Apostolicæ. Pass. *num. 77.* juxta dicta supra.

Quæstio 495. An confirmatio habeat se ut sententia diffinitiva, an verò ut interlocutoria?

Respondeo; dum confirmatio fit citatis citandis, & illis venientibus in contradictorio judicio; vel etiam quando fit à confirmatore ex officio quidem inquirente, sed solenniter; censetur habere rationem sententiæ diffinitivæ; quia datur post processum judicialiter complicatum & solenniter conclusum tanquam finalis resolutio judicii solennis. Dum vero fit à confirmatore procedente ex officio non solenniter & judicialiter, censetur esse sententia interlocutoria; quia innititur informationi non solenni, nec habitæ in contradictorio judicio. Pass. *de elect. c. 33. n. 169.* citans Jo. And. *in c. avaritia. de elect. in 6.* Abb. *in c. constitutus. de appell. n. 14.* Dominic. & Franc. *in c. fin. de elect. in 6.* Rectéque monet Pass. hujus quæstionis resolutionem esse attendendam, non solùm, ut sciatur, quandonam à confirmatore sit appellandum, & quam vim habeat hæc appellatio; sed etiam, quia dum confirmatio est sententia interlocutoria, Judex, qui illam tulit, possit illam mutare & cassare, & ab ea recedere, & cassare electionem, quam confirmavit. E contra id non potest, ubi confirmatio est sententia diffinitiva, pro quo citat Jo. And. & DD. alios *in c. cum cessante. de appell.* Franc. *n. 7.* & alios *in c. fin. de elect. in 6.* & Juristas *in l. quod jussit. & l. Judex postquàm. de re judicat.*

PARAGRAPHUS V.

De Appellatione à confirmatione, ejusque annullatione.

Quæstio 496. An à confirmatione, seu à confirmationis vel cassationis electionis sententiâ judicialiter datâ possit dari appellatio judicialis, seu propriè talis, habens utrumque effectum, nempe non tantùm devolutivum, sed & suspensivum?

1. Respondeo affirmativè. Pass. *de elect. c. 34. n. 1.* citans Gl. *in c. fin. de elect. in 6. v. maneat* Franc. *ibid. n. 7.* Gemin. *in c. avaritia. de elect. in 6. n. 7.* Barbos. *ibid. n. 7.* &c. Licèt enim collationes, electiones, institutiones, confirmationes electionum ad beneficia & Prælaturas sint causæ extrajudiciales juxta expressum textum *clem. dispendiosam. de Judiciis*: ubi tamen in provisionibus, collatione, institutione, electione, confirmatione, proceditur ordine juris servato, sunt actus judiciales, habetque decretum confirmationis, institutionis, collationis, vim sententiæ judicialis diffinitivæ, adeoque appellabilis, ac ita ab iis appellari potest appellatione propriè tali. Pass. *loc. cit.* at de institutione expressè Ottoboni *decis. 66. n. 3.* Garc. *p. 9. c. 4. à n. 17.* citatis plurib. Rotæ *decis.* & Lancell. *p. 2. c. 12. limitat. 40. & 49.* Et de collatione & præsentatione Rota *in Callagur. benef.* 28. *Maij* 1628. quæ est *decis.* 114. apud Scacciam. *de appell. n. 1. 2. 5.*

2. Hinc gesta, appellatione hac pendente sunt attentata & nulla, & ante omnia cassanda. Ottobon. *loc. cit.* Pass. *loc. cit. n. 2.* citans insuper Lancellot. ubi ante. Franc. *in c. ad audientiam. ult. de appellat.* Rotam *in Callagur. benef.* 24. 26 *Januar. &* 19. *Febr.* 1649. & plures alios. Attentata autem sunt, non quæ fiunt post appellationem, sed & quæ fiunt tempore assignato ad appellandum, quod est decendium, intra quod licet gravato appellare.

3. Atque ita confirmatus pendente appellatione interpositâ, vel intra tempus, datum ad appellandum, non potest possessionem Prælaturæ aut beneficii accipere, & si illam accipiat, est attentata. Pass. *cit. n. 2.* citans Garc. *ubi ante* (ubi is de appellatione, ab institutione) Lancell. *ubi ante, limitat. 49. per tot.* Franc. *in c. avaritia. de elect. in 6. n. 5.* Unde, ut refert Pass. *loc. cit.* ex Ottoboni *ubi ante. nu. 11.* & ex Ejusdem *decis.* 65. *n.* 2. & *decis.* 209. *n. 7.* consuevit Rota possessionem hujusmodi tanquam vitiosam & attentatam tollere & sequestrare, ne attentans commodo vitiosæ possessionis fruatur.

4. Porrò quando procedat confirmator judicialiter, dictum est §. *preced.* Quibus adde, procedere illum tunc quoque judicialiter, quando nullo comparente agit ex officio solenniter; agere autem illum solenniter non solùm, quando procedit instante procuratore fiscali, & per assignationem audiendi & stratorum, examinando testes cum juramento, & servato exquisito juris ordine: sed etiam, quando procedit juxta formam *c. fin. de elect. in 6.* citando & proponendo edicta, & exspectando terminum statutum, etiamsi nullo contradictore comparente, vel nullam aliam informationem sumat, vel summariè & extrajudicialiter id faciat; eò quòd tunc non confirmet, nisi ea vi citationis solennis & judicialis. Pass. *loc. cit. n. 3* citans Abb. *in c. novit. de off. vicar. n. 5.* Franc. *in c. fin. de elect. in 6. n 9.*

Quæstio 497. An detur quoque, & liceat appellatio à decreto confirmationis aut cassationis extrajudiciali, seu ubi confirmator processit nullo modo judicialiter, sed solùm summariè sine strepitu & figura judicii se informavit, & ex tali informatione confirmavit, vel cassavit electionem?

1. Respondeo primò, non esse tunc locum appellationi judiciali, quæ sola propriè appellatio est, ut Abb. *in c. bona. de appellat. n 7.* & *ibi* Decius *n. 17. & 20.* Tholosan. *de appell. tit. 1. c. 11. n. 3.* apud Pass. *n. 4.*) quippe quæ est provocatio à sententia Judicis procedentis servato juris ordine, seu judicialiter. Pass. *loc. cit. n. 4.*

2. Respondeo secundò: est tamen locus appellationi extrajudiciali (quæ ut Abb. & Decius *ubi ante.* Scaccia *de appellat. q. 2. n 33.* apud Pass. *cit. n. 4.* non est appellatio propriè talis, sed provocatio solùm à gravamine ad Superiorem) Pass. *n. 5.* citans *C. dilectus. de elect.* & *ibi* Abb. *n. 5.* Innoc. *n. 5.* & *c. concertationi. de appell. in 6.* & alios textus. Neque gesta post & contra appellationem talem extrajudicialem legitimè intra decendium interpositam ita sunt valida, quin justificatâ appellatione sint revocanda. Quod ipsum si negem, asserendo, ab actibus extrajudicialibus non dari appellationem suspensivam. Gonz. *gl. 9. in annot. n. 26.* Mareschot. *var. l. 2 c. 64. à n. 20.* Salgad. *de protect. reg. p. 2. c. 23. n. 1. & 187.* apud Pass. *loc. cit. n. 6.* vel etiam, quòd hæc appellatio non caret attentata, falsum eos asserere, ait Pass. & sentire contra communem, pro qua citat Lancell. *de attent. p. 2. c. 12. limit. 3. n. 10.* Marant. *p. 3. partis 6. n. 390.* Pitt. *decis. 313. n. 2. l. 3.* Abb. *in c. bona. de appell.* Archid. & Gemin. *in c. concertationi.* & Franc. *ibid. n. 6.* & plures Rotæ *decis.* eò quòd ad nihil valeret appellatio devolutiva, si interim, neglectâ appellatione, liceret appellato contra appellationem gravare appellantem validè & securè; quòdque appellationem hanc valere

lere in materia appellationis, constet ex *c. cùm inter canonicos de elect.*

2. Neque opponi potest primò, quòd in casu, quando confirmatio vel infirmatio actionis committitur conscientiæ vel prudentiæ confirmatoris, prout ei secundùm Deum videbitur expedire, denegetur appellatio, ut Menoch. *de arb. l. 1. q. 70. n. 7.* Tiraq. *de retract. lign.* §. 4. *n.* 11. Salgad. Boër. & alii apud Pass. *n.* 8. Nam præterquàm id non teneat in rebus magni præjudicii, quale quid est confirmatio indigni, & rejectio electi digni, etiam regularis, ut Pass. *n.* 8. id solùm verum est, ubi non intra ullum debitum Justitiæ, sed sumus in materia meræ liberalitatis ac gratiæ, v. g. in materia dispensationis, ut Felin. *in c. super his. de accusat. n.* 11. Sanch. *de matrim. l. 3. d.* 10. *n.* 23. Bossius *de matrimo. Tom. 1. c. 1. n.* 116. Gutt. Filiuc. Pontius &c. apud Pass. *n. 9.* iis consentientem, non tamen tenet, ubi sumus in materia, quæ debetur, sive in qua violanda est aliqua Justitia, qualis est materia confirmationis & cassationis. Paris. *cit. n. 9.* citans Abb. *in c. pastoral. de appellatione. n.* 13. Gemin. *in c. 2. n. 10. de jurament. calum. in 6.* Felin. *in c. significâsti. de homicid. n.* 4. Sanch. *ubi ante. nu.* 21. Barbos. *de potest. Ep. alleg.* 32. *n.* 52. &c. quatenus hi docent, quòd in hoc casu, etiamsi judicium sit commissum conscientiæ judicantis, ab ejus resolutione & decreto dari possit appellatio extrajudicialis quoad effectum devolutivum. Quòd autem dicitur appellationem illam non valere ad effectum suspensivum, id ita limitandum ait Pass. ut non solùm non sit verum, ubi Judex *ad quem* inhibuit, ne Judex *à quo* procedat in causa; sed etiam, ut id ita intelligendum non sit, quòd gesta contra appellationem, etiam justificatâ appellatione valeant. Proinde, ubi constiterit de gravamine, Superior electionem malè confirmatam tenebitur cassare, vel malè cassatam confirmare, & noviter contra appellationem electum & confirmatum tanquam attentatum revocare. Pass. *cit. n. 9. & nu.* 15. ubi, quòd licèt appellatio hæc sit extrajudicialis, non sit tamen merè devolutiva, sed simul suspensiva, ita ut, si contra appellationem quid fiat, illud tanquam attentatum, saltem justificatâ appellatione, debeat cassari & revocari, pro quo citat Franc. *in c. 1. de appell. nu.* 4. Scacciam *de appell. q. 2. n.* 36.

3. Neque secundò dici potest, quòd à decreto lato ex Judicis arbitrio non detur appellatio, quemadmodùm in arbitrariis locum non esse appellationi, tenent Bartol. *in l. 1. ff. de legat. n.* 18. Cravett. *cons.* 78. *n.* 8. Menoch. *de Arb. l. 1. q. 70. n. 7.* (qui tamen, ut Pass. *n.* 11. distinguit, nempe ut in hoc casu locus sit appellationi, si judex sit ordinarius, habens ordinariam facultatem ad arbitrandum, secus, si delegatus ad causam particularem, eò quòd Superior elegisse videatur ejus industriam & prudentiam, & judicâsse, quòd salvâ Justitiâ & æquitate judicabit) Farinac. *in pr. crimin. p. 1. q.* 17. *n.* 27. &c. apud Pass. *nu.* 10. Nam, ut ait Idem, regula certa est, quòd in commissis arbitrio Judicis, si partem lædit vel gravat, possit appellari, cùm arbitrium judicandi non importet libertatem absolutam, sed arbitrium & judicium boni viri, quod regulandum est juxta leges. Hinc confirmator habens arbitrium confirmandi vel cassandi, non potest contra leges illegitimam electionem confirmare, vel legitimam cassare, quod faciendo, quia lædit, potest ab eo appellari; pro quo citat Gl. *in c. Romana. §. si objiciatur. v. minùs legitima. de accusat. in 6.* Felin. *in c. super his. de accusat. n. 7.* Gemin. *in c. 2. de jurament. Calum. in 6. nu.* 10. Franc. Rebuff. &c. Additque, idem esse, ubi judicium commissum discretioni Judicis, ut si lædat, appellari possit, ut Felin. *ubi ante.* Gemin. *in c. ut commissum.* §. 1. *n.* 2. *de hæretic. in 6.*

4. Limitationis tamen & distinctionis alicujus loco id addit Pass. *n.* 12. nempe, si sermo sit de judice ordinario, qualis est confirmator, cui ex ordinaria potestate convenit de electionibus judicare, cùm habens arbitrium judicandi ita teneatur secundùm leges judicare, ut rigorem legis possit ex æquitate temperare; adeoque in ejus decreto considerari possit, vel quod est Justitiæ, vel quod est æquitatis. Proinde si recedat à Justitia, contra leges judicando, indubitatò liceat ab ejus decreto appellare; v. g. si confirmet electionem illegitimi, illiterati, non habentis requisitam ætatem &c. vel casset electionem digni ex prætextu defectûs. Et sic non tam in causa arbitraria, quàm necessaria appellabitur; cùm Judex teneatur judicare juxta leges. Si verò Judex seu confirmator lædat, recedendo solùm ab eo, quod est æquitatis, & in quo confirmatio est commissa ejus arbitrio, Passerinus ait, se considerare, quòd in hoc casu nulla partium possit lædi injustè; cùm, quod solius est æquitatis, non sit justitiæ, & respectu eorum, quæ sunt solius æquitatis, Judex non necessitatur ad alterutram partem, sed sit liber, & consequenter tunc non esse locum appellationi ab ejus decreto. Posse nihilominùs & in his casibus, in quibus non licet contra Judicem arbitrarium appellare, haberi recursum ad Superiorem, seu reclamationem aut supplicationem, tradit Pass. *num.* 15. ex Farinac. *ubi ante.* & Boërio *decis.* 284. & remittit ad Marant. *in specul. p. 6. §. & quandoque. n.* 11.

5. Illud quoque notandum, quod habet Pass. *n.* 16. quòd si Episcopus, etiam in arbitrariis teneatur reddere rationem Sedi apostolicæ, ut probat ex quodam Brevi Urban. 8. locum etiam in iisdem habere possit appellatio, per quam Judex arbitrarius compellatur Superiori reddere causam, ut appareat, an ex rationabili arbitrio judicaverit, & sic Superiorem non latere causam, quæ movit judicem inferiorem ad sic judicandum. Quibus non obstet, quòd in Trid. *sess.* 21. *c.* 2. ponatur in arbitrio Episcopi, assumere ordinandos ad titulum patrimonii, à quo ejus arbitrio non liceat appellare. Nam carens beneficio ecclesiastico, non habet jus ut ordinetur, sed in libertate Episcopi sit assumere, quos spectatâ necessitate & utilitate Ecclesiæ judicaverit assumendos; ubi autem non est jus habendi, nec datur actio, nec datur appellatio, si non obtinetur, quod est in libertate alterius dare vel negare.

Quæstio 498. An excipi possit contra electionem confirmatam?

1. Respondeo: nullum contra eam excipere posse, nisi qui fuit impeditus ante confirmationem aut cassationem excipere. Pass. *de elect. c. 34. nu.* 17. & *c. 32. q. 3.* In quo casu exceptiones exponendæ confirmatori, cujus est de illis judicare, & quòd, si nihil novi contineant, quod non fuerit antea consideratum, excipientes audiri non debent. Pass. *cit. n.* 17.

2. Porrò exceptio contra electionem valde distinguitur ab appellatione à confirmatore; cùm appellatio supponat sententiam confirmatoris, & ab ea provocet. Pass. *n. 17. juncto n.* 18.

Quæstio 499. In genere, quinam possint appellare à confirmatore?

1. Respondeo: in genere, non nisi ille, qui per confirmationem vel cassationem electionis fuit injustè gravatus, qualis est omnis ille, qui justè petiit confirmationem vel cassationem, & injustè non obtinuit. Pass. *cit. c. 34. n.* 18. Unde patet, quòd quicunque, etiamsi nec elector nec electus sit, qui potest petere confirmationem, vel se ei opponere, si petat vel opponat, potest appellare à decreto confirmationis, si injustè per hoc gravetur; habentes enim jus ad petendam confirmationem, habent eo ipso jus, ut ea sine causa non negetur, & patiuntur à confirmatore injuriam, si iis neget confirmationem sine causa. Idem est de habente jus opponendi electioni, & petendi ejus cassationem. Qualis habens jus pro suo interesse petendi confirmationem, vel ei se opponendi est quivis de Ecclesia, populo, vel conventu, cui electus præesse debet, ut Paris. *cit. n. 21. & c. 32. de elect. q. 2.* ac ideo à decreto confirmationis vel cassationis appellare potest, si per illud gravatur, juxta communem regulam: qui potest agere in judicio, & agit, si à Judice gravetur, potest appellare. Pass. *cit. n.* 21. ubi etiam ex

Innoc.

Innoc. *in c. super his de accusat. n.* 7 quòd contra electum confirmatum quilibet habens interesse, etiam laicus, possit excipere, si electus habet curam animarum, & debet illi præesse. Verùm qualiter hoc ipsum limitandum, intelliges ex responsione ad *quæst. seq.*

2. Nihilominùs etiam qui non petiit confirmationem aut cassationem (etsi aliàs, qui nec reus, nec actor est, sive qui non est pars in judicio, utpote quod ea reo, actore & Judice integratur, à Judice gravari nequeat, ut Pass. *num.* 19. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 67. *a.* 3.) potest appellare in duplici casu: nempe primò, si Judex citandum non citavit, & contra non citatum protulit sententiam; potest enim tunc gravatus contra eam sententiam procedere; vel coram eodem confirmatore, vel ejus Superiore, dicendo de nullitate, vel appellando à tali sententia tanquam nulla & injusta. Secundò, si in contumaciam damnatus in eo gravatus fuit, quòd Judex judicando secundùm allegata & probata excessit, gravando contumacem, plusquàm merita processûs exigerent. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 20. & 21.

Quæstio 500. *Utrùm Electores appellare possint à cassatione electionis, dum conceditur eis nova electio?*

Respondeo affirmativè; eò quòd cùm habeant jus petendi & agendi pro confirmatione electionis à se habitæ (ut satis constat ex *c. cupientes. de elect. in* 6. ubi præcipitur, ut Electores mittant proprios procuratores, qui habeant mandatum non solùm ad informandum, sed & ad petendam confirmationem electi, & si hi non mittantur, Electores jure prosequendi causam confirmationis priventur; adeoque Papa supponit hoc jus illorum) & hinc si eam confirmari petant, ac graventur per decretum cassationis illius electionis, etsi eis concedatur alia seu nova, possunt appellare. Pass. *n.* 22. dicens, sententiam oppositam esse improbabilem & oppositam SS. canonibus. Sed neque verum est, Electores per solam electionem non confirmatam ita plenè functos officio suo, quin hoc ipsum officium necesse habeat perfici, non solùm per petitionem & prosecutionem confirmationis, sed ipsâ confirmatione. Unde jus habent petendi confirmationem propriæ electionis, eámque prosequendi ac defendendi coram confirmatore. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 23. citans Innoc. *in c. dilectus. de preb. n.* 3. & 4. Abb. *in c. dudum. de elect. nu.* 4. Bald. *in c. postquàm. de elect. n.* 6. Castell. *de elect. c.* 5. *n.* 63.

Quæstio 501. *An, & qualiter quilibet Electorum, vel etiam aliorum de collegio, conventu, communitate, appellare possit à confirmatione vel cassatione electionis?*

1. Respondeo: distinguendum hîc esse interesse communitatis, & interesse cuilibet proprium. Ac primò quidem, ubi interesse est commune, quilibet de communitate (nisi fortè à tota communitate mandatum procuræ haberet) non potest in judicio agere & petere, aliis seu majore parte eorum justè nolentibus petere; cùm in iis, quæ ad communitatem spectant, standum sit majoris partis determinationi, dum illa non injustè quid decernit. Pass. *cit.* c. 34. *n.* 25. & *c. cupientes*, ubi constituitur, ut Electores per procuratores suos ex iisdem Electoribus acceptos negotium electionis prosequantur: nequaquam tamen datur singulis de capitulo facultas agendi nomine proprio pro confirmatione electi; quia jus, quod habent Electores ad prosequendam confirmationem, non est proprium singulorum; sed est collegii. Pass. *cit. n.* 25.

2. Sed &, si facta est injustitia communitati, si hæc est talis, quam major pars potest justè condonare, & condonet, non remanet huic vel illi, vel minori parti jus prosequendi injuriam. Et quia in cassatione electionis digni injusta offensa non est facta populo, utpote qui non habet jus magis, ut illi præsit hic dignus, quàm alius dignus. Nec etiam facta est injuria alicui particulari Electori, cùm jus prosequendi electionem non competat ei ex jure proprio, sed quia elector est, & ex jure collegii. Injuria quoque, quam collegium recipit ex injusta illa cassatione, est talis, quæ, si electio iterum redit ad collegium, potest justè remitti: hinc si electio cassetur, & collegium Electorum pro majore parte injuriam remittat, non est, unde vel populus, vel conventus, vel hic aut ille particularis, etiam Elector, appellare possit; quia non remanet injustè gravatus. Pass. *cit. n.* 25. Secundò, ubi quis ex confirmatione vel ejus cassatione habet interesse proprium, seu obvenit alicui propria aliqua utilitas vel damnum, videndum est, an habeat jus ad illam utilitatem, & num damnum sit injustum. Nam si utilitas etiam de cetero maxima, quæ potest ex confirmatione provenire, huic vel illi particulari Electori, vel personæ de conventu, v. g. quòd electus seu confirmandus sit ejus consanguineus, non est debita, non potest quis pro illa utilitate, utpote non debita, agere in judicio, adeoque si cassetur electio, non potest appellare; quia nulla ei facta injuria. Pass. *loc. cit.* Quòd si verò alicui particulari, non tantùm Electori, sed etiam cuilibet de populo injustum immineat damnum, (uti id facilè contingere potest, v. g. si princeps justè timeat damnum ab electo, & quòd hostibus manifestabit & prodet secreta regni & principem) ratione cujus uti potuit excipere contra electionem, sic eum posse à data confirmatione appellare, tradit *cit. n.* 25. Pass.

Quæstio 502. *Utrùm Electores validè appellare possint à cassatione electionis legitimæ, ubi electus non habet jus ad confirmationem?*

1. Respondeo primò: ubi electus legitimè ex delicto non habet jus ad confirmationem, v. g. ubi electus de cetero dignus in pœnam supervenientis post electionem negligentiæ aut alterius defectûs alicujus privatus est jure per electionem quæsito ad confirmationem, non possunt validè appellare à cassatione electionis; quia jam electus ab iis, non est confirmabilis, sed indignus confirmatione; adeoque frustra & injustè Electores tentant & prosequuntur confirmationem illius. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 26. Idemque est, si electus electioni non consenserit, vel ei renunciavit, nolens esse Prælatus; dum enim is cogi nequit ad instantiam Electorum, ut electioni consentiat, ubi consentire renuit; nec ejus electio ex justitia confirmari debet; nec Electores juridicè instare ut confirmetur. Pass. *ibid.*

2. Respondeo secundò: si verò electus ex lege vel statuto aliquo non habet jus ad confirmationem (intellige, quia jus nullum acquisivit per legitimam etiam electionem) ita tamen, ut possit ac debeat confirmari, si sit dignus, Electores possunt validè ac justè appellare à cassatione electionis, utpote à jure habentes jus petendi electi confirmationem, & defendendi factam à se electionem. Pass. *cit. n.* 26. siquidem electio est Electorum veluti partus, committitque Ecclesia Electoribus electionem, confidens eorum prudentiæ ac zelo: unde eorum est honor vel vituperium, si benè vel malè eligant, adeoque non solùm ex lege positiva, sed & ea naturali habent jus petendi confirmationem electi, & defendendi electionem per ipsos celebratam, in quantum quisque propria defendere potest, & perfectionem operi suo debitam justè prætendere, Pass. *nu.* 27. dicens, quòd Electores ex jure sibi proprio, & à jure electi distincto petere possint confirmationem, & eam contra impugnantes defendere per viam appellationis, supponere communissimè DD. & probari per praxim Ecclesiæ, & sacrarum Congregationum Romæ admittentium, & judicantium istiusmodi appellationes. Unde etiam ab Electoribus, ubi timent cassandam celebratam à se electionem, pro cautela ad hoc, ut si contingat eam cassari, non possit fieri no-

va provisio eis inauditis, literis petitionis confirmationis inserendam hanc protestationem & appellationem: quam confirmationem sperant à Benignitate N. obtinere: quòd si secus fiat, protestantur velle audiri, & ex nunc appellant ad Sedem Apostolicam: tradit Pass. *loc. cit.* ex Peyt. *in formular. lit. C. c.* 18. *nu. ult.*

Quæstio 503. *An ergo Electores agere possint in judicio appellationis pro confirmatione electionis cassatæ, electo secum non agente?*

1. Respondeo primò: ubi agitur de electione cassata expressè ob defectum formæ, sufficit electum aliàs non habentem jus ad confirmationem habere se negativè, hoc est, ut non petat, nec rejiciat, quòd Electores agant pro ejus confirmatione; eò quòd tunc electus in ea causa non habeat interesse, & soli Electores appellantes sint actores. Pass. *n.* 28.

2. Respondeo secundò: si agatur de electione cassata ex defectu electi, non possunt procedere Electores, secum non agente electo, utpote de cujus maximo præjudicio agitur; vel saltem eo non citato comparente per se, vel suum procuratorem. Contingere enim posset, ut dum causa non est expressa, electus ad declinandam majorem confusionem mallet causam in judicio appellationis non expediri, quàm electionem sui confirmari. Pass. *cit. num.* 28.

Quæstio 504. *An, ubi electus non habet jus ad petendam confirmationem ex speciali quodam statuto, nec tamen etiam confirmatione privandus possit appellare à cassatione electionis, dum ea cassatur ex defectu electi?*

1. Respondeo: id eum posse, si injustè cassetur ex ejus defectu; quia ut dictum suprà, cassatione electionis ob defectum electi is manet infamis infamiâ facti, & ineligibilis, adeoque si injustè ex tali causa cassetur, injustè læditur. Pass. *num.* 29 Unde secùs dicendum, seu non posse talem non habentem jus ad petendam confirmationem, appellare, ubi defectus, ob quem cassatur electio, talis non est, ut infamet, aut notabiliter noceat, v. g. quia præsumitur electus ille ad tempus infirmus. Pass. *num.* 30.

2. De cetero dici non potest, in hoc casu remanentis ex cassatione infamiæ & ineligibilitatis, talem non posse appellare à cassatione electionis, seu à negata confirmatione, utpote ad quam non habet jus; sed à causa cassationis, quam solam examinare pertinebit ad Judicem *ad quem*, cassatione manente validâ; nam licèt in rigore & directè non habeat jus talis electus, ut confirmetur; quia tamen electio digni ex lege est confirmanda, & solùm ex causa rationabili cassari potest, ideo ex consequente Judex *ad quem*, invento tali electo digno, ut confirmetur, tenetur ejus electionem confirmare, si non ex jure electi, saltem ex jure Ecclesiæ, volentis electionem non nisi ex rationabili causa cassari. Et hinc pendente tali appellatione, non potest validè alia electio celebrari, cùm electus non tantùm habeat jus, ut non infametur; sed etiam, ut ex causa injusta infamante confirmatio sibi non negetur. Pass. *n.* 29. Ad hæc, ut Idem, locum non habet hæc objectio, ubi cum electo simul appellant eligentes, habentes jus ad confirmationem electi.

Quæstio 505. *An, ubi confirmator in decreto cassationis, nullam assignat causam cassationis electionis, vel assignat in confuso per clausulam:* ex causis nobis bene visis; *electus, qui non habet aliàs jus ad confirmationem, possit appellare à tali decreto?*

Respond. affirmativè Pass. *cit. n.* 34. *n.* 32. ubi ait: non obstante, quòd Barbosa teneat, electum talem in hoc casu debere credere, cassationem factam ob bonum commune, & non ob defectum suî. Et quòd Bannez dicat, in hoc casu temerarium esse, judicare, quod cassatio facta ob defectum electi; dicendum tamen, non posse electo negari in hoc casu appellationem, nisi constet de opposito, nempe cassationem factam non ob defectum electi. Rationem etiam dat, quòd si ex hoc non liceret appellare, quoties in sententia non exprimitur causa, & ideo sententia non gravet, vix unquam liceat appellare, cùm necesse non sit, Judicem exprimere causam in sententia, ut Abb. *in cap. examinata. de Judic. n.* 8. & *in cap. sicut nobis. de re judicat. n.* 11. & sic foret in potestate Judicum impedire justam appellationem, non exprimendo in sententia causam. Quin &, ut Pass. *n.* 33. licèt, dum confirmator simpliciter cassat electionem, præsumendum sit, eam non cassari vitio personæ; nihilominùs relinquitur locus aliquis præsumptioni contrariæ, maximè ex eo, quòd constet, electionem legitimè celebratam rarius cassari purè ob bonum commune; & sic frequenter talis cassatio conjuncta sit cum morali certitudine de defectu electi, & ita conjuncta cum ejus infamia. Quin & quòd vel ex hoc ipso, quòd non constet, electionem non fuisse cassatam ob defectum electi, electus interim, ejùsque honor & fama sit cogitantium & loquentium arbitrio subjecta & exposita; adeoque cùm electus, etsi ad confirmationem jus non habeat, habeat tamen jus, ut ex cassatione electionis ejus fama non vacillet, adeoque habet jus, ut appellando se suúmque honorem & famam tueatur.

Quæstio 506. *An, & quo jure electio facta pendente appellatione, etiam extrajudiciali; interposita à cassatione prioris electionis sit attentata, & an, si confirmetur hæc secunda electio, tam ea, quam confirmatio ejus, saltem justificatâ appellatione, sit cassanda: utì & quævis alia provisio, pendente appellatione facta?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 42. citans Abb. *in cap. cùm nobis. de elect. n.* 1. 7. & 8. Barbos. *l.* 2. *voto* 35. Castell. *de elect. c.* 4. *n.* 59. & *c.* 14. *n.* 42. Portell. *p.* 2. *cas.* 4. *v. ad secundum.* Peyt. *in formul. lit. C. c.* 18. *n.* 18. Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 14. *n.* 3. & plurimos alios, secundùm quod in specie de electione ad cathedrales & regulares Ecclesias statuitur *in c. si postquam. de elect. in* 6. & jam prius decretum fuerat *in cap. consideravimus. de elect.* de appellatione interposita apud Papam.

2. Respondeo ad secundum: cassanda non tantùm jure positivo, sed & ex lege naturæ; quod enim per citatas similésve decretales, quò ad hoc præsens punctum sic disponitur, non esse merè statutum juris positivi, sed esse quoque legem naturalem, tradit Pass. *cit. n.* 42. eò quòd ex vi legis Justitiæ non potest appellatus ad Superiorem contra vim appellationis, & in gravamen se defendentis per imploratam Superioris auctoritatem agere validè, firmiter & indissolubiliter, quin Superior, justificatâ appellatione non possit sic gesta revocare, prout Justitia postulaverit, & ad bonum commune expedire visum fuerit. Unde quod statuitur in *cit. c. consideravimus.* & *c. si postquam.* secundùm substantiam extendi ait ad omnem electionem factam post appellationem, quia non est purè statutum legis positivæ, sed & præceptum naturale; non obstante, quòd Rota *decis.* 44. *de appell. in novis.* senserit *c. si postquàm.* non loqui de inferioribus Ecclesiis. Nam quidquid sit de hoc, in quantum dicta decretalis est lex positiva, eadem, in quantum secundùm substantiam est lex naturalis, omnes electiones comprehendit. Pass. *n.* 43. Neque obstante, quòd non sit de lege naturæ, electum ex electione acquirere jus ad confirmationem: nam sufficit, quòd ex lege positiva acquirat hoc jus, & eo sic acquisito, subintrat lex illa naturæ ad defendendum illud. Pass. *ibid.*

ibid. Quin &, ut Idem addit, lex naturæ absolutè vult, ut gesta lite pendente in præjudicium ejus, qui auctoritatem publicam Superioris imploravit contra gravantem, sint ex se per Superiorem dissolubilia.

3. Advertit tamen Idem Pass. *nu.* 44. quòd licèt lex naturæ, vi cujus illa gesta seu innovata, postquàm oppressus confugit ad Justitiam publicam, sunt attentata veluti naturalia; præcipiat eorundem suspensionem & revocationem; hæc tamen lex naturæ, etiam in hoc à lege positiva determinationem sumat. Unde alio modo & alio privilegio revocanda sunt, quæ gesta seu innovata fuerant post appellationem judicialem, seu postquàm Judex superior acceptato recursu citavit partem, & inhibuit quicquam innovari; hæc enim gaudent privilegio attentatorum, quod non competit iis, qui solùm extrajudicialiter appellârunt, vel qui non appellârunt in tempore, vel quibus non competit appellatio, sed recursus seu querela: vel iis, qui extra casum appellationis judicialis ante inhibitionem Superioris innovata sunt. Quamvis in his omnibus substantia sit eadem, nempe, ut quæ post recursum lædenti notificatum, vel intra tempus datum ad appellandum contra recurrentem in præjudicium recursûs gesta seu innovata sunt, justificato recursu, & constito de gravamine & injustitia, revocanda sint, vel per viam attentatorum, aut appellationis aut querelæ; siquidem oppressus relevari debet à primo gravamine, propter quod confugit ad Justitiam publicam, à quo plenè non relevaretur, si nova gravamina ex mala fide subsecuta in vim prioris gravaminis, & ad illud sequentia non tollerentur. Hinc, quia primum illud gravamen injustum ex lege naturæ plenè reparandum est, & plenè reparari nequit, nisi revocatis iis, quæ in vim illius contra appellantem gesta, eorum revocatio ex lege naturæ est facienda, saltem quando etiam solùm extrajudicialiter, legitimè tamen est appellatum; quin &, ut dictum, quando oppressus confugit ad Superiorem per supplicationem aut querelam. Ita ferè Pass. *cit. n.* 44.

Quæstio 507. Quam vim habeat lex positiva, statutum vel privilegium circa appellationem probibendam & impediendam?

1. Respondet ad hanc quæstionem genericè Pass. *cit. c.* 34 *à n.* 45. per plura notabilia observatu dignissima, & facilè applicanda præsenti materiæ de appellatione à confirmatione & cassatione electionis. Primò, appellationem propriè sumptam esse inventum legis positivæ, (de quo multa præmiserat *à num.* 35. distinguendo inter appellationem naturalem & civilem, quæ vide) utpote cujus formalitas est à lege positiva, ut Abb. *in rubric. de appell.* Et ideo posse à Principe seu lege positiva tolli, ut Abb. *loc. cit.* Covar. *pract. qq. c.* 23. *n.* 6. Sanch. *l.* 3. *cons. c. unic. dub.* 10. Scaccia *de appell. q.* 16. *limit.* 1. *n* 21. juxta *cap.* 1. *de rescript. cap. super quæstionem. de off. deleg. c. pastoralis. de appell. l.* 1. §. *interdum. ff. à quibus appell. licet.* quos AA. & textus citat Pass. *n.* 46.

2. Secundò: prohibitionem appellationis, ubicunque contineatur, esse odiosam & strictè interpretandam. Abb. *in c. pastoralis. n.* 6. juxta *cap.* 1. & 2. *de filiis presbyt.* ac digniorem, quæ strictiùs intelligatur, prohibitionem perpetuò per legem aut privilegium inductam, quam factam in rescriptis per clausulam: *appellatione remotà*, etsi illa inducta per privilegium vel legem sit fortior & efficacior ad effectum causandum; quia perpetuò ligat. Pass. *n.* 47. *juncto num.* 52. & ubi etiam hujus majoris dignitatis ad restringendum rationem reddit.

3. Tertiò: prohibitionem appellationis non impedire, quò minùs dici possit contra sententiam de nullitate. Scaccia *de appell. c.* 19. *remed.* 1. & *seq.* neque quò minùs recurri possit ad alia juris remedia, ut sunt supplicatio, restitutio in integrum, querela. Pass. *n.* 48. remittens ad Marant. *in specul. p.* 6. §. & *quandoque n.* 11.

4. Quartò: prohibitionem appellationis, utpote odiosam & strictè intelligendam, excludere solùm appellationem propriè dictam, seu judicialem, non extrajudicialem, utpote quæ non est propriè appellatio, sed actus defensionis extrajudicialis. Pass. *n.* 49. citans Abb. *ubi ante.* Scaccia *de appell. q.* 16. *limit.* 1 *n.* 22. & 23. Rebuff. *de appell. in praf. n.* 83. *tom.* 3. &c. eadem fusiùs repetit Pass. *n.* 59. & 61.

5. Quintò: per clausulam: *appellatione remotâ*, non prohiberi solùm appellationem frivolam, ut quidam volunt apud Barbos. *claus.* 9. *num.* 15. & Scacciam *q.* 16. *limit.* 1. *n.* 93. cùm frivolæ appellationes jure communi sint rejiciendæ, adeoque dicta clausula in rescripto posita esset superflua & odiosa. Pass. *n.* 50. juxta *cit. cap. pastoralis.* Quanquam Pass. *nu.* 53. ex communi DD. citato in specie Barbos. *in cap. pastoralis nn.* 2. id limitet; ita ut quandoque dicta clausula: *appellatione remotà*, non est apposita præviâ cognitione, intelligi debeat de appellatione frivola; eò quòd, ubi hæc clausula apponitur non præviâ cognitione, ea sit odibilior, & magis strictè interpretanda.

6. Sextò: per prohibitionem appellationis vi dictæ clausulæ non probiberi illam, quæ expresè indulgetur in jure; illas autem appellationes indulgeri à lege, quæ expresè à lege sunt approbatæ, quarum exemplar est *in cap. significavit. & cap. Rodulphus. de rescript.* Pass. *n.* 51.

7. Septimò: per clausulam: *remotâ appellatione*; quando simpliciter profertur, solùm prohiberi appellationem judicialem à sententia diffinitiva; non verò ab interlocutoria. Pass. *n.* 60. citans Felin. *in c. causam. n.* 27. *de rescript.* Tusch *lit. A. concl.* 400. *n.* 17. Barbos. *claus.* 9. *num.* 16. Scacciam *de appell. q.* 16. *limit.* 1. *n.* 82. Idemque dicendum dicens, ubi lex vel statutum appellationem prohibet; pro quo citat Gemin. *in c. ut inquisitionis. de heretic. in* 6.

8. Octavò; per dictum clausulam: *remotâ appellatione*, non tolli appellationem, etiam judicialem, quando Judex dolo malo vel latâ culpâ sententiavit: vel quando injustitia sententiæ est notoria. Pass. *n.* 60. citans Lancell. *p.* 2. *c.* 12. *limit.* 8. *nu.* 24. Tusch. *ubi ante concl.* 40. Barbos. *claus. ul.* 9. *nu* 21. & 22. Item non tolli appellationem, ubi gravatus in continente offert probationem paratam ad justificandam appellationem. Pass. *ibid.* citans Barb. *ubi ante. nn.* 23.

9. Nonò: ubi prohibetur in rescripto appellatio, non prohiberi eam simpliciter, seu quò ad utrumque effectum, sed solùm quò ad effectum suspensivum. Et hinc gravatum à Judice procedente judicialiter, servato bene ordine juris, posse quidem appellare, sed non suspendi per hoc jurisdictionem Judicis *à quo.* Pass. *nu.* 54. ex Abb. *in c. pastoralis.* & consequenter ubi Judex *à quo* procedit, appellatione remotâ, gesta contra dictam appellationem non revocari ut attentata, uti ea revocantur, ut attentata, ubi procedit absolutè, appellatione non remotâ. Quod ipsum tamen limitat *n.* 58. ubi: quòd nulli sint casus, in quibus gesta post hujusmodi appellationem tantùm devolutivam sint revocanda ut attentata: nempe primò, ubi fuerint attentata, postquàm superior, admissâ appellatione, inhibuit, ne procederetur ulteriùs in causa, ut Lancell. *de appell. c.* 12. *limit.* 8. *n.* 11. Scaccia. *de appell. q.* 16. *limit.* 1. *nu.* 105. Secundò: dum esset appellatum ex causa expressa in jure; quia in eo casu appellatio non est prohibita vi clausulæ: *appellatione remotà*, ut Lancell. *loc. cit. n.* 16. Scacc. *loc. cit.* Tertiò, si Judex *à quo* detulit appellationi, ut habetur *c. de appellationibus. de appell. in* 6. plures casus vide apud Lancell. *loc. cit.*

10. Decimò: quòd licèt *in c. pastoralis.* expresè sermo sit de prohibitione appellationis facta in rescripto per clausulam *appellatione remotà*, eandem nihilominùs esse rationem de prohibitione facta in statuto, vel emanata ex privilegio. Pass. *n.* 55. citans Abb. *in c. pastoralis. n.* 12. hanc addens rationem: quòd pontificum intentio sit, ut Justitia suum consequatur effectum; quòd verò alicui personæ concedit,

ut ab ea non detur appellatio, id faciat ex præsumptione, quam habet de virtute illius personæ, quòd non fit aliter processura, quàm jura disponunt; quæ si tamen procederet aliter, quàm deberet, non sit ratio, cur gravatus non possit appellare, & cur Superior non debeat gravamen tollere.

11. Undecimò: in casu, quo causa est remissa Judicis conscientiæ, adeoque prohibita est appellatio judicialis & suspensiva, factâque appellatione, quod fieri potest, nihilominùs appellatione devolutivâ, vi cujus tenetur Judex revocare gravamen, propter quod est appellatum, revocandum esse per viam querelæ; gravamen verò illatum per gesta contra appellationem revocandum per viam appellationis, ex mente Abbatis *loc. cit. n.* 15. refert Pass. *n.* 58. Ipse verò aliter sentit, nimirum quòd ex quo causa est appellabilis appellatione devolutivâ, licet simpliciter non suspendatur jurisdictio Judicis *à quo*, suspendatur tamen secundùm quid, seu meliùs loquendo debilitetur & infirmetur, ut contra appellationem in præjudicium appellantis non possit agere omnino validè & firmiter, & quin justificatâ appellatione gesta contra eam non sint revocanda, & appellans consecuturus sit plenam Suspensionem à Superiore.

Quæstio 508. *An Regularibus liceat appellare à confirmatione vel cassatione electionis?*

1. Respondeo: regularibus de jure communi non est interdicta hæc appellatio. Pass. *cit.* c. 34. *n.* 62. & licèt regulares *c. ad nostram. & c. reprehensibilis. de appell.* prohibentur appellare à correctione; nomine tamen correctionis non venit confirmatio aut cassatio electionis. Pass. *ibid.* Sed & privilegia communiter concessa regularibus, in quibus prohibetur appellatio, intelligenda esse juxta juris communis dispositionem, ait *ibid.* Pass. citatis pro hoc Nav. *conf. 3. de regular. n.* 51. Rodriq. *Tom.* 1. *q.* 29. *a.* 2. Suar. *Tom. 4. de religion. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 11. Sayr. *clav. reg. l.* 2. *c.* 17. *n.* 38. &c. Addit tamen rectè Idem Pass. *n.* 63. unumquemque regularem debere in hoc diligenter examinare leges sui Ordinis, & specialia privilegia, quibus ejus religio, etiam per communicationem, fruitur, & quatenus per dictas leges & privilegia prohibetur appellatio à confirmatione aut cassatione electionis, debere ab ea appellatione abstinere. Ad hæc hujusmodi appellationem parùm religiosis convenire, & non levem esse præsumptionem ambitionis, quòd appellet religiosus, ut invitis Superioribus obtineat prælaturam, quam boni ac perfecti religiosi, etiam oblatam, recusant.

Quæstio 509. *An ab electione possit appellari immediatè ad Prælatum mediatum, præterito Superiore immediato, ad quem aliàs spectat confirmatio & cassatio electionis; ita ut is eam confirmare vel cassare tunc nequeat?*

1. Respondeo primò: appellare immediatè ad Papam non solùm licitum est, sed etiam talis appellatio, etsi extrajudicialis, suspendit ac devolvit, ita ut si inferior electionem confirmet vel casset, attentet. & actum irritum faciat. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 64. juxta quod statuitur *in c. si postquàm. de elect. in* 6. Porrò hæc decretalis non habet locum, nisi tantùm in electionibus, quæ fiunt ad Ecclesias regulares vel Cathedrales, & in appellationibus, quæ desuper fiunt ad Sedem Apostolicam; non verò in appellationibus, quæ fiunt ad Judices Papâ inferiores. Pass. *n.* 66. cum Gl. *in cit. c. si postquàm. v. ad Sedem Apost.* & Franc. *ibid. n.* 2. Gemin. *n.* 5. Quin & locum non habet hæc decretalis, si appelletur ad Legatum de latere; quia in ea decretali exprimitur sola appellatio ad Sedem Apostolicam. Pass. *nn.* 67. cum gl. & Gemin. *ll. cit.* Habet tamen locum in omni appellatione, quæ fit ad Sedem Apostolicam in causa dictæ electionis etiamsi extrajudiciali & interlocutoria ante sententiam diffinitivam, cùm loquatur indistinctè, & appellatio ab electione sit extrajudicialis, ut habetur *c. concertationi. de appell.* Pass. *n.* 68. citans Gemin. *in c. postquàm. n.* 3. Franc. *n.* 2. Similiter locum habet non solùm in electione, sed in omni provisione, quin & in postulatione (intellige saltem ad Ecclesias regulares; quia cùm postulatio ad Ecclesias Cathedrales semper fiat ad Papam, non habet in ea locum appellatio) Pass. *n.* 71. juxta §. *fin. cit. c. si postquàm.* Qui tamen addit id fallere in electione Abbatissarum in duobus illis casibus contentis *in c. indemnitatibus. de elect. in* 6.

2. Requiritur autem & sufficit, quòd fiat hujusmodi appellatio ex causa probabili, licèt in re falsa; etsi enim id non procedat universaliter de jure communi, ne detur facilis via ad protrahendas confirmationes; & licèt in aliis casibus priùs constare debeat de veritate causæ appellationis, antequàm revocentur attentata post appellationem ante sententiam; in hoc tamen casu appellatio hæc interposita ex probabili tantùm causa devolvit, & reddit judicium attentatum. Pass. *n.* 61. *juncto n.* 66. cum Gl. *loc. cit. v. probabili.* Quamvis, ubi causa hæc probetur falsa, appellans sit puniendus. Pass. *cit. n.* 65. juxta *c. calumniam de pœnis.* Requiritur etiam ad hoc, ut hæc appellatio devolvat, ut sit interposita ab eo, qui habet interesse in electione. Item ab eo, qui possit suâ voluntate illud interesse in judicium deducere. Pass. *n.* 69. Item requiritur, ut appellatio sit insinuata parti & Judici *à quo*. Pass. *ibid.* juxta *c. si duobus. de appell.* citans Gemin. Franc. Jo. And. Item requiritur secundùm Jo. And. ut in appellatione, in qua opponuntur crimina vel defectus contra electionem vel electum, debeat servari forma *c. ut circa. de elect. in* 6. & aliter non valeat nec devolvat cognitionem causæ ad Papam. Verùm hujus contrarium apud Pass. *nn.* 69. tenent Lap. Abb. Gemin. eò quòd in *cit. cap. ut circa* non annulletur appellatio interposita ex rationabili causa, non servata formâ *cit. cap.* sed tantùm, quòd appellans non sit audiendus super non expressis in libello appellationis, nisi in casibus ibi expressis, etsi non juraverit, prout ibi, cum quo stet, quòd appellatio teneat, & devolvat negotium ad Papam. Tametsi autem renunciari possit appellationi de consensu partium, juxta *c. quamvis. de elect. in* 6. non tamen invito appellato, ut Gl. *in cit. cap. v. partibus.* nisi res adhuc sit integra, ut Franc. *in cit. c. quamvis. n.* 8. vel ubi, re non integrâ, appellans velit satisfacere parti de suo interesse, ut Gl. *ubi ante.* postquàm tamen hæc appellatio est præsentata Papæ, ne quidem de consensu partis potest ei renunciari. Pass. *loc. cit.* juxta *cit. c. quamvis.* Sed & ubi (subintellige, re adhuc integrâ) renunciatum esset huic ad Sedem Apostolicam appellationi, inferiorem Judicem non statim posse assumere causam, sed debere priùs diligenter inquirere, an in renunciatione intercesserit pravitas, v. g. simonia, violentia, metus, (quâ pravitate interveniente, si partes renuncient appellationi ab electione interpositæ ad Papam, non potest Judex cognoscere in causa, sed attentat) etsi talem pravitatem reperierit, debere eum præfigere partibus terminum competentem, in quo cum omnibus actis & munimentis suis Apostolico aspectui se sistant. Quòd si verò prætermissâ hac inquisitione procedat ad confirmationem vel cassationem electionis, non solùm confirmationem, cassationem, omnésque processus ab eo factos esse irritos; sed etiam confirmatorem confirmantem vel consecrantem Episcopum per annum suspensum esse ipso jure, juxta *c. provida. de elect. in* 6 (in quo *cap.* uti & in *cit. c. quamvis.* cùm sermo sit expressè de electione ad Episcopatum & dignitates majores, non comprehenduntur quò ad hanc pœnam sic confirmantes electiones ad Ecclesias regulares, juxta Franc. *in cit. c. provida. n.* 2.) à confirmatione Episcoporum, tradit Pass. *n.* 72.

3. Resp. secundò: ubi sermo est de Superioribus Papâ inferioribus, appellatio debet fieri gradatim, & non

non potest fieri, omisso medio, immediatè ad mediatum. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 73. citans *c. dilectis. il* 3. *de elect.* Marant. *in specul. p.* 6. §. *& quandoque. n.* 368. Scacc. *de appell. q.* 7. *n.* 93. *&c.*

4. Limitandum tamen hoc ipsum primò, ut non solum possit præteriri Judex medius, dum is est impeditus, v. g. excommunicatus; vel si is neget Justitiam; vel sit pars, contra quam litigatur; sed etiam absolutè de jure canonico, parte non obstante, valet appellatio, præterito Judice medio. Pass. *num.* 74. citans Abb *in cit. c. dilectis n.* 7. Barbos *ibid. n.* 4. Scacc. *loc. cit. n.* 18. 20. & 105. Tusch. *lit. A. concl.* 352. *&c.*

5. Limitandum secundò quò ad Religiosos, apud quos cùm medii Superiores sint longè magis ex voto obedientiæ subordinati primariis Superioribus, quàm alii Judices Ecclesiastici, faciliùs admittitur appellatio, præterito Superiore medio. Et non solùm parte non opponente valet appellatio talis; v. g. ab electione Prioris interpositâ apud Generalem præterito Provinciali; verùm etiam, parte opponente, potest Generalis, videns rationabiliter esse præteritum Provincialem, ad se avocare causam, & inhibere Provinciali, ne se ingerat in cognitione electionis illius, cui inhibitioni deferre tenetur Provincialis. Pass. *l. cit. n.* 75. ubi plura, qualiter hæc locum habeant in suo Ordine.

Quæstio 510. *An Religioso appellante à cassatione electionis suæ, monasterium vel Ordo teneatur ad expensas factas aut faciendas in prosecutionem appellationis, in ordine ad consequendam Prælaturam?*

1. Respondeo primò negativè, ubi electus fuit ad Prælaturam extra monasterium vel Ordinem; quia tunc non agitur causa ad favorem monasterii vel Ordinis. Pass. *cit. c.* 34. *n.* 76. citans Abb. *in cap. ex parte. de accusat. n.* 9. Anchat. *ibid. nu.* 7. Anan. *num.* 7. Archid. *in c. pastoris.* 2. *q.* 7. & *ibid.* Bellamet. &c. Limitandum hoc ipsum, & dicendum contrarium, ubi Religiosus electus ad Prælaturam extra Ordinem agit pro sui electione de mandato Superioris, & ex obedientia; quia tunc agit causam non propriam, sed communem.

2. Resp. secundò: electus ad Prælaturam sui monasterii vel Ordinis agens ad suæ electionis confirmationem, debet accipere expensas à monasterio vel Ordine; quia in hoc eorum causam agit, cùm intersit monasterii vel Religionis, electum Prælatum confirmari Pass. *loc. cit. n.* 77. citans Felin. *in c. ex parte. n.* 4. Sanch. *in Decalog. c.* 12. *n.* 26.

3. Limitandum hoc ipsum putant Peyr. *de Prælat. q.* 3. *c.* 1. § 4. *num.* 124. Donat. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 15. apud Pass. *n.* 78. ita, ut non teneatur ad expensas monasterium vel Ordo, dum eorum Religiosus ambitiosè procuravit se eligi ad Prælaturam, ad quam non erat eligibilis; eò quòd Conventus non teneatur fovere ambitionem illius, & interest monasterii, non habere Prælatum ambitiosum, quique se opponunt, ducantur zelo bono, ne quis malo modo eligatur. Verùm non placet Passerino hæc limitatio; eò quòd non sit de facili electus habendus pro ambitioso, cessètque post electionem ambitionis prætextus, cùm habeat tunc jus ex electione ad confirmationem; tum etiam, quia si major pars eligentium illum perseverat in electione & petitione illius, agitur negotium Conventûs, dum petitur ejus confirmatio. Ac denique, si electus aliàs sit dignus & prudens, parum intersit monasterii, quòd ambitiosè intravit. Proinde ipse Passerinus aliter limitat responsionem. *nu.* 79. nempe ut tunc in hoc casu non debeantur expensæ, ubi Conventus non consentit ex parte sua huic prosecutioni, sed contentus est Superioris determinatione, qualiscunque ea fuerit; eò quòd majore parte Conventûs non adhærente huic prosecutioni, seu non appellante contra cassationem electionis, & non agente contra opponentes se electioni, non agatur causa Conventûs, neque electus agit nomine Conventûs. Idque etiam, ubi electus aliunde non habet, unde solvat expensas; & sive is vicerit, sive succumbat. Quin &, si electus non est vere habilis ad Prælaturam, aut verè est culpatus, adeoque non ducat eum confirmari, licèt à majore parte ex passione aliqua fuerit electus, malè facere Conventum prosequendo causam talis electionis, & multo minùs tunc teneri ad expensas, electo eam prosequente, tradit *cit. n.* 79. Pass.

4. Sublimitat tamen hæc ipsa Pass. *ibid.* ita, ut si legitimè electus esset verè innocens, & calumniam pateretur, & aliâ viâ non posset honorem suum tueri, teneatur monasterium ad expensas, quas electus innocens pro famæ suæ defensione necessariò faceret; cùm Conventus teneatur providere subdito de necessariis.

5. Respondeo tertiò: in religione, in quâ electo non licet appellare à cassatione electionis suæ, Conventus nihil debet illi causam electionis suæ prosequenti. Pass. *loc. cit. n* 8. nisi, ut addit, illum suum procuratorem constituat; quod ipsum tamen ait, tanquam parum conforme legibus prohibentibus talem electum ab appellatione, eum non debere admittere.

Quæstio 511. *An confirmatione existente nullâ seu annullatâ, perimatur quoque electio, seu ea reddatur quoque nulla?*

Respondeo negativè, quemadmodum cassatâ institutione non annullatur præsentatio, potéstque præsentatus jus suum prosequi, ut Rota *decis.* 648. *p.* 4. *recent.* ita annullatâ confirmatione minimè perempta aut cassata censetur electio. Lott. *l.* 2. *q.* 18. *à n.* 23. Pass. *de elect. c.* 33. *n.* 168. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 328. Laym. *ad cap. si confirmationem. in* 6. juxta expressum illius *cap.* textum, ubi Papa ita rescribit: *si accidat confirmationem electionis cassari, seu cassam & irritam declarari, sive propter debitam juris solennitatem in confirmatione omissam* (ut si confirmatio fiat electionis, à qua appellatum non observatis iis, quæ præscribuntur *in cap. quamvis.* & *cap. provida. de elect. in* 6. vel confirmatio facta omissâ formâ traditâ in *cap. fin. de elect. in* 6. Pirh. *loc cit.*) *vel ob causam aliam, quia is, qui confirmavit, non habuit potestatem confirmandi* (nempe quia vel non erat Judex competens, vel quia legitimè ab eo appellatum; vel quia erat publicè excommunicatus; vel quia Papa ante confirmationem reservaverat sibi Prælaturam, ad quam electus; vel ob aliam similem causam, ideoque ipso jure non valuit confirmatio. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *in cit. c. si confirmationem v. potestatem*) *non idcirco etiam præcedens electio, si aliàs sit legitimè celebrata, infirmari debet, vel pro irrita haberi, &c.* Ratio est, quia utile per inutile non viciatur. *reg. juris* 37. *in* 6. dum unum ab altero separari potest, uti potest electio separari à confirmatione, cùm sint actus diversi, qui non fiunt eodem contextu & tempore; nec electio quoad sui valorem, tanquam quid prius, dependet à confirmatione tanquam posteriore; proinde destructo hoc consequente seu accessorio, non corruit etiam fundamentum, licèt corruente illo fundamento, corruat accessorium, quale fundamentum necessariò suppositum ad confirmationem est electio canonicè facta & valida. Laym. Pirh. Pass. *ll. cit.* Quòd si igitur electione legitimè factâ, subsequens illius confirmatio irritetur, alia confirmatio ejusdem electionis coram debito seu competente Judice peti debet. Secùs, si non tantùm confirmatio, sed & electio sit cassata. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *in cit cap. si confirmat.* Porrò, quod in *dicto cap.* statutum est de confirmatione electionis, habere quoque locum in aliis confirmationibus (puta sententiæ, ut eâ cassatâ ob defectum in ea commissum, acta tamen firma permaneant. Item de confirmatione privilegii, statuti, contractûs) cùm eadem in omnibus sit ratio, tradit Pirh. *loc. cit.* citans Fran. & Jo. And.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De provisione beneficiorum per liberam collationem.

CAPUT PRIMUM.

De primario Collatore, scilicet Papa.

PARAGRAPHUS I.

De potestate Papæ in collatione beneficiorum tam absoluta, quàm respectiva ad alios Collatores.

Quæstio 512. Quanta & qualis sit potestas Papæ in beneficiis?

1. RESpondeo: Papæ à Christo concessum esse in beneficiis jus plenum, seu summum, absolutámque potestatem & plenariam dispositionem. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 14. nu. 2.* Laym. *in c. qua ad Ecclesiarum. de constit.* Lott. *l. 2. q. 22. n. 9.* dicens, Catholicorum neminem id negare, juxta c. 2. *de præb.* Ita ut non solùm dicatur beneficiorum administrator absolutus, ut cum D. Th. 2. 2. *q. 100. a. 1. ad 7.* tam Theologi omnes quàm Canonistæ. Lott. *l. c. n. 10. & l. 1. q. 4. n. 57.* sed etiam Dominus. Lott. *cit. q. 22. nu. 11.* citans Menoch. *conf. 192. n. 7.* Bursat. *conf. 126. n. 11.* Surdum *conf. 25. n. 2.* in tantum, ut, ubi constat de ejus voluntate, frustra quæratur de potestate, stante ei in his pro ratione voluntate. Lott. *loc. cit. n. 13.* ex Ferret. *conf. 65. n. 5.* & Gl. *in c. si gratiosè. de rescript. in 6.* Quemadmodum enim, quamdiu beneficium persistit in suo esse, negari non potest Papæ absoluta ejus administratio, ita nec absolutum dominium respectu ipsius formæ seu tituli beneficialis (secus est de ipsa materia seu substantia beneficiali, quæ consistit in eo, quòd ob laborem & ministerium spirituale præbeatur stipendium & alimentum, quod juris est divini, & quod Papa impedire nequit, juxta dicta ad initium 1. *part.* de quo vide Lott. *l. 1. q. 4. num. 53. & seq.*) qui uti creatur per Papam, ita & per illum destrui & annihilari potest. Lott. *cit. q. 22. num. 15.* citans Menoch. *conf. 597. n. 5.*

2. Utitur proinde Papa jure suo, nec alterius juri contravenit, aut detrahit, dum fructus beneficiorum gravat pensione, etiam invito beneficiato. Lott. *loc. cit. n. 17.* ex Card. Paris. *l. 4. conf. 5. n. 85.* aut alteri Ecclesiæ applicat. Lott. *n. 18.* citans Ferret. *conf. 32. n. 31.* Dum beneficiato concedit facultatem disponendi de fructibus, etiam in præjudicium Successorum. Lott. *n. 19.* citans Menoch. *conf. 382. n. 4.* Ferret. *conf. 118. nu. 5.* Dum beneficia quæcunque in quantumcunque alienis diœcesibus (quanquam, ut Felin. *in c. grave. de off. Ordinar. n. 2.* totus terrarum Orbis stet Papæ pro Diœcesi) confert. Lott. *num. 21.* juxta *cap. nunc verò. 3. q. 3.* Quin & utendo hac liberâ & plenâ dispositione, beneficiatum, etiam sine causa, privare potest beneficio. Garc. *p. 5. c. 1. n. 2.* juxta *cap. quia in Ecclesiarum. de constit.* citans pro hoc quamplur. & *n. 6.* addens hinc omnia beneficia respectu Papæ esse manualia. Sed neque prærogativam hanc & potestatem ullum ei Concilium adimere, & minuere, aut restringere potest. Lott. *num. 23.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 2.* aut etiam Papa concedens Ordinariis aliisque facultatem conferendi beneficia, se privat, aut privare potest dictâ potestate à Christo acceptâ. Lott. *cit. q. 22. num. 28.* Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. Barbos. &c.

Quæstio 513. Quotuplici jure Papa providere possit ac soleat beneficia dissita per totum Orbem in quibusvis diœcesibus & Provinciis?

1. REspondeo: quadruplici, nimirum primò jure concursûs, quatenus tanquam Episcopus universalis, Ordinariúsque Ordinariorum, & totius Orbis, in quo veluti capite, & origine residet Ecclesiastica jurisdictio, & potestas ordinandi Ecclesias, concurrit cum ceteris omnibus collatoribus inferioribus in provisione beneficiorum quorumcunque. Lott. *l. 2. q. 22. num. 62.* Pirh. *ad tit. de præb. n. 78.* Garc. *cit. cap. 1. n. 8.* citans Paris. *de resig. l. 1. q. 10. n. 53.* Nav. *conf. 31. num. 6. de præb.* Rebuff. &c. Etiam in mensibus ordinariis Ordinariorum, hoc est, à jure illis concessis; non enim nisi cumulativè cum Papa pro his mensibus Ordinarii habent facultatem conferendi, dum Papa pro his mensibus non abdicavit à se totaliter potestatem conferendi, aut manus sibi ligavit. Garc. *loc. cit.* & *nu. 10.* citans Paris. *ubi ante.* Cechum *de rep. Eccles. cap. 2. n. 1. &c.* Quin & in mensibus 6. alternativæ concessæ Episcopo. Garc. *loc. cit. n. 12. & seq.* de quo tamen vide dicenda infra. Unde jam etiam quò ad hos menses est locus præventioni inter Papam & Ordinarium, & illius provisio prævalet, quæ priùs facta fuit, Garc. *ibid. n. 9.*

2. Secundò, jure devolutionis, dum ex causa aliqua à collatoribus inferioribus ad Papam fit devolutio juris conferendi.

3. Tertiò jure præventionis, dum nimirum præveniendo vacationem beneficii, mandat hac vacatione subsecutâ conferri, vel etiam ipse ex tunc confert certæ personæ. Lott. *loc. cit.* qui etiam *q. 25. n. 2.* ait, sic rectiùs vim vocis hujus referri ad ipsam vacationem, ita ut eæ dicantur gratiæ præventivæ, quæ ipsam vacationem præveniunt; quàm confundi ab aliis cum materia concursûs, dum refertur ad præoccupationem, quâ Papa, dum jure concursûs confert, præoccupat Episcopi alteriusve collatoris partes & gratiam.

4. Quartò, jure reservationis, dum confert certa beneficia, quæ ipse sibi privativè reservavit.

5. Quintò, simplici viâ juris, dum suggestâ sibi per aliquem vacatione de jure, & occupatione de facto, mandat beneficium, detruso, qui in illud intrusus erat, ipsi suggestori conferri. Lott. *loc. cit.* de quibus in seq. Unde

Quæstio 514. An prævaleat collatio Papæ, dum is jure concursûs confert, seu confert beneficium, quod Ordinarius conferre poterat, præveniendo Ordinarium conferentem idem beneficium? & an hoc jure sæpè utatur?

1. REspondeo ad primum affirmativè; quia est collatio facta ab habente æqualem, imò majorem jurisdictionem seu potestatem quàm Ordinarius. Castrop. *loc. cit. n. 3.* Card. de Luc. *de benef. d. 18. n. 11.* Lott. *l. 2. n. 23. in principio.* cum communi. Secùs est, seu irrita est collatio Papæ, dum

eam

eam prævenit Ordinarius, aliúsve collator inferior. Laym. *ad cap. si eo tempore de elect. n. 1.* citans seipsum *Theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 10. num. 2.* cum communi.

2. Respondeo ad secundum, non solere Papam uti istâ potestate conferendi mero jure concursûs, nisi de raro, & ex magna causa, ac proinde, cessante justâ causâ, non præsumi in dubio Papam sic voluisse conferre. Card. Luc. *de benef. d. 23. nu. 4. & d. 18. n. 12.*

Quæstio 515. Unde igitur dignoscendum Papam voluisse uti hâc suâ potestate, & contulisse mero jure concursûs?

1. Respondeo primò, ad id conferre, quæ generaliter dici solent de præsumenda principis voluntate præjudicandi tertio, ejúsque jus tollendi, quæ videri poterunt apud Card. de Luc. *tit. de regalibus. d.* 148.

2. Respondeo secundò: quòd, dum Papa isto conferendi modo, nempe jure ordinario & meri concursûs conferre intendit, utatur formulâ collationis diversâ ab ea, quæ adhibetur, quando confert tanquam reservatum vel affectum; ex dicta formula speciali adhibita vel deficiente rectè infertur ad istam, vel contrariam Papæ voluntatem. Card. Luc. *loc. cit. n. 6. & q. 18. nu. 2.* citans Burat. *decis. 25. p. 10. recent.*

3. Respondeo tertiò: quòd, ubi provisio Apostolica aliam causam, quàm jus meri concursûs habere potest, ad eam collatio referenda erit, & nequaquam præsumenda facta jure meri concursûs, v. g. si narrata fuisset Censura Capituli, ad quod aliàs spectabat collatio, ad istam potiùs causam, quàm ad præveniendi voluntatem referenda erit facta collatio; nimirum censenda, esse facta jure devoluto. Unde etiam, si simile narratum non subsisteret, corrueret dicta provisio, sive ex defectu voluntatis habenda foret irrita. Card. de Luc. *loc. cit. n. 7.*

Quæstio 516. An, ut præventio hæc papalis locum habeat, & valeat in mensibus ordinariis Ordinariorum, & in mensibus alternativæ concessæ Episcopo, opus sit, quòd Papa expressè deroget huic Ordinariorium juri, & privilegio?

1. Respondeo primò: valere illam, dum confert beneficia vacantia in 4. mensibus ordinariis, absque eo, quòd necesse sit expressè ab eo derogari huic Ordinariorum juri; tum quia hoc jus seu facultas providendi beneficiis in his 4. mensibus non privativè, sed cumulativè ad Papam concessa Ordinariis, ut dictum; siquidem, ut Pirh. *ad tit. de præb.* in iis, quæ dependent à voluntate Principis concedentis, non censetur is concedendo aliquam gratiam generalem, sibi auferre potestatem conferendi alteri gratiam specialem, per quam gratiæ generali derogetur; tum præcipuè, quia conferens beneficium, notitiam habet temporis vacationis, & non obstante hac notitiâ, confert. Castrop. *loc. cit. p. 14. n. 1.* ubi etiam ait, quòd, si Papa sine dicta notitia conferret, credendum esse, quòd illa conferat, quia existimat non Ordinariis, sed sibi competere jure reservationis; adeoque tunc nullam esse collationem Papæ, eò quòd Papa in caso dubio nunquam censeatur velle Ordinarios in collatione illis competente prævenire.

2. Respondent ad alterum pari modo Garc. *loc. cit. n. 19.* item Riccius *in collectan. p. 5. collectan. 1595.* & Barb. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 57. num. 16.* apud Castrop. nimirum valere præventionem & provisionem Papæ factam de beneficio vacante in mensibus alternativæ, etiamsi expresse non deroget isti gratiæ; eò quòd, sicut per concessionem 4. illorum mensium ordinariorum tollitur solùm reservatio illorum 4. mensium, relinquendo Ordinariis pro illis potestatem conferendi expeditam, iique dentur Ordinariis non nisi cumulativè ad Papam; ita etiam conceditur per concessionem alternativæ respectu 6. mensium; adeoque sicut in priori, ad hoc, ut valeat ejus provisio, non tenetur expresse derogare dicto juri, ita nec in posteriori dictæ gratiæ alternativæ. Sed neque obstat adjunctum in concessione alternativæ vel indulto decretum irritans, cui expresse derogandum; eò quòd illud non liget Papam, nisi addatur simul altera clausula: *per Nos, nostrósque successores contigerit attentari*; sed solùm se extendat ad provisionem cujuavis alterius à Papa: vel nisi apponatur decretum irritans in lege generali, qualis non est concessio alternativæ, quæ magis rationem legis specialis, vel potius gratiæ habet, citat pro hac doctrina quamplurimas Rotæ admodum claras decisiones Garc. *à nu. 19.* Nihilominus tenent contrarium Castrop. *loc. cit. num. 3.* & qui ab eo & Garc. citantur, Moneda *decis. 1. n. 4. de concess. præb.* Puteus *decis. 492. num. 2. l. 2. in fine.* Felin. *in cap. cum in officio. de præscrip. n. 6.* Gonz. *ad reg. 8. §. 4. proœm. à. num. 20.* Zerol. *in pr. p. 1. v. derogatio.* eò quòd licèt dicatur, per gratiam alternativæ tolli solùm obstacula, nempe reservationem, Ordinariósque, quibus ea concessa, manere expeditos ad providenda beneficia illis mensibus vacantia; non tamen hinc rectè inferatur, Papam sibi reliquisse potestatem ex jure ordinario conferendi, sed solùm jure extraordinario, & factâ derogatione, tum ob specialitatem gratiæ, non nisi sub onere residendi concessæ, & acceptatæ; tum ob decretum irritans, quod non invenitur in concessione facta à jure pro 4. mensibus; & quòd, nisi Papæ provisionem impediret, nullius ferè usui esset alternativæ concessio; cùm raro alteri concessa sit facultas providendi beneficia cumulativè cum Ordinariis. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 517. An Papa præveniente provisionem Cardinalium, quibus concessum indultum conferendi omnia beneficia suæ diœcesis, ita ut omnes aliæ provisiones, etiam per Sedem Apostolicam factæ, sint irritæ, valeat papalis provisio sine expressa derogatione dicti indulti?

Respondet pari modo affirmativè Garc. *à. n. 35.* ex iisdem fere rationibus, adductis quoque pluribus Rotæ decis. contrarium Castrop. *loc. cit.* citans Patif. *de resign. l. 6. q. 5. n. 69.* Mandos. *de signat. gratia. tit.* Coadjutoriæ. Puteum. &c. eò quòd, esto, in reservatione mensium non comprehendantur Cardinales collatores ordinarii, sed potius relinquantur juri ordinario, quòd nimirum possint in omnibus mensibus conferre beneficia: cùm tamen huic ordinariæ potestati superaddatur dictum indultum, ne alius se in eorum provisione intromittat, alteriúsve provisio, etiam facta per Papam, valeat, censeantur vi dicti indulti ligatæ manus ordinariæ Papæ, ne nil præter juris ordinarii concessionem operari videatur. Decisiones verò Rotæ solùm id affirment, quòd, non obstante dicto decreto irritante contento in isto indulto, Pontifex possit adhuc conferre beneficia ad Cardinalium provisionem spectantia; sed non jure ordinario, sed extraordinario, derogando nimirum gratiæ illis concessæ. Castrop. *loc. cit. n. 5.* ubi addit, quòd, esto Rota aliquando tenuerit, non esse necessariam derogationem expressam dicti indulti, re tamen bene perpensâ, necessitatem derogationis firmâsse, seu agnovisse, ut Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 12.*

Quæstio 518. Cujusnam provisio prævalere debeat concurrentibus provisione Apostolicâ (vel etiam facta, ut Pirb. ad tit. de præb. n. 78. *ab ejus Legato de latere) & Ordinarii, dum constat factas eadem die, non tamen constat, quis prævenerit, seu cujus provisio sit anterior?*

1. Res-

1. Respondeo, prævalere debere factam à Papa, vel etiam factam ab ejus Legato. Castrop. p. 13. n. 3. citans Barb. de potest. Episc. p. 3. alleg. 57. n. 14. Gonz. ad reg. 8. §. 3. proœm. n. 111. & alios. Card. de Luc. de benef. d. 22. n. 7. Pith. loc. cit. Lott. l. 2. q. 23. n. 7. qui etiam n. 8. subdit, ut intret prærogativa provisionis Apostolicæ in concursu, sufficere, quòd non liqueat, eam esse posteriorem in tempore, ut splendore ipsius collatio inferioris evanescat. Idem ortex Castrop. pro ratione dat prærogativam Papæ Card. de Luc. præsumptionem malam antidatæ in collationibus, seu actibus Ordinariorum. Argumento c. si à Sede de præb. in 6.

2. Limitanda tamen est dicta responsio primò, ut teneat solùm, dum neuter provisorum est in possessione; secùs autem sit, dum provisus ab Ordinario esset in possessione (intellige justâ, & non violentâ, cùm injustus vel violentus possessor gaudere non debeat commodo possessionis. Pith. loc. cit. n. 80.) hic enim tunc præferendus proviso à Papa, cùm melior sit conditio possidentis, & præsumere faciat, possidentem fuisse anterius provisum. Card. Luc. & Castrop. ll. cit. juxta textum clarum cit. c. si à sede. citat utrerque Gonz. & addit Castrop. id tenere, etiamsi provisus ab Ordinario non accepisset possessionem eo die, quo fuit provisus.

3. Limitanda secundò: nisi ex parte provisi ab Ordinario concurreret non solùm assignatio diei, sed etiam horæ, cujus assignationem non haberet provisus à Papa; ob illam enim determinationem præsomitur provisio Ordinarii anterior, quia est certior probatio, quàm illa, quæ expressione horæ caret. Pith. loc. cit. citans Gonz. ubi ante. n. 110. & Barb. nu. 15.

Quæstio 519. Qualiter de ceterò constet, & probetur, Ordinarium prævenisse Papam?

1. Respond. primò: unde præsentantur inde provisiones Apostolicæ, & inferiorum collatorum, nihil potiùs attenditur, quàm data circa tempus, ut qui in data est anterior, censeatur quoque in re potior. Lott. l. 2. q. 23. num. 6. ubi num. seq. plurima pulchra habet circa datas illas & signaturas literarum Apostolicarum, de quibus nos infrà, ubi de provisionibus & literis Apostolicis: quæ vide banc in rem.

2. Respondeo secundò: ad hoc probandum non sufficiunt litteræ Ordinarii, ejusdemque sigillu munitæ, esto, etiam adesset subscriptio Secretarii Episcopi, dum hic Notarius non esset; eò quòd Ordinarius cum suo scriba, seu Secretario facilè fingere possent ante datam. Castrop. cit. p. 13. n. 5. citans Gonz. ubi supra num. 147. Mascard. conclus. 991. n. 13. Garc. p. 8. c. 4. n. 11.

3. Respondeo tertiò: sufficere tamen, si adesset subscriptio Notarii, referentis, testes fuisse præsentes; eò quòd juxta receptissimam praxin instrumentum publicum à Notario confectum non expostulet ad sui fidem testium subscriptionem, ut Covar. pract. qq. c. 20. n. 4. Castrop. loc. cit. num. 6. contra Gonz. quem loc. cit. necessariam censet, instrumentum seu scripturam factam coram Notario & testibus se subscribentibus.

4. Respondeo quartò: sufficere, si testes in instrumento denominari sint domestici, aut familiares; eò quòd probatio non fiat vigore testium, sed instrumenti publici, cujus probationi non notabiliter derogatur per appositionem testium non majorum omni exceptione. Castrop. loc. cit. citans Garc. p. 8. c. 4. n. 55. contra Gonz.

5. Respondeo quintò: sufficere, subscripsisse testes in instrumento collationis, tametsi non sit factum coram Notario; vel etiam si testes examinati deponant de provisione Ordinarii ante data; eò quòd probatio testium sit legitima, & præsumptionem cessare faciat. Quæ omnia à fortiore procedunt, si possessio comprobetur, tametsi de collatione authentica non constet. Castrop. loc. cit. citans Garc. ubi ante n. 27. quod posterius etiam tradit Gonz. n. 161. ubi ait, non esse opus requisitâ aliàs à se solennitate, dum provisus ab Ordinario esset in possessione ante datam literarum Apostolicarum, esto, de ejus provisione authentica non constaret. Item si provisus ab Ordinario ante datam literarum Apostolicarum resignasset suum beneficium, & de hac resignatione, saltem per duos testes, constaret: eò quòd tunc cessaret præsumptio fraudis factæ ab Ordinario in collatione. Item dum collatio pertineret ad duos Prælatos, v. g. ad Episcopum & simul ad Capitulum; eò quòd præsumendum non sit, tot personas consensisse in fraudem. Item si esset antiqua præsumptio pro provisione Ordinarii, excludens præsumptionem fraudis. &c.

Quæstio 520. An, & qualiter Papa conferendo beneficia censeatur illorum naturam immutare?

Respondeo: tametsi tam beneficia perpetua ad tempus, quàm manualia in perpetuum conferre possit. Corrad. pr. benef. l. 1. c. 6. num. 288. & 289. soleatque non rarò beneficia manualia conferre in perpetuum, seu ad vitam oratoris (ubi tamen expressa mentio facta fuit ab oratore manualitatis; si enim tacita, subreptitia omnino redderetur gratia. Corrad. ibid. n. 290. Card. de Luc. de benef. d. 97. num. 21.) quin & dum quandoque beneficia manualia confert, non exprimendo in literis, se ad vitam oratoris conferre, censetur ea contulisse in perpetuum; actus enim eo tempore non conclusus perpetuus reputatur, ut fusè Corrad. loc. cit. à n. 299. Veruntamen Papa conferendo simpliciter beneficium manuale, nullâ habitâ mentione, an sit manuale, an perpetuum, non censetur voluisse naturam, aut statum beneficii alterare, efficereque perpetuum, quod erat manuale. Corrad. n. 292. Unde etiam, licèt pluries beneficium tale collatum per Papam in titulum efficiatur in hoc sensu perpetuum, quòd à collatario, quousque is vivit, sit inauferibile per inferiorem; succedente autem postmodum illius vacatione, redit ad pristinam suam manualitatem, eò quòd talis beneficii status nunquam immutatus fuisse censeatur, ex eo, quòd Papa præsumatur illud contulisse secundùm statum, quo ante illius collationem consistebat. Corrad. loc. cit. à n. 305. citans Felin. in c. constitutus. de rescript. n. 10. dicens, se pluries vidisse in Curia Romana observatum, etsi num. 308. dicat: hodiedum hujusmodi manualia beneficia cum maxima difficultate à Papa conferri in titulum perpetuum, vide plura hac de re part. 1. ubi actum de beneficio manuali.

Quæstio 521. Qualiter Papa de beneficio viventis provideat?

1. Respondeo primò: Papa beneficia tam vacantia, quàm non vacantia providere potest. Pith. ad tit. de præb. n. 74. juxta cap. 2. eod. tit. in 6. cum communi. Idque non tantùm dando exspectativam, seu mandatum de providendo, tunc, quando vacaverit; sed etiam pro arbitratu suo uni adimendo beneficium, alterique dando. Pith. ibidem. Azor. p. 2. l. 6. c. 25. q. 1. juxta dicta q. 2. hujus §.

2. Respondeo secundò: providendo autem de beneficio viventis ob crimen aliquod, declarat hoc ipso, illud crimen inducere inhabilitatem. Card. de Luc. de benef. d. 75. n. 15. d. 76. n. 9. 10. 18.

PARAGRAPHUS II.
De reservatione beneficiorum facta à Papa, ac primò quidem de reservatione in genere.

Quæstio 522. Quid sit reservatio?

1. Respondeo: solere eam definiri ex Ænea de Falconibus; quòd sit beneficii vacaturi ad se avo-

avocatio, vi cujus nimirum ligantur manus aliis omnibus collatoribus, subducitúrque beneficium Ordinariorum potestati; quâ aliàs, cessante hac avocatione, quilibet Episcopus in suo Episcopatu beneficia omnia conferre potest, ita ut attentata jam ab aliis provisio evadat nullius valoris. Castrop. *tr.* 13. *de benef. p.* 15. *n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 1. & alii passim. Verùm expressiùs & meliùs videtur definiri à Lott. *l.* 2. *q.* 26. *n.* 1. quòd sit interdictum Papæ, factum inferiori circa usum potestatis ordinandi beneficium gratiâ providendi bene meritis.

2. Dicitur primò: *interdictum* seu prohibitio, & in hac tota reservationis vis consistit, adeóque ad eam simplicem inhibitionem solam, sive facta sit eum, sive absque decreto irritante, satis consequitur, qui unicus illius effectus est, ut per consolidationem potestatis conferendi in Papa reservante ea tota elidatur in collatore inferiore, ita ut si is contra hujusmodi inhibitionem provideat de beneficio, provisio illius dicatur attentata, & sit nulla. Atque ita reservationes pluræ inductæ per regulas nullo decreto irritante communitæ, quæ nihilominùs dictum effectum habent. Lott. *à n.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 408. citans Simonet. *de reserv. q.* 18. Quemadmodùm autem decretum irritans reservationi adjectum, est quid diversum ab ea; ita vis ejus diversa; siquidem reservatio cum decreto irritante non tantùm inficit titulum, reddendo collationem factam ab inferiore nullam, sed etiam possessionem, depellendo omnem ab ea colorem. Siquidem ubi adest simplex reservatio, etiam cum prohibitione expressa, licèt provisio inferioris sit nulla, adhuc tamen allegari potest ignorantia, ratione cujus color aliquis est in titulo; at ubi adest decretum irritans, ignorantia prætendi non potest; cùm illud etiam ignorantes, & ante notificationem afficiat, & in hoc valentius sit ipsâ reservatione, aut inhibitione. Garc. *loc. cit. n.* 409. & 410. Lott. *à n.* 5. qui tamen *n.* 9. ex Gonz. *gl.* 67. *n.* 21. addit, valere id (nimirum quòd etiam ignorantes afficiat) de decreto solius Papæ, secus verò de alterius etiam Legati de latere. & *n.* 10. vim hujus decreti non solùm intrare, ubi adjectum est reservationi certi beneficii, vel generali clausulæ in corpore juris, ut Puteus *l.* 3. *decis.* 180. *n.* 4. sed etiam, si adjectum sit cuicunque reservationi generali, modò ipsa reservatio notoria sit, ut ipsius ignorantia prætendi nequeat.

3. Dicitur secundò *Papa*, eò quòd solus Papa possit facere hujusmodi reservationes, cùm solus habeat plenitudinem potestatis. Lott. *loc. cit. n.* 11. citans Simonet. *de reserv. q.* 2. *n.* 2. Quod autem attinet ad Legatum de latere, potest is beneficia, antequam vacent, suæ collationi reservare, etiam in favorem certæ personæ. Laym. *ad c. præsenti. de off. legati. n.* 1. citans plures. Si tamen in Ecclesia cathedrali vel collegiata beneficium vacaturum suæ collationi reservavit, non potest, eâ pendente, aliam reservationem facere: Item si ea beneficiis aliis ad collationem alicujus spectantibus aliquod reservavit, non potest, eâ reservatione adhuc pendente, aliud beneficium in ejusdem collatoris præjudicium sibi reservare. Laym. *ibid. n.* 2.

4. Dicitur tertiò: *circa usum potestatis*; nam Papa per reservationem non aufert potestatem ab Ordinario, sed simplicem ejus usum in iis elidit, uti id proprium est interdicto seu inhibitioni, facitque id citra cujusque injuriam, cùm jus conferendi in ipso originetur, & in alios diffundatur, utpote radicatum super jure principatûs in Ecclesia; adeóque dum Papa reservat, non aufert, sed simpliciter cessat diffundere potestatem conferendi in inferiores; quemadmodùm princeps non detraheret Magistratui per se creato, dum vellet munus judicandi ipse obire. Quapropter minùs aptè reservatio dicitur avocatio potestatis, nisi impropriè, & relato termino ad simplicem usum. Lott. *à n.* 13.

5. Dicitur quartò: *ordinandi beneficia*; quia interdictum hoc respicit omnem modum ordinationis, ita ut in Episcopo sit elisa potestas, non tantùm conferendi, sed etiam uniendi. Lott. *num.* 22.

6. Dicitur denique: *gratiâ providendi bene meritis*; quia hic est finis reservationum omnium & scopus Papæ, Lott. *n.* 23. remittens ad Simonet. *de reserv. q.* 3. & Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 2. 3.

Quæstio 523. In quo reservatio differat ab affectione, & beneficia reservata ab affectis?

1. RESpondeo: in eo differunt, quòd reservatio fiat verbis, seu respiciat actum verbalem & expressum; ut si Papa per constitutionem, aut solo verbo dicat: *Reservamus.* Affectio autem fiat factis, sive respiciat actum realem, & factum, ex quo tanta oritur reservatio; ut cùm Papa manum apponit super dispositione alicujus beneficii, in ordine nimirum, seu ad effectum illud conferendi, v. g. dum in commendam dedit, vel univit ad vitam collatarii; tunc enim per obitum commendatarii, vel collatarii illius tale beneficium manet affectum, ita ut tunc inferior collator nullis possit illud conferre, intellige pro ista vice; dum Papa beneficii renounciationem accepit; dum de beneficio proximè vacaturo mandavit provideri &c. dicitur affectio, & beneficium affectum, ita ut nullus aliorum collatorum se in ejus provisionem intromittere audeat. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 43. citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 52. *à principio.* Mandos. *ad reg.* 5. Canc. *in proœm. n.* 1. Buriat &c. Pith. *ad tit. de præb. n.* 317. Castrop. *p.* 15. *n.* 4. qui etiam aliam addit differentiam; quòd reservatio sit perpetua, quia in perpetuum adimit Ordinariis potestatem conferendi beneficia reservata; affectio autem tantùm pro tempore limitato, nimirum pro illa sola provisione subsequente; dum enim illa provisio, ad cujus finem Papa manum applicuit, effectum sortita est, cessat deinceps reservatio & affectio istius beneficii; citat pro hoc Gonz. *dictâ gl.* 2. *n.* 4. & Azor. Idem tenet Lott. *n.* 39. nimirum durare affectionem, usque dum consumatur provisio Papæ; illam autem intelligi consumptam, sive provisus possessionem acceperit, sive non, cùm possessio sit quid penitus separatum à provisione, per quam consumitur vacatio; intelligendo hoc de provisione pura; non autem de simplice mandato de providendo.

2. Porrò dictum fuit, ad hoc, ut sit & dicatur beneficium affectum, requiri necessariò, ut Papa manus applicuerit ex fine & intentione illud conferendi; non enim omnis appositio manûs afficit beneficium; sed tantùm ea, quæ fit ex intentione, seu ex qua resultat, seu dignoscitur mens alterius de tali beneficio providendi; secus enim est, si manum Papa apposuit, non ad effectum conferendi. Castrop. *l. c.* Lott. *l.* 2. *q.* 26. *n.* 30. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *à num.* 174. Sic affectum non est beneficium, quod, etsi manum applicuerit, nunquam conferre intendit, v. g. dum applicuit manum, disponendo seu admittendo, ut resignatio in favorem, seu cum provisione effectum haberet. Castrop. *loc. cit.* vel uniendi illud in perpetuum &c. non enim id facit animo providendi illud (uti fortè colligitur ex facta unione temporali, seu factâ ad vitam tantùm) sed potiùs supprimendi illud. Garc. *loc. cit. n.* 175. Lott. *loc. cit.* Item dum Papa processit sub conditione non existente; quia tunc nequidem decretum afficit, cùm conditio nihil ponat in esse. Lott. *num.* 36. ex Simonet. *de reserv. q.* 60. *num.* 6. Item dum mandavit provideri ex falsa relatione sibi facta, v. g. quòd beneficium sit ei reservatum, cùm tamen non esset reservatum; quòd esset liberum, cùm tamen esset jurispatronatûs laicalis; quòd esset perpetuum, cum tamen esset manuale &c. Castrop. *loc. cit.* & in summa quoties actus ille applicationis manûs impeditur sortiri effectum ex contraria mente ipsius Papæ, nimirum ubi ea deficit, deficiente causâ, ob quam movebatur Papa, aut non existit nisi suppositâ malâ & falsâ informatione; uti contingit in præcedentibus exemplis;

uì &. dum ea ex incapacitate personæ sortiri nequit effectum. Lott. *cit. n.* 36. & 37. & *n.* 42. citans Rot. *in unâ Oxomen. Archidiaconatûs. 19. Nov.* 1614. & Abb. *in c. inter dilectos. de excess. prælat. n.* 10. Felin. *in c. ult. de præsump. n.* 40. Quod verò expressè tradit Barb. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit.* (etsi is *n.* 321. contrarium proponat, & admittere videatur) & plures alii ferè communiter; dum Papa manum apposuit super dispositione beneficii, etiamsi provisio fuerit nulla, utpote facta inhabili, vel propter subreptionem aliumve defectum, aut mortem providendi aut provisi intervenientem; adhuc manere tale beneficium affectum, juxta *tex. Extrav. ad Romani. de præb. inter communes.* id inquam, procedere, ait Lott. *n.* 38. ubi cum appositione manûs concurrit præexistens reservatio generalis cum decreto irritante; tunc enim verissimum esse, impediri Ordinarium conferre, & de hoc procedere *citatam Extrav.* cujus hunc esse intellectum etiam agnoverit Rota, *decis.* 190. *p. 2. recent. n.* 8. Ea quibus omnibus videa, affectionem reipsà implicare, & esse reservationem specialem, & inter speciales numerandam. Lott. *cit. q. 26. n. 28. 29. 34.* ejusdem omnino efficaciæ, si non majoris. Gonz. *ad reg. 8. gl. 45. per totum.* apud Lott. *cit. n. 29.*

Quæstio 524. Quotuplex sit reservatio?

1. RESpondeo primò: reservationem esse generalem, aliam specialem; in quibus explicandis, & inter se distinguendis non conveniunt Auctores; dum aliqui apud Garc. *p. 5. c. 1. n. 47.* per generales intelligunt illas, quæ sunt à jure communi inductæ; per speciales, quæ sunt inductæ per regulas Cancellariæ, vel *Extravagantem Adregimen*, ultra juris communis dispositionem. Vel dum aliqui apud Lott. *cit. q. 26. n. 24.* per generales intelligunt perpetuas, per speciales vero temporales. Juxta veriorem reservatio generalis dicitur illa, quâ beneficia plura sub una aliqua ratione, seu plura ejusdem rationis & generis reservantur, etsi de cetero inducta sit reservatio per regulas Cancell. (nisi fortè dicatur in regula: *specialiter reservamus*) v. g quâ reservantur omnia beneficia regni, provinciæ alicujus (vel etiam spectantia ad Abbatiam aliquam, vel Prioratum, vel Ecclesiam Cathedralem, ut Castrop. *tr. 13. de benef. p.* 15. *n.* 2.) quâ reservantur beneficia vacantia in Curia, vel vacantia talibus mensibus; quâ reservantur beneficia, quæ fuerunt Collectorum Curiæ vel familiarium Papæ: quâ reservantur beneficia electiva, omnes Præposituræ, vel omnes Ecclesiæ Cathedrales, vel omnes dignitates, vel quæ certo modo vacabunt, v. g. per assecutionem secundi. Specialis dicitur illa, quâ reservantur certa beneficia (intellige, vel ratione loci, ut dum hujus vel istius particularis Ecclesiæ beneficia reservantur: vel ratione certæ qualitatis, v.g. dum certa dignitas reservatur) vel pro certis personis, ut dum mandat Papa beneficium proximè vacaturum conferri Titio. Garc. *loc. cit. num.* 58. & 5. citans Bellam. *cons.* 34. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 30. *n.* 12. Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 3.* Pirh. *de præb. n.* 318.

2. Harum reservationum quælibet, vel fit ratione & respectu loci, in quo; vel ratione personæ, à qua contingit vacatio; vel ratione temporis, in quo vacat; vel ratione qualitatis ipsius beneficii. Lott. *cit. q. 26. n. 43.* intelligens id de reservationibus generalibus, & citans pro hoc Gonz. *gl.* 13. *n.* 88. Æneam de Falcon. *de reserv. q. 2. n.* 2. &c. Illam, quæ est inducta ratione loci, subdividit Lott. *l. 2. q. 30. n.* 1. in puram seu simplicem, nimirum quæ inducta ex simplice vacatione in tali loco, v. g. in Curia Romana, verâ vel fictâ, hoc est, quæ verè contigit, vel fictione juris, censetur facta in Curia, etsi possessor beneficii mortuus procul à Curia, de qua paulò post. Et in non puram, hoc est, quæ implicitam habet causam ex suppositione culpæ, vel facti, ob quam quia quis privatur beneficio, censetur illud vacare in Curia: talis est, dum reservatur beneficium priùs habitum, quo quis privatus ob assecutionem secundi Incompatibilis, de quo in *Extrav. ad regimen.* Item quâ reservatur utrumque beneficium, & habitum priùs, & obtentum aliud incompatibile, dum quis utrumque simul retinere intendit, de quo in *Extrav. Execrabilis.* Unde ait Lott. utramque hanc speciem comprehendi in *prima Reg. Cancell.* Porrò specialibus reservationibus annumerandæ, ut dictum, quæ consurgunt ex applicatione manûs Papæ.

3. Respondeo secundò: alia est reservatio clausa in corpore juris, alia extra corpus juris, prior juxta verisimiliorem dicitur illa, quæ in aliquo ex 6. Libris decretalium vel Clementinarum continetur; quia hæc omnia jus commune constituunt, seu Corpus juris. Reservatio extra corpus dicitur, quæ in aliis constitutionibus Extravagantibus, decretis, & regulis Cancellariæ continentur. Garc. *loc. cit. n.* 130. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *ubi ante.*

4. Tertiò reservatio alia est temporaria, dum nimirum Papa reservat sibi collationem beneficii ad beneplacitum; alia perpetua, dum eam reservat Sedi Apostolicæ, suisque in pontificatu successoribus. Lott. *l. 2. q. 26. n.* 22. Gl. *in c. ult. de consuetud. in 6. v. vacantibus.* Gonz. *gl.* 12. *n.* 6. juxta *c. gratiose. de rescrip. in 6.*

5. Quartò alterius divisionis meminit Card. de Luc. *de beneficiis d. 7. n.* 5. dum ait, aliam reservationem fixam & continuam, ut est primarum dignitatum & beneficiorum Collectorum, Officialium &c. Aliam esse discontinuam, incertam & eventualem, qualis est illa ratione mensis, vel ratione loci, in quo contingit vacatio.

Quæstio 525. Quæ sint causæ reservationum?

1. RESpondeo primò: in genere tametsi reservationes pendeant ex voluntate & arbitrio pontificis, eo tamen non utitur absque materia, & decente causâ singulis casibus congruente. Lott. *l. 2. q. 26. num.* 43.

2. Respondeo secundò: causam finalem reservationum esse bonum commune Reipublicæ Ecclesiasticæ, de quo elegantissimè discurrentem & defendentem reservationes Apostolicas contra obtrectatores earum ex verbis ipsiusmet Pii V. vide Lott. *l. 2. q.* 36. potissimùm ferè *à n.* 12.

3. Prima itaque causa est, quòd, cùm ad Papam spectet remunerare bene meritos de Ecclesia, præsertim qui sibi aut suis antecessoribus servierunt: & erga egentes clericos, qui undequáque ad Sedem Apostolicam confluunt, se liberalem exhibere, iisque subvenire: item Magnatum, qui, vel quorum majores Ecclesiam defenderunt aut ditârunt, preces pro aliis interpositas in ordine ad beneficia iis impetranda, admittere; hinc, inquam, æquum fuit, amplissimam esse Papæ potestatem, beneficia vacantia quasi bona communia aliis conferendi; adeóque & quamplura eorum suæ collationi reservandi, in ordine ad impediendam præventionem Ordinariorum.

4. Altera causa est, ut Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum toto Orbe existentium major sit communicatio cum Ecclesia Romana omnium matre, dum non solùm in spiritualibus, sed & in temporalibus beneficiorum proventibus ab ea dependent; quò enim in pluribus ab ea dependent, & ad eam confugere debent, eò magis reverentur & amant, & in iis, quæ ad fidem, mores & sacra ministeria spectant, se ei submittunt. Pirh. *loc. cit. n.* 329. citans Less. *de just. l. 2. c. 34. n.* 48. & Chok. *in reg. 8. num.* 9.

Quæstio 526. Quandonam reservationes induci cœperint?

RESpondeo: olim Pontifices nulla sibi reservâsse beneficia, saltem ex juris communis dispositione; nam in toto decreto Gratiani nullæ beneficiorum reservationes reperiuntur, & hinc post Gratiani sæculum cœpisse videntur, ut notat Azor. *p. 2. l. 6. c. 36. q.* 2. ex Æn. de Falcon. Pirh. *de præb. n.* 317. quamvis ex antiqua consuetudine multa sibi reservaverint,

quas

quas reservationes ferè omnes Concilium Basileense abolere tentavit; cujus tamen Concilii decreta, paucis exceptis, ab Ecclesia fuêre rejecta, Azor. & Pirh. *d. cit.* Demum à Joanne XXII. *in Extrav. ex debito. de Elect.* & à Benedicto 12. *in Extrav. ad regimen. de preb.* reservata fuerunt Sedi Apostolicæ beneficia omnia electiva, & ea omnia, quæ per obitum Cardinalium, & quorumcumque Officialium Romanæ Curiæ vacarent. Verùm cùm dictæ Extrav. fuissent temporales, & cum suo conditore exspirâssent, ut de *Extrav. Ex debito.* tradunt Mandos. *ad reg. 1. Cancell. q. 1. n. 1.* Lott. *l. 2. q. 27. n. 90.* Moner. *de optione c. 3. n. 40.* Garc. *p. 5. c. 1. n. 84.* & de Extrav. *ad regimen.* Lott. *ibid. n. 97.* Garc. *n. 86.* postmodùm ab Innoc. 8. aliisque subsequentibus pontificibus eædem reservationes auctæ, innovatæ, & declaratæ fuerunt, ut in regulis Cancellariæ continetur. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 13. n. 37.* Sæculo 13. cœpisse Sedem Apostolicam aliqua beneficia in aliena diœcesi existentia sibi reservare; priùs ratione loci, in quo vacarent, putà in Curia Romana. Dein ratione personarum, putà familiarium Papæ &c. Tum etiam ratione qualitatis; quia primæ dignitates, ac demum ratione temporis aliquos menses sibi servando ait Card. de Luca. *in sum. benef. n. 24.* Verùm de origine & progressu reservationum latissimè Bursat. *cons. 126. à num. 92.*

Quæstio 527. Quis sit effectus & vis reservationis?

1. RÉspondeo juxta dicta superiùs: effectum reservationis sive generalis sive specialis, cui appositum est decretum irritans est, quòd collatio, vel reservatio beneficii facta per Papam liget manus inferioris collatoris, ita ut beneficium reservatum validè conferri nequeat ab eo, etiamsi is ignoret reservationem illius. Pirh. *de preb. num. 320. 322.* Barb. *loc. cit. num. 41.* Lott. *cit. q. 26. à num. 3.* Ac ita quidem, ut ejus collatio nequidem det titulum coloratum, cùm etiam ipsam possessionem vitiet, ita ut nec civiliter, nec naturaliter dici possit possidere. Lott. *l. 2. q. 14. num. 99.* ignorantia enim reservationis, sive versetur circa jus, sive circa factum, ex quo oritur jus; etsi excusare possit inferiorem collatorem à pœna, nihil tamen operatur circa actum illius, seu nullam conciliare potest collationi ab eo factæ efficaciam, adeóque nec hinc ulli alteri præjudicium inferre potest. Lott. *l. 2. q. 51. à num. 61.* Nihilominùs, quòd obtinens tale beneficium reservatum, & percipiens fructus ex eo, non sit inhabilis, ait Chok. *ad reg. 1. n. 21.*

2. Item effectus reservationis est, quòd, qui tale beneficium ab Ordinario collatum obtinet, si illo spolietur, non possit agere spolio. Barb. *loc. cit.* citans Simonet. *de reserv. q. 40.* Chok. *loc. cit. n. 18.* prætetea tanta est vis reservationis, ut si cui, sive à jure, sive ab homine, scilicet Papa, concessa fuisset potestas generalis conferendi omnia beneficia, sub ea concessione comprehensa non censeantur beneficia, sive generaliter, sive specialiter reservata Sedi Apostolicæ. Pirh. *n. 322.* Barb. *n. 42.* & qui ab eis citantur, Simonet. *q. 41.* Chok. *ubi ante n. 17.* qui etiam posterior ex Simonet. ait, idem esse in exspectativis, ita ut reservatio impediat exspectantes, quò minùs beneficia reservata per eos possint acceptari, nisi etiam ad reservata concessa fuisset exspectativa.

3. Denique ea est reservationis vis, & prærogativa, ut si provisus auctoritate Apostolicâ contra provisum ab Ordinario litem moveat super beneficio reservato, Judex statim debeat constito sibi summariè de reservatione, sequestrum in fructibus apponere, uti id cautum in constitutione Pii IV. *de data anno 1560.* Chok. *ad reg. 2. num. 14.* His tamen non obstantibus posse fieri resignationem beneficii reservati in manibus Ordinarii, licèt illud Ordinarius non possit conferre, sed ad Papam recurrendum sit pro ejus collatione, tradit Chok. *ad reg. 1. n. 16.* citans Simonet. *q. 46.* additque ex Granucio. *in addit. ad Simonet. num. 3.* idem esse de permutatione.

Quæstio 528. An reservatio dicenda sit favorabilis, an odiosa?

1. RÉspondeo: in hoc non convenire Auctores: nam primò docet Gonz. *ad reg. mens. §. 6. proœm. n. 6.* apud Castrop. *p. 15. num. 5.* reservationes pro singularibus personis, vel de singulari beneficio facta per modum legis generalis, qualis est, quæ continetur in corpore juris, & regulis Cancell. utpote reducens provisionem beneficiorum ad suum primævum statum seu naturam (quæ est, ut Papa sola illam haberet, & ex ejus concessione alii inferiores) quæque inducta est ad vitandas fraudes (quæ faciliùs contingunt in provisionibus Ordinariorum, de quo vide Lott. *l. 2. q. 36. n. 16.* & quem refert Rebuf. *in pr. tit. requisita ad bonam collationem. num. 63.*) & in favorem clericorum pauperum, & personarum bene meritarum, quibus Papa beneficia reservata conferre intendit, (etsi præter mentem Papæ quandoque, rariùs tamen, contingat ea obvenire indignis, non tantùm beneficiari, sed & vivere, ut Lott. *loc. cit. num. 17.* & ipse Papa Pius II. *in opusc. de moribus German*) hinc inquam, favorabilem esse.

2. Secundò omnem reservationem tam clausam in corpore juris, quàm extra, odiosam esse, & restringendam, docent Gl. *in c. præsenti. V. finitur. de off. leg. in 6.* Navar. & alii, quos citant & sequuntur Castrop. *loc. cit.* Garc. *p. 5. c. 1. n. 67.* citans insuper Bellam. *de permutat. benef. p. 3. q. 1. & cons. 34.* (qui expressè id quoque ait de reservationibus motu proprio factis.) Cassad. *de reserv. decis. 3. num. 6.* & plures alios. Ratio illorum est, quòd reservatio omnis detrahat ordinariæ potestati, & juribus Ordinariorum; quod ita urget Castrop. concessio facta Episcopis de conferendis beneficiis suæ diœcesis est favorabilis, utpote potestas data, non cuilibet personæ in particulari, sed omnibus ratione officii & muneris, quod exercent, adeóque derogatio hujus potestatis, veluti debitæ & naturalis, censeri debet odiosa. Nec obstat, quòd reservationes generales sint per modum legis, cùm lex etiam odiosa esse possit, dum nimirum diminuit jus quæsitum alterius. Neque urgeat, reservationem latam ad vitandas fraudes, personásque pauperes & bene meritas providendas; cùm rigor vel favor legis non desumatur ex fine legislatoris, cùm is debeat semper esse utilitas reipub. sed ex fine intrinseco ipsius legis, quæ, si respectu obligatorum per illam contineat odium & rigorem, semper absolutè odiosa est, & non favorabilis. Idem ex mente aliorum tradit Lott. imprimis *l. 3. q. 12. n. 48. & seq.* ubi ait: Ordinarii nimis seriò reputant reservationes, etiam generales, sibi esse præjudiciales, ideóque facilè ipsos provisos Apostolicos habent usque adeo exosos, ut plerumque contra eos diversas consueverint technas ordiri, dum alios intrudunt, intrusósque fovent, prout hunc perversum morem notârunt Vitalm. Rebuff. &c. & *l. 2. q. 32. n. 101.* ubi: reservationes sunt odiosæ, obique exclamant Doctores, & propterea in eis fit stricta interpretatio.

3. Tertiò nihilominùs ipse ex suo *l. 2. q. 26. n. 19.* ait: minimè sequendum eorum judicium, qui arbitrati sunt, reservationes esse odiosas, quasi detrahentes Ordinariorum potestati: id enim si de reservationibus generalibus intelligatur, & non referatur ad exspectativas implicitas propter votum captandæ mortis, esse prorsus erroneum; eò quòd per reservationes non aufecatur potestas Ordinariis, sed simplex ejus usus, ut Lott. *ibid. num. 13.* fiátque idipsum citra cujusquam injuriam, cùm jus conferendi in Papa originetur, & in alios ab ipso diffundatur. Lott. *num. 14.* adeóque dum reservat, seu sibi soli habet & servat potestatem conferendi, eo modo, quo fuit ab initio, non tam aufferat, seu detrahat, quàm cesset potestatem in alios diffundere, quemadmodùm, ut dictum supra ex eodem Lott. *num. 15.* nil magi-

ftratui à fe electo detrahit princeps, dum vellet ipse munus judicandi obire. Et dato ftatim à principio fuiffe hanc poteftatem per Papam diffufam in omnes Epifcopos, & ubicunque agitur de revocatione factæ conceffionis, materiam non poffe feparari à quadam odibilitate; advertendum tamen, diffufionem illam non fuiffe factam in gratiam ipforum Epifcoporum, (prout eft de ratione beneficii principis refpicere bonum & favorem perfonæ, cui confertur) fed in gratiam ipfius Papæ diffundentis, ac propterea non excedere formam fimplicis mandati, quod in articulo revocationis perpetuò eft expofitum nutui mandantis. Eadem aftruit *l. 2. 36. à. n. 7.* ubi, etfi agat *de reg. 9. Cancell.* rationem tamen dat univerfalem, dum ait: regulam effe favorabilem, & non odiofam, cùm Papa rationem & caufam illius refert ad favorem pauperum & bene meritorum; eò quòd ad judicandum, num aliqua difpofitio fit odiofa, an favorabilis, attendi non debeat id, quod confequitur, fed id, quod principaliter intenditur, ut declarat Baisol. *in l. qui exceptionem. de condict. indeb.* Neque etiam dici poffe, refervationes partim continere odium, nempe refpectu Ordinariorum; partim favorem, refpectu nimirum clericorum pauperum, & bene meritorum, ut fentire videtur Gonz. *cit. §. 6. n. 45.* dum dari nequit in jure concurfus odii & favoris in eadem conftitutione, eò quòd ratio legis perpetuò una eft, nempe utilitas & bonum commune, in quo aliud inveniri nequit, quàm favor fimpliciter, ut rectè & fusè Soto *de juftitia l. 1. q. 1. a 2.* licèt enim ex parte materiæ proximæ confiderari poffit favor aut odium, ita ut ceffante eo favore vel odio perfonæ, ceffare etiam colligatur ipfa lex; quatenus tamen lex ipfa tendit in ultimum & nobiliorem finem fuum, aliud in ea confiderari nequit, quàm purus & fimplex favor propter commune reipub. bonum, in quod ille etiam, five favor five odium proximæ materiæ redundat, ut optimè Suar. *de legibus l. 1. c. 8. à n.* 10. ita Lott. *cit. q. 16. à num. 9.*

PARAGRAPHUS III.
De refervatione claufa in corpore juris.

Quæftio 529. Num dentur plures refervationes claufæ in corpore juris, quàm una, & quænam illa?

RЕfpondeo: verifimilius eft, refervationem clanfam in corpore juris effe tantùm unicam; nimirum quæ habetur in *cap. licet. & cap. præfente. de præb. in 6.* & eft de beneficiis vacantibus in Curia, feu apud Sedem. Caftrop. *loc. cit. n. 4.* citans Gloffatorem *in reg. cancell. 35. verf. item quæruur.* & *reg. 62. ad finem.* Azor. &c. contra Æn. de Falcon. & Millem. nam quæ ab illis afferuntur ex Extravagantibus, reputantur extra corpus juris; præterquam quòd refervatio contenta *in Extrav. Ex debito.* & *ad regimen.* temporaria fint, feu ad vitam Pontificis ftatuentis: contenta *in Extrav. execrabilis.* non eft nuda refervatio, fed privatio beneficii, & illius refervatio ob delictum. Quod dicitur ab iis de beneficiis devolutis ob negligentiam collatorum, hæc non tam jure refervationis, quàm devolutionis conferuntur. Quod de beneficiis litigatorum *ex cap. 1. & 7. ut lite pendente*; hæc refervata non funt, cùm lite finitâ, Ordinarii ea providere poffint, & lite durante fufpendatur eorum provifio. Quod de beneficiis exemptis & Papæ fubjectis *ex c. mutationes. 7. q. 1. c. licet. & c. inter. de translatione Epifcopi. &c.* hæc providentur, non jure refervationis, fed jure ordinario Papæ, uti & ab eo providentur beneficia conftituta in Urbe Romana, quæ quia ab aliis à Pontifice provideri nequeunt, non eft opus refervatione, utpote quæ folùm eft ad excludendam aliorum provifionem; ita Caftrop. *loc. cit.* per hoc autem, quòd dicat, conftitutio *c. licet.* & refervatio per eam inducta præ ceteris refervationibus referatur *in Extrav. ad regimen*, quæ *Extrav.* confuevit femper innovari per regulas Cancell. per hoc inquam, non fit, quòd minùs ea refervatio maneat claufa in corpore juris, retineatque fuum robur, cùm remedium extra ordinem fuperinductum remedio juris communis illud non falvat, fed magis corroboret. Lott. *l. 2. q. 27. num. 43.*

Quæftio 530. Ratione hujus refervationis, quid veniat nomine Curiæ Romanæ & Sedis Apoftolicæ, & quænam beneficia dicantur vacare apud Sedem Apoftolicam, vel in Curia Romana?

1. RЕfpondeo de utroque revideri poffe, quæ, ubi de collatione Ecclefiarum parochialium agebatur, dicta funt aliàs ex Lott. *l. 2. q. 27.* Quibus addendum breviter, quòd Sedes Apoftolica feu Curia Romana (hæc enim quantùm fpectat ad præfentem materiam refervationum, idem funt, & pro eodem fumuntur, ut dictum ibi & Caftrop. *loc. cit. p. 16. n. 2.* citans Gonz. *gl. 5. §. 1. n. 1.*) cenfeatur effe, ubi Pontifex fedet, & affiftit gubernaturus Ecclefiam, ut Caftrop. vel meliùs, ubi Papa cum Cancellaria fua, aliisque tribunalibus, Officialibus & Confiliariis fuis, quos ad regimen Ecclefiæ adhibet, fubfiftit, ita ut Curia Apoftolica tunc propriè, & juxta communem modum loquendi cenfeatur transferri, non quando Papa aliò recreationis, vel negotii alicujus causâ ad modicum recedit, fed ubi cum Papa transferuntur Cancellaria, tribunalia, ejùsque Confiliarii Cardinales, ibique cenfeatur remanere Curia, ubi illa manent, etfi Papa moretur ad tempus alibi: quemadmodùm Curia regia ibi eft, ubi Rex eft, non tantùm cum fuis aulicis, fed cum fuis Confiliariis, qui ejus lateri affiftunt, ut confulant ei in regni totius negotiis; eàque transferri tunc dicitur tantum, ubi Confilia & tribunalia regia transferuntur, etfi Rex aliò vadat, Garc. *p. 5. c. 1. à n. 389.* Pith. *advt. de præb. n. 334.* & alii ex Covar. *qq. pract. c. 4. n. 10.* quemadmodum etiam Abb. & Tuaq. apud Garc. *loc. cit.* Romam dicunt, ubi eft Papa, fubintelligendo nimirum, ut Garc. unà cum Curia fua modo jam explicato.

2. Proinde jam quò ad effectum refervationis beneficiorum, de quibus textus *in c. licet. & c. præfenti. de præbend. in 6.* ea folùm intelliguntur vacare apud Sedem Apoftolicam, feu in Curia Romana, quæ vacant ibi, ubi Pontifex explicato modo exiftit, vel etiam ubi exiftunt Cancellaria, tribunalia & ordinarii Papæ Confiliarii, Papâ aliò digreffo, vel in locis loco, obi eft Curia, vicinis inter duas dictas legales, quarum quælibet 20. leucas, feu milliaria Italica, hoc eft, mille paffus complectitur, quamvis, ut dictum aliàs ex Lott. plures perperam velint ea dicenda vacare apud Sedem Apoftolicam, quæ vacant in locis dictis per obitum poffefforis; illa vacare in Curia, quæ vacant ibidem, etiam modo alio, putà, per privationem, refignationem, &c. Hinc

Quæftio 531. An omnis refervatio confurgens ex vacatione apud Sedem Apoftolicam, vel in Curia Romana, claufa fit in corpore juris, hoc eft, comprehenfa in dicto c. licet. & c. præfenti?

RЕfpondeo negativè; de fola enim vacatione in Curia, vel apud Sedem, quæ fit per obitum, loquuntur dicti textus; quorum proinde difpofitio propter ejus fingularitatem ad alios cafus, nimirum ad beneficia alio modo vacantia in Curia non eft extendenda. Lott. *cit. q. 27. à num. 28.* per quod tamen non negatur, beneficia vacantia apud Sedem alio modo, quàm qui contingit per obitum, refervata effe; fic enim beneficium vacans per refignationem factam in manibus Papæ, verè vacat in Curia, ut Jo. And. Anchar. &c. apud Lott. *num. 33.* & eft refervatum;

non tamen est reservatum per reservationem clausam in corpore juris, sed per appositionem manûs Papæ. Idem est, dum vacat per privationem factam in Curia; ibi enim vacat, ubi quis privatur beneficio, juxta regulam datam à Rota *decis.* 35. *de præb. in antiq.* Lott. *n.* 30. nam & illud reservatum est vi *Extrav. ad regimen de præb. inter communes*; non autem reservatione clausâ in corpore juris, cùm nulla alia reservatio clausa sit in corpore juris, quàm quæ inducta est per dictum *c. licet. 2. de præb. in 6.* in illo autem non continetur reservatio vacantium aliter, quàm per obitum.

Quæstio 532. An igitur, dum Papâ non translatâ Curiâ aliò abeunte recreationis, vel negotiationis alicujus causâ, beneficiatus aliquis moritur ibidem apud Pontificem, aut in vicinia ad duas dietas, beneficium illius sit reservatum, tanquam vacans apud Sedem Apostolicam, seu curiam Romanam?

R“Espondeo: tametsi spectando tantùm dictos textus *c. licet.* & *c. præsenti.* non sit reservatum quà tale; siquidem vi dictorum textuum dici non possit vacare apud Sedem aut in Curia, dum vacat in loco, ubi Papa solùm existit transeunter absque Cancellaria sua &c. veruntamen positâ & receptâ Constitutione Pauli III. 36. & Clem. VIII. 54. negari non debet, beneficium, etiam tali loco vacans, ubi Papa existit transeunter, reputari vacans apud Sedem, & eodem modo, ac si Romæ vacaret, existente ibidem Papâ, reservatum esse; expresè namque in ordine ad reservationem dictorum beneficiorum declaravit Paul. III. in illa sua Constitut. 36. dum Papa digreditur aliò, unam eandémque Curiam Romanam existere & censeri in Urbe, & ubi Papa est, sive locum, ubi tunc degit Papa, unà cum loco, in quo remansere Cancellaria, Audientia causarum & literarum Apostolicarum, tribunalia, Officiales & Consiliarii, unam eandémque constituere Curiam, & uti obique esse Curiam, adeòque beneficia in loco, ad quem se contulisset Papa, & intra duas leucas à dicto loco vacantia, non minùs vacare in Curia, quàm quæ tempore illius absentiæ Papæ vacarunt Romæ. Garc. *p. 5. c. 1. num. 396. & 394.* Pirh. *de præb. num.* 334. Castrop. *cit. p. 16. n. 4.* citans Barb. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 5. num.* 128.

Quæstio 533. Qualiter dictum c. licet. *temperatum sit per* c. statutum. de præb. in 6. *& num hodiedum derogatum sit iterum dicto* c. statutum.

1. RESpondeo ad primum: per *cap. statutum.* in hoc limitatum esse *c. licet.* quòd vi illius beneficia vacantia per obitum in Curia conferri possint ab Ordinariis, dum ea Papa non contulit intra mensem; ubi illud notandum primò: mensem hunc acceptum pro 30. diebus, ut Pirh. *de præb. n.* 328. numerandum à die vacationis, & non à die scientiæ & notitiæ vacationis, ita ut, etiamsi Papa nescivetit vacare beneficium, adhuc sit locus citatæ Constitutioni. Pirh. *ibid.* Garc. *num. 96.* Chok. *ad reg. 1. num.* 23. citans Gl. *in cap. statutum.* contra Lott. *l. 2. q. 27. n. 64.* eò quòd tempus illud præfixum sit, non in odium, sive ob negligentiam Papæ omittentis conferre, (in quo casu non curreret tempus, nisi à die notitiæ, uti patet in aliis collatoribus) sed in favorem Ecclesiarum, ne beneficia cum detrimento illarum vacarent diutius; vel etiam, quia per hanc moderationem reditur ad jus commune, secundùm quod collatio beneficii spectat ad Ordinarium, ideò tanquam dispositio favorabilis sit extendenda, ut currat etiam contra ignorantem. Pirh. *loc. cit.* citans Gl. *in c. statutum. v. numerandum.* quæ eadem glossa addat, quòd dies vacationis, à quo numerari incipit ille mensis, non computetur in mense.

2. Notandum secundò, quòd dicta limitatio inducta per *cap statutum.* extendenda non sit ad beneficia ex alio capite reservata, utpote in quibus nullum præfixum est tempus Papæ ad conferendum. Garc. *loc. cit. num.* 97. citans Franc. *in cap. statutum. num. 6.* Æn. de Falcon. *de reserv. q. 4. effectu. 2. & 20.* Gonz. *ad reg. 8. §. 5. proœm. à num.* 143.

3. Notandum tertiò, per dictum limitationem non excludi omnino Papam, ita ut ampliùs conferre nequeat post mensem elapsum beneficia vacantia in Curia; sed solùm id operari, ut post mensem manus ordinarii collatoris ampliùs ligatæ non sint ad conferendum tale beneficium, adeòque possit & Papa conferre, modo præventus non sit ab Ordinario. Pirh. *de præb. n.* 329. citans Barb. *in collect. ad cit. c. statut. num.* 17.

4. Notandum quartò, ne Episcopi aliique collatores ordinarii per procuratores, quos fortè habent in Curia Romana cum mandato, ut statim post mensem elapsum beneficia vacantia in Curia conferant, ac sic Papam præveniant, sicut olim facere solebant; hinc *in cit. c. statut.* decernitur expresè, ut collatores ordinarii beneficia vacantia in Curia post mensem elapsum non nisi per se ipsos conferre possint, vel si ipsi remotè absint, per Vicarios suos generales intra eorum diœcesin existentes, & speciale ad id mandatum habentes. Pirh. *num.* 331. citans; Gl. *hic*, quæ etiam addit, quòd Episcopi, si præsentes sint, per alios talia beneficia conferre non possint.

5. Respondeo ad secundum: c. *statutum.* quod est Greg. X. revocatum denuo per *Extrav. piæ sollicitudinis. de præb. inter communes*, quæ est Bonifac. VIII. adeoque posterior, negare videntur Mandos. *ad Lap. alleg. 57. num. 24.* apud Castrop. *num. 5.* negant absolutè Zerol. *in pr. 2. v. reservatio. §. 7.* Lott. *l. 2. q. 27. num.* 55. dicens, id tanquam erroneum rejiciendum esse. Rationem hanc affert Pirh. quòd auctor dictæ Constitutionis *piæ sollicitudinis.* Bonifac. VIII. dictam Antecessoris Constitutionem *in c. statutum* nunquam inseri voluisset sexto decretalium à se compilato, si illam per *Extrav. piæ.* ante sextum decretalium à se editum revocare voluisset, cùm jura abrogata non soleant inseri in corpus juris, ut ipse Bonif. *in proœm. 6. decretalium.* Rationem aliam dat Castrop. nempe quòd correctio juris vitanda sit, quoad fieri potest absque eo, quòd textibus inferatur violentia, dicendo nimirum, *Extrav. piæ.* quâ reservantur beneficia omnia, sive cum, sive absque cura vacantia intra mensem, à data præsentium sic intelligendam: modò Papa provideat ea intra mensem: ita ut si ea non providerit intra mensem, sublata censeatur reservatio. Aliam dat Lott. nimirum, quòd textus *cit. Extrav.* nihil contineat contrarium *capiti Statutum*; dum nihil aliud habet, quàm quòd Bonifac. quia satagebat, ut vacantia apud Sedem idoneis conferrentur, reservat, non tantùm beneficia, quæ in futurum vacarent, verùm etiam, quæ ita intra mensem, computandum ex data illarum literarum, seu hujus suæ Constitutionis, vacarent seu vacâssent: per quod non imposuit legem futuris imposterum vacationibus ultra mensem duraturis, (quò minùs nimirum ea beneficia, dum vacassent ultra mensem, absque pontificia de iis dispositione provideri possint ab Ordinariis) sed præteritis intra mensem à dicta harum suarum literarum datâ jam elapsum, seu retro reputandum hactenus vacantibus. Ex quibus infert Lott. *num. 61. & seq.* citans pro hoc Gl. *in c. ult. de consuetud. in 6. v. ordinatur.* Card. Rebuff. &c. posse adhuc hodiedum Ordinariom providere de beneficiis vacantibus in Curia, si Papa intra mensem de iis non providerit. Verùm quidquid sit de hoc, num *Extrav. piæ.* compati possit cum concessione facta *in cap. statutum.* quod verum censet Castrop. *cit. num.* 5. nisi aliud consuetudo & stylus Curiæ declarâs-

clarâsset, quo sic hodie firmatum esse ait, ut beneficia vacantia in Curia non permittantur, etiam post lapsum mensis, provideri ab Ordinariis, quòd signum sit, derogatum dicto *cap. statutum*, ejusque concessionem cessasse, aliàs Ordinarii, cùm in suo jure conservando sint vigilantissimi, non cessarent ab hujusmodi beneficiorum vacantium provisione, citat pro hoc Gonz. *ubi ante n.* 148. Garc. *n.* 98. quod tamen ipsum negat Lott. *n.* 63. dicens, quòd si talis casus occurreret, Curiam non subtractuam post elapsum dictum mensem talis beneficii collationem Ordinario; verùm ut detur talis casus, *n.* 64. dicit, sa id agnoscere tam difficile, ut ferè ad impossibilitatem accedat; eò quòd mensis ille Papæ non currat à die vacationis, sed à die, quâ Papa illius notitiam habuit, (quod ipsum tamen, ut dictum paulò suprà, negant alii) ex quo fit, ut mirum non sit, si ob rei infrequentem usum aliqui dixerint, Curiam observare contrarium; addit etiam *n.* 65. Lott. quòd Papa, quando differt providere, dum providet, non det datam currentem, sed proximam tempori porrectæ sibi supplicationis, quo apponitur parva. De quo vide eundem Lott. *l.* 2. *q.* 23. *n.* 16.

6. Sed neque *c. statutum.* revocatum esse per *Extrav. ad regimen. de præb. inter communes.* tenet Pirh. *n.* 332. citans pro hoc Zatol. Æn. de Falcon. Rationem dat, quòd correctio juris, præsertim, si favorabile sit, aut à Concilio generali constitutum (quorum utrumque reperitur in constitutione *capitis Statutum*) non debeat affirmari, nisi sit sufficienter expressa, quod in dicta *Extrav. ad regimen.* non apparet, cùm solùm clausula generalis sit adjecta, *non obstantibus quibuscunque constitutionibus à prædecessoribus nostris editis.* Nihilominus ait Garc. dubitari non posse, quin *dicto c. statutum.* derogatum sit per *Extrav. ad regimen*, quatenus nimirum ea innovatur quotidie à summis Pontificibus per regulas Cancellariæ; quin etiam Card. de Luca. *in sum. de benef. n.*30. ait: crediderunt aliqui, sub reservationum cessatione cadere casum negligentiæ Papæ noper declinati non providentis intra mensem de beneficio ipso vivo vacante, quasi quòd secutâ Sedis Apostolicæ vacatione, jam impressæ reservationis qualitate non obstante, inferior collator suam ordinariam reassumat potestatem: erronea verò hujusmodi opinio censenda est; vel quia canones ita desuper disponentes contrario usu antiquati sunt; vel quia restrictionem habeat ad principaliter curata, citat seipsum *de benef. d.* 24. *n.*25.

7. Hoc quoque notandum hìc, quòd etsi admittatur adhuc esse in usu, quòd Ordinarius possit conferre beneficium vacans apud Sedem, dum Papa illud non contulit, non currat dictus mensis, Sede Apostolicâ vacante, respectu beneficiorum non curatorum; ideòque Papæ successor possit tale beneficium non curatum post electionem suam adhuc intra mensem integrum conferre, ita ut collator inferior interea da illo disponere nequeat. Pirh. *num.* 337. citans Anchar. *in c. si Apostolica. n.* 4. & Gl. *in c. statutum. v. numerandum.*

Quæstio 534. *An omnia beneficia vacantia per obitum apud Sedem seu Curiam Apostolicam comprehendantur in reservatione* cit. c. licet. *ita ut nulla excipiantur?*

1. Respondeo negativè; nam primò excipiuntur beneficia collata quidem, non tamen acceptata; hæc enim cùm non vacent vi obitûs illius, cui collata, & à quo necdum acceptata, quia hic nunquam dici potest ea obtinuisse, sed pergant vacare vi obitûs prioris possessoris, qui, cùm non obierit apud Sedem, dici non possunt vacare apud Sedem, etsi is, cui denuo collata, moriatur apud Curiam, antequàm collationem sibi factam acceptârit. Pirh. *de præb. n.* 335. citans Franc. *in c. præsenti. num.* 1.

2. Secundò excipiuntur vi *cit. c. licet.* Episcopatus, seu Ecclesiæ Cathedrales & Abbatiæ vacantes in Curia, aliæque dignitates electivæ, quia speciali notâ dignæ, seu specialiter sunt exprimendæ. Pirh. *loc. cit. n.* 324. Monach. Archid. Franc. Coras. plutesque alii apud Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 13. Quamvis ipse Garcias de Abbatiis sentiat contrarium *n.* 114. & de aliis dignitatibus inferioribus, quamvis electivis *n.* 119. certum ait, illas comprehendi *cit. c. licet.* & *n.* 120. addit, Corasium, dum *p.* 2. *n.* 8. dignitates electivas eximit à dispositione *cit. c. licet.* intelligendum de dignitatibus electivis, non quibuslibet, sed de iis v. g. Prioratibus, qui sunt per se, & non habent Abbatem superiorem; quia in effectu sunt idem, quod Abbatiæ. Verùm quidquid sit de jure hoc antiquo, nimirum de dicta reservatione clausa in corpore juris, hodiedum etiam Episcopatus, Abbatiæ, Prioratus, dignitates reservatæ sunt, & exprimuntur in *Extrav. ad regimen.* & *reg. cancell.* 2. 3. &c. Garc. *n.* 117.

3. Tertiò excipiuntur beneficia manualia, sive sint sæcularia, sive sint regularia; in manualibus enim Papales reservationes locum non habent, Pirh. *loc. cit.* citans Laym. Garc. *loc. cit. n.* 510. citans plures alios.

4. Quartò beneficia jurispatronatûs laicalis, orti saltem ex causa onerosa; cùm bis non derogetur, nisi verbis expressis fiat derogatio, quod non fit in dicto textu, quidquid sit de eo, num reservata sint reservatione non clausâ in corpore juris, de quo satis supra, ubi de derogatione jurispatronatûs.

5. Quintò regularia beneficia; in odiosis enim non censentur comprehensa, nisi sint expressa; in cit. autem textu non exprimuntur. Castrop. *loc. cit. n.* 6. citans Gonz. *gl.* 8. *num.* 11. Barb. *cit. alleg.* 57. *num.* 29.

6. Sextò beneficia parochialia vacantia, seu incepta vacare apud Sedem, seu in Curia Sede Apostolicâ vacante; quin & , quæ vivo adhuc Papâ ceperunt vacare, dum Papa ante obitum suum nihil de iis disposuit; possunt enim ea liberè conferre collatores inferiores, etiam mox à vacatione, & ante elapsum mensem à die vacationis (qui aliàs exspectandus est, dum manente in vivis Papâ vacant, juxta *c. statutum de præb. in* 6.) ne diuturna vacatio periculum afferat animarum; sic namque expressè statuit Bonifacius VIII. *in c. si Apostolica. de præb. in* 6. non obstante Constitutione Clem. IV. *in c. licet. de præb. in* 6. Sed neque *cit. c. si Apostolica.* derogatum est per *Extrav. piæ sollicitudinis. de præbendis. inter communes.* editam quoque per eundem Bonif. in qua generaliter reservantur beneficia, sive curata sint, sive non; est enim constitutio illa *in c. si Apostolica* posterior dictâ *Extrav.* & sic quoad parochiales correctiva seu limitativa illius. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 102. & 108. citans Gl. *in dictam Extrav.* Pirh. *n.* 338. Castrop. *n.* 5. & 6. citans Gonz. §. 5. *proœm. n.* 128. Neque etiam illi *c. si Apostolica.* derogatum per alias *Extrav.* ullas, eis dictâ Constitutione posteriores. Castrop. *n.* 6. Non per *Extrav. etsi.* 3. *de præb. inter communes*, obi etiam generaliter beneficia, sive cum, sive absque cura vacantia in Curia reservantur; quia hæc Constitutio fuit temporalis, ut patet ex textu dum dicitur: *quæ ad præsens, & toto nostri Pontificatûs tempore vacare apud Sedem contigerit* &c. adeòque cum suo conditore exspiravit. Pirh. *loc. cit.* Garc. *n.* 106. Non per *Extrav. ad regimen.* 13. *de præb.* quâ reservantur semel affecta beneficia, qualia sunt parochiales vacantes, Papâ adhuc vivo, de quibus is nihil disposuit; nam & illa temporalis fuit, ut pote non Sedi Apostolicæ, sed sibi reservant istiusmodi beneficia. Garc. *n.* 108. Pirh *l. cit.* Nec denique per *Extrav. ad Romanos. ult. de præb. inter communes.* ubi dicitur, quòd omnia beneficia, etiam curata, semel affecta semper maneant affecta, & nequeant per alium quàm Papam provideri; limitanda enim est hæc *Extrav.* generaliter & indistinctè loquens: ut non intelligatur de beneficiis parochialibus, quæ vivo Papâ vacantia in Curia provisa non fuêre; cùm lex posterior loquens generaliter rectè limitetur, & restringi debeat per legem specialem etiam priorem, nisi illi expressis verbis contradicat lex posterior talis generalis juxta *l. non est no-*

est novum. & *l. sed & posteriores. ff. de LL.* Sanch. *de matrim. l. 2. d. 24.* (ubi etiam addit, id verum esse, etiamsi in lege nova seu posteriore addita sit clausula: *non obstante*: eo quòd intelligi ea debeat de lege priore contraria, quæ non possit cum posteriore subsistere per aliquam limitationem vel distinctionem) & alios apud Garc. *num.* 111. ita tradunt Garc. *ibid.* Castrop. Pirh. *ll. cit.*

7. Porrò licèt constitutio *c. si Apostolica.* extendi non debeat ad Ecclesias parochiales habitu tantùm tales, cùm cesset in iis, utpotè nullam habentibus actu plebem seu curam animarum, ratio unica dictæ constitutionis. Pirh. *n.* 537. adhuc rectè eam extendi non tantùm ad parochiales collegiatas, imò & ad alia beneficia curata, etsi parochialia non sint, ob identitatem rationis, nempe ob periculum animarum, si diu vacent, probabilius censet Pirh. *ibidem* cum Gl. *in c. si Apostolica.* contra Archid. & Francum. quinimò ob eandem rationem extendi id posse ad parochiales vacantes, etiam extra Curiam in mense Papali, & quocunque alio modo reservatas, & quidem à fortiori (eò quòd, si in favorem Ecclesiarum parochialium & animarum per *cit. c. si Apostolica.* tollitur ista reservatio ob vacationem per obitum in Curia, quæ est omnium perfectissima, quia perpetua, & clausa in corpore juris, multò magis quævis alia reservatio dictarum Ecclesiarum tolli debeat) tradit Castrop. *cit. p.* 16. *n.* 6. cum Zerola *in pr. Ep. p. 1. v. beneficium. §. 3. & p. 2. v. reservatio. §. 5.* contra Franc. & alios; negat tamen Idem Castrop. cum Garc. *n.* 105. Pirh. *loc. cit.* Gonz. & aliis contra Zelot. idem extendendum ad beneficia parochialia devoluta ad Papam ob negligentiam collatorum inferiorum; eò quòd ista devolutio in pœnam negligentiæ sit inducta per Concilium Lateran. relatum *in c. 2. de concess. præb.* quod per dictam constitutionem *c. si. Apostolica.* utpote nullam culpam collatorum respicientem, non est correctum. Pirh. *loc. cit.*

8. Septimò beneficia exempta & immediatè subjecta Papæ, etiamsi vacent in Curia, hæc enim reservabilia non sunt.

9. Octavò excipiuntur à reservatione *cit. c. licet.* beneficia Urbis; non enim sunt reservabilia, dum à nemine provideri possunt, eorumque provisio privativè competat Papæ jure ordinario, utpote cujus Urbs illa particularis diœcesis est, & in qua ipse solus Episcopus est, non habens alium coëpiscopum, sicut in aliis diœcesibus, in quibus etsi Papa sit quoque Episcopus, habet tamen alios coëpiscopos, nimirum istarum diœcesium Ordinarios: quin & hinc sit ei carior illorum provisio, quàm beneficiorum aliorum vacantium in eadem Urbe & Curia; Ita etiam, ut Gamb. *de off. leg. l. 3. ad finem à n. 712.* si discedens ab Urbe relinquat ibi Legatum, nequaquam censeatur ei concessisse facultatem ea conferendi. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. à n. 14.* Barb. *p. 3. de pot. Episc. alleg. 57. n. 32.* Lott. *l. 2. q. 27. n. 25. &* 126. qui tamen *n. 27.* ait, inesse adhuc habilitatem reservabilitatis in beneficiis 4. Ecclesiarum parochialium Urbis, in quibus intitulati sunt Cardinales, & hinc prodiisse specialem regulam eorum reservatoriam, quæ est septima; Cardinales enim in suis titulis jurisdictionem quasi Episcopalem habent, & hinc jure ordinario eorum beneficia provident. Pirh. *loc. cit.* cum communi; de hac reservatione beneficiorum Urbis vide Monet. de optione. *c. 3. q. 3.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. in principio. ad* quos remittit Chok. *ad reg. 1. cancell. num. 23.*

10. Nonò excipiuntur beneficia illorum, qui originem seu domicilium, imò domum conductam habent apud Sedem, seu in Curia, nisi sint Curiales seu Cortesani, vel etiam priùs fuissent Cortesani, & ibidem ratione Curiæ morarentur. Castrop. *cit. n. 6.* citans Simonet. *de reserv. q. 30. n. 3.* Garc. *cit. c. 1. n. 83.* Barb. *ubi ante. n.* 31. &c. sic enim expressè statuitur *in c. præsenti de præb. in 6.* Cujus rationem hanc dat Gl. *in cit. c. v. moraretur.* ne aliàs non leve crearetur Curiæ Romanæ præjudicium, cessante nimirum concursu ad illam, dum constaret omnium ibi degentium beneficia, etiam alibi existentia, spectare ad provisionem solius Papæ.

Quæstio 535. Qualiter dictum c. licet. 2. de præb. in 6. *editum à Clem. III. vel ut alii numerant, IV. extendatur per* cap. præsenti. de præb. in 6. *quod est Greg. X.*

1. RESpondeo: quemadmodùm *c. licet* per *c. præsenti.* limitatur in hoc, quòd vi illius excipiantur, ut dictum, qui originem vel domilium habent in loco, ubi est Curia, ita extenditur, seu extendi se velle dicit statutum in *c. licet.* primò ad beneficia, etiam eorum, qui in locis Curiæ vicinis inter duas dietas decedunt Legati, aut Nuntii Apostolici, vel quivis alii (sive Curiales sint, sive non, ut Gl. *hic v. alii*) ad Romanam Curiam accedentes, vel ab ea recedentes, perinde ac si in loco, ubi Curia residet, morarentur; declarátque expressè *cit. c. præsent.* se per loca vicina intelligere distantia ad deitas legales.

2. Secundò extenditur ad Curiales, qui etiam Ecclesiâ Romanâ vacante peregrinationis, recreationis, aut alia quavis ex causa ad locum Curiæ vicinum secedentes, ibi decedunt, modo illi (etsi ad Curiam erant reversuri, adeóque animo citò redeundi recesserint) domicilium ibi seu domum propriam non habeant.

3. Tertiò Curiales, qui dum Curiam de uno loco ad alterum transferri contigerit, eam sequentes, infirmitate fortè impediti, in itinere, dum Curiam sequuntur, vel in loco, unde Curia recedit, cùm eam infirmi sequi non possint, remanentes, ibi moriuntur; ita ut eorum beneficia quantumcunque locus ille, ubi decedunt, à Curia sit remotus, apud Sedem seu Curiam vacare censeantur. Ita ferè textus *cit. c. præsenti.*

Quæstio 536. An, & quare personæ aliquæ, etsi decedant in locis ultra duas dietas, quin & longissimè dissitis à Sede seu Curia, dicantur tamen decedere in Curia, seu apud Sedem; adeóque eorum beneficia vacantia sint reservata dictâ reservatione clausâ in corpore juris, nimirum vi cit. c. licet?

RESpondeo: dum plures personæ ita addictæ sunt Curiæ Romanæ tanquam partes illius, ut præterea non liceat eis ab ea sine speciali venia Papæ recedere, quales sunt Cardinales, qui etiam veriùs dicuntur constituere, quàm sequi Curiam; tametsi dicantur eam sequi constituendo. Lott. *cit. q. 27. n. 85. & 84.* citans Host. *in c. Ecclesia. de elect. n. 5.* Oldr. *cons. 293. n. 2.* inter quos Cardinales sunt Vicecancellarius, Camerarius, Pœnitentiarius. Item quales sunt Notarii Sedis Apostolicæ, Auditor contendictarum, Correctores literarum, & Abbreviatores, Lott. *n.* 86. Item Capellanii & ipsius Papæ Commensales, & quivis alii Officiales, de ipsa Curia Legati seu Nuncii Apostolici, seu ipsius Papæ. Lott. *num.* 87. hi inquam, quantumcunque à Curia recedant, abesse tamen non intelliguntur propter nexum, quo Curiæ obstricti sunt, exemplo servi, qui eò, quòd addictus sit fundo, semper ibi esse intelligitur, etiamsi aliò negotii alicujus causâ secedat. *l. quæsitum. ff. de LL. l. Seja ff. de fund. instruct.* totum id operante juris fictione, quæ ideo veritati æquivalet. Lott. *n.* 86. & 88. Hinc itaque dictæ personæ ubicunque moriantur, in Curia mori dicuntur, eorúmque beneficia vacare in Curia, adeóque respectu eorum causari reservationem clausam in corpore juris, idque ex speciali dispositione *Extrav. ex debito. de elect.* Lott. *ibid.* Unde etiam, si tales personæ per amotionem ab officio solutæ fuerint à dicto nexu, quo priùs astringebantur Curiæ cessabit ea fingendi ratio, & cum ea ipsa fictio, ac consequenter reservatio inducta vi *cap. licet.* Lott. *n* 89. Atque ex hoc sive hac occasione (cùm dictarum personarum sic obstrictarum Curiæ sint plurimæ) ortum, ut plures, quio

 & ple-

& plerique Auctores dixerint, omnia reservata censeri vacare in Curia, & bonam esse sequelam: beneficium est reservatum, ergò vacat in Curia; cùm tamen reservatio ista ob vacationem in Curia longè & in pluribus differat ab aliis reservationibus. Lott. *n.* 82. *&* 83. Porrò dum, ut patet *cit. Extrav. ex debito.* inducta sit ratione loci, & non personæ (quod, ut ait Lott. *n.* 90. benè observandum respectu ejus partis, quæ innovata est per *Extrav. ad regimen*, quæ & ipsa innovatur per *reg.* 1. *cancell.* eò quòd quâ parte non est expresse innovata, exspiravit cum Joanne XXII. ejus conditore, ut Mandos. *ad reg. 1. cancell. q. 1. n. 1.* Moneta *de optione. c. 3. num.* 40. Garc. *p. 5. c. 1. num. 84.* aliique apud Lott.) indultum concessum conferendi reservata sese non extendat ad beneficia dictarum personarum, dicto nexu seu officio durante, morientium in locis à Curia remotissimis. E contra verò extendat se Indultum istiusmodi generale ad beneficia talium personarum, etiam quæ obtinuerunt ante dimissionem officii, si eæ moriantur post dimissum officium in locis ultra duas dietas distitis à Curia; licèt enim reservata adhuc sint ista eorum beneficia per *reg.* 1. *cancell.* reservatio tamen hæc penitus diversa est ab illa clausa in corpore juris, nec censetur inducta ratione loci, sed personæ, nimirum, quia ille fuit officialis; atque ita subsidiaria tantùm, ut sunt omnes reservationes diversæ ab illa clausa in corpore juris *in cap. licet.* Lott. *à cit. n.* 90. qualiter autem de cætero per dimissionem officii non cesset reservatio inducta per regulam Cancell quando tale est officium, cui annexus Protonotariatus, vide Lott. *à n. 94. & qq. duabus seqq. per totum*, ubi de Protonotariis, eorumque beneficiis reservatis.

Quæstio 537. Quinam in ordine ad dictum effectum reservationis dicantur Curiales, & qualiter ad declinandum hunc effectum censeatur dimissa curialitas?

1. RESpondeo ad primum, illos dici Curiales, qui sunt Officiales Romanæ Curiæ, quales sunt Notarii, Scribæ, Procuratores, Advocati. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 26. 37. 43. tales quoque sunt, qui Cardinalibus & Officialibus Curiæ Romanæ inserviunt, juxta Pirh. *de præb. n.* 334. & Barb *juris Eccl. l. 3. c. 13. n.* 24. qui pro hoc citat Mand. *ad reg. 5. cancell. q. 1. n.* 18. quod tamen improbat & erroneum dicit Lott. *loc. cit. num. 40. & seq.* eò quòd istiusmodi simplices familiares Officialium non sint officiales, nisi secundùm latam quandam, eamque vulgarem acceptionem, quâ omnes, ut ait Lott. cohortales & cortisanos intelligimus, sitque curia principis quædam militia; alius autem nemo miles videri possit, quàm qui in numeros sit receptus, etiamsi de cætero publicis expensis exercitum sequatur.

2. Secundò: Curiales censendi sunt, qui occasione Curiæ propter negotia propria vel aliena morantur in urbe. Pirh. & Barb. *ll. cit.* Lott. *n.* 38. ex mente Rotæ *decis. 616 p 4. recent. n. 2.* item *in una Romana beneficii S. Petri. 8. Aprilis* 1622. unde eum, qui non occasione Curiæ, sed aliâ moraretur Romæ, v. g. si esset originarius, vel exterus habens ibi domum, vel beneficium residentiam exigens, non erit reputandus Curialis. Lott. *n.* 39. juxta *decis. Rot.* 116. *n.* 1. *p.* 4.

3. Respondeo ad secundum: non sufficit ad dictum effectum, quòd quis aliquando fuerit Curialis, sed requiritur, ut talis fuerit continuò usque ad mortem, idque probetur. Lott. *n.* 44. Pirh. *loc. cit.* Barb. *n.* 26. citans Mandos. *ubi ante. q. 3. in fine.* additque in *n.* 27. præsumi Curialitatem continuam usque ad mortem, nisi mutata probetur. Idem ait Lott. *num.* 45. præsumi nempe actum sequendi Curiam continuatum, donec probetur contrarium verbo vel facto, vel per cessationem causæ accidentalis. Addit etiam Barbos. adversus illam præsumptionem admitti leviorem probationem, etiam per alias præsumptiones & conjecturas; Lott. tamen è contra tradit, probationem animi mutati de sequenda amplius Curia non constitui per testes affirmantes, se sæpè à tali audivisse, quòd ampliùs sequi nollet Curiam; quamvis enim actus argumentis & conjecturis dignoscatur, & à priori quidem, quando declaratus fuit verbis prolatis, etiam extrajudicialiter (cùm in his, quæ ab animo dependent, statur declarationi & assertioni cujusque) pro quo etiam sufficiunt testes singulares; à posteriori verò per factum subsecutum incompatibile cum primo proposito (cùm qualitas factorum insinuet qualitatem intellectûs, ubi Bart. *in l. falso. c. de furt.*) in hoc tamen casu exigitur declaratio, quæ non possit possit postmodùm tergiversari, sed quæ toti Curiæ ac Principi, aut saltem illius Officialibus innotescit propter eorum præjudicium; unde nimirum talis deinceps non potiatur prærogativis & privilegiis Curiæ, cùm aliter protestatio hæc seu declaratio (nimirum non sequendi ampliùs Curiam) non possit habere vim resolutoriam illius reciprocæ obligationis, non accedente consensu alterius, saltem tacito præsumpto; ita ferè Lott. *à num.* 46.

Quæstio 538. In quo consistat specialis prærogativa & dignitas hujus reservationis?

1. RESpondeo esse sequentes ejus prærogativas. Prima: ut ei non restagetur regula de annali, ut sunt ipsa clara verba dictæ regulæ. Gomes. ad illam *reg. q.* 31. Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. n.* 38. Lott. *cit. q. 27. num.* 44.

2. Secunda: ne sub generali facultate conferendi, etiam factâ motu proprio, non veniant beneficia hâc reservatione reservata, ut Doctores omnes *ad cit. c. licet.* Lott. *n.* 45.

3. Tertia: ut habeat vim specialis inhibitionis; quod tamen hodie ex rationis identitate ad omnes alias reservationes est extensum. Lott. *n.* 46. juxta *decis. Rotæ.*

4. Quarta: quòd, si concurrant cum ea reservationes aliæ circa idem beneficium, & omnes in supplicatione narrentur, prout narrari debent, ubi ex eadem vacatione vel persona consurgunt, gratia dispositiva restringatur ad hanc veluti digniorem, ita ut aliæ reservationes cum ea concurrentes non insient, nisi tantùm conditionaliter, nimirum in ejus defectu; adeoque Papa tanti illam æstimat, ut respectu ipsius ceteras quantumcunque præcedentes non videatur curare. Lott. *à n. 47. & num. 66.* ubi: quòd hæc alias omnes reservationes præcedat, & anteverrat, ita ut, dum plures cum ea concurrunt, vinculum reservationis censeatur beneficio ex ea priùs, atque ita simpliciter injectum. Unde etiam, si hodie erigeretur quodcunque beneficium, censeatur erectum sub hac lege, ut quoties vacaret in Curia per obitum, collatio illius Papæ esset reservata; eò quòd, ex quo ista reservatio insurgit à jure communi, præsumatur fundator se voluisse eidem juri communi conformare in ipsa erectione, nisi de contrario appareat.

PARAGRAPHUS IV.

De reservationibus inductis per regulas Cancellariæ; ac primò de inductis per regulam primam.

Quæstio 539. Quid sint hæ regulæ, & unde ortum ducant?

1. RESpondeo: sunt constitutiones quædam Pontificiæ majore ex parte concernentes causas & reservationes beneficiales (de his enim agitur primâ earum parte usque *ad reg.* 27. à qua *ad* 47. de literis Apostolicis expediendis; ab hac usque *ad* 56. continentur variæ constitutiones de dispositionibus Apostolicis expediendis; ab hac regula 56. ad 60. de indulgentiis Apostolicis concedendis & obtinendis; ab hac ad finem usque de beneficiis vacantibus, & certo

modo

modo vacaturis, per Papam conferendis, Chok. *in rub. reg. Can. num. 17.)* sic dictæ, vel quia bona illarum pars concernit expeditionem literarum, quæ in Cancellaria expediuntur, vel quia in Cancellaria publicantur, & registris consignantur, idque auctoritate Papæ. Chok. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum: solet quilibet Pontifex initio sui Pontificatûs (hoc est, mox die subsequente assumptionem seu electionem illius, ut Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 13. n. 95.* cùm statim ac electus administrare possit ante consecrationem, ut Doctores communiter *ad c. licet. de elect.* Chok. *ad proœm. reg. canc. n. 4.)* has regulas facere seu reassumere, renovare & publicare, juxta stylum suorum Antecessorum, mutando vel addendo aliquid, prout negotiorum cursus postulaverit. Castrop. *cit. d. 2. p. 17. n. 1.* Engels *in proœm. n. 14.* Porrò consuevêre Pontifices non priùs eas evulgare, quàm excussæ fuerint acerrimo judicio præcipuorum Curiæ Officialium, maximè verò antiquorum Rotæ Auditorum. Lott. *l. 2. q. 41. n. 41.* ex Gonz. *gl. 30. n. 18.* Primus omnium eas edidisse, & sic appellâsse dicitur Joannes XXII. Engels *loc. cit.* initium eas habuisse circiter anno 1330. ait Card. de Luca. *de benef. d. 5. n. 23.*

Quæstio 540. Qualiter hæ regulæ obligent, & obligare desinant?

1. RESpondeo primò: non solùm regulæ hæ jus particulare inducunt, seu sunt locales, hoc est, certo loco, v. g. Cancellaria Romanâ circumscriptæ; nam inde ut dictum, nomen non habent, sed reverà jus universale inducunt, seu legum generalium rationem habent, ita ut extra Curiam per Orbem totum ligent. Chok. *in rub. reg. canc. n. 18. & seq.* citans Gomes. *in proœm. ad dictas reg q. 2. n. 4.* etsi fortè in uno alterove à rigorosa illa legis ratione desinant, v. g. quòd morte conditoris exspirent, de quo paulò post. Bass. *tom. 2. v lex. n. 10.* citans Azor. *p. 1. l. 5. c. 18 q. 11.* excipe tamen regulas illas, quæ non sunt de dandis, & quæ literarum tantùm expeditionem in Curia faciendam respiciunt; hæ enim jus universale non constituunt, nec extra Curiam ligant; sed vim solùm constitutionis particularis obtinent; utpote quæ restrictæ sunt ad certum & particularem effectum & locum. Chok. *loc. cit. n. 22.*

2. Respondeo secundò: incipiunt hæ regulæ ligare mox à puncto constitutionis earum, quòad effectum nullitatis actûs in contrarium, ita ut provisio, etiam bonâ fide facta de beneficio in iis reservato, sit nulla ob decretum irritans in iis contentum; ad valorem enim sui, dictùmque effectum nullâ aliâ solenni publicatione egeant; quòad effectum tamen incurrendi pœnas in iis contentas non ligent, nisi post publicationem. Chok. *ad proœm. reg. canc. n. 20.* Barb. & Castrop. *ll. cit.*

3. Respondeo tertiò: per mortem cujuslibet Pontificis eas resumentis vis & auctoritas dictarum regularum exspirat, adeoque cessant regulæ reservatoriæ Sede vacante. Barb. Chok. *ll. cit.* Zerol. *in pr. p. 1. v. reg. cancel. §. 7.* Gonz. *§. 5. proœm. num. 5.* Wames. *vol. 1. cons. 245. num. 4. &c.* Unde beneficia vi earum reservata, Sede Apostolicâ vacante, liberè conferunt Episcopi, seu ordinarii Collatores, possuntque tanquam soluti vinculo ordinariâ suâ potestate providere in quolibet mense. Auctores iidem. Exceptis tamen iis, qui Concordatis Germaniæ subsunt; hi enim beneficia, etiam Sede papali vacante, in mense papali vacantia providere nequeunt, sed manent illa Papæ successori affecta. Chok. *loc. cit.* de quo tamen in contrarium dicenda vide infra, ubi de Concordatis Germaniæ. Quin & non solùm omnes menses erunt Ordinarii, & hic providere poterit de omnibus, vi regularum Cancellariæ reservatis ante assumptionem novi Pontificis; sed etiam antequam is regulas Cancell. constituat, seu reassumat, ita ut, si etiam in illo medio tempore ab assumptione usque ad editionem regularum vacaret aliquod beneficium in mensibus aliàs reservatis, posset de eo providere Ordinarius. Barb. & Chok. *ll. cit.* ex Gonz. *ad reg. 8. §. 5. proœm. num. 46.* Quæ tamen intelligenda, nisi Papa tempore assumptionis suæ dicta beneficia, dum de iis ordinarii collatores adhuc non disposuerint, non reservaverit; quemadmodùm Pontifices aliquando solent reservare beneficia omnia, quæ vacaverint in mensibus Apostolicis, Sede Apostolicâ vacante, de quibus ordinarii collatores tempore assumptionis non disposuerint, præsertim ubi Sedes diu vacavit. Chok. *loc. cit. n. 21. & ad reg. 1. n. 23.*

Quæstio 541. Qualiter regulæ hæ, ut ligent, seu jus faciant extra Curiam, & sententia juxta eas lata subsistat, sint producendæ?

1. REspondeo, ad hoc responderi per *reg. 27.* cujus hoc contentum; cùm regulæ hæ plerumque mutari soleant, dum Pontifices posteriores regulis decessorum addunt aliquid aut diminuunt, usu sic exigente, hinc, ne occasione hujus mutationis & diversitatis dubium oriretur, meritò per hanc *reg. 27.* ordinatum fuit, regulas Cancel. nullam fidem facere, & non ligare, etiamsi millies allegentur in judiciis, nisi ex fonte Cancellariæ, & ex mandato Vice-Cancellarii impetratæ, in judicio producerentur. Sciendum autem est inter regulas cancellar. aliquas esse, quas vocant de dandis, hoc est, quæ partibus petentibus dari, seu concedi solent, prout sunt omnes ferè judiciales, quæ habent decretum irritans: Alias esse, quæ non sunt de dandis, hoc est, quæ concedi non solent; eò quòd dent normam solis Officialibus Cancellariæ, quò ad expeditiones literarum, quæ si non sint expeditæ juxta illarum normam, remittuntur ad Cancellariam corrigendæ, & istæ non faciunt fidem extra Curiam. Prioris generis, ut faciant fidem extra Curiam, dantur sub plumbo in forma aliarum Bullarum præmissâ supplicatione ad Papam. Sufficit autem in Curia, quòd dentur per Vicecancellarium sine speciali mandato Papæ, cum subscriptione tamen duorum Abbreviatorum.

2. Porrò regula semel in judicio producta in Curia ad instantiam alicujus, potest postea ad illius vel alterius instantiam pro quacunque causa repeti, habitâ de hoc fide à Notario producente; idque ut evitentur expensæ & circuitus, & sic habet consuetudo, ut semel in uno judicio prolata, in altero inter concives ejusdem territorii produci possit, & fidem faciat, ut Coler. *de process. execut.*

3. De cetero sententiæ latæ contra regulas, si eæ non sint productæ, subsistunt; etsi enim pleræque regulæ habeant verba illa in fine apposita: *nullius sint roboris, vel momenti*, vel similia, quæ aliàs nullitatem ipso jure inducunt, atque ita etiam sine partis objectu; in casu tamen hoc de stylo Curiæ Romanæ requiritur, ut excipiatur de regula, illaque in judicio producatur; dicta enim verba, seu decretum irritans in regula appositum habet tacitam hanc conditionem: si is, cujus favorem respicit, uti voluerit. Et huic sententiæ tanquam veriori de regulis dicto modo producendis, sive eæ notiores sint, sive minus notæ, inhæret Mand. *ad cit. reg. 27. q. 1.* apud Chok. *in rub. reg. canc. n. 21.* ipse tamen hîc contrariam sequitur sententiam, citátque pro ea Bald. *in l. leges sacratissimas. c. de ll.* dum id sic limitat, ut non procedat in regulis notis & usitatis, quæ probari possunt per codices regularum in Urbe impressos, vel quæ glossis variorum Doctorum sunt illustratæ, & comprobatæ, & à pluribus Jurisconsultis explanatæ, adeóque egere non videntur aliâ productione ad instar Extravagantium publicarum & notarum, quas ignorare non licet, & contra quos lata sententia est nulla; unde ait, exstare placitum Senatûs Sabaudiæ, quo indeterminatè definitum: sufficere regulas cancell. allegare, licèt non proferantur sub plumbo; eò quòd sint notoriæ. Neque quòd in singula ferè lustra mutari possint, quicquam facit, cùm non eò minùs observari videamus, ut sint perpetuæ: itaque, qui correctas & immutatas dicet, idipsum probare debet; ita dictum decretum

Sabau-

Sabaudiæ, quod ex Fabro & Vamesio *ibidem* recitat Chock.

Quæstio 542. An, & quando derogetur regulis cancellariæ per alias constitutiones, ordinationes, vel rescripta Apostolica?

1. REspondeo per nollam derogationem generalem, quamvis prægnantem & amplissimam derogatum censetur his regulis. Lott. *l. 2. q. 39. n.* 19. Chok. *in proœm. reg. cancell. n.* 31. ex Gomes. *ad idem proœm. q. 4. n. 2.* ubi etiam, quòd stylus cancell. à Rota receptus ita servet ac disponat, ut sub clausula generali: *non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis*, non velit comprehendi regulas Cancellariæ: sed opus esse, ut specialiter eis derogetur, vel ut istiusmodi derogatio generalis fieret, non per viam rescripti, sed legis; in quo casu per dictam clausulam generalem: *non obstantibus constitutionibus, &c.* censeatur derogatum regulis Cancellariæ, non factâ earum mentione, ut habet Gemin. *in cap. cùm non deceat. de elect. in 6.* apud Chok. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: sed neque per clausulam: *non obstantibus regulis Cancell.* positam in literis Apostolicis, censeri derogatum regulis Cancellariæ judicialibus notoriis, nempe de annali, triennali, surrogandis &c. quinimo illud de stylo Cancellariæ indistinctè servari, ut per dictam clausulam non censeantur sublatæ regulæ, nisi earum expressa fiat mentio; atque adeò earum tenor in principio literarum narretur, tradit Chok. *loc. cit. n.* 23. quod ait, ita tamen limitari à Gomesio; nisi in gratia vel supplicatione poneretur clausa generalis: *quarum tenores habeantur pro expressis*; tali enim casu censeri derogatum dictis regulis, pro quo citat quamplurimos Auctores.

Quæstio 543. Quænam reservationes contineantur in regula prima Cancell.

1. REspond. primò: contineri omnes illas, quæ continentur *in Extrav. ad regimen. de præb. inter communes.* quæ est Benedicti XII. Item quæ continentur *in Extrav. Execrabilis. inter communes. de præb.* (quæ eadem est cum illa, quæ ponitur inter Extravagantes Joannis XXII. nisi quòd diversos glossatores habeant, ut Pith.) & est Joannis XXII. utpote quas Extravagantes, ut dictum, innovat, & locum habere vult hæc prima regula; & vel sic eas reddit perpetuas, cùm de se essent temporales, saltem prima. Castrop. *cit. p. 17. num. 2.* Garc. *p. 5. c. 1, num.* 192.

2. Harum Extrav. reservationes insuper extendit & auget hæc prima reg. Primò, dum vult & declarat, ut reservatio dictæ *Extrav. ad regimen.* locum quoque habeat in beneficiis, quæ Officiales Sedis Apostolicæ ibi expressi obtinebant, esto, tempore obitûs Officiales esse desierint; & esto, beneficia illa assecuti non fuerint tempore officii, sed post dimissum officium, aut quandocunque aliàs. Hanc limitationem primò adjecit Sixtus V. (ac proinde non habetur in regulis aliorum Pontificum ante tempora Sixti V.) ad tollendum dubium, an scriptores Apostolici (ad quos proinde solos, & non ad alios Officiales Apostolicos extendenda videtur dicta limitatio, ut ipsa ejus verba indicant, & Auctores post citandi) dimisso hoc officio scriptoriæ, desierint esse tales, ac proinde beneficia eorum acquisita post dimissum hoc officium non essent reservata per Extrav. *ad regimen*, ad quod affirmativè responderat Rota. à qua sua decisione postmodum recessit. Garc. *loc. cit. à num.* 200. Castrop. *loc. cit.* Chok. *ad reg. 1. n. 8. & 9.* Lott. *l. 2. q. 27. n. 96.* onde jam esto, quòd quòad participationem & nomerum non reputentur ampliùs officiales Papæ Notarii & Protonotarii, postquam officia dimiserint; reputantur tamen tales quòad reservationem, Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 208. quamvis etiam, quòd scriptores Apostolici, seu quorum officio annexus Protonotariatus, dimisso hoc officio, sive dum non scribunt ampliùs actu, neque in officio illo se exercent, per privilegium & summam prærogativam, ortam nempe ex eo, quòd ista officia aliud non concernant, quàm secretarium ipsius Principis, remaneant Protonotarii, retineántque dignitatem & cingulum, astruat Lott. *loc. cit. n. 95.* & Garc. *n.* 205. dicens hoc ipsum privilegium per non usum non esse abrogatum, séque novisse, qui dimisso officio scriptoris Apostolici, uti Protonotarius, crearet Notarios.

3. Secundò: dum vult, ut eadem reservatio se extendat etiam ad omnia beneficia, de quibus Ordinarii ac alii collatores contra Concil. Tridentini decreta, & præscriptam ab eo formam disposuerunt, aut in futurum disponent, v. g. dum contulerunt beneficia non habentibus ætatem à dicto Concilio requisitam, aut citata non per concursum &c. Hanc quoque appendicem dictæ regulæ adjecit Sixtus V. occasione constitutionis Pii V. *data 6. Maji* 1566. non servatæ. Castrop. *loc. cit.* Chok. *n.* 10. Garc. *n.* 209. In quibus autem casibus inferior respectivè ad Papam collator dicatur conferre contra decreta Concilii, aut contra eorum formam, vide Lott. *l. 2. q. 31.* fusè *per totam.* Quæ tamen extensio intelligenda non nisi, ubi Ordinarius collator sciens, aut scire debens disponeret de beneficiis contra decreta Concilii; secùs si per istum errorem facti, seu ignorantiam facti probabilem disponeret, v. g. quia, factâ debitâ diligentiâ, existimavit providendum habere ætatem, aliásque qualitates à Concilio requisitas; ista enim reservatio facta est in odium Ordinariorum, disponentium de beneficiis contra decreta Concilii, quod odium cessat, cessante culpâ. Castr. *l. c. n.* 3. & Chok. *n.* 11. ex Garc. *n.* 211. Addit quoque Garc. *n.* 210. non habere hanc dispositionem hujus regulæ locum in beneficiis, de quibus patroni disposuerunt contra decreta Concilii, etiam subsecutâ institutione Ordinarii; cùm sit in odium Ordinariorum disponentium (intellige liberè, seu per liberam collationem) de beneficiis contra dicta decreta. Plura de hac reservatione ob non servatum Trid. de illius restrictione vide apud Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. n. 115. & seq.* ad quem remittit Chok. *n.* 10.

4. Respondeo secundò: ad sciendum igitur, quæ hæc regula prima in particulari reservet beneficia præter jam dicta, videndum est, quæ reserventur per citatas Extrav. Talia reservata per *Extrav. ad regimen.* sunt: primò omnes Patriarchiales, Archi-Episcopales, Episcopales Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus, præbendæ, Ecclesiæ, aliáque beneficia cum cura, vel sine ea, sæcularia & regularia, qualiacunque fuerint. etiam consueta conferri per electionem, vel quemvis alium modum, nunc apud Sedem Apostolicam quocunque modo vacantia.

5. Secundò, beneficia vacantia per depositionem, vel privationem, vel translationem, aut muneris consecrationis suspensionem factas aut faciendas auctoritate Apostolicâ. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *gl. 91. n.* 32. Barb. *de pot. Episc. alleg. 57. num.* 35. addénsque, ad hoc, ut hæc beneficia vi hujus *Extrav.* reservata censeantur, requiri, ut fiat privatio, depositio, suspensio per sententiam, saltem declaratoriam, criminis. Porrò hoc ipsum etiam obtinere vi concordatorum Germaniæ, notat Simonet. *de reserv. q. 89. n. 6.* apud Chok. *loc. cit.*

6. Tertiò, beneficia, de quibus, sive in concordia, sive in discordia facta, vel futura in posterum electio vel postulatio, quæ postmodùm fuit cassata, repulsa vel renunciata ab electis vel postulatis, admissáque per eundem Papam, vel ex auctoritate Apostolica apud Sedem Apostolicam, vel alibi. Dicitque Castrop. hæc eadem reservari per *Extrav. ex. debito. de elect. inter communes.* citátque Gonz. *ubi ante. num.* 34.

7. Quartò, beneficia vacantia & vacatura per obitum S. R. E. Cardinalium, Officialium, nempe Camerarii, Vice-Camerarii, Notariorum, Auditorum

rum

rum literarum contradictarum, & Apostolici palatii causarum, Correctorum & Scriptorum Apostolicorum, Pœnitentiarii præfatæ Sedis, Abbreviatorum, Commensalium, & aliorum quorumcunque Capellanorum Sedis ejusdem, quorumcumque Legatorum, Nunciorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, Thesaurariorum, per Romanos Pontifices specialiter deputatorum, seu missorum, & imposterum mittendorum, ubicunque dictos Legatos, Rectores aut Thesaurarios, antequam ad Curiam Romanam redierint, seu venerint, mori contigerit. Ubi sub nomine *Officialium* etiam comprehendi Acolythos & Cantores Papæ, indicat Castrop. *loc. cit.* ex Gonz. *gl.* 51. *n.* 13. & 14.

8. Quintò, beneficia quorumcunque, pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, aut decedentium Curialium infirmitatis vel recreationis, aut alia de causa, si in locis à Curia ultra duas dietas non distantibus (modò Curiales ibi domicilium non habeant) decesserint, aut decessuri sint, de quo suprà.

9. Sextò, Monasteria, Prioratus, Decanatus, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendæ, Ecclesiæ, aliáque beneficia quæcunque, sive regularia, sive sæcularia, sive cum cura, sive absque ea, quocunque modo, etiam non nisi per electionem concedi solita & debita, quæ promoti auctoritate Apostolicâ ad Patriarchatum, Arch-Episcopatum, Episcopatum, vel monasteriorum regimina tempore hujus promotionis obtinebant.

10. Circa quæ notandum primò, quòd licèt beneficium obtentum priùs non vacet ipso jure, quousque Episcopatus pacificè possideatur, nihilominùs huic reservationi sit subjectum à tempore dictæ promotionis factæ per Sedem Apostolicam, ita ut nullatenus renunciari possit. Castrop. *loc. cit.* citans Paris. *de resign. l.* 3. *q.* 1. *n.* 77. (qui dicat sic servari ex stylo Curiæ) Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. Ugol. *de off. Episc. c.* 1. §. 2. *n.* 3. Barb. *de potest. Episc alleg.* 57. *num.* 68. Germon. *de indult. Card* §. *si vero. n.* 21.

11. Secundò, quòd dicta reservatio solùm intelligenda de promotione ad Episcopatum utilem, non autem de promotione ad Episcopatum titularem; cùm hæc promotio absque reali adeptione possessionis talis Episcopatûs non inferat beneficiorum obtentorum vacationem; adeóque nec reservationem. Castrop. citans Germon. *ubi ante n.* 26. Paris. *n.* 89. Barb. *n.* 74. Chok. *ad reg.* 1. *n.* 23. citans Achil. de Grassis. *decis.* 2. *de elect.*

12. Tertiò, quòd si tali promoto ex privilegio Sedis Apostolicæ concedatur retentio beneficiorum unà cum Episcopatu &c. posse ea resignari; quia per dictum privilegium hæc reservatio suspenditur. Castrop. *ibid.* Sed neque, si talis post concessam dictam retentionem moriatur, etiam in partibus, habita ab illo promotionis tempore beneficia ex tunc comprehendi hâc reservatione, eò quòd jam non vacent per promotionem ad Episcopatum, cùm & ipse vacet, sed per obitum Episcopi, tanquam probabilius tenet Castrop. *ibid.* contra Barb. *loc. cit. n.* 76. & Simonet. *de reserv. q.* 27. *n.* 5.

13. Septimò: Eadem omnia beneficia paulò ante nominata vacantia aut vacatura per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, aliorúmque beneficiorum auctoritate Apostolicâ provisorum, seu providendorum.

14. Circa quod notandum primò, quòd, si secundum tale beneficium, per cujus assecutionem vacat prius habitum, obtentum non fuerit auctoritate Apostolicâ, sed per Ordinarium, non comprehendi hâc reservatione. Castrop. *loc. cit.* citans Barbos. *ubi ante num.* 77. & Gonz. *gl.* 51. *num.* 36. & 38.

15. Secundò, quòd soleat quandoque aliquibus provisis à Sede Apostolica ab Eadem fieri gratia, ut intra duos menses post adeptam possessionem beneficii obtenti, aut à die, quâ per illos steterit, quò minùs ea obtineatur, teneantur prius habitum in manibus Papæ liberè dimittere (per quam clausulam, ut Garc. tacitè dispensatur, ut per illos duos menses possit retineri primum cum secundo, & ideo ratione illius Bulla pluris taxatur) alioquin utrumque vacet, & soli Papæ sit reservatum; quâ gratiâ factâ nequit impetrans resignare aut permutare illud, nec in manibus Ordinarii liberè resignare, sed necessariò in manibus Papæ, vel quod idem est, Notarii Apostolicæ Cameræ, alioquin utrumque vacat, & Papæ est reservatum. Castrop. *cit. p.* 17. *n.* 3. citans Barb. *n.* 78. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 55. quem vide.

16. Respondeo tertiò: *Extrav. Execrabilis*, reservatur non solùm beneficium tempore promotionis jam habitum, sed etiam beneficium secundum (intellige cum primo incompatibile. Chok. *loc. cit.*) ad quod quis auctoritate Apostolicâ (secùs, si ad secundum ab Ordinario promoveatur, ut Castr. *l. c.*) promovetur, si hoc obtento priùs habitum beneficium statim non dimittat coram Ordinario, sed simul retinere contendit vel pergit; idque ipso jure, & ut ait Chok. sine ulla alia monitione, ut nuper resolvisse dicit S. Congreg. Concilii: veruntamen præsciendo ab ista assecutione secundi facta auctoritate Apostolicâ (quippe beneficia quæcunque vacantia per assecutionem quorumcunque aliorum per Papam collatorum, seu auctoritate literarum Ejusdem reservantur per *Extrav. ad regimen*) vi hujus *Extrav.* non reservari beneficia priora, quæ per adeptionem posteriorum vacant virtute *c. de multa. de præb.* sed solùm posteriora, quæ propter indebitam & illicitam retentionem priorum vacant vi hujus *Extrav.* tradit Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 45. citans Oldr. *cons.* 152. *n.* 2. Felin. *in c. causam, quæ. de rescript. num.* 4. *limit.* 5. Nav. *cons.* 12. *de rescript. n.* 12. & 14. Quintadv. *l.* 4. *n.* 94. Zerol. *p.* 1. *v. beneficium.* §. 3. (qui etiam ait, sic se vidisse servari in praxi, & in facto non vidisse adiri Sedem Apostolicam pro collatione parochialis, quæ vacabat per assecutionem alterius) Gonz. *gl.* 15. *n.* 42. Flores de Mena *q.* 13. *n.* 7. qui etiam dicat, reservationem illam primi vacantis propter assecutionem secundi esse jam antiquatam. & se nunquam vidisse fieri mentionem vel existimationem de tali reservatione, contra Æn. de Falcon. *de reserv. q.* 3 *n.* 12 Cotman. *in pragmat. tit. de reserv. v. execrabilis.* & Partium. *de resign. l.* 7. *q.* 16. *n* 22. porro illa de vacatione & reservatione, si quæ fortè inducitur ob collationem secundi factam per Papam, intelligenda, dum possessio secundi beneficii est pacifica de facto & de jure, pro quo citat Mascard. *de prob. concl.* 183. *n* 12. & Garciam *p.* 11 *c.* 5. *n.* 105. & cum commodo fructuum; eò quòd si fructus vel majorem eorum partem percipere nequeat, non vacet primum; pro quo citat Garciam. *ubi ante. num.* 123. Utrumque quoque tradit Lott. *l.* 2. *q.* 30. *à num.* 9. eò quòd ante perceptionem fructuum non videatur plenè adeptus possessionem; quin & addit *n.* 13. non sufficere hujusmodi perceptionem, nisi etiam lapsus sit terminus, saltem duorum mensium à die adeptionis, intra quem sumi possit conjectura, an possessio sit pacifica; quia nimirum intra illud tempus non moveatur lis aliqua, citátque pro hoc Cassad. & Gabr. & Rot. *in Callagur. beneficii. 22. Jan.* 1622. Unde etiam, ut ait *n.* 14. mos invaluit, in literis Apostolicis, super provisione de incompatibili adjiciendi decretum de dimittendo infra tale tempus, quod computatur à die possessionis pacificè acceptæ, vel certè ab eo, quo stat per provisum, quò minùs possessionem adipiscatur. Unde etiamsi exstet intrusus in beneficio, provisus de eo prorsus excusabitur, indéque evitabitur privatio, & eam consequens reservatio, etsi intra tempus illud beneficium prius non dimittat. Lott. *loc. cit. n* 15. citans Gonz. *gl.* 15. *n.* 116. & Garc. *p.* 11. *c.* 5. *à num.* 101. nequaquam tamen evitabitur privatio, si prorsus omittat facere diligentiam pro executione & extrudendo intruso; dum enim decretum his verbis conceptum est: *vel per te steterit*; virtualiter & expressè præfigit terminum, non tantùm ad assequendum, sed etiam ad adhibendum diligentiam & omnem conatum; nec ampliùs allegari potest impedimentum ex intrusione alte-

alterius, nisi doceatur de diligentia adhibita pro eo detrudendo; esse enim posset, quòd intrusus mox, ut vocatus fuisset coram Executore, vel sponte cessisset, vel fuisset per Executorem decreta immissio, extur bato illo de possessione. Lott. *loc. cit. num.* 16. & 17. contra Garc. *loc. cit. n.* 105. Addit tamen Lott. *n.* 18. quòd, si beneficium impetratum esset plenum, & provisus ideo abstinuisset ab illius assecutione, aut assecutionis attentatione, quòd compertum haberet (vel ut dicitur in summario dictæ *q.* 301.) timeret provisionem sibi factam de jure non subsistere, & possessorem non posse de jure dimoveri à sua possessione, reservationem non afficere provisionem respectu primi beneficii. Notat insuper Chok. quòd quo ad retentionem secundi soleat quandoque Papa dispensare ob merita personæ, vel tenuitatem proventuum, (cujus dispensationis clausulas ibidem refert) in quo casu dicta reservatio, uti dictum ante, suspenditur.

17. Inducit insuper dicta *Extravagans* præter vacationem & reservationem utriusque beneficii inhabilitatem perpetuam personæ, (nimirum quæ cum secundo beneficio retinere intendit primum) tam ad Ordines, quàm ad quævis alia beneficia obtinenda. Porrò notandum, quòd & ipsa hæc *Extrav.* exprimit, per Ordinarios, de quibus in illa, intelligi Episcopos, in quorum diœcesibus beneficia hujusmodi, vel eorum aliqua ipsi, qui ea dimittere debent, existunt & commorantur: debeántque hi ipsi Ordinarii, quam primùm possunt, de beneficiis istis tam dimissis quàm perditis (quia non dimiserunt, adeóque ipso jure illis privati sunt) Sedem Apostolicam certificare, ut hæc de iis disponere possit. Item, quòd beneficia Ecclesiastica, quomodocunque nuncupata, illa hic dicantur curam animarum habere, quæ parochias habent, in quibus cura animarum, non per vicarios perpetuos, sed per rectores aut ministros ipsorum beneficiorum, vel eorum temporales vicarios exercetur. Item quorum ministria ratione beneficiorum hujusmodi competit visitare, inquirere, procurationes recipere, censuras infligere, & ab his absolvere. vide Pirh. *de præb. n.* 342. ubi etiam numeris antecedentibus & consequentibus alias refert Extrav. beneficiorum reservatorias.

Quæstio 544. Reservationes illæ contentæ in binis illis Extravagantibus, fundatæ nimirum in assecutione beneficii incompatibilis cum priori, vel etiam in intentione retinendi simul priùs habitum, vel in quo provisio facta contra decreta Trid. ut intrent, qualiter probandum sit factum, ex quo illæ resultant, ab eo qui hujusmodi beneficia reservata impetrat à Papa?

Respondeo, debere ab illo claré & perspicuè deduci, & plenè justificari factum illud, propter implicitum præjudicium alterius. Lott. *cit. q.* 30. *n.* 7. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 42. & 43. citans pro hoc aliquot clarasa Rotæ *decis.* Et hinc, si impetret beneficium tanquam vacans ob assecutionem alterius incompatibilis, minimè juvari per testes ex publica voce & fama, aliâve probatione semiplenâ. Lott. *ibid. n.* 8. Nec satis erit probare factum assecutionis, nisi etiam etiam certificet perceptionem fructuum. Lott. *n.* 9. Garc. *n.* 44. juxta Rotæ decisionem, quam tamen ait, non videri sibi veram, si requiratur actualis perceptio fructuum. De cetero benè justificato hujusmodi assecutionis facto, plenè intrant reservationes hujus regulæ. Lott. *n.* 14. Neque etiam excusari posset, qui assecutus fuisset incompatibile per assecutionem de facto; ne stultus videretur melioris conditionis quàm sapiens; cùm possessio injusta & perperam accepta in odium capientis habeatur pro justa & legitima. Lott. *n.* 25. & 26. Hoc ipsum tamen, nempe assecutio de facto, sen injustè capta possessio non est sufficiens ad inducendum effectum exectabilitatis, seu reservationem inductam per *Extrav. Execrabilis*, ita ut se amissum censeatur utrumque beneficium; ut enim sit locus dictæ *Extrav.* exigitur in specie, ut quis contendat retinere primum. Lott. *n.* 27. citans Cassad. Lap. Rot. &c.

PARAGRAPHUS V.

De reservationibus contentis in regula secunda & tertia.

Quæstio 545. Quæ beneficia reserventur per regulam secundam?

1. Respondeo: reservantur primò Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales (quæ vox majoris lucis gratiâ, nimirum ut expressè Ecclesiæ Primatum, seu primatiales comprehenderentur, adjecta fuit modernis regulis, dum in antiquioribus non reperitur, ait Chok. *ad reg.* 2. *n.* 7. qui scripsit ad regulas cancell. editas à Paulo V. ut ipse *in rubrica regularum*) Episcopales, nec non omnia virorum monasteria, valorem annuum 200. florenorum auri communi æstimatione excedentia (quem excessum in literis exprimi voluit hæc regula) quomodocunque vacantia, & imposterum vacatura.

2. Circa quod notandum Primò, hanc reservationem inductam ad vitandas discordias, contentiones & lites, quæ ex electione canonicorum oriebantur. Castrop. *p.* 18. *n.* 2. Secundò reservari has Ecclesias majori enim latitudine, quàm reserventur per *Extrav. ad regimen.* & regulam primam, dum ibidem reservatæ non sint, nisi quatenus vacaverint. Castrop. *ibid.* ex Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 30. *q.* 10. Tertiò, intelligendam reservationem hanc de monasteriis non quibuscunque, sed iis solùm, quæ monachis destituta, vel solita dari in commendam, dicta alias Consistorialia; eò quòd de iis consistorialiter per viam schedulæ provideri soleat. Chok. *ad hanc reg. n.* 20. citans Gomes. *in fine. q.* 45. *de Surrogat. collitig.* Mandos. *ad hanc reg. q.* 3. *n.* 3. Germon. *de indult. Card.* §. *regularia. n.* 7. Castrop. *n.* 3. citans insuper Azor. *ubi ante. c. ult. n.* 10. & Gonz. *gl.* 51. *n.* 10. & 59. Quartò hâc reservatione non derogari juri, quod habent Reges, sive ex privilegio, sive ex consuetudine ad nominandum seu præsentandum in dictis Ecclesiis. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 219. citans Rebuff. *in pr.* 3. *part. signaturan.* 64. Covar. *pract. qq. c.* 36. *n.* 2. & 6. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Barb. *de pot. Ep. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 85.

3. Secundò reservantur dignitates & beneficia omnia spectantia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Primarum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum aliorúmque quorumcunque collatorum ac collatricum, sæcularium & regularium, quæ post dictorum collatorum obitum, aut Ecclesiarum seu monasteriorum, vel aliarum suarum dignitatum dimissionem, amissionem, vel privationem seu translationem, vel alias quomodocunque, usque ad provisionem successoris in eisdem Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, Apostolicâ auctoritate faciendam, adeptamque ab eodem successore pacificam possessionem vacant, & vacabunt imposterum.

4. Circa quæ notandum primò, hanc, uti & sequentem contentam in hac regula reservationem, esse inductam à Pio V. quam postmodùm alii ipsius successores laudârunt, & regulis cancellariæ à se editis inseruerunt. Chok. *ad hanc reg. n.* 8.

5. Secundò Notandum, extendi hanc reservationem quoque ad ea beneficia, quæ jure devoluto spectabant ad Episcopum, Archiepiscopum &c. reservantur enim hâc regula beneficia quomodolibet spectantia ad collationem Episcopi; terminus autem ille *quomodolibet* videtur comprehendere non solùm pertinentia ad collationem Episcopi jure proprio, sed & jure devoluto. Castrop. *loc. cit. n.* 7. ex Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 256.

6. Ter-

6. Tertiò extendi illam ad beneficia vacantia post renuntiationem Episcopatûs admissam à Papa, & post translationem ad alium Episcopatum, etiam antequam talis Episcopus notitiam habeat admissæ suæ renunciationis, aut factæ translationis sui, eò quòd, licèt, dum dictam notitiam non habet, pergere possit administrare Episcopatum, beneficia tamen conferre nequeat, cùm hæc inter fructus Episcopi numerentur, qui à die admissæ renunciationis vel translationis Episcopo non debentur. Garc. *loc. cit. n.* 246. & ex eo Castrop. *loc. cit. n.* 6. ait tamen Garc. *n.* 245. hoc ipsum non habere locum in beneficiis simultaneæ collationis divisæ per turnos vacantibus in turno Episcopi, durante penes illum administratione Episcopatûs, usque ad notitiam admissæ renonciationis vel translationis, eò quòd aliàs pertinerent ad collationem Capituli.

7. Quartò sic limitandum, ut non intret, ubi collatio beneficiorum spectantium aliàs ad collationem Episcopi, Sede Episcopali vacante, spectaret ad alium, & non reservaretur successori futuro, cùm hæc regula non intendat tertio præjudicare. Garc. *cit. c.* 1. *n.* 244. citans Rot. *in una Gerundensi benefic.* 31. *Maji* 1600.

8. Quintò sic limitandam hanc reservationem, ut ipsamet habet regula, & declarant Castrop. *n.* 4. Garc. *loc. cit. n.* 22. 9 Barbos. *ubi antè. n.* 90. ut non intret, dum provisio dictorum beneficiorum non spectat integrè & privativè ad Archi-Episcopos, Episcopos, &c. sed v. g. præsentatio vel electio sit penes alios, & confirmatio vel institutio penes Episcopum, dum provisio est penes Episcopum & simul apud alium, v. g. Capitulum; non enim tunc beneficia dicta censentur reservata, si vacent vacante Sede Episcopali, Abbatiali, ne vel sic quoque juri alterius, quàm Ordinarii derogetur, quod Pontifex non intendit, dum solùm jus, quod Ordinariis illis morientibus, renunciantibus, amittentibus suas Ecclesias competebat, avocare sibi velit. Unde etiam in casu, quo provisio beneficiorum (dum ea pertinet ad Episcopum & Capitulum) divisa est inter Episcopum & Capitulum per turnos, ita ut uno mense provideat Episcopus, altero Capitulum, reservatum non est beneficium vacans, vacante Episcopato, non solùm tunc, quando turnus spectaret ad Capitulum, sed etiam ubi is spectaret ad Episcopum, eò quòd in hoc casu, deficiente Episcopo, succedat jure proprio Capitulum in collatione talis beneficii, quia jus illud conferendi beneficium jure communi Episcopo & Capitulo unicum & indivisum est, & solùm ex concordia exercitium dividitur per turnos, adeóque deficiente Episcopo, jus integrum in Capitulo radicatur, & sic in reservatione beneficiorum pertinentium ad provisionem Episcopi tale beneficium comprehendi nequit. Garc. *loc. cit. n.* 235. (ubi etiam *num. sequentibus*, potissimùm *à n.* 238. pulchrè explicat, qualiter proprietas juris in dicto casu maneat indivisa, & Capitulum Sede vacante utatur jure suo. Item *n.* 243. qualiter provisiones tum factæ à Capitulo, Sede vacante, neutrius turnum consumant, aut alterent.) Chok. *ad reg.* 2. *n.* 13. Castrop. *loc. cit. n.* 5. citans pro hoc Gonz. *gl.* 45. *n.* 49. Barb. *alleg.* 57. *n.* 90.

9. Contrarium dicendum, (nimirùm intrare reservationem hanc, & reservatum esse beneficium tale, vacante Episcopatu) ubi etiam non tantùm exercitium, sed etiam ipsum jus conferendi divisum esset inter Episcopum & Capitulum, ut deficiente Episcopo, de eo providere nequiret Capitulum, sed ad futurum Episcopum spectaret. Castrop. *ibid.* Garc. *n.* 244. Barb. *n.* 90.

10. Quòd si tamen ad Episcopum solum spectaret electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio pertineret ad alium, vel etiam communis esset Episcopi & aliorum, adhuc intratura hanc reservationem, & esse tale beneficium vacans, Sede Episcopali vacante, reservatum Papæ, (sicut econtrà, ut jam dictum, dum præsentatio vel electio pertineret ad alium, & confirmatio, vel institutio, vel collatio ad Episcopum, non intraret hæc reservatio) tenet Garc. *loc. cit. n.* 230. *&* 231. eò quòd attendenda sit prima dispositio beneficii. Item intrare reservationem hanc, dum Episcopus habet conferre, non tamen sine consilio aut consensu alterius, tradit *ibidem* Garc. *num.* 233.

11. Sextò sic ulteriùs limitandam, ut non extendat se ad beneficia, quorum collatio spectat ad dignitatem aliquam, dum ea ipsa dignitas reservata non est Papæ, (putà, quia non est prima post Pontificalem, neque vacavit in mensibus reservatis) cùm dicatur in regula: *Vacantia usque ad provisionem successorum ad easdem Ecclesias, dignitates, &c. faciendam auctoritate Apostolicâ.* Castrop. *n.* 8. citans Garc. *ubi suprà num.* 256.

12. Septimò sic etiam limitandam, ut, dum dicitur in ea, quòd reserventur beneficia vacantia tempore, quo vacat Episcopatus, & successor de novo provisus non capit possessionem, subintelligatur, nisi de novo provisus, sit Cardinalis; Cardinales enim, ratione hujus supremæ dignitatis, providere possunt beneficia eo ipso, quòd à Papa hâc dignitate provisi sint, etiam absque literis ostensis, & captâ illius possessione. Castrop. *loc. cit. n.* 4. ex Gonz. *gl.* 24. *à n.* 6. ait tamen Garcias *n.* 253. se valdè dubitare, num non etiam comprehendantur Cardinales, cùm regula 67. hanc comprehensionem videatur valdè urgere.

13. Octavò, ut locum non habeat hæc regula tam quoad hanc posteriorem sui partem, quàm quoad primam in Germania, utpote in qua per concordata (servatis tamen modificationibus in iisdem concordatis contentis) admittitur libera electio Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, & ad monasteria, etiam immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, nisi in casibus exceptis in *Extrav. ad regimen.* Hæc enim *Extravagans* ipsis concordatis inserta est; quoad alias verò dignitates & beneficia quæcunque, tam regularia, quàm sæcularia, (exceptis majoribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus & principalibus in Collegiatis) reservat ea omnia sibi Papa in dictis Concordatis, dum vacaverint in mensibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, Novembris. Item electi Episcopi aliique collatores provident de beneficiis ad suam collationem spectantibus, dum ea vacare contigerit, Sede vel dignitate vacante. Chok. *ad hanc regulam. n.* 2. & ex eo Pith. *de prab. n.* 347.

14. Sed neque regula hæc ligat Gallos propter similia concordata, vi quorum Rex nominare potest ad Archi-Episcopatus, Episcopatus, Abbatias, monasteria, ita ut ea dein Papa nominatis conferat. Chok. *loc. cit. n.* 18. qui etiam *n.* 3. ait, Regem Galliæ jure, ut vocant, Regaliæ, (quod est species quædam jurispatronatûs excellentioris) vacante Sede Episcopali, Ecclesiæ proventus administrare, beneficiáque ipso facto vel jure vacantia, quamdiu Ecclesia Pastore suo viduata, conferre, fundaréque se in hoc Gallos antiquissimâ consuetudine & Pontificum Indulgentiâ ac privilegio, ob ingentes donationes & fundationes Ecclesiarum ab eorum Regibus factas, citátque *ibidem* plures, qui de hoc Regalium jure scripserunt.

Quæstio 546. Quæ beneficia reserventur per regulam tertiam?

1. Respondeo primò: reservantur omnes dignitates majores post Pontificiales in Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis & Patriarchalibus, nec non valorem 10. florenorum anni communi æstimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis.

2. Circa quod observandum primò, quòd, dum dicuntur reservari omnes dignitates majores in Cathedralibus, & omnes principales in Collegiatis, *Tò omnes* respiciat pluralitatem Ecclesiarum, non verò pluralitatem dignitatum majorum vel principalium ejusdem Ecclesiæ, esto plures sint in eadem Ecclesia, quæ fini & vocentur majores vel principales. Ita ut reserventur, etiamsi sit unica dignitas major in

Cathedrali, & principalis in Collegiata. Garc. *p. 5. c. 1. n. 264.* Castrop. *p. 19. n. 13.* citans Barb. *de potest. Episcopi. alleg. 57. n. 200.* & Gonz. *gl. 21. n. 7.* Quòd si tamen in eadem Ecclesia essent duæ vel plures dignitates æquè præcipuæ ac principales, omnes censebuntur hâc reservatione comprehensæ; cùm non appareat ratio, cur potiùs unam, quàm aliam afficiat. Garc. *ubi ante. n. 201.*

3. Secundò observandum, intrare hanc reservationem in dictis Ecclesiis, esto in iis non sit, nisi unica dignitas. Garc. *n.* 267. Castrop. *n.* 4. Lott. *l. 2. q.* 33. *n.* 30. dicens, hanc sententiam hodiedum esse receptiorem & tenendam. citant hi tres Simon. *q.* 85. *n.* 4. Gonz. *gl. 9. §. 4. n.* 18. & Rotam in una *Turritana Archipresbyteratus. 7. Maij.* 1574. contra Gomes. *de exspectativis. n. 46.* & Zerol. *in pr. P. 1. V. dignitas.* §. 1. Mandos. Card. Felin. Mius. & alios, quos citat Chok *ad hanc reg. n.* 24. plura pro hoc argumenta citat Simonet. *cit. q.* 85. *n.* 5. 6. 7. licèt enim *Tò major*, & *Tò principalis* utpote termini comparativi, sæpè supponant positivum, respiciántque alia, respectu quorum majoritatem & principalitatem habeant, sæpè tamen non nisi pro positivo accipiuntur, uti & terminus ille *primogenitus*, ut pulchrè declarat Parladorus *l. 1. rerum quotidian. c.* 7. & Alciat. *in l. illa verba.* & *l. proximus. de verb. signif.* non enim sumuntur tam positivè, quàm negativè, ut sensum habeant: illa est suprema & major dignitas, quâ nulla major est. Castrop. *loc. cit.*

4. Tertiò notandum, quòd si prima dignitas unita est Capitulo, non subjacet huic reservationi; quia vi unionis quasi consopitur, & reputatur, ac si non esset; proinde dignitas, quæ in ordine ei succedit, reputabitur prima, & huic reservationi subjacebit. Garc. *n.* 269. citans pro hoc Rot. *in Verdu. Diaconatus. 9. Martij.* 1580. Castrop. *n.* 5. citans Barb. *n.* 102. Riccium &c.

5. Quartò observandum, simili ratione, ubi prima seu major ex concurrentibus dignitatibus est expers reservationis, putà, si esset de jurep. Laicalis, majoritas hæc nihili penderetur, quo minùs ei in ordine ad effectum hujus reservationis succederet altera. Lott. *l. 2. q. 33. n.* 34. citans aliquot Rotæ *decis.*

6. Quintò observandum, ut dignitas subjaceat reservationi, debere esse actu, & non solùm in potentia primam; sic casu quo dignitas aliqua erecta vel evecta esset in primam sub conditione aliqua, quæ tempore illius dignitatis necdum erat purificata: item si esset erecta in primam seu majorem habendam pro tali non nisi post mortem obtinentis nunc primam, non subjacebit huic reservationi, Garc. *n.* 257. citans Gonz. *gl.* 51. *n.* 58. Castrop. *n.* 2. qui etiam addit, procedere, licèt in erectione adjecta sit Clausula: *ex nunc prout ex tunc*; cùm clausula hæc, etsi efficax sit ad retrotrahendum effectum à die datæ, hoc intelligendum tamen non sit, nisi quando conditio purificata. Addit tamen Garz. *n.* 258. & ex eo Chok. *l. c. n.* 22. quòd, si tamen dignitas talis, quæ tempore vacationis necdum erat prima, ante provisionem verò effecta est prima (quia fortè jam impleta conditio, vel mortuus est, qui dignitatem aliàs primam obtinebat) adhuc fore subjectam huic reservationi; uti & è converso, dum dignitas, quæ modò actu est prima, post vacationem imposterum desinet esse prima, & ipsa adhuc comprehenditur hâc reservatione. Garc. *num.* 259.

7. Sextò notandum, quòd, etsi dignitas aliqua Ecclesiæ Cathedralis ibidem non sit major, si tamen in Collegiata aliquam haberet præeminentiam & jurisdictionem, adhuc subjecta sit huic reservationi, quia absolutè est prima in Collegiata. Garc. *num.* 260. Castrop. *n.* 2. citans Gonz. & Barb. Lott. *l. 2. q.* 33. *n.* 22. & sic expressè habent ipsa verba hujus regulæ, quæ per modum appendicis eidem posteriores Innocentio VIII. Pontifices adjecerunt, ut videre est apud Chok. *ad hanc regulam. num.* 16. ubi etiam quòd locum non habeat hæc regula in Germania, ubi vi Concordatorum ordinario jure de illis dignitatibus providendum per illos inferiores, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quæ alia dispositio spectat. Similia habet *ad reg. 8. n.* 3. quæ, si accipiantur de dignitatibus in Cathedralibus post pontificalem majoribus & principalibus in Collegiatis, patet id manifestè falsum esse, cùm expressè in Concordatis Germaniæ, in §. *item placet. sub finem.* excipiantur hæ dignitates, & Pontifex eas sibi reservet. Vide Engels *ad tit. de præb. n.* 50. Pirh. *ad tit. eundem. n.* 362. nisi tamen Ecclesiæ aliquæ desuper speciale indultum Apostolicum habeant; v. g. Salisburgensis & Augustana eligendi Præpositum, ut Pirh. *ibid.* Quòd si autem accipiantur de iis dignitatibus, ad quas in memorata appendice adjecta extenditur hæc reservatio majorum dignitatum etiam Cathedralium & principalium in Collegiatis, ad eas dignitates, quæ, etsi non sint majores in Cathedralibus, ex Apostolicæ tamen Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel aliàs quovis modo in Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, ut loquitur dicta appendix, verum est, quòd hæc appendix, seu hæc regula quò ad hanc appendicem locum non habeat in Germania; cùm per Concordata his dignitatibus provideatur jure ordinario per illos inferiores, ad quos aliàs collatio, præsentatio, vel electio spectat.

8. Denique notandum ad dignoscendum, quænam sit major vel principalis dignitas, ubi duæ vel plures concurrunt, ante omnia spectandum, quid fuerit ab initio constitutum in erectione ipsius Ecclesiæ aut dignitatis, ut, si de hoc liqueat, ab eo non sit recedendum. Lott. *loc. cit. num.* 31. citans Abb. *c. de multa. de præb. num.* 22. Cassan. *in Catal. gloriæ mundi. p. 4. consid.* 41. Gamb. *de auct. Leg.* Selv. &c. additque *num. 32. & seq.* standum quò ad hæc libris ipsius Ecclesiæ, præcipuè, si essent antiqui & bene custoditi, idque multò magis, si essent adminiculati in annalibus seu chronicis; cùm scriptoribus annalium & historiarum plurimum defertur; idque etiamsi tales scriptores loquerentur de alieno auditu, non autem de proprio sensu. Ubi verò non constat de hujusmodi fundatione, & institutione, potiores partes sibi vendicat consuetudo, (putà, Ecclesiæ, de qua agitur, aut eâ deficiente, Provinciæ, in qua sita est Ecclesia) quæ in hac materia magis attenditur quàm jus commune, ut Beltram. *ad Gregor. decis. 441. num.* 5. & quemadmodum consuetudo seu sola communis reputatio sufficit pro constituenda dignitate, ita ut ea, quæ communiter reputatur esset dignitas, hoc ipso evadat talis, etsi aliàs de jure non esset dignitas, ut Paris. *de resign. l. 2. q. 1. num.* 83. Mandos. *ad reg. 3. q. 1. num.* 2. Menoch. *cons. 257. num. 36. &c.* apud Lott. *loc. cit. num.* 29. sic pari & fortiore ratione consuetudo potest facere dignitatem aliquam majorem vel minorem aliâ. Lott. *num.* 36. citans Boët. *decis. 286. num.* 1. Card. *cons. 62. num. 1. &c.* Sic in Gallia & Hispania, ut Castrop. Decanatus est major dignitas: alibi, & præsertim in Germania Præpositura. In collegiatis verò ille habet majorem dignitatem, qui toti Canonicorum collegio præest. Pirh. *de præb. num.* 349. Castrop. *num.* 2. citans Azor. *d. c. 34. q.* 10. Paris. *ubi ante num.* 83. Jam autem etiam, præscindendo à consuetudine, & ceteris paribus, expendendæ sunt circumstantiæ hujusmodi, quæ magis conspicuam reddunt ipsam dignitatem unam præ altera. Lott. *num.* 45. Quæ vel se tenent ex modo assistendi in divinis, ut dum quis ibidem digniore utetur ornatu, potissimùm si ornatus esset pontificalis, putà, si quis uteretur mitrâ; dum enim vestis deferenda est pro ratione cujusque dignitatis, juxta *c. vestimenta. de consecratione. d.* 1. & *l. sed etsi. ff. de usuf.* & ex qualitate extrinseca ornamentorum personæ, colligitur etiam majoritas dignitatis, juxta *cap. ut Apostolica. de privil. in 6.* consequens est, eum digniorem reputari, qui dignioribus indutus vestibus. Cassan. *in Catal. gloriæ mundi. p. 7. consid.* 44. Lott. *à num.* 46. Aut præstantiorem ibidem locum occuparet; Sedes enim nobilior assignatur ei, qui majorem obtinet dignitatem. Lott. *num.* 40. cit.

Gamb.

Gamb. *de off. Leg. l. 3. n.* 107. Bald. *l.* 1. *conſ.* 87. *in princ.* Card. &c. juxta quod notant Gl. & DD. *in l. decernimus. c. de ſacroſ. Eccleſiis.* Aut ex præſtantia muneris, quod ibidem quis ubit. Lott. *n.* 51. citans Caſſan. *ubi ante n.* 42. Conſiderandus etiam honor, qui alicui exhibetur, ſive is conſiſtat in obſequio ſimplici, ſive in emolumento, cùm ſtipendia meliora deſignent, aliquem eſſe magis acceptum Principi, & majoris virtutis; juxta *l. nemo. c. de off. magiſt.* & Gl. *in c. de multa. de preb.* Lott. *n.* 52. Conſideranda denique majoritas adminiſtrationis; dum videlicet ea eſt cum, vel abſque juriſdictione. Cui etiam quandoque accedit ſignum aliquod intrinſecum, ut Cuſtodia ſigilli capitularis, vel extrinſecum, veluti, ſi ſceptrulum aut virgam aliquam præ manibus geſtet, utpote quod geſtamen ſignum eſt imperii alicujus & juriſdictionis. Lott. *à n.* 33. citans ſeipſum, *q.* 16. *à n.* 47. & Caſſan.

9. Decætero pro efformanda dignitate ad effectum hujus reſervationis minimè exigi juriſdictionem, ſed ſufficere adminiſtrationem, cui cohæreat ſimplex præminentia, ita ut hæc adhærens ei præeminentia verè ac propriè dicatur dignitas, cujus exemplum habes in Theſauria ſeu Cimeliarchatu, tradit Lott. *à n.* 23. citans Oldr. *conſ.* 150. *n.* 3. Abb. *in c. de multa. n.* 23. Maſcar. *conſ.* 515. *n.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 3. *c.* 13. *q.* 2. *&* 5. *&c.* hæc veluti exemplificans addit Chok. *ad reg.* 2. *n.* 20. ex Mandoſ. & Boër. quòd licèt Præpoſitus Eccleſiæ collegiatæ haberet ſeſſionem ſupra Decanum, quia tamen Decanus haberet alias præeminentias, purà juriſdictionem & curam in eligentes, & cæteros dictæ Eccleſiæ Clericos, Decanatum eſſe dignitatem principaliorem; idque conformiter *ad deciſ.* Rotæ 451. *in novis.* ubi dicitur illa dignitas major, in qua concurrunt hæc tria: quòd ſit electiva, quod habeat adminiſtrationem bonorum temporalium, prærogativam ſtalli in choro, & vocis in Capitulo; verùm hæc, præſcindendo, ut dictum, à conſuetudine vel inſtitutione contraria.

10. Secundò reſervantur in hac regula Prioratus, Præpoſituræ, Præpoſitatus, aliæque dignitates conventuales, & Præceptoriæ generales Ordinum quorumcunque, ſed non militarium. Circa quod notandum primò, comprehendi hic dignitates principales, conventuales, regulares perpetuas, ſeu monaſteria Regularium, quæ non reguntur per Abbates (de his enim agit regula præcedens) ſed per Priores & Præpoſitos, quorum electio non fit à Religioſis ſimul congregatis, quæque, ut addit Caſtrop. dari ſolent in Commendam; nequaquam autem comprehendi Prioratus, Præpoſituras, aliaſque dignitates ſæculares, aut etiam regulares non perpetuas, ut ſunt Ordinum mendicantium. Garc. *cit. c.* 1. *n.* 271. & 272. Pirh. *de preb. num.* 349. Chok. *ad hanc reg. num.* 28. Caſtrop. *cit. p.* 19. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 10. Gonz. *gl.* 51. *num.* 59. Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 57. *n.* 103.

11. Secundò notandum, dum hic excipiuntur Prioratus Ordinum militarium, ut ſunt S. Joannis Hieroſolym. ſeu Melitenſ. S. Mariæ Teutonicorum, S. Jacobi Calatravæ in Hiſpania ob præclara eorum in Eccleſiam merita, non excipi Prioratus Ordinum, qui ex inſtituto proprio non militiæ, ſed hoſpitalitati dant operam. Authores *cit.* vide Caſtrop.

12. Tertiò reſervantur beneficia quæcunque familiarium Papæ, nec non Cardinalium continuorum commenſalium, etiamſi ſolùm jus ad ea obtinuerint. Circa quæ notandum primò, familiaritatem in ordine ad hanc reſervationem dici illam, quæ ex officio (ſumendo officium latè pro certo obſequio domeſtico erga perſonam ipſius Domini, etiamſi verſetur in coquendo cibos) & in ipſius officii contributionem reciprocè præſtita commenſalitate conſurgit; ita ut ad hunc effectum requiratur certa deputatio ipſius Domini, factáque ab eo electio perſonæ ad tale miniſterium ex animi ſententia, ſine fraude vel fictione, cui reciproca ſit commenſalitas, eáque continua, ſaltam per quatuor menſes, adeo, ut non attendatur commenſalitas habita alio reſpectu, quàm certi hujus miniſterii, ſeu ſervitii erga perſonam Domini. Et ſi ex alia cauſa, quàm obſequii & miniſterii hujuſmodi, ſuppeditarentur alicui alimenta, nequaquam concluderetur ad familiaritatem, quantumcunque in cauſa foret officium aliquod ſeparatum à miniſterio extra cultum perſonæ ipſius Domini. Lott. *l.* 2. *q.* 35. *num.* 6. Gomeſ. &c. Ac ita demum ad effectum hujus reſervationis veri familiares & Commenſales Papæ ſunt, quotquot Officiales Papæ in palatio deſerviunt, aut cuſtodiam faciunt, & hinc ex palatio panem habent, etiamſi ibi non habitent, nec in tinello comedant, aut panem & cibos in natura, ſed ſalarium ſeu mercedem in pecunia, ſeu expenſas cibarias recipiant. Caſtrop. *loc. cit. n.* 7. citans Simonet. *q.* 35. Farinac. *deciſ.* 69. *num.* 3. *in novis.* &c. Quin & abſentes dici poſſe familiares, & continuos commenſales, quando pro negotiis Domini animo redeundi abſunt; quin &, ſi pro ſuis negotiis abſint, & interim ſuis expenſis vivant; quia præſumuntur animo redeundi abeſſe; ſi tamen ultra quinquennium ſic abſint, præſumitur animi mutatio, & ſic caſſatur familiaritas, ut tradit Chok. *loc. cit. num.* 33. ex Simonet.

13. Verumtamen & præter hos dantur familiares ex privilegio, in quibus etſi jam dicta deficiant, ſolùmque panem honoris, ut ait Lott. *cit. q.* 32. *num.* 23. ex palatio Papæ habeant, & nihil percipiant præter emolumenta ſuorum officiorum venalium; eo ipſo tamen, quòd Pontifex, nempe Paul. 3. in *conſtit. ſua.* 78. ut Caſtrop. quam Lott. dicit eſſe tertiam hujus Papæ in novo Bullar. & Julius 3. in *conſtit. ſua.* 44. illos declarant pro veris familiaribus, & continuis Commenſalibus in omnibus ac per omnia, ac etiam in ſpecie in ordine ad effectum hujus reſervationis verè tales reputantur, & non per fictionem juris. Caſtrop. *loc. cit.* Lott. *loc. cit.* & *l.* 2. *q.* 29. *n.* 2. Tales igitur ſunt Secretarii Apoſtolici, ſcriptores Apoſtolicarum literarum, Cubicularii, Milites S. Petri, Protonotarii non participantes ſeu ſupernumerarii (de quibus ſpecialiter vide Lott. fusè. *l.* 2. *q.* 28. præcipuè *num* 45.) ſcutiferi, ſubdiaconi, Rotæ Auditores &c. Caſtrop. & Lott. *ll. cit.* de Conclaviſtis autem ſpecialiter ait Garc. *cit. c.* 1. *num.* 311. *&* 312. quòd etſi veros illos familiares declarârit Sixtus V. id tamen ſolùm intelligendum de conclaviſtis conclavis, in quo ipſe fuit electus in Papam, ac proinde locum non habere in aliis, niſi adſit ſimilis conſtitutio, qualem etiam fecit Paul. V. de Conclaviſtis ſui conclavis, & Leo X. de ſuis.

14. Porrò Cardinales ipſi familiares non ſunt Papæ, (intelligendo hoc de familiaritate, de qua loquitur hæc regula, ſeu vi cujus verè dici poſſunt Commenſales, & comprehenſi hac regulâ) etſi à Papa panem honoris habeant, ſuntque de cetero ejus familiares eo reſpectu, quòd ſe obſequiales exhibeant Papæ, & quidem plus quàm alii. Lott. *cit. q.* 32. *num.* 69. citans Gomes. *ad hanc regulam. q.* 13. *n.* 11. Unde etiam familiares Cardinalium dici nequeunt familiares familiarium Papæ.

15. Quemadmodum etiam, quia Auditor Rotæ, hoc ipſo quòd ſit familiaris Papæ, eſſe non poteſt familiaris Cardinalis, etiamſi eum comitetur in legatione, (ſicut enim familiaritas Papæ ſuperinductâ familiaritate Cardinalis illam præfocat & extinguit, ut Gonz. *gl.* 51. *n.* 66. ita ſi præceſſerit, impedit effectum hujus familiaritatis. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *num.* 77. *&* 78.) ita familiaris Auditoris Rotæ dici non poteſt familiaris Cardinalis, ſeu familiaris mediatè familiarium, quin nec talem familiarem Auditoris Rotæ cenſeri contrahere familiaritatem cum Cardinali, licèt in Tinello comedat cum aliquibus familiaribus Cardinalis, ait Chok. *ad hanc reg. num.* 32. ex Creſcentio *deciſ.* 5. *de preb.* ac proinde per hoc, quòd reſervata eſſent beneficia familiarium Papæ, dici non poterat hoc ipſo reſervata eſſe beneficia familiarium Cardinalium; ſed neceſſe erat, ut reſervatio hujus regulæ ſe in individuo & expreſſè ad familiares Cardinalium extenderet. Lott. *cit. num.* 69. *&* 70.

16. Applicando nunc eadem familiaribus Cardinalium, illorum familiares & commensales in ordine ad effectum hujus reservationis sunt, qui ad honestum eorum servitium deputati, tanquam famuli seu servitores illis deserviunt, & ob eam causam eorum expensis aluntur. Castrop. *l. cit. num.* 9. Garc. *loc. cit. num.* 314. Quales quia non sunt Cardinalium nepotes, Consanguinei, Amici, aliive ex eleemosyna, aliáve de causa expensas victûs, aut etiam mensam ipsam à Cardinali, in ejus etiam domo, habentes, hâc reservatione non comprehenduntur. Castrop. *loc. cit.* citans Mascard. *de prob. Concl.* 755. *num.* 3. & Barb. *de pot. Ep. alleg.* 57. *num.* 11. Garc. *loc. cit. à num.* 314. Chok. *ad hanc reg. num.* 37. Item quia tales servitores & famuli Cardinalium non sunt eorum Vicarii, visitatores (Auditores Generales ut Lott.) provisores, similésque ab iis designati in eorum Episcopatibus, Archidiaconatibus, Abbatiis &c. etsi à Cardinalibus expensas, seu mensam aut salarium in stipendium accipiant; sed potiùs Officiales seu Judices appellantur, & titulo hujus officii salarium accipiunt. Quin & potiùs dignitati, quàm personæ Cardinalis deserviunt, ad eorum beneficia hæc reservatio se non extendit. Castrop. *loc. cit. n.* 10. citans Gonz. *gl.* 51. *n.* 66. Chok. *ad hanc reg. num.* 135. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *num.* 127. Garc. *n.* 318. *& seq.* contra Seguram de Avalos *in directorio judicum fori Eccl. p.* 1. *c.* 14. *n.* 34. censentem, judices ordinarios vel delegatos Episcoporum venire appellatione famulorum, & communi usu loquendi dici famulos. Item contra Simonet. Mandos. & Rotam, quos tamen hoc ipsum intelligere, ait Garc. *n.* 322. de iis, qui ex verè familiaribus & continuis commensalibus Cardinalis assumpti in Vicarios, Visitatores &c. eò quòd hi ob Vicariatum non videantur dictam familiaritatem amittere, sed potiùs continuare, cùm maneant in servitio Cardinalis, ejúsque expensis vivant, & hoc ipsum docet Chok. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 322. qui tamen addit contrarium esse, nimirum amittere familiaritatem, & non reservari ejus beneficia, qui constitutus à Cardinali Vicarius sine salario & expensis. Quod utique intelligendum de beneficiis, quæ acquirit talis post sui in Vicarium assumptionem, & non de iis, quæ jam habuit ante Vicariatum, seu tunc, quando durabat familiaritas; hæc enim etiam post dimissam familiaritatem manent reservata, ut dicetur paulò post ex eodem Garcia. Item quia talis non videtur esse, qui Cardinalem accedebat gratiâ docendi eum literas græcas, hebraicas, vel latinas, eò quòd etsi ob eam causam ei portionem vini & panis ministrare jubebat, non faciebat hoc tanquam familiari, sed tanquam Magistro, non subjacere ejus beneficia reservationi, tradit Sarmiento apud Garc. *num.* 319.

17. Secundò notandum, hanc reservationem extendere se etiam ad beneficia familiarium unius Cardinalis, etiamsi ea aliàs spectarent ad collationem ordinariam alterius Cardinalis; cùm regula hæc loquatur generaliter & universaliter de quibuscunque beneficiis familiarium; ea autem sit natura generalis sermonis, ut includat omnes casus, etiamsi in uno sit major ratio, quàm in altero. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *num.* 79. *&* 80. contra Æn. de Falcon. & Sarnens. Et in specie, ubi dispositio est concepta per verba universalia, & illius ratio proportionalis ad Cardinales, ii sub ea comprehenduntur, præterquam si de auferendo jus aliquod Cardinali concessum intuitu cardinalitiæ dignitatis agatur. Unde cùm aliàs ligentur quoque Cardinales regulis Cancell. ut perpetuò tenuit Rota, item Pavin. & Felin. *in c. ad aures. de rescript. n.* 11. Selva. *p.* 3. *q.* 12. *n.* 31. *&c.* nihil est, quin etiam subjiciantur huic regulæ, quò ad præsens punctum, ut expressè Rota in *Ferrariens. Canonicatus.* 30. *Martii* 1626. Quod & inde patet, quòd in indultis Cardinalium, tam secundùm novam, quàm antiquam formam expressè eis concedatur facultas conferendi beneficia vacantia per obitum familiaris Cardinalium, quod necessarium non fuisset, si eorum ordinarii collatores non fuissent comprehensi sub hac tertia regula. Lott. *à n.* 83. Neque his obstat, quòd *in reg.* 30. vel, ut Lott. 33. dicantur beneficia hujusmodi familiarium pertinere ad dispositionem Cardinalis ordinarii Collatoris, præterquam enim, quòd in hac regula non fiat mentio hujus regulæ tertiæ, ut propterea nequeat considerari aliqua ejus modificatio per regulam illam 30. ut Cassad. *decis.* 38. *super regulis. n.* 11. regula ista 30. restringetur ad casum, quo cessent reservationes Apostolicæ, ut exprimitur in ipsa regula; ac proinde in Cardinale ordinario Collatore supponit indultum conferendi reservata, adeò, ut regula illa 30. censeatur famulari isti indulto. Lott. *à num.* 90. tametsi hodiedum ista indulta Cardinalium ita modificata sint per Constitutionem Gregor. XIV. & Pauli V. ut jam beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium, sive intra sive extra Curiam, etiamsi ad alterius Cardinalis collationem vel aliquam dispositionem pertineant, sint reservata, neque ullo modo ad collationem Cardinalis ordinarii Collatoris pertineant; neque si præsens sit in Curia, tunc consensus istius requiri debeat. Item in tantum, ut regula illa 30. de nihilo inserviat, præterquam si Papa vellet concedere indultum specificè conferendi, nempe beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalis cum sufficiente derogatione dictarum constitutionum. Lott. *à n.* 93. His non obstante, quòd post mortem conditorum istarum constitutionum (quæ aliàs perpetuæ & non temporaneæ sunt, ut ostendit Lott. *n.* 96. *&* 97.) eadem regula 30. per successores fuerit innovata, & cum aliis impressa, cùm censeatur innovata cum eodem moderamine illi injecto per dictas Constitutiones; minimè enim novum est, etiam leges abrogatas unà cum aliis non abrogatis promulgari, saltem ut earum notitia habeatur, & constitutionem manere perpetuò abrogatam, etsi cum aliis non abrogatis maneat in eodem volumine. Lott. *num.* 98. *&* 99. ex Abb. *in c. novit. de judiciis. num.* 33. & Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœm. num.* 259. Addit Lott. *n.* 110. hoc ipsum procedere, etiamsi idem Cardinalis esset patronus, & simul ordinarius collator, sive dum ipse Cardinalis est ordinarius collator dicti beneficii, quod ipsum per plures num. *ibid.* probat Lott. & *num.* 109. ait, idem esse, sive dictus Cardinalis patronus & simul collator ordinarius sit præsens, sive absens à Curia; quin nec opus esse requirere ejus consensum.

18. Tertiò notandum, hanc reservationem se extendere quoque ad beneficia eorum, qui sunt familiares familiarium Papæ vel Cardinalium, dum hi familiares familiarium designati sunt à Papa vel Cardinali, & aluntur expensis ipsius Papæ vel Cardinalis; secus est, si absque ulla assignatione pontificia, vel Cardinalis alantur ultroneè expensis ipsius familiaris Papæ vel Cardinalis; in priori enim casu serviendo familiari Pontificis vel Cardinalis verè ac propriè Pontifici vel Cardinali inserviunt, & sunt illius veri commensales; secùs in secundo, utpote in quo tantùm serviunt familiari Papæ vel Cardinalis. Castrop. *cit. p.* 19. *num.* 8. citans Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *num.* 107. Garc. *loc. cit. n.* 321. *&* 329. dicens esse communem, & auctoritate Rotæ firmatam, docétque eam absolutè absque eo, quòd dictam distinctionem faciat, Lott. *l.* 2. *q.* 32. *à n.* 62. potissimùm *n.* 67. Quòd si tamen deficeret sola dicta designatio Papæ vel Cardinalis, non leve ex hoc sumi argumentum ad probandum, reservationem non habere locum in beneficiis dictorum subfamiliarium, ut Castrop. *ibidem.* Quòd si etiam Papa vel Cardinalis familiari suo assignaret alimenta pro se & duobus, v. g. subfamiliaribus absolutè sumptis, absque expressa illorum nominatione, ipséque familiaris plures, quàm duos subfamiliares haberet, nullius illorum subfamiliarium beneficia erunt reservata propter incertitudinem designationis, & quia non est ratio, cur potiùs hujus quàm istius beneficia huic reservationi subjiciantur.

Garc.

Garc. Castrop. *loc. cit.* Chok. *ad hanc reg. n.* 34. Sed neque subjici huic reservationi beneficia eorum, qui sunt familiares familiarium ex mero privilegio & gratia Papæ talium, tradit *ibid. n.* 33. Chok. ex Alph. Sotto.

19. Quartò notandum, extendere se hanc reservationem ad beneficia familiarium, quæ receperunt, aut habuerunt durante dictâ familiaritate (qualia adhuc sunt, etsi ea receperint ante familiaritatem, & consequenter hac reservatione reservata. Lott. *loc. cit.* 76.) quantumcunque brevi tempore duraverit dicta familiaritas; cùm ad hoc, ut locum habeat hæc reservatio, non requiratur, familiaritatem durare aut durâsse determinato tempore aliquo (uti ad hoc, ut intret regula 30. requiritur, familiaritatem durasse ad minimùm 4. menses) Garc. *n.* 176. citans Mandos. *ad hanc reg. q.* 10. Castr. *l. cit. n.* 11. Chok. *hic n.* 31. Non tamen sufficit durasse familiaritatem illam Cardinalis solùm Sede Papali vacante, cùm illo tempore nulla fit reservatio regularum cancell. utpote quæ cum morte Papæ exspirant; sed requiritur, ut duraverit aliquo tempore, quo regulæ hæ locum habent. Unde etiam ad probandam hanc familiaritatis qualitatem (quæ ipsa probatio requiritur, ut hæc reservatio intret. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 3. *num.* 21. apud Castrop. *loc. cit.*) non sufficit ostendere, aliquem Sede vacante receptum in familiarem Cardinalis. Castrop. *loc. cit.* ex Barb. *cit. alleg.* 57. *n.* 110.

20. Quintò notandum, hanc reservationem extendi ad beneficia, quæ talis habuit durante familiaritate, etiamsi ante mortem desierit esse familiaris. Chok. *loc. cit.* Garc. *n.* 277. citans Granuc. *ad Simonet. q.* 35. *n.* 40. Castrop. *n.* 12. Lott. *loc. cit. n.* 75. sic enim expressè dicitur in ipsa regula.

21. Sextò notandum, extendi hanc reservationem etiam ad beneficia dicta, etiamsi quis ad illa durante familiaritate non habuisset nisi jus ad rem; dicitur hoc ipsum expressè in regula. Garc. *n.* 178. Castrop. *cit. n.* 12. Quòd si tamen post hoc jus ad beneficium familiaris nunquam fuisset consecutus jus in eodem beneficio, eò quòd v. g. decessisset ante consecutionem hujus juris in re, reservationem hanc non intrare, censet Castrop. *loc. cit.* eò quòd, ut ea intret, beneficium vacare debeat ratione ipsius familiaris; in dicto autem casu beneficium dici non posset vacare per obitum familiaris; beneficia enim non dicuntur vacare per obitum habentis solùm jus ad illud. Contrarium rectius docet Garc. *num.* 281. ubi ait, ad contrahendam hanc sive vi hujus regulæ reservationem sufficere, quòd jus ad beneficium competierit familiari durante familiaritate, sive illud beneficium dein vacet ex persona istius, sive alterius, cùm in hac regula nihil dicatur de vacatione beneficiorum per obitum, aut aliàs ratione personarum istorum familiarium; uti dicitur in *reg.* 30. in qua proinde locum habebit, quod tradit Castrop. nimirum vi illius reservata non esse beneficia, ad quæ familiares aliquando jus habuerunt, nisi etiam in iis aliquando (licèt cessante familiaritate) jus habuerint; cùm vacare ea sit impossibile per eorum obitum, nisi priùs habuissent jus in illis.

22. Septimò notandum, juxta probabiliorem, præscindendo à contraria consuetudine, neminem ob dictam familiaritatem impediri, quò minùs in Ecclesiâ, in qua est consuetudo, seu privilegium optandi, posset dimisso beneficio, quod habet, optare aliud, cùm æquum non sit, ob qualitatem speciali honore dignam (qualis est dicta familiaritas) privari aliquem jure aliis istâ qualitate carentibus concesso. Castrop. *l. c.* citans Card. *cons.* 126. Gonz. *gl.* 34. *n.* 42. Barb. *alleg.* 57. *num.* 114. Garc. *n.* 336. citans insuper Simonet. *q.* 45. *n.* 8. Rebuf. &c. beneficium verò de novo optatum à familiari manere liberum à reservatione (nisi forte optans tempore optationis haberet qualitatem inductivam reservationis, v. g. esset actu familiaris: vel etiam, nisi forte in hac optatione non mutaretur titulus beneficii, dum nimirum solùm locus in choro, Sedes in capitulo, aliæve qualitates extrinsecæ mutarentur, ut Garc.) & beneficium dimissum manere reservatum; adeoque ad illud non dari optionem, tradunt Castrop. & Garc. *loc. cit.* Contra quod dici nequit optatum subrogari loco dimissi, & sic cessare reservationem respectu dimissi, & afficere optatum; nam mutato verè ipso titulo beneficii, adhuc talis subrogatio inducere nequit reservationem; aliàs enim permutare liberè posset habens beneficium reservatum, & dicere, loco beneficii reservati & permutati succedere aliud eandem subiens reservationem. Quin etiam sic beneficium semel reservatum non manebit semper reservatum, quod dicendum non est. Castrop. *loc. cit.*

23. Octavò notandum: In collatione talis beneficii vacantis ex obitu, aut aliter ratione personæ familiaris facienda per Papam requiri consensum illius Cardinalis, cujus fuit familiaris ille, modò is Cardinalis in Curia tempore vacationis existat. Chok. *ad hanc reg. num.* 29. Garc. *loc. cit. num.* 275. Procedítque idipsum, etiamsi illud beneficium vacet in Curia. Chok. *ibidem.* Nullatenus autem requiri consensum alterius Cardinalis, tametsi is esset aliàs ordinarius Collator illius beneficii. Chok. *ibid.* vide dicta *notab.* 2. ex Lott. Quòd si autem familiaris iste priùs fuisset in familiaritate alterius Cardinalis, & stante hâc familiaritate habuisset beneficium, vivâtque uterque Cardinalis tempore vacationis, illius consensus requiritur, in cujus familiaritate decedit familiaris, Garc. *loc. cit.* Contrarium tamen tradit Lott. *l.* 2. *q.* 32. *num.* 72. nimirum quòad beneficia, quæ priore familiaritate durante obtinebat, & in quibus, vel ad quæ, priore illâ familiaritate durante, jus eis competebat, Cardinales, quorum priùs fuerunt familiares, suum habeant præbere consensum; idem dicit *num.* 120. Si tamen prior Cardinalis mortuus est, requiritur nihilominus consensus secundi Cardinalis superstitis, ad cujus familiaritatem transiit, dum is in Curia est, Lott. *num.* 17. non obstante, quòd medio tempore, scilicet inter obitum prioris & transitionem ad familiaritatem alterius Cardinalis beneficium simpliciter fuerit affectum Papæ vi hujus *reg.* 3. Lott. *num.* 119. Quòd si etiam familiaris Papæ transeat ad familiaritatem Cardinalis, beneficia, quæ familiaris ille obtinuit durante familiaritate Papæ, tanquam reservata vi hujus regulæ spectant ad liberam collationem Papæ, ita ut nullo modo intret *reg.* 33. de adhibendo consensu Cardinalis patroni; eò quòd per familiaritatem Papæ beneficium afficitur simpliciter, non personæ Papæ, sed ipsi Sedi Apostolicæ, quæ nunquam moritur; ac proinde, licèt familiaritas non transeat in novum successorem, transeat tamen in eum affectio. Lott. *num.* 121. & 122. ex Cassad. *decis.* 23. *de regulis,* Unde etiam censet Lott. *num.* 123. contra Gamb. *de off. leg. l.* 3. *q.* 16. *num.* 167. inclinantem in contrarium, quòd si Papa concessit Cardinali indultum conferendi beneficia qualitercunque reservata, præterquam reservata ex familiaritate Papæ ipsius concedentis hoc indultum, beneficium talis familiaris per ejus obitum vacans mortuo jam Papâ indulgente, non cadere sub indultum, sed manere reservatum Papæ, eò quòd, licèt cesset familiaritas, non tamen cesset affectio, seu reservatio ex familiaritate, & Papa indulgens non restringat se ad beneficia vacantia suorum familiarium, sed ad reservata seu affecta ex hujusmodi familiaritate, & ita contemplatus non fuit in momento vacationis familiaritatem, sed reservationem inde causatam; dicitque Lott. *n.* 125. suam hanc sententiam probatam à Rota *in Giennens. beneficii.* 21. *Junii* 1628.

24. Notandum nonò, ad inducendum hunc effectum reservationis, uti & requirendi à Cardinale patrono consensûs, requiri dictæ familiaritatis, dum de ea non constat, probationem plenam. Lott. *cit. q.* 32. *n.* 129. juxta *decis. Rota* 584. *p.* 1. *recent.* Porrò unde probatio hæc peti possit, assignat sequen-

sequentia (quamvis *n.* 142. dicat in casu, quo non sufficit simplex probatio, sed exigitur talis, quæ constituat reservationem notoriam, vix sit, eam ex hujusmodi mediis stabilire) primò prolatio libri ipsiusmet Cardinalis seu Rotulæ, in quo appareat descriptio omnium familiarium talis Cardinalis. Chok. *ad reg.* 30. *n.* 38. Lott. *l. paulò post citando.* Imprimis hic liber sufficit pro probanda negativa, seu quòd talis non fuerit ejus familiaris, nimirum ubi in eo nomen ejus non inveniretur, ita etiam, ut si liquidò constaret de stylo Cardinalis in non habendo pro familiaribus alios, quàm descriptos in tali libro, hæc probatio negativa excluderet quodcunque argumentum in contrarium. Lott. *à num.* 130. Pro probanda tamen affirmativa, seu quòd quis fuit familiaris, dum nimirum ejus nomen in eo descriptum reperitur, non sufficit (saltem ubi agitur de justificatione reservationis; secus est de simplici justificatione narrativæ, prout distinguit Beltram. *ad Greg. decis.* 166. *n.* 10. apud Lott. *n.* 135.) nisi concurrant alia adminicula. Lott. *à n.* 133. Secundò, prolatio alicujus dispositionis ipsiusmet Cardinalis jam vitâ functi implicans tractatum proprium positivum de tali tanquam familiari, v. g. exhibitio testamenti Cardinalis, in quo talem honorares titulo Legati, quod tamen ait Lott. *n.* 137. se intelligere, modò concurrant alia adminicula, cùm in hac re ne quidem stetur simpliciter literis patentibus ipsius Cardinalis super familiaritate, (& ut addit Chok. *loc. cit.* non probetur ea nequidem per assertionem Cardinalis) siquidem quò ad hoc punctum in eo discrimen est inter literas Cardinalis & Papæ, item inter assertionem utriusque, quòd Papa tanquam supremus Princeps possit fingendo, dum nimirum decernit aliquem esse suum verum, & non fictum familiarem, hoc ipso statuere eum verè talem, & hic sit fictionis effectus; quod non potest Cardinalis, utpote apud quem requiritur factum, nimirum servitium & commensalitas, & verba non sufficiunt. Lott. *à num.* 137. Chok. *l. cit.* citans Simonet. *de reserv. q.* 36. *n.* 6. qui etiam addit, ita ad probandam familiaritatem Papæ sufficere solius Papæ assertionem aut literas, ut in contrarium probatio non admittatur; citat pro hoc Caputaq. *l.* 1. *decis.* 306. quod tamen intelligendum ait, modò talis assertio principaliter de facto ejus proprio sit probata; secus si sit enunciativè & propter aliud emanata. Citat pro hoc Roman. *consil.* 180. *n.* 3. Simonet. *q.* 36. *num.* 7. qui etiam *n.* 16. dicit, adhuc familiaritatem probari per unum testem, & communi famâ cum aliis, qui audiverunt, Papam appellâsse aliquem familiarem suum. Tertiò, productio testium deponentium & concordantium de dictis circumstantiis, ex quibus consurgit familiaritas, nimirum & præcipuè de deputatione ad certum servitium, & commensalitate, seu propterea præbito alimento. Lott. *à n.* 140.

25. Notandum denique, quòd probatâ familiaritate ad tempus aliquod, ea præsumatur continuata, nisi justificetur contrarium. Lott. *n.* 143. citans Beltram. *ubi ante. n.* 12. Gomes. &c. qualiter ad dissolutionem familiaritatis non concluditur per recessum à domo, vel etiam ab Urbe, cùm recedere potuerit de mandato, aut licentia ipsius Cardinalis. In quo casu non minùs dicatur continuus Commensalis, cùm verbum illud *continuè* accipiendum sit civiliter, ut non excludat absentiam pro negotiis propriis aut Cardinalis. Lott. *n.* 144. Neque etiam per renunciationem alterutrius, putà, vel Cardinalis vel familiaris; cùm Societas, uti non contrahitur, nisi simultaneo consensu, ita etiam non dissolvitur, nisi simultaneo dissensu. Et quod dicitur §. *manet instit. de Societ.* societatem alterutrius renunciatione dissolvi, id intelligendum, eam dissolvi solùm in præjudicium renunciantis, non autem, ut is etiam se eximat à vinculo societatis erga alterum; adeóque necesse est, fieri illam renunciationem præsenti seu conscio. Lott. *à n.* 146. Unde jam etiam, non obstante recessu absque licentia vel mandato Cardinalis, quantumcunque animo non redeundi, modò is Cardinali seorsim declaratus non sit, durabit effectus semel contractæ familiaritatis in ordine ad reservationem. Lott. *n.* 150. ex Simonet. *q.* 35. *n.* 24. Quòd si tamen, redeunte familiari, Cardinalis alium in ejus locum subrogavit, vel quovis alio argomento possit colligi utrimque animus non continuandi, eò quòd Cardinalis v. g. cassando à sportula, seu retributione, eum habere nollet ampliùs pro familiari, ut &, si familiaris per Cardinalem licentiatus seu dimissus fuit à familiaritate, omnino & absolutè dicetur finita familiaritas. Lott. *à n.* 151. juxta decis. Rot. 584. *p.* 1. *Recent.* & plures, quos citat. In simili de contract. solutâ, & finitâ curialitate, vide eundem Lott. hac eadem *q.* 32. *ferè à num.* 38.

Quæstio 547. Ad majorem elucidationem prioris regulæ, quidnam limitationis, vel extensionis ei adjiciatur, aut quid specialiùs disponatur per regulam 30. aut aliàs 31. quæ est de impetrantibus beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium?

1. RESpondeo primò: in ea disponi, quòd impetrans tale beneficium teneatur exprimere nomen & titulum ipsius Cardinalis, de quo nihil statutum *in reg.* 3.

2. Secundò, quòd si is Cardinalis fuerit in Curia, ejus ad id accedat consensus, aliàs facta super tali beneficio gratia à Papa sit nulla. De quo pariter nihil statutum *in reg.* 3. Quod ipsum tamen in adjecta huic regulæ limitatione per Julium III. restringitur hoc modo; nisi illud beneficium generaliter à Papa reservatum, vel ratione officii, videlicet scriptoris, quod talis familiaris gerit; vel quia esset major dignitas; tum enim Papa conferret sine dicto requisito consensu. Chok. *ad hanc reg.* 30. *n.* 31.

3. Tertiò, quod idem servandum, si dicti familiares Cardinalium familiares esse desierint, & ad aliorum Cardinalium similem familiaritatem transierint, quò ad beneficia, quæ durante priore familiaritate obtinuerint, & in quibus jus eis competierit, ita quòd ad illa Cardinales, quorum priùs familiares fuerunt, suum habebunt adhibere consensum. Quod ipsum quoque Julius III. in adjecta à se huic regulæ altera limitatione ita restrinxit, ut si collatio beneficii hujus Cardinalis spectet ad alium Cardinalem, tum collatio liberè fieri possit ab hoc Cardinale collatore, (intellige, ut expressè dicitur in dicta limitatione, cessantibus Apostolicis reservationibus) ita ut non requiratur consensus illius Cardinalis, in cujus servitio defunctus erat familiaris; eò quòd, ut addit Chok. *loc. cit.* privilegiatus Cardinalis non debet uti privilegio adversus alium privilegiatum Cardinalem.

4. Ac denique declarat idem Julius III. in prima hac limitatione, familiares Cardinalium quò ad effectum hujus regulæ censeri, qui ipsorum familiares continui commensales ad minùs per 4. menses, etiam ante Cardinalatum fuisse probarentur, de quo pariter nihil *in reg.* 3. cùm ex vi illius, sive ut illa intret, familiaritas sic ibi non restringatur, ut dictum.

5. Ex quibus omnibus vides, regulam hanc non inducere reservationem diversam ab ea, quæ inducta per *reg.* 3. sed solùm superinducere necessitatem exprimendi nomen Cardinalis, & requirendi dicti consensûs in impetratione beneficiorum illorum reservatorum per *reg.* 3. non quidem omnium, sed solùm illorum, quæ vacant præcisè per obitum. Unde huic *regulæ* 30. seu quò ad istam necessitatem exprimendi nominis & expetendi consensûs, aut etiam continuatæ ad 4. menses familiaritatis non subjacebunt beneficia dictorum familiarium (etsi de cætero reservata sint & maneant vi *reg.* 3.) Primò quæ vacant per resignationem familiaris. Chok. *ad hanc reg.* *n.* 34. citans Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 28. *n.* 4. & *l.* 4. *q.* 10. Rebuff. *in additione ad hanc reg.* & *decis.* Rotæ 16. *de prab.* apud Cassad. Quod procedit etiam, dum facta resignatio permutationis gratiâ. Chok. *n.* 33.

citans

citaos Gomes. *ad banc reg.* 30. *q.* 4. Licèt autem non subjiciantur huic regulæ beneficia resignata ab infirmo, dum hic superviviit 20. dies post resignationem, subjacent tamen ea, si intra 20. dies moriatur; quia quia verè vacant per obitum. Chok. *n.* 35. ex Mand. *hic q.* 6. *n.* 2. *& seq.* & Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 169. contra Gomes. & Sarnens. Secundò, quæ vacant per assecutionem incompatibilis, vel professionem in religione, vel per uxorationem, cùm loquatur hæc regula de morte naturali, non civili, ad quam proinde non est extendenda; cùm Regulæ Cancell. sint strictì juris, strictæque interpretationis. Chok. *ibid.* Tertiò vacantia, lite super illis pendente; dum nimirum quis cum familiari Cardinalis litigavit, perendò subrogationem, non tenetur consensum Cardinalis requirere &c. Chok. *n.* 34. citans Rebuff. *in addit. ad banc reg.* Gomes. *ad reg. de surrogandis. q.* 5. Quartò, beneficia, quæ vacant ex privatione ob delictum facta in Curia. Chok. *ad hanc reg. num.* 40. citans Gomes. *hic q.* 7. Quintò si beneficia Jurisp. sint. Chok. *n.* 33. ex Mand. *hic q.* 4. *n.* 5. Sextò, juxta quorundam opinionem, ut Mandos. *q.* 7. apud Chok. *loc. cit.* si sint beneficia commendata. Quid autem hoc in puncto sit circa beneficia familiaris Cardinalis electi in Episcopum, & quid in Coadjutoria cum futura successione, Chok. non resolvit, sed *cit. n.* 33. remittit ad Mandos. *q.* 15. *& q.* 30. & Gomes. *q.* 25. De cætero

6. Notandum primò circa dictam commensalitatem continuam 4. mensium in ordine ad hoc, ut quis subjiciatur dispositioni hujus regulæ, non sufficere, si dicta commensalitas durâsset illis 4. mensibus, sed discontinuè, si menses hi non fuissent continui; quod enim uno contextu fieri debet, non valet divisis temporibus actum. Chok. *loc. cit. n.* 37. diceretur tamen adhuc continua familiaritas, etiamsi expensæ extra domum præbeantur, si tamen domui Cardinalis famuletur.

7. Notandum secundò circa nominis expressionem, & requisitionem consensûs: quòd licèt absentis à Curia Cardinalis consensus non requiratur in impetratione talis beneficii, requiri tamen adhuc nominis & tituli expressionem; siblato enim ex duobus, ut habet regula juris, non censetur continuò alterum removeri. Chok. *loc. cit. n.* 44.

8. Notandum tertiò circa idem: adhuc requiri consensum absentis Cardinalis, dum is habet indultum præsentialitatis, per quod absenti conceduntur omnes prærogativæ, favores & gratiæ, quibus gaudent Cardinales præsentes, & in hoc casu posset Vicarius illius consensum præstare. Chok. *n.* 45. citans Gomes. *hic q.* 22. & Mandos. *q.* 23. *n.* 5. Quin &, si modico tempore absens sit, secùs si longo, eò quòd tunc reputetur talis absens pro mortuo. Chok. *n.* 59. ex Mandos. *hic q.* 22. & Gomes. *q.* 17.

9. Notandum quartò, etiam non obstante clausulâ *motus proprii* in impetratione adhuc intrare hanc regulam, & requiri dictum consensum. Chok. *n.* 48. ex Gomes. *hic q.* 1.

10. Notandum quintò, quòd hic consensus debeat esse expressus, ideóque per scripturam probari, ut est stylus Curiæ, quando litteræ expediuntur. Chok. *n.* 53. ex Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 10.

11. Notandum sextò juxta Gomes. *hic q.* 28. & præcipuè juxta Mand. *hic q.* 17. *n.* 5. *& seq.* (qui etiam testantur, hanc esse receptam in Curia, & Cancell. Rom.) sufficere consensum hunc intervenire post impetrationem. Chok. *hic. n.* 49.

12. Notandum septimò, quòd si Cardinalis provisioni per Papam factæ consentire nollt, posset quidem cogi, ut Mand. *q. ult.* sed Papa huic regulæ nominatim derogare deberet, quod raro admodùm facere solet, ne hoc privilegium concessum Cardinalibus inane, elusorium, & temporale videri posset. Chok. *n.* 56.

13. Notandum denique, quòd si Cardinale mortuo familiaris transierit ad familiaritatem alterius, & intra vel extra hanc familiaritatem moriatur, quò ad impetrationem beneficiorum, quæ is habuit sub priore Cardinale, requiri adhuc consensum hujus secundi Cardinalis: citatur pro hoc Achil. de Grassis, *decis.* 378. *super hac reg.* & Alphonsus Soto à Chok. *hic n.* 55. & remittitur lector ad Gomes. *q.* 18. & Mand. *q.* 29. fusè de hoc tractantes.

PARAGRAPHUS VI.
Quænam beneficia reserventur per Regulas 4. 5. 6. 7.

Quæstio 548. *Quænam reserventur per Regulam* 4.

1. Respondeo: quorumcunque Collectorum & Subcollectorum unicorum in qualicunque civitate vel diœcesi (qui suo tempore officia exercuerint subcollectorum) fructuum ac proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum beneficia Eccles. omnia & sola, quæ durante hoc eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Hæc verba sunt regulæ, circa quæ

2. Notandum primò, per hos Collectores & Subcollectores fructuum, proventuum, spoliorum aut aliorum jurium debitorum Cameræ Apostolicæ idem intelligi, quod apud nos nomine Quæstorum; & hoc officium idem esse cum quæstura, & esse non posse sine jurisdictione & imperio pro cogendis debitoribus Cameræ. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *num.* 156. citans Cujacium *in paratit. de off. Quæstor.* atque ita ad effectum hujus reservationis spectat administratio, quæ est cum jurisdictione, & non nudum exercitium. Lott. *ibid. n.* 154. *& n.* 155. Unde etiam, dum Clericus se composuit cum Camera, & mox deputatur aliquis exactor taxæ, seu compositionis solvendæ, hujus exactoris beneficia non aliâ ratione dicantur reservata, quàm quia illi concessa sit jurisdictio, ait Lott. *n.* 157. Venire quoque appellatione horum Collectorum proventuum Cameræ Apostolicæ Collectores, & subcollectores subsidiorum impositorum à Papa contra Infideles, eò quòd ea imponantur super fructibus beneficiorum, sintque onera, quæ spectant ad Cameram Apostolicam, tenet Mandos. *q.* 6. *n.* 3. apud Chok. *ad hanc reg. num.* 17. contrarium sentiente Alphonso Soto Glossatore apud eundem *ibid num.* 2. eò quòd nil fructus & proventus non sint debiti Cameræ Apostolicæ, sed in subsidium; verba autem regulæ debeant intelligi propriè, & non impropriè vel fictè; cùm regula hæc exorbitet à jure, quod ipsum propterea verum putatem de collectoribus subsidiorum à Papa non impositorum beneficiis Eccles. sed liberè etiam à Laicis collatorum.

3. Notandum secundò, non obstantibus illis verbis regulæ: *qui suo tempore officia exercuerint*: in tali subcollectore non requiri exercitium actu, seu illum exercere, aut exercuisse hoc officium, sed sufficere exercitium habitu, seu in potentia; ita tamen ut sit persona qualificata (hoc est Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel aliàs persona in dignitate Ecclesiastica constituta tempore deputationis, etsi postea non sit, ne aliàs deputatio sit nulla, & reservatio cessabit, juxta *C. statutum. de rescrip. in* 6. *in principio.* Castrop. *loc. cit. num.* 3. Barb. Gonz. *gl.* 51. *num.* 79. Garc. *num.* 385.) potens & parata exercere, nec per ipsam stet, quò minùs illud exerceat, sed vel quia non fuit occasio, vel quia legitimè fuit impedita. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 345. *&* 351. citans Fel. *in cap. in nostra, de rescrip.* Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 11. Mand. *hic q.* 4. Simonet. *q.* 33. *num.* 8. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 16. *num.* 26. Castrop. *loc. cit. p.* 20. *n.* 4. dicens esse communem, & citans insuper Barb. *cit. alleg.* 57. *num.* 516. Ricc. *in collect. q.* 5. *collect.* 1647. Chok. *ad hanc reg. num.* 19. contra Gonz. *gl.* 51. *n.* 71. Granuc. *ad Simonet. q.* 32. *ad finem.* Mascard. *de prob. consil.* 317. *num.* 27. apud Garc. *n.* 350. quin & sufficere ad hoc, ut ejus beneficia vi hujus regulæ reservata sint, quòd ad hoc officium deputatus fuerit subcollector, etsi sub collectoriam nondum acceptârit, aut etiam potestatem suam viderit, eò quòd, ut censent Garc. *n.* 349. citans

citans Coraſ. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 22. Mand. *reg.* 27. *q.* 17. *n.* 4. &c. veriſimilius ſit transfundi juriſdictionem quò ad habitum in delegatum à tempore datæ, licèt ad hoc, ut eam exercere poſſit, requiratur præſentatio literarum, tenet Rice. Barb. *d. cit.* apud Caſtrop. *n.* 5. Garc. *n.* 347. & apud illum *n.* 345. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. benef.* §. 2. Pariſ. *ubi ante.* Quin imò juxta Mand. *ad hanc reg. q.* 4. Æn. de Falcon. &c. etiamſi ſubcollector ipſe officium hoc ſibi datum ignorârit (licèt aliud dicendum ſit in familiaritate; utpote quæ non contrahitur, niſi utrinſque partis conſenſu ſicut ſocietas) quorum tamen utrumque negat Caſtrop. *cit. n.* 5. eò quod etſi in reg. non requiratur potentia in actu, requiratur tamen hæc potentia proximè expedita, qualis non eſt ante dictam notitiam & acceptationem deputationis ſui in ſubcollectorem, cùm ante illam nequeat exercere illud officium, etiamſi fructus colligendi exſtent.

4. Notandum tertiò, ut intret hæc reſervatio, conſtare debere de deputatione & facultate Collectorum & Subcollectorum. Et quidem Collectoria ſeu Collectoris facultas probanda eſt per literas, nimirum Patentes iſtius deputationis. Chok. *hic n.* 6. citans Maſcard. *de prob. concl.* 317. *per tot.* Simonet. *de reſer. q.* 34. Monet. *tr. de decim. c.* 9. *q.* 5. *n.* 212. Garc. *num.* 376. & ita quidem, ut non ſufficiat tranſumptum illarum literarum, ut *ibid.* Maſc. Simonet. Monet. qui tamen ultimus illud ſic limitat: niſi tranſumptum fuerit nullâ lite pendente, ſervatâ formâ. *C. fin. de fide inſtrumm.* aut niſi tranſumptum fuerit in regiſtris Bullarum Papæ. Idem de ſubcollectoria probanda ſentit Lott. *cit. q.* 32. *n.* 158. ubi ait, ſubcollectoriam ad effectum reſervationis non aliter poſſe juſtificari, quàm per literas deputationis factæ cum omnimoda juriſdictione, ita ut quævis alia probatio, ſive per teſtes, ſive per literas miſſivas, quæ explicitè non referant, deputationem factam cum tali juriſdictione, ſit minus ſufficiens veluti æquivoca; eò quòd cùm ſubcollectoria non conſiſtat in ſimplici deputatione ad nudum factum exactionis, ſed in juriſdictione, ſubintret clara diſpoſitio juris: nempe delegatam juriſdictionem non aliter probari, quàm per literas ipſius delegationis, ut Maſc. *de prob. concl.* 949. *num.* 1. quod tamen qualiter temperet, vide ex paulò poſt ex ipſo dicendis. Subcollectoria tamen etiam probari poteſt per teſtes, deponentes, ſe vidiſſe literas commiſſionis, vel commiſſioni & deputationi interfuiſſe. Garc. *n.* 376. citans Bellenz. *de ſubſidio charitativo. q.* 111. & 112. Gomeſ. *in c. ſtatutum. de reſcript. in* 6. *n.* 60. Maſc. *ubi ante. n.* 1. & 15. Simonet. &c. Caſtrop. *num.* 6. Lott. *cit. q.* 32. *n.* 160. dicens, id ſufficere, ſi teſtes probarent ſe fuiſſe præſentes, & concluderent ad punctum delegatæ juriſdictionis. Imò ſufficere teſtem talem unicum aliquibus adminiculis adjutum, tenet *ibid.* Caſtrop. citans Riccium. *ubi ſupra. limitat.* 6. Barb. *n.* 124. videturque Caſtrop. *ibid.* tradere, hanc probationem per teſtes ſufficere ad probandam etiam poteſtatem Collectorum, & conſequenter ad probandam reſervationem reſpectu illorum. Nequaquam tamen ad effectum hujus reſervationis ſufficiet, ſi teſtes tantùm deponant, ſubcollectorem ſic reputatum eſſe publicâ voce & famâ. Chok. *n.* 7. citans Monet. *ubi ante. n.* 234. Garc. *n.* 378. citans Bellenz. *ubi ante.* Granuc. & Barb. *n.* 125. Simonet. & Rot. Caſtrop. citans Ricc. *ubi ante.* & Barb. *n.* 125. Lott. *cit. q.* 32. *n.* 161. addens hanc probationem adhuc inſufficientem, etiamſi adeſſet probatio exercitii in exigendo dictos proventus. Porrò probato aliquem eſſe Collectorem in ordine ad impetrandum ejus beneficium, opus non eſt probare, illum eſſe unicum, (niſi fortè impetrans allegaret in impetratione, eſſe unicum, ob illam enim expreſſionem aſſumit onus probandi, cùm teneatur narrativam juſtificare) quia pro unicitate eſt præſumptio à jure, & e contradicenti incumbit probare contrarium. Caſtrop. *cit. n.* 6. citans Ricc. *ubi ante.* Barb. *n.* 117. Garc. *loc. cit. n.* 356. Et hæc de probatione Collectoriæ & ſubcollectoriæ ad effectum reſervationis. Quod autem attinet ad probationem illius ad effectum colligendi fructus, nequaquam tenebuntur, nec etiam ſecurè ſolvent debitores, ſeu ſolutiori fructus, niſi ex literis deputationis conſtet Collectoris vel Subcollectoris officium; ita ut nequidem tranſumptum, ut dictum paulò ſupra, ſufficiat, juxta Mandoſ. *l. cit.* idem monet Garc. *n.* 377. Caſtrop. *n.* 6. Barb. *n.* 124.

5. Notandum 4. ad inducendam hanc reſervationem reſpectu ſubcollectorum requiri neceſſariò, ut illorum tantùm ſit unicus, nimirum, vel in civitate, vel in Diœceſi, ita ut, ſi ultra Collectorem generalem ſint plures ſubcollectores in Diœceſi, v. g. unus in civitate, alter in diœceſi reliqua (uti contingere poſſet, dum collector haberet poteſtatem plures ſubcollectores generales deſignandi) conſtituatur, neutrius horum ſubcollectorum beneficia ſint reſervata; cùm regula unici tantùm ſubcollectoris beneficia reſervet; in hoc autem caſu non ſit ſpecialis ratio, quare magis hujus quàm illius beneficia reſerventur. Caſtrop. *loc. cit. n.* 2. citans Gonz. *gl.* 51. *n.* 71. Barb. *ubi ante n.* 119. Chok. *hic n.* 9. Garc. *n.* 367. & 375. qui tamen putat, quòd ubi eſſent duo Epiſcopatus, ſeu duæ Diœceſes æquè principaliter unitæ, licèt unicus ſit Epiſcopus, poſſe poni in utraque Diœceſi, hoc eſt, in ſingulis earum, unum ſubcollectorem in ordine ad hanc reſervationem. Quòd ſi tamen ſucceſſivè deputarentur ſubcollectores, ita ut nunquam duo ſimul ſeu pro eodem tempore eſſent ſubcollectores in Diœceſi (uti fieri cenſendum, dum collector non habens poteſtatem niſi unicum tantùm deſignandi ſubcollectorem, uno deſignato, deſignaret alium; hoc ipſo enim tacitè primum revocaret, quod idem ait Caſtrop. *n.* 2. generaliter cenſendum, dum quis ſecundum ſubcollectorem deputat; eò quòd credendum ſit, voluiſſe illum facere hanc deputationem juxta formam juris, citâque pro hoc Garc. *n.* 366. Ricc. *ubi ante.* Barb. *n.* 122. &c.) beneficia omnium horum ſubcollectorum ſucceſſivè deputatorum erunt reſervata. Chok *hic n.* 9. Quòd ſi autem, non obſtante prioris deputatione jam factâ, deputaretur ſecundus cum intentione non revocandi primum (quod quidem validè fieri poſſet à collectore, cùm regulâ hac non prohibeatur, plures deputare ſubcollectores, ut Garc. *n.* 368. niſi fortè ei limitata eſſet poteſtas, quòd non poſſit niſi unicum ſtatuere in Diœceſi ſeu civitate, in quo etiam caſu, ſi ſimul plures deputaret, nullius deputatio valeret, ut Garc. *n.* 369.) beneficia habita à primo, tempore, quo fuit unicus, manebunt reſervata; non verò acquiſita à tempore, quo habuit ſocium, niſi fortè hæc deſignatio ſocii fuiſſet nulla ex eo, quòd collector careiſſet facultate deputandi plures. Caſtrop. *n.* 2. Garc. *n.* 371. & 372. Quòd ſi etiam ſubcollector deputaret alium ſubcollectorem (cùm enim ſubcollector delegatus ſit ad univerſitatem cauſarum, poterit ſubcollector generalis unicus Provinciæ conſtituere ſubcollectorem particularem in una civitate vel diœceſi, ſicut ſubcollector particularis unius civitatis vel diœceſis poteſt unam alteramve cauſam, & non totam ſuam juriſdictionem ſubdelegare, ut Garc. *n.* 363. Caſtrop. *n.* 3. ex Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 31. *n.* 4. vel etiam præſcindendo ab hoc, dum Papa ei dediſſet facultatem ſubcollectorem conſtituendi, ut Garc. *n.* 373.) reſervata adhuc erunt beneficia iſtius ſubcollectoris deputantis alterum ſubcollectorem particularem, non verò beneficia iſtius ſubcollectoris particularis deputati; eò quòd hic deputans à ſubcollectore ſubcollector, non tam dici debet ſubcollector, quàm commiſſarius ſubcollectoris; regula autem reſervans beneficia ſubcollectoris intelligenda ſit de vero & proprio ſubcollectore, deputato ad univerſitatem cauſarum. Caſtrop. cit. *n.* 3. Garc. 374.

6. Notandum Quintò, quod ait Gloſſator Alph. Soto *in hanc reg.* apud Chok. *n.* 5. quòd, ſi multi ſint in una Diœceſi vel civitate collectores, omnia beneficia reſervata eſſe; quia dicitur in regula: *quorumcunque Collectorum*, & *To unicorum* refertur ſolùm ad ſubcollectores. Denique hanc reſervationē ceſſare in Francia, ait Rebuff. *in addit. ad hanc reg.* apud Chok. *n.* 8. Qua-

Quæſtio 549. Quænam reſerventur regulâ quintâ.

1. Reſpondeo, reſervari omnia & ſingula beneficia quorumcunque Curialium, quos, dum curia Rom. de loco ad locum transfertur, eam ſequendo decedere contigerit, quovis loco, quantumcunque etiam à dicta Curia diſſito. Hæc verba ſunt regulæ, circa quæ præter ea, quæ pro declaratione hujus reſervationis jam dicta fuêre ſupra,

2. Notandum primò, hanc reſervationem totam contineri in *cit. c. præſenti. de præb. in 6.* adeoque & clauſam eſſe in corpore juris. Garc. *p. 5. c. 1. n.* 386. Caſtrop. *loc. cit. p. 21. num. 1.* Rebuff. *in addit. ad hanc reg.*

3. Notandum ſecundò, vi hujus regulæ reſervari quoque beneficia Cardinalium, dum actu ſequuntur Papam & curiam aliò tranſeuntem, accipiendo curiam propriè, prout ſupra ex Lott. Garc. Covar. & aliis ſumpta, ut Gloſſator *ad hanc reg. n.* 4. & Chok. *ibid. n.* 8. ſi tamen propriè Curiales ſunt, quales eos propriè dici ait gloſſator ex eo, quòd illi propriiſſimè Curiales dici debeant, quorum curâ & conſilio reſp. expeditur. Reſervari item vi hujus regulæ beneficia familiarium Cardinalium, dum hi verè Curiales ſunt, & non tantùm honoris & officii cauſâ ſectentur Cardinales. Chok. *loc. cit. n.* 9.

4. Notandum tertiò, quòd ſi Curialis decedat ſeu moriatur, dum Curia transfertur, ejus beneficia non comprehendi hac reſervatione, quia tunc moriens non tam decedit ſequens Curiam, quàm ab ea recedens. In regula autem dicitur: *quos curiam ſequendo decedere contigerit.* Caſtrop. *cit. p. 21. n. 1.*

Quæſtio 550. Quænam reſerventur per regulam ſextam.

1. Reſpondeo, reſervantur omnia beneficia cubiculariorum & curſorum, hoc eſt, Papæ. Circa quæ

2. Notandum primò, quidquid ſit de eo, num reſerventur hic beneficia Camerariorum ſeu Cubiculariorum, qui tanquam familiares & continui commenſales Papæ recipiunt partem & victum, quod negat Garc. *loc. cit. n.* 399. dicens ea reſervari tantùm *reg.* 3. contrarium tenente Gonz. *gl.* 51. *n.* 91. quem ſequitur Caſtrop. *cit. p. 21. n.* dicens, non obſtare, hos nomine familiarium & officialium Sedis Apoſtolicæ comprehenſos eſſe *reg.* 3. quo minùs quoque in præſenti reg. ſpecialiter reſerventur eorum beneficia; cùm hic claritatis gratiâ exprimantur. Quidquid etiam ſit de eo, num olim ante Gregor. XV. ſolorum Cubiculariorum, Officialium (quorum collegium conſtitutum fuit à Leone X. in *conſtitut. ne Apoſtolicorum.* 14. *in Bullar. edita* 1515. expreſsè prohibens, ne alii præter prædictos nomen & dignitatem Cubiculariorum uſurpent) beneficia fuerint reſervata vi hujus reg. ut cenſet Caſtrop. *loc. cit.* contrarium renente Lotterio *l. 2. q. 32. n.* 163. eò quòd, dum olim in erectione dicti collegii Cubiculariorum vetitum, ne quis præter illos in eo conſtitutos nomen Cubiculariorum uſurparet, per hoc ſolùm excluderentur, qui ipſi tale nomen ſibi uſurparent; non verò, quibus Papa id concederet per privilegium, & cum ſufficiente derogatione iſtius decreti; ne quando Papa videretur voluiſſe limitare poteſtatem ſuorum ſucceſſorum, quod fieri nequit: adeòque & talium, etiam ultra eos in dicto collegio computatos, per privilegium Cubiculariorum beneficia caderent ſub hac reſervatione; quidquid inquam ſit de his, hodiedum dubitari nequit, quin unà cum iſtis Cubiculariis, Officialibus comprehendantur quoque ſub hac regula cubicularii extra muros, ſeu honoris nuncupati; eò quòd in hac regula per poſteriores Pontifices innovata hæc verba adjecta legantur: *Cubiculariorum etiam honoris nuncupatorum.* & Urban. VIII. expediens regulas Cancell. ſic declaràrit hanc reg. Caſtrop. *loc. cit.* citans Barb. *ubi ſupra. n.* 129. Lott. *loc. cit. n.* 164. contra Garc. *n.* 398. & Chok. *hic n.* 4. item contra plures deciſiones Rotæ, Urbano VIII. aliiſque Pontificibus antiquiores.

3. Notandum ſecundò, per curſores Papæ intelligi non tam apparitores, qui in judiciis mandata officialium exequuntur; uti nec ſollicitatores literarum Apoſtolicarum, quos Janizaros appellant, qui per Cancellariam curſitant pro expeditionibus bullarum Apoſtolicarum, quàm illi, qui ſuum in Urbe Banerum habent, quique de capellis & conſiſtoriis Papæ & ſimilibus Cardinales monent, & ſunt omnes ferè Clerici, Caſtrop. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n.* 7. dicens, de his poſterioribus maximè loqui regulam, teſte Maod. *hic q. 2. n.* 5.

4. Porrò rationem hujus reſervationis, uti & præcedentium, reſpectu nimirum Collectorum, officialium, familiarium, vide apud Lott. *loc. cit. à num.* 165. ubi dicit eſſe unam eandémque, nempe Pontificis tutela & protectio, ſub qua dictæ perſonæ unà cum eorum beneficiis ſunt ſuſceptæ, ratione cujus curæ & tutelæ Papa cenſeatur ad ſe avocare, quidquid contingere poteſt circa beneficia talium perſonarum, ut non poſſint inferiores collatores de illis diſponere ſine offenſa reverentiæ Pontifici debitæ.

Quæſtio 551. Quæ reſerventur per regulam ſeptimam.

1. Reſpondeo primò, reſervari Canonicatus, Præbendas, dignitates, perſonatus, & officia trium Eccleſiarum Urbis S. Joannis Lateran. S. Petri ſeu Principis Apoſtolorum. S. Mariæ majoris. Circa hanc reſervationem

2. Notandum primò, quòd, etſi hæc beneficia omnia competerent jure ordinario Papæ tanquam Urbis Epiſcopo, adeòque videri poterat opus non eſſe reſervatione; vel etiam dicta beneficia non eſſe reſervabilia juxta dicta ſuperius, quia tamen fortè Archipresbyteri dictarum Eccleſiarum, quia erant Cardinales, prætendebant, aut prætendere fortè poterant ſibi competere illorum proviſionem, ad tollendam hanc apparentem prætenſionem expedita fuit hæc reſervatio, tanquam expreſſa declaratio, quâ Papa declarat, ſibi ſoli eorum proviſionem competere, & conſequenter ſuperflua non eſt hæc reſervatio. Caſtrop. *cit. p. 21. n.* 4. citans Gonz. *gl. 13. à n.* 21. Mand. *hic q. 1. n.* 3. Barb. *ubi ſupra. n.* 133. Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 10. &c.* Chok. *hic n. 9.* addens, & ideo neceſſariam fuiſſe diſpoſitionem hujus regulæ, ut tollerentur varia indulta à diverſis Pontificibus conceſſa Archipresbyteris & capitulis dictarum Eccleſiarum conferendi majora illarum beneficia.

3. Notandum ſecundò, ad alia dictarum Eccleſiarum beneficia inferiora, ut ſunt Capellaniæ portiones, ſimiliaque ſe non extendere hanc reſervationem, unde tamen inferri non debet, ea non ſpectare privativè ad Papam, ſic enim illa ad Papam ſpectabunt jure ordinario, ſi fortè Archipresbyteri dictarum Eccleſiarum vel capitula ipſa, aliive inferiores non habeant privilegia ea conferendi, quibus privilegiis quò ad hæc beneficia derogare non intendit Papa; an verò ea privilegia habeant, ipſi viderint. Caſtrop. *loc. cit.* citans Gonz. *gl. 13. n.* 26. Barb. *n.* 36. Chok. *loc. cit.*

4. Secundò reſervantur omnes Canonicatus, præbendæ, dignitates, perſonatus, officia, adminiſtrationes & cætera, ſive cum, ſive ſine cura, quæcunque beneficia ſpectantia ad collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu aliam quamvis diſpoſitionem Cardinalium ratione Cardinalatûs, Epiſcopatûs, Tituli Diaconiæ, tam in Urbe quàm in Eccleſiis, civitatibus, ac diœceſibus dictorum Epiſcopatuum conſiſtentia; dum nimirum hi Cardinales à Curia Rom. abſunt, hæc verba ſunt regulæ, non nihil tamen tranſpoſita, circa quæ

5. Notandum Primò, hâc reſervatione non comprehendi niſi beneficia ſpectantia ad diſpoſitionem Cardinalium, Epiſcoporum, & quidem illorum ſolùm, quorum Cardinalatui ſtabiliter annexus eſt Epiſcopatus (quales ſunt 6. nimirum Oſtienſis, Portuenſis,

Præ-

Prænestinus, Tusculanus, Sabinensis, Albanensis, vel ut addit Lott. *l.* 2. *q.* 35. *n.* 4. Sylvæ candidæ, qui hodie est Veliternus, qui alium titulum nullum habent, quàm diœcesium suarum, dum interim Cardinales alii Diaconi & presbyteri etiam titulos suos habent in diversis Urbis Ecclesiis, dicti etiam collaterales, & Lateranensis Ecclesiæ Cardinales, quod constitutum, ut hi 7. Cardinales Episcopi residerent in Ecclesia Lateranensi, tanquam omnium præcipua. Lott. *loc. cit.* *à n.* 3.) non verò spectantia ad provisionem Cardinalium aliorum per accidens simul obtinentium alios Episcopatus vel Archiepiscopatus. Garr. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 404. Lott. *loc. cit. n.* 11. Castrop. *cit. p.* 21. *n.* 6. citans Gonz. *gl.* 24. *n.* 142. Barb. *alleg.* 57. *n.* 135. *&c.* contra Rebuff. apud Lott. qui, quia putavit, hanc regulam concernere & alios Cardinales Episcopos, ait, eandem non esse receptam in Gallia, respectu beneficiorum existentium in illis Diœcesibus Cardinalium Episcoporum Franciæ. Videtur autem hoc ipsum indicari in ipsa regula, dum dicitur: *spectantia ad illos ratione Episcopatuum* Cardinalatus, absque eo, quòd in pluribus reg. ponantur hæc duo absque interjecto comate. Garc. *loc. cit.* at ita etiam legit Lott. *loc. cit.* ratio verò, cur hi præ aliis Cardinalibus Episcopis, etsi his digniores sint, plus graventur, (si tamen gravamen nuncupari debet aut potest hæc beneficiorum reservatio) est bonum Ecclesiæ, ut nimirum vel sic moveat eos Pontifex tanquam magis præcipuos, & quorum Episcopatus non multùm distant ab Urbe (sunt namque prædicti Episcopatus Cardinalatus intra 40. ab Urbe lapidem. Lott. *n.* 17.) ad semper assistendum ejus lateri pro bono Ecclesiæ. Castrop. *loc. cit.* Sed neque huic regulæ repugnat regula Cancell. subsequens seu 8. in qua indistinctè à reservatione eximuntur beneficia spectantia ad provisionem Cardinalium. Castrop. *loc. cit.* Chok. *hic à n.* 10. nam per hoc, quòd omnes indistinctè Cardinales eximantur à reservatione contenta in ista *reg.* 8. non sequitur, si qui eorum inclusi sint in alia reservatione, eos quoque ab ista reservatione eximi vi istius *reg.* 8. certè credendum non est, regulam hanc 7. in continente ita correctam esse per immediatè subsequentem; ad quid enim expediebat eam poni, si mox corrigenda & tollenda? Castrop. *loc. cit.*

6. Notandum secundò, circa absentiam illam Cardinalium, quòd hi Episcopi Cardinalatus non absint à Curia Rom. dum morantur extra Urbem in suis diœcesibus non ultra, ut dictum, 40. ab Urbe lapidem distantibus, cùm etiam is, qui est in loco Curiæ vicino intra duas dietas legales, satis dicatur esse in Curia, juxta *c. præsentis. de præb. in* 6. districtùsque Urbis 40. millibus passuum circumquaque finiatur. Lott. *loc. cit. à n.* 19. adeóque, ut regula hæc intret, necesse est, ut dicti Cardinales non tantùm absint ab Urbe, sed à districtu Urbis, & sic ultra duas dietas. Lott. *n.* 25. sed neque, si curia Rom. transferatur, Cardinales, qui eam sequuntur, privantur potestate conferendi; non quidem, quia non absunt reipsâ à suis Ecclesiis & titulis, sed quia lex eos fingit præsentes, propterea, quòd sunt in servitio Papæ. *c. ad audientiam. de cleric. non resid.* Lott. *loc. cit.* Neque etiam eâ potestate privabuntur, qui sunt in Urbe vel aliqua parte agri Rom. remanserunt; quia nec à Curia abesse censentur, Curiâ versante alibi, qui in Urbe, ubi suos proprii tituli Cardinalium, residendo, Curiæ de facto deserviunt. Lott. *n.* 25. *&* 26. juxta *cit. c. ad audientiam.* Nec denique abesse à curia censentur, ubicunque demum morentur, dum absunt cum licentia Papæ, tùm habeantur pro præsentibus, ut declaravit Paul. 3. apud Lott. *n.* 27. De cæterò in genere, dum alii Cardinales ex legitima causa absunt à curia, ut dum absunt ob residentiam in sua Diœcesi, & Ecclesia Cathedrali juxta decretum Trid. *sess.* 23. *c.* 1. non reservantur eorum beneficia; quia absentia est legitima & approbata à Concilio. Castrop. *loc. cit.* Quamvis Cardinales obtinentes Episcopatus & Archiepiscopatus alios, & in iis residentes obtinere soleant indultum à Papa, ut in omnibus gratiis, favoribus, privilegiis concessis Cardinalibus reipsa in Curia præsentibus gaudeant, ac si præsentes essent. Garr. *loc. cit. n.* 406. Chok. *hic n.* 9.

7. Tertiò denique ad finem hujus regulæ apponitur decretum Papæ irritans omnium, quod non solùm se extendit ad omnia contenta in hac regulas, sed etiam ad omnes alias regulas præcedentes; ita ut irritentur omnia contra hanc, & omnes regulas præcedentes attentata. Chok. *hic n.* 13. Garr. *n.* 407. Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans Barb. *ubi supra num.* 138. Gonz. Ricc. &c.

PARAGRAPHUS VII.

De Regula octava, quæ dicitur Regula reservatoria mensium, ac imprimis de prima ejus parte.

Quæstio 552. *An hæc regula (cujus materiam utì salebrosam & difficilem, ita toto Orbe frequentissimam vocat Chok.* in prooem. ad hanc reg. n. 1.) *sit eadem cum illa, quæ olim vocabatur regula de mensibus?*

RESpondeo, magnam esse inter has regulas differentiam, per illam enim regulam de mensibus (cujus tenorem, prout habetur in regulis Sixti IV. Anno 1471. legere est apud Lott. *l.* 2. *q.* 37. *n.* 1.) nihil ampliùs inductum est, quàm quòd in 4. mensibus in ea designatis, nempe Martio, Junio, Septembri, Decembri, Ordinarii de beneficiis, quæ non essent generaliter reservata, vel affecta, liberè possent disponere, non obstantibus exspectativis, quarum tunc frequens erat usus, (clausula siquidem *perinde ac exspectativæ gratiæ, non emanarent:* id operabatur, ut simpliciter inducta esset remotio obstaculi ex exspectativis) adeóque per concessionem istorum 4. mensium non censebatur Papa sibi reservare simpliciter octo reliquos menses, sed tantùm secundùm quid, & in ordine ad exspectativas, adeò, ut in quocunque mense vacaret beneficium, si nullus compareret exspectans cum processu fulminato, qui beneficium acceptaret, posset Ordinarius liberè conferre beneficium, & consequenter, cessantibus exspectativis, omnes menses cedebant dispositioni Ordinarii, Lott. *loc. cit. n.* 4. In regula verò, de qua hic, Papa sibi reservet 8. menses; unde rectè dicitur reservatoria, hoc est, non tantùm beneficiorum, quæ vacant istis mensibus, sed etiam ipsorum solidorum mensium, Lott. *n.* 3. Per quod tamen non negatur, etiam, antequam per Concilium abrogarentur exspectativæ, consuevisse Pontifices facere duas regulas distinctas, unam videlicet super 4. mensibus pro Ordinariis contra exspectativas, quæ dicebatur reservatoria mensium pro Episcopis; & alteram huic nostræ persimilem super 8. mensibus, quæ ideo nuncupabatur reservatoria 8. mensium. Lott. *n.* 8. Hæc verò regula de 8. priùs per pontifices concipiebatur per clausulam: *usque ad cessationem exspectativarum*, quo casu cessantibus exspectativis, cessabat & ipsa regula cum tota ejus vi reservatoria; dein concepta simpliciter, ut Papa solus in iis provideret de vacantibus. Lott. *n.* 7. citans Paris. *cons.* 18. *n.* 3. & per *totum l.* 4. Et hæc observanda plurimum, ut monet Lott. *n.* 8. pro interpretatione antiquorum indultorum, de conferendo in mensibus, quæ ordinariæ dispositioni cedunt; distinguendo videlicet tempora, quibus diversæ hæ regulæ diversimodè fuerunt & promulgatæ & receptæ.

Quæstio 553. *Quæ origo, & quis processus hujus regulæ?*

1. RESpondeo primò, ejus auctorem dici à Bursat. *cons.* 126. *n.* 101. Alexand. V. Anno 1441. Lott. *cit. q.* 37. *n.* 2.

2. Secun-

2. Secundò, differt autem in pluribus hæc moderna regula ab eadem antiqua, dum in ea multa addita sunt & mutata. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 445. de quibus particularim vide eundem *num.* 449. 456. 460. 465. 470. 482.

3. Tertiò, olim non solebat edi & poni inter alias regulas Cancell. sed separatim, unde non obstabat, quin interim, nimirum tempore, quo post alias regulas ea edebatur, fieret ab Ordinario provisio in mense per eam reservato. Garc. *n.* 458. 459.

4. Quartò, ante tempora Sixti V. fiebat ad quinquennium, & eo finito renovabatur, ut videre est in hac regula edita à Pio V. & Gregor. XIII. Garz. *num.* 446. Sed neque de stylo, finito quinquennio, ex taciturnitate Papæ censebatur prorogata ad aliud quinquennium; sed dum non renovabatur, cessabat omnino. Garc. *n.* 447. *&* 448. contra Gonz. *ad hanc reg. in proœm.* §. 4. *n.* 17. Quin & necessariam fuisse novam acceptationem alternativæ elapso quinquennio illo, asserit *ibid.* Garc. quamvis Rota *in Faventina canonicatûs de Anno* 1585. dicat, quòd hâc regulâ renovatâ, eo ipso alternativæ acceptatio censebatur continuata.

5. Quintò à tempore Sixti V. facta hæc reservatio seu regula usque ad Papæ ejus conditoris beneplacitum, adeòque durabat toto tempore Pontificatûs illius, nisi ab eo revocaretur. Garc. *n.* 446. citans Zerol. Denique unà cum regulis Cancell. aliis hæc regula hodiedum edi consuevit, pluribus immutatis, ut dictum, aut adjectis, & in eam, prout à Clem. VIII. & Paul. V. editam integro volumine elucubratissimo commentatur Hieron. Gonz. primò Romæ editus 1604. & post illum Chok.

Quæstio 554. *Quæ sint partes hujus regulæ?*

1. RESpondeo: dividi illam in partes principales duas, quarum utraque bifariam subdividitur. In priore parte primæ partis principalis reservantur beneficia Ecclesiast. omnia, cum, & sine cura sæcularia, & quorumcunq; Ordinum regularia, qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia, ad collationem, provisionem, electionem, præsentationem, & quamvis aliam dispositionem, quorumcunque Collatorum (nimirum, sive sint tales ex officio, ut Episcopi, sive ex privilegio, sive ex fundatione, sive ex præscriptione, nisi sit jusp. laicale vel mixtum. Castrop. *p.* 22. §. 3. *n.* 8. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 620. Gonz. *gl.* 21. *n.* 19.) vel Collatricum (quæ aliàs non venissent sub nomine Masculino Collatorum, ut probat Castrop. *ibid.*) sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium (non tamen Rom. Ecclesiæ Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam & quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare & observare debebant, acceptatis & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet spectantia, dum ea extra Curiam aliter, quàm per resignationem vacare contigerit in mensibus Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, Novembri, volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus etiam motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint, dispositivè mentionem fieri, adeóque gratias nullas esse. Hæc verba sunt regulæ non nihil majoris claritatis gratiâ, ut visum, transposita.

2. In altera hujus prioris partis parte derogat contrariis nimirum consuetudinibus, etiam immemorialibus optandi majores & pinguiores præbendas, nec non privilegiis in limine erectionis concessis, & indultis Apostolicis disponendi circa hujusmodi beneficia, quibuscunque demum dignitatis, statûs, ordinis Personis & Collegiis, & sub quibuscunque clausulis, fortissimis etiam, concessa ea fuerint.

3. In secundæ principalis partis priore parte concedit Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis residentibus apud suas Ecclesias alternativa in 6. mensibus, nimirum Februario, Aprili &c. conferendi beneficia quæcunque cum cura & sine cura, regularia, & sæcularia, modò vacent extra Curiam, sintque Episcopi, Archiepiscopi &c. Residentes, & beneficia aliàs spectent ad illorum duntaxat collationem, citra aliorum dispositionem, præsentationem, electionem, & non sint aliàs dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta.

4. In posteriore verò hujus secundæ partis parte intentat iis pœnam, nimirum privationem dicti beneficii, & nullitatem collationum, aliarúmque dispositionum de prætextu dicti beneficii faciendarum, ubi jus reservationis papalis violaverint; nimirum disponendo de beneficiis vacantibus in mensibus papalibus, aut aliàs reservatis vel affectis, aut impediendo, quò minùs provisiones & gratiæ papales factæ de dictis beneficiis effectum sortiantur.

5. Circa quas partes illud notandum cum Chok. *hic n.* 20. quamlibet harum principalium partium fuisse olim regulam separatam. Estque illud inter utramque discrimen, quòd prima liget manus Ordinariorum, ideóque præjudicet & detrahat potestati ordinariæ Ordinariorum, suóque modo jus commune corrigat, & in tantum contineat odibilitatem aliquam, dum è contra respectu Clericorum pauperum & benè meritorum est favorabilis, juxta dicta superius. Pars altera verò dictum ligamen moderetur, seu partim relaxet, proinde tanquam tota favorabilis, utpote juri communi innixa sit amplianda.

Quæstio 555. *Quænam sit ratio, seu causa finalis hujus regulæ?*

1. RESpondeo: præter ea, quæ supra hac de re dicta sunt de fine reservationum in communi, hujus regulæ in particulari rationem finalem sufficienter indicari, ex illis verbis procemialibus regulæ: *cupiens S. D. N. pauperibus Clericis & personis bene meritis providere*: præfationes enim hujusmodi optimè arguunt causam finalem dispositionis. Lott. *l.* 2. *q.* 36. *n.* 3. Unde *n.* 26. *& seq.* rectè infert Lott. rationem motivam seu causam finalem hujus regulæ non esse favorem Curiæ, ut sentire videtur Zypæ. *in Analit. tit. de institut.* & Gl. *in Extrav. Execrabilis.* Eò quòd, licèt in conferendis istiusmodi beneficiis habeatur ratio præsentiæ & degentiæ in Curia, ut Gonz *gl.* 4. *num.* 14. præferatúrque quandoque qui præsens est, & ubi plures præsentes sunt, ratione antiquioris præsentiæ & residentiæ in Curia, prout etiam servitii & familiaritatis ex quadam congruentia; non tamen hæc tangunt causam finalem regulæ, sed causam impulsivam tantùm, ut ex eo patet, quòd nullibi, neque in corpore juris, neque in regulis Cancell. pro obtinendis beneficiis qualitas hæc consideretur ad effectum bene merentiæ, cùm semper, saltem ex intentione Papæ, provideantur Clerici pauperes & benemerentes, sed non semper degentes in Curia, dum frequenter quoque absentes, qui Curiam Rom. nunquam viderunt, provideantur de beneficiis ejusmodi reservatis, quod minimè contingeret, si gratiâ curialium principaliter hæc regula emanâsset. Sed neque benemerentiam istam, de qua hæc regula, prout condistinguitur à paupertate (quæ consistens in defectu patrimonii proprii & beneficii alterius, constituit aliàs primum ac potiorem gradum benemerentiæ, cùm beneficia dicantur panes pauperum, ut Lott. *n.* 29. 30. & 59.) ex certo ministerio corporali in Papam vel ejus Curiam impenso, seu ex Curialitate præcisè, sed ex servitio hujusmodi, & principaliter ex morum honestate, literatura, & personæ sublimitate dimetiendam esse, ait Lott. *num.* 5. 29. *&* 48. Idem ferè ait Chok. *ad proœm. hujus reg num.* 27.

2. Specialem verò causam, cur Pontifex Episcopis dictos 4. menses in prima parte regulæ reliquerit, hanc assignat Chok. *hic num.* 8. Quòd cùm per istiusmodi reservationes jus antiquum concessum Ordinariis quodammodò denuo avocabatur seu adimebatur (quamquam non censeatur id auferri, quod precariò concessum erat, non aliter, ac si Episcopus potestatem conferendi beneficia suo Vicario tribuat; nihil-

nihilominùs ipse, si voluerit, conferet, & istiusmodi facultatem datam Vicario poterit revocare, ut Rebuff. *tit. de forma Vicariatûs. num. 89.* apud Chok.) Pontifices, ne de se conquererentur Ordinarii, cum illis dividere voluerunt dicto modo menses. Quòd verò illis solùm 4. sibi verò servârint 8. nulla alia causa assignari potest magis adæquata, quàm quia valdè congruat, Papam, qui est Dominus & Creator beneficiorum, & in his habet plenissimam potestatem, in hac distributione majorem partem obtinere, juxta illud Aristotel. *Eth. 8. C. ult. in divisione: plus capiunt ii, qui plus conferunt.* Lott. *l. 2. q. 37. num. 13* Chok. *loc. cit.* citans Felin. *c. dilecti. de major. & obed.* Covar. *in c. quamvis pactum. de pactis. in 6. p. 2. §. 2. n. 4.*

Quæstio 556. Cùm regula utatur verbis omninò universalibus, dicendo: Quæcunque beneficia, qualitercunque reservata, ubicunque existentia, ad cujuscunque qualemcunque provisionem spectantia, *cum clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, an ergo nulla ab hac reservatione excipiantur beneficia?*

1. Respondeo: dictis terminis generalibus non obstantibus excipi primò beneficia jurisp. laicalis; hæc enim nullis reservationibus, etsi generales sint, & clausæ in corpore juris, comprehenduntur. Garc. *p. 5. c. 1. num. 571.* citans quamplurimos. Nec obstant verba regulæ *præsentationem*, &c. quia non includunt præsentationem laicorum, sed Clericorum. Garc. *ibid. n. 572.* citans Paris. *de resign. l. 2. q. 4. n. 37.* Gonz. *gl. 18. n. 4.* Lamb. *p. 1. l. 2. q. 6. & 7.* Covar. Mand. &c. dummodò tamen jusp. laicale competat ex fundatione, dotatione, vel dotis augmento, vel etiam ex donatione facta ab habente illud ex his titulis; reliqui enim patronatus competentes ex præscriptione, consuetudine, privilegio, (intellige mero) aut quocunque alio modo non prosunt ad impediendam reservationem hujus regulæ. Chok. *hic gl. 1. num. 5.* Garc. *loc. cit. num. 573.* citans plures, & ita decisum dicens *in una Segunt. dimidia annatæ. 26. Nov.* 1593. Vide dicta superiùs, ubi de derogatione jurisp. proceditque idipsum, etiamsi jusp. ex privilegio vel præscriptione spectaret ad Duces, Marchiones, Comites vel alios Principes, nisi fortè jura Regia seu Imperii obtineant. Garc. *num.* 575. citans Gonz. *gl. 24. n. 159.* &c. Tales quoque patronatus etiam ante Trid. per quod modò sublati sunt, cecidisse sub reservationibus, ait Chok. *loc. cit.* Unde jam ad excludendam reservationem docere oportet, quòd juspat. competat ex fundatione. Garc. *n.* 576. Si tamen allegaretur, & probaretur immemoriali temporis cursu & consuetudine, asserens sibi competere ex fundatione beneficium, non subiret hanc reservationem. Garc. *num.* 577. citans plures, & dicens, sic resolutum in *Pampilon. beneficii.* 22. *Maji* 1557. Item dum jusp. habet quis alius ex præscriptione seu consuetudine, modò id absolutè fuerit ex fundatione, &c. Garc. *num.* 578. Sic resolutum dicens *in Auximana Jurisp.* 7. *Feb.* 1586. Idem est, dum veri patroni ex fundatione non sint in possessione præsentandi, sed alteri ratione possessionis competit præsentatio, beneficium est immune à reservatione. Garc. *num.* 579. Sed neque beneficium cadit sub reservatione, dum jusp. ex privilegio est cum clausula: quòd hujusmodi patronatus sit ex vera & reali fundatione seu dotatione laicali, seu habeatur, ac si esset ex vera dotatione; facit enim hæc clausula: ut, licèt hæc qualitas insit ex privilegio, debeat tamen regulari, prout regulantur ea, quæ verè ex fundatione vel dotatione competunt, nisi de mente Papæ contraria appareat. Garc. *num.* 580. citans Rot. *in Asloricen Archidiaconatûs.* 14. *Martii. &* 4. *Maji.* 1576. *&* Gonz. *gl.* 18. *num.* 92. Neque cadit sub reservatione, dum jusp. ex privilegio est ex causa onerosa augmenti dotis, de quo vide dicta aliàs.

2. Pari modo beneficia jurisp. mixti, seu partim laicalis, partim Ecclesiastici, eximuntur ab hac reservatione; in favorabilibus enim attendenda qualitas laicalis, ne laicus propter Clericum perdat suum privilegium. Chok. *loc. cit. num. 3.* (qui tamen addit, id intelligendum, quando laici in hoc jurep. habent majorem partem, vel saltem æqualem, secùs, si Ecclesiastici majorem.) Garc. *n.* 582. subdens *num.* 591. quòd sicut in beneficiis jurisp. laici vel mixti non cadit reservatio expressa, ita nec tacita, quæ resultat ex appositione manûs Papæ, citátque pro hoc Rotam *in una Firmana benefic.* 13. *Maji* 1596. E contrà tametsi certum sit, beneficia jurisp. Ecclesiastici comprehendi in hac & aliis reservationibus, id tamen in Hispania, præsertim in regnis Castellæ, imò beneficia jurisp. Ecclesiastici indifferenter ad præsentationem patronorum provideri in partibus, in quocunque mense vacaverint, videmus quotidie, ait Garc. *nu.* 557. & ex eo Chok *hic gl. 8. num. 3.* An verò supposità hâc observantià & consuetudine ex ea defendi possit, id licere, non obstante hâc reservatione, & aliis quasi usu non receptis aut abrogatis in beneficiis jurisp. eò quòd lex usu non recepta non liget, meritò dubitari, ait ibid. Garc. negat idipsum expressè *num.* 558. dicens: non posse doctrinam de lege his regulis reservatoriis applicari, eò quòd, licèt fiant per modum legis, aliud tamen nihil reverà sint, quàm avocationes beneficiorum per Papam ad se factæ, per quas Papa protestatur contra inferiores, ne ullo modo se intromittant in dispositionem beneficiorum per illas reservatorum, adimitque illis omninò facultatem providendi de illis, velint, nolint, recipiant, necne, & cum decreto irritante, ex quo magis declaratur ejus voluntas, & tollitur observantia & consuetudo in contrarium. Nec refert, quòd in iis non fiat mentio & derogatio observantiæ & consuetudinis prætensæ, quia illa nullius est considerationis, stante interpretatione per singulos Pontifices renovantes regulam. Unde nec illa, stante decreto irritante, ut dictum suprà, unquam potest induci. Adde, quòd Papa reservando generaliter deroget omnibus juribus, & statutis, & consuetudinibus.

3. Secundò excipiuntur beneficia pertinentia ad collationem Regum aliorúmque quorundam Orbis Christiani Principum jus Imperii habentium, dum in regnis suis sunt plurimorum beneficiorum collatores. Eo ipso námque, quòd de Regibus & Principibus non fiat expressa mentio, non censentur comprehendi sub hujus reg. reservatione, juxta tex. *c. fin. de off. delegat. c. ne reliquos. de privileg. in 6.* Præcepta námque canonica relaxantur propter Regum & Principum auctoritatem. *c. Regum.* 24. *q.* 5. Chok. *hic gl.* 10. *n.* 7. *&* 8. citans Archid. Jo. And. *in c. 2. de prab. in 6.* qui loquuntur in fortiore omnium reservatione ratione vacationis apud Sedem. Et Covar. *pract. qq. c. 36. num.* 4. Castrop. *p. 22. §. 4. n.* 10. Garc. *num.* 639. citans Gonz. *gl. 24. num.* 153.

4. Tertiò eximuntur ab hac aliisque reservationibus generalibus beneficia manualia, seu ad nutum amovibilia, sive sæcularia ea sint, sive regularia; Papa enim sibi reservando beneficiorum collationem, videtur id intelligere de collatione, quæ fit perpetuò. Chok. *hic gl. 1. n. 15.* Garc. *l. cit. n.* 510. citans Zerol. *in pr. p. 1. v. beneficia. §. 3.* Paris. *de resig. l. 11. q. 3. num.* 82. *&* 95. &c. proceditque idipsum, etiamsi tale beneficium vacaret per obitum; quamvis enim manuale sit, verè tamen dicitur vacare per obitum. Chok. *loc. cit.* citans gl. *in clem. unicam. de suppl. negl. prel. & ibi* Card. & Innoc. Per hoc autem, quòd regula hæc exprimat regularia, hoc nomine comprehendere non intendit manualia, etsi beneficia regularia regulariter ex natura sua sint manualia; sed comprehendere regularia, dum hæc aliquando sunt perpetua. Garc. *nu.* 512. citans Mand. *ad reg. 3. q. 10. &* 11. &c. Chok. *loc. cit.* citans Paris. *de resig. l. 11. q. 3. n. 82. & seq.* Hinc

5. Quartò excipiuntur beneficia regularia seu prælaturæ regulares Ordinum Mendicantium, quia non sunt perpetua. Pith. *de prab. num.* 354. Chok. *hic gl. 5. num.* 5.

num. 5. etsi de cetero beneficia regularia, (hoc est, quæ vi fundationis reguntur per regulares) perpetua hac regula comprehensa fuissent, etiamsi de iis mentio expressa facta non fuisset, eò quòd beneficiorum nomine non minùs veniant regularia, quàm sæcularia. Excipi tamen etiam videntur regularia perpetua Ordinum militarium, dum sunt Prioratus, Præpositura, &c. ne in generali reservatione veniat, quod in speciali non comprehenditur, & ne lex generalis comprehendat casum specialem privilegiatum, & alibi exceptuatum; dum nimirùm Prioratus & Præpositura Ordinum militarium expressè excipiuntur à reservatione in *reg.* 3. cujus regulæ incontinenti dari correctionem, videtur inconveniens, Pirh. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 8. *num.* 52. Garc. *nu.* 513. qui etiam addit, nulla beneficia, etiam minora, dictorum Ordinum militarium videri sibi comprehendi sub hujus reg. reservatione, argumento *regula* 3. utpote ex qua videtur sufficienter colligi mens Papæ, nolentis reservare beneficia Ordinum militarium.

6. Quintò excipiuntur beneficia de mensa, quale dicitur, quod perpetuò est incorporatum mensæ Episcopi, aut capitulari vel abbatiali, ita ut nunquam vacet; hæc enim regula loquitur tantùm de beneficiis vacaturis, Pirh. *loc. cit.* Chok. *hic gl.* 1. *num.* 16. Hinc

7. Sextò excipiuntur in genere beneficia per viam subjectionis unita alteri beneficio tanquam principaliori pro augmento dotis seu patrimonii illius; talis enim beneficii subjecti, accessorii & dependentis ab illo, cui unitur, seu cui incorporatur, non datur neque vacatio, neque collatio, Chok. *loc. cit. num.* 17. citans Rebuff. *in pr. tit. de unione.* Staph. *de lit. gratia, tit. de formis mandati, §. secunda forma, num.* 2. Gomes. *de Exspectat. num.* 117. Quin & excipiuntur beneficia sic unienda vigore gratiæ de uniendo, cùm primum vacaverint per cessum vel decessum, Chok. *loc. cit. num.* 18. citans pro hoc Staphil. *ubi antè, num.* 3. 4. 5. Felin. *in cap. nostra. de rescript.* 27. *Coroll. num.* 23. Quòd si tamen beneficium taliter uniretur beneficio, in quod cadit reservatio, caderet quidem & ipsum sub reservatione, sed non tanquam beneficium de per se, quod non est, sed uti prædium alterius beneficii. Qualiter nequidem accessoriè caderet sub reservatione, dum non alteri beneficio, sed alteri loco pio, veluti fabricæ, hospitali, &c. uniretur seu incorporaretur, Chok. *cit. num.* 88. De cetero, dum beneficium unitur alteri beneficio æquè principaliter, ita ut utriusque jura salva permaneant, licèt ad invicem communicentur, ut si duæ parochiales vel duæ dignitates uniantur, & una fiat ex duabus, cùm tunc beneficium unitum nec nomen, nec titulum, nec effectum beneficii perdat, nulla est ratio, cur hoc beneficium, quod remanet ex duobus beneficiis unitis compositum, non comprehendatur sub reservatione hujus reg. Chok. *loc. cit.* Sic quoque beneficium manet obnoxium huic reservationi, ubi unio solùm facta quò ad erectionem & gubernationem amborum, & non etiam, ut bona utriusque communicentur, ut dum idem est administrator bonorum utriusque Ecclesiæ, non ideò bona unius Ecclesiæ transeunt in dominium alterius Ecclesiæ, Chok. *loc. cit. num.* 19. citans Trid. *sess.* 21. *c.* 7. & *c. Si Episcopus. de off. Ordinar. in* 6.

8. Septimò excipiuntur Canonicatus doctorales & magistrales Ecclesiarum Cathed. regni Castellæ, & Legionis, qui per concursum & electionem Capituli providentur, juxta *constit. Sixti IV. & Leon. X.* in quibus Constitutionibus cavetur, ne sub ulla reservatione, etiam per regulas Cancell. hi Canonicatus provideantur; suntque hæ Bullæ per modum statuti & per viam legis (quod ipsum Garc. ait, esse præcipuum & solidum hujus rei fundamentum) unde etiamsi hæc regula sit cum clausulis derogatoriis cujuscunque indulti, non censebitur per illam derogatum hisce Bullis; siquidem per ista verba solùm derogatur quibuscunque indultis & privilegiis, quæ verè talia sunt, non verò quæ per modum legis & statuti conceduntur, Castrop. *loc. cit. p.* 22. *§.* 2. *per tot. & specialiter n.* 63.

9. Octavò excipiuntur beneficia existentia in Ecclesia non numerata seu receptiva, (qualis ea dicitur, ubi non adest certus numerus Canonicorum, seu aliorum beneficiatorum, sed juxta quantitatem fructuum præbendæ decrescunt vel augentur) eò quòd hac regula non reserventur beneficia quælibet, sed tantùm beneficia vacatura; dicta autem beneficia morte beneficiati non vacant, sed extinguuntur & supprimuntur, quò ad usque per electionem Canonicorum, vel aliorum, quorum interest, rursus eriguntur, *c. dilecto.* 25. *de preb.* ubi dicitur: *Licèt in Ecclesia, ubi non est certus numerus prebendarum, nulla etiam earum vacante, in canonicum quis possit assumi, cùm intelligatur ad jus quoddam eligi, quod sic electorum consensu de novo creatur, & cum electo in canonicum nascitur, & desinit esse cum defuncto,* &c. Unde etiam, ut Castrop. *loc. cit.* contra Paris. quem citat *de resig. l.* 2. *q.* 13. *num.* 1. & 2. dicta beneficia impetrari, resignari, permutari (nisi fortè extraordinariè, Papa sciente & consentiente) nequeunt; citat pro hoc Castrop. Barb. *de potest. Episcopi, p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 178. Gonz. *gl.* 9. *§.* 3. *num.* 9. Garc. *n.* 550.

10. Denique excepta quoque videntur beneficia spectantia ad Collatorem, cui jus conferendi ea concessum ex privilegio seu indulto aliquo pro limitato solùm tempore, putà, ad 4. annos plus minus, ut Chok. *ibid.* Castrop. *loc. cit. §.* 3. *n.* 8. citans Gonz. Barb. Garc. qui tamen posterior potiùs contrarium astruit, dum *p.* 5. *c.* 1. *num.* 619. inquit, sibi non placere istam exceptionem.

Quæstio 557. Specialiter circa quædam alia beneficia, de quibus magis dubium esse poterat, num eximantur ab hac reservatione, putà, de noviter erectis, de debitis conferri certo generi personarum, seu patrimonialibus; de monocularibus, de dignitatibus majoribus & minoribus, de beneficiis reservatis, de vacantibus de facto, & de vacantibus de jure, &c.

1. Respondeo primò: Beneficium noviter erectum post hujus regulæ promulgationem primò vacans cadit sub reservatione illius; eò quòd reservatio hæc inducta per modum legis, & lex semper loquatur, verbaque hujus regulæ sint amplissima, ut hinc esse non possit in consideratione nova, seu recens creatio, Chok. *hic gl.* 4. *num.* 9. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *n.* 519. citans Gonz. *gl.* 9. *§.* 5. & plures alios. Quin etiam dum fundator constituit, ut collatio beneficii, in quocunque demum mense vacet, spectare debeat ad Ordinarium, beneficia taliter fundata nihilominùs cadere sub reservatione mensium Apostolicorum, facta tam per reg. Cancell. quàm Concordata Germ. tradit, & fusè probat Nicolatt. *ad Concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 4. *§.* 5. de quo vide dicenda infra, ubi quæ reserventur Papæ vi Concord. Germ. Contrarium autem, quod reunit Rota *decis.* 32. *n.* 7. *de preb. in antiq.* & Simonet. *de reserv. q.* 12. intelligendum de reservationibus specialibus, dum nimirum gratia seu reservatio fit ad favorem certæ personæ de beneficio vacaturo; hæc enim gratia se non extendit ad beneficium post datam gratiæ primò erectum, Garc. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. num.* 10. Neque tamen etiam beneficium recens erectum quò ad primam sui collationem cadere sub hac reservatione, probabilius censet Garc. *n.* 520. Castrop. *loc. cit. n.* 10. citans Barb. *cit. alleg.* 57. *n.* 181. quibus adhæret Nicolatt. *ad concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 4. *§.* 4. contra Gonz. *loc. cit. n.* 49. & 50. eò quòd durum videatur, & hinc à mente Pontificis alienum, quòd si in mense Apo-

Apostolico erigeretur beneficium per Ordinarium, quod non esset jurisp. Laicorum, sed Ecclesiasticorum, vel etiam liberæ collationis, Ordinarius ipse non posset illud conferre pro prima illa vice, nec patronus præsentare, Garc. *ibid.* vel ut Castrop. quòd, licèt in rigore beneficium vacare censeatur eo ipso, quòd erectum sit, antequam alicui sit collatum; cùm tamen collatio ita immediatè erectionem sequatur, ut vix contingat ab illa disjungi, non computetur hæc vacatio in reservatione beneficii vacaturi.

2. Respondeo secundò: beneficia patrimonialia (qualia sunt, quæ ex fundatione vel privilegio Papæ, vel consuetudine conferenda sunt natis vel oriundis illius patriæ vel civitatis, in qua existunt beneficia, vel consanguineis fundatoris, filiis familias, seu filiis naturalibus vel patrimonialibus) & aliàs certo personarum generi, putà, Doctoribus, Magistris, &c. adhuc caduot sub hac reservatione, Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Gonz. *gl.* 9. §. 1 *n.* 1. Chok. *hic gl.* 4. *n.* 2. Lott *l.* 1 *q.* 39. *n.* 7. Garc. *l. c. n.* 562. contra Zerol. *in pr. p.* 1. *v. beneficium*, §. 3. Menoch. *l.* 3. *cons.* 294. *n.* 18. Quarant. Cevall. &c. quos citat Castrop. tum quia Regulæ verba omnia sunt generalia; tum quia per talem reservationem non aufertur dictis personis, quibus ea debentur, jus, ut Garc. *loc. cit.* hujusmodi enim beneficia caduot quidem sub reservatione, sed eum hac conditione, adeo ut Papa debeat ea conferre personis talem qualitatem requisitam habentibus; censetur namque Papa per reservationes suas præjudicare quidem velle Collatoribus, non autem personis, quibus ex fundatione jus competit, Lott. *loc. cit. n.* 7. 8. 9. Limitanda nihilominùs est hæc sententia hac ratione: nisi in indulto seu privilegio concesso super beneficiorum patrimonialium provisione adessent tales clausulæ, quæ vincant & superent reservationem hujus regulæ, & verisimile sit, Papam nolle comprehendere tale indultum sub hac regula; ut contingit in indulto Clem. VIII. super beneficiis patrimonialibus Diœcesis Callaguritanæ, cujus clausula hæc sit: quòd non comprehendatur sub aliquibus derogationibus, reservationibus, & regulis Cancell. sub quibusvis clausulis & decretis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec derogari possit aut censeatur, nisi de Episcopi & Cleri Callaguritani, & hominum istius Diœcesis consensu, Garc. *n.* 566. Chok. *loc. cit. num.* 3. ex Gonz. *loc. cit. n.* 72. *& seq.* Ait etiam Garc. *cit. n.* 562. quamvis in rigore hæc sententia videatur sibi verior; contrariam tamen videri sibi æquiorem & praxi convenientiorem, præsertim, quia Papa non potest de facili habere notitiam de personis, quibus ex fundatione, consuetudine, privilegio vel aliàs beneficia sint conferenda. Et reverà videri eam in praxi receptam, & consuetudine approbatam in Hispania. Nec videtur obstare, quòd stylus Rotæ, qui facit jus, & pro lege habetur, etiam in partibus, habeat contrarium; eò quòd dicta lea abrogetur per stylum, observantiam, & consuetudinem particulatem Hispaniæ. Addítque Garc. *num.* 563. nihilominùs stante, quòd prior sententia sit jam à Rot. recepta, & secundùm eam reperiatur toties jam judicatum, ut introductus sit stylus Curiæ & consuetudo, videatur ei standum, etiam in Hispania, cùm agatur de interpretatione reservationis, quæ emanat ab ipsa Curia, (attendenda autem sit consuetudo fori, unde res, de qua judicari oportet, traxit originem) reservationésque habeant vim, etiamsi non recipiantur, uti id maximè procedit stante stylo ipsius Papæ, providentis de beneficiis patrimonialibus ut reservatis. Quin etiam, subdit idem Garc. *n.* 564. esto, quòd de cetero vera sit hæc secunda sententia, adhuc non procederet in beneficiis, quæ sunt conferenda Graduatis & Magistris, vel Doctoribus, & Licentiatis, ut Pœnitentiaria, Scholastria, (nisi fortè essent conferenda per electionem & concursum, ut præbendæ magistrales, & doctorales in Cathedralibus Regni Castellæ & Legionis) cùm rectè possint provideri à Papa Graduatis. Similiter adhuc procederet, quando personæ, quibus deberent conferri beneficia istiusmodi, non adessent vel nollent, seu non prætenderent illa, & sic liberè conferri possunt aliis.

3. Respondeo tertiò: beneficia monocularia (dicitur autem beneficium monoculare, dum unicum tantùm consistit in Ecclesia aliqua beneficium, vel dum collator non habet jus conferendi, nisi respectu unius beneficii, Castrop. *n.* 8. Garc. *n.* 518. addens, non dicendum monoculare, & collatorem monocularem, dum quis habet beneficii unius collationem tantùm, & in alio habet præsentationem; vel si quis habet collationem in uno solus, & in alio collationem cum aliis; ac citans pro hoc Wamess. *tom.* 1. *cons.* 42. *num.* 7. Menoch. *de arb. casu* 201. *num.* 69. Felin. &c.) cadent adhuc sub reservatione hac; tum quia regula habet verba prægnantia & potentissima, amplissimásque clausulas, Lott. *loc. cit. n.* 6. Castrop. *num.* 8. Garc. *loc. cit.* contra Gl. *in Clem.* 1. *de preb.* Æn. de Falcon. *de reserv. q.* 3. *num.* 32. Selv. *l.* 3. *q.* 11. *num.* 71. Quia hæc reservatio non absolutè privat Collatorem ordinarium sua potestate unica, quam habet providendi, sed illam restringit pro aliquot mensibus. Ad hæc cùm omnia ferè beneficia curata seu parochialia sint monocularia, multum detraheretur huic regulæ, si hæc omnia à reservatione essent libera, Castrop. & Garc. *ll. cit.* Refert etiam Garc. ex Gonz. *gl.* 9. §. 4. *n.* 267. (licèt ipse dicat id sibi certum non videri) quod tametsi monocularia talia beneficia, vel etiam dignitates (dum nimirum in Ecclesia collegiata non esset ulla alia dignitas præter unicam principalem) non comprehenderentur sub reservatione regulæ tertiæ, adhuc tamen comprehendenda sub reservatione hujus regulæ. Sed neque contrarium probatur ex eo, quòd in mandato de providendo non contineantur hæc beneficia monocula, & impetratio seu gratia se ad ista non extendat, nisi in ea fiat mentio expressa monocularitatis, ut eum communi tradunt Castrop. *loc. cit.* Chok. *cit. n.* 5. differentia enim magna est: nimirùm quòd reservatio ista facta in favorem alicujus determinatæ personæ, sive hoc mandatum & interpretatio sunt in materia odiosa & ambitiosa, juxta *c. Quamvis partem, de preb. in* 6. adeóque strictæ interpretationis, & privent Ordinarium integrè collatione; reservatio verò hujus regulæ fit per modum legis, & in materia favorabili, privans tantùm collatione ad aliquot menses.

4. Respondeo quartò: dignitates majores & minores omnes, cujuscunque qualitatis, comprehendi sub hac regula; eò quòd dictio *qualitercunque* sit universalissima, & comprehendat etiam in materia odiosa majora expressis, tradit Chok. *gl.* 4. *num.* 6. citans Abb. *in c. Soluta, de maj. & obed. not. ult.* Felio. *in c. de quarta. n.* 15. *de rescript.* Verùm ex mox dicendis apparebit, quid de hoc puncto sit sentiendum.

5. Respondeo quintò: beneficia aliàs reservata comprehendi quoque sub hac regula; eò quòd illa solùm excipiat vacantia in Curia, utpote jam reservata fortiori reservatione, nempe clausâ in corpore juris; beneficia autem alia reservata non nisi impropriè & largè dici possint vacare in Curia, quatenus à Curia providentur. Insuper inconveniens non sit, unum idémque beneficium pluribus reservationibus obnoxium esse, tenet Garc. *loc. cit. num.* 540. Verùm contrarium probabilius videtur Castrop. *p.* 2 a. §. 3. *n.* 3. & quem citat Gonz. *gl.* 13. *n.* 65. eò quòd hæc regula reservet solùm beneficia, quæ aliàs Ordinarii providere poterant; tum quia 4. menses liberos relinquit Ordinariis, quod locum habere non potest in beneficiis aliàs reservatis; cùm horum, utpote pro omni tempore reservatorum, collatio pro nullo tempore competat, seu relicta sit; tum quia hæc regula loquens de alternativa concessa Episcopis expressè dicit, eam concedi pro beneficiis dispositione Papali aliàs non reservatis vel affectis, adeóque de iisdem beneficiis aliàs non se-

reservatis debet procedere hujus regulæ reservatio, ut una pars regulæ cum alia convenientiam habeat. Tum quia in hac regula cavetur, quòd impetrans beneficium à Papa vacans in mense papali, adeòque reservatum vi hujus regulæ, debeat mentionem facere mensis vacationis, quod opus non est facere in beneficiis aliàs reservatis, etsi vacarent in mense Apostolico, ut Mand. *de sign. gratiæ, tit. de provis. vers. an autem.* Garc. *n.* 666. Ex eo autem, quòd hæc beneficia aliàs reservata non vacent propriè in Curia, non sequitur, ea includi in hac reg. excipiente vacantia in Curia, quia non omnia vacantia extra Curiam reservantur hâc regulâ, sed ea tantùm, quæ aliàs Ordinariis Collatoribus competere poterant. Ita ferè Castrop.

6. Respondeo sextò: beneficia vacantia per communem vacationis modum (qui est per obitum, vel per resignationem ejus, qui verum titulum & possessionem habebat, & dicitur vacatio de jure & de facto, eò quòd hinc neque jus, neque possessio sit penes aliquem, sed sint vacantia, ut Chok. *hic gl.* 7. *n.* 7. ex Mandos. *ad reg.* 30. *q.* 7. *n.* 4. & Rebuff. *in pr. tit. requisit. ad collationem, n.* 56.) indubitato partim comprehenduntur sub hujus regulæ reservatione, partim per illam ipsam excluduntur; dum nimirum reservantur omnia, aliter, quàm per resignationem vacantia. Comprehenduntur quoque vacantia de facto, & non de jure, sive vacantia solo facto, quia & hæc verè vacare dicuntur, Castrop. *cit. p.* 22. §. 3. *n.* 4. Chok. *loc. cit. n.* 10. ex Gonz. *gl.* 15. §. 1. *à num* 45. *&* 62. Sic autem vacare dicuntur ea, à quibus longo tempore absens est beneficiatus, & ignoratur, ubi sit. Item quorum quis collationem, sed nondum possessionem habet. Item dum dejecto aliquo à possessione, nemo eam occupavit; sic enim vacua possessione beneficium dicitur vacare de facto. Item dum quis non habet justum titulum, sed solam possessionem seu detentionem, quam cedit, vel decedit; tunc enim per renonciationem, vel obitum illius solummodò vacat beneficium de facto; eò quòd vacare non possit, nisi quod cedens vel decedens habebat, Chok. *loc. cit. n.* 8. ex Gregor. Thol. *de benef. c.* 27. *n.* 4. Paris. *de resign. l.* 1. *c.* 15. *n.* 13. *& seq.*

7. Denique comprehenduntur etiam vacantia solo jure, qualiter v. gr. vacare dicitur beneficium primum per assecutionem secundi incompatibilis; tametsi enim primum tunc vacet ipso jure, non dicitur tamen vacare de facto, quia de facto est semper occupatum. Sic plurimis aliis modis, quos compendio collectos legere est apud Chok. *loc. cit. à n.* 23. de jure tantùm dicitur vacare beneficium, quod tamen de facto occupatum est, quia & sic verè vacare dicuntur; dum enim de jure vacat beneficium, amittitur jus plenum & perfectum, quod quis in beneficio habebat, Castrop. *l. cit.* Chok. *num.* 11. citans Gonz. *gl.* 15. *à num.* 14. *ad* 44. & Garciam *p.* 5. *c* 5. *n.* 548. Ubi tamen notandum illud, quod habet Chok. *loc. cit. n.* 12. nempe beneficia ipso jure vacantia sic esse affecta & reservata Papæ, ut etiam vacantia in mense ordinario, non possit Ordinarius in Germania vigore Concordatorum ea conferre, sed solus Papa: non ita accipiendum universaliter, ac si ea omnia reserventur Papæ, quorum quis jus & verum titulum ipso facto in vim legis sic statuentis amittit, in quocunque demum mensa, & ex quacunque causa fiat hæc omissio; cùm pateat id falsum esse in plurimis obviis exemplis.

Quæstio 558. *Circa quædam alia, quæ minùs propriè rationem beneficii habere videntur: putà, altaria, oratoria, Capellaniæ, &c. quæ fundata sunt absque Episcopi, aliúsve Superioris auctoritate, præbendæ, Hospitalia, pensiones, præstimonia, Commendæ, Coadjutoriæ, officiaque alia, num comprehendantur sub hac regula?*

1. Respondeo ad primum negativè, quia nullatenus sunt beneficia, Chok. *hic gl.* 1. *num.* 2. citans Gregor. Tholos. *in instit. rei benef. c.* 12. *n.* 10. cum communi.

2. Respondeo ad secundum etiam negativè, intelligendo hoc de præbendis consistentibus in mera temporalitate, seu quæ nihil spiritualitatis habent, cujusmodi sunt prædia, quæ conferuntur solvendis salariis Advocati, Procuratorum, Musicorum, &c. secùs si præbenda sumatur pro ipso titulo beneficii, Chok. *ibid. n.* 6. ex Gonz. *gl.* 5. *n.* 25.

3. Respondeo ad tertium etiam negativè; Hospitalia enim regulariter appellatione beneficii non comprehenduntur, Chok. *n.* 9. citans Gomes. *ad reg. de triennali, q.* 7. *in fine.* Mand. *ad reg.* 1. *q.* 9. *n.* 2. Mohed. *decis.* 18. *de causa possess. & propr.* Quin & si conferantur in titulum ad nutum amovibiliter; secùs tamen est, si in perpetuum, hoc est, ad vitam titulatis conferantur, Chok. *ibidem*, citans Selv. *p.* 2. *q.* 11. *num.* 14. Rebuff. *in pr. tit. de devol. num.* 7. *&c.*

4. Respondeo ad quartum: neque pensio reservata super beneficiis sive à Papa, sive ab Ordinario, cadit sub hac regula reservatoria; cùm pensio sit quid temporale distinctum & separatum à beneficio, Chok. *n.* 10. citans Gigas *de pens. q.* 28. Gomes. *de expect. n.* 91. Quin &, si esset beneficium, adhuc non caderet sub reservatione; cùm pensio pensionarii morte naturali vel civili extinguatur, Chok. *ibid. num.* 11. juxta Paris. *de resign. l* 6. *q* 2. *num.* 113. Gigas &c. intraret tamen reservatio, si pensio constitueretur ad particulare alicujus commodum super fructibus alicujus Ecclesiæ, ut deinceps sit beneficium Ecclesiasticum (sic enim super redditibus omnia Ecclesiæ potest constitui certum beneficium, assignando certam pensionem ex redditibus Ecclesiæ, Abb. *in c. Conquerente, de clericis non resid. num.* 1. apud Chok.) talis enim pensio esset beneficium Eccles. Chok. *num.* 13. citans Gig. *de pens. q.* 20. *vers. quartò limita*, &c. & Rot. *decis.* 39. *de rescrip. in antiq.*

5. Respondeo ad quintum, præstimonia, dum non dantur in titulum perpetuum, nec aliud obsequium spirituale annexum habent, non cadunt sub reservatione, quia non sunt beneficia, Chok. *num.* 14. citans Hojed. *de incomp. benef. p.* 2. *c.* 8. *n.* 2. *& seq.* Secus esset, si darentur in titulum perpetuum, haberéntque annexum aliquod obsequium spirituale; quia jam essent beneficia cadentia sub reservationem, Chok. *ibid.* citans Menoch. *de arb. l.* 2. *cas.* 201. *num.* 55. Mand. *ad reg. de annali, q.* 12. *num.* 3. *&c.*

6. Respondeo ad sextum, Commenda non cadit sub reservatione, sive sit temporalis, & ad nutum amovibilis, donec Ecclesiæ provideatur de Rectore, sive sit perpetua, hoc est, ad vitam Commendatarii; quia beneficium commendatum non dicitur vacare per obitum Commendatarii, ita ut opus non sit attendere mensem, in quo obietit Commendatarius, sed vacat semper ut ante, Chok. *nu.* 20. citans Gomes. *ad reg. de triennali, q.* 5. Nav. *in man. c.* 25. *nu.* 126. Mohed. *decis.* 9. *de præb.* Simonet. &c.

7. Respondeo ad septimum: neque cadit sub reservationem Coadjutoria, sive ea simplex fuerit, sive perpetua cum futura successione; non enim est beneficium, ut Thol. *in instit. de re benef. c.* 51. *n.* 2. nec habens Coadjutoriam dicitur beneficiatus, sed beneficiati Coadjutor; neque vacare dicitur Coadjutoria, sed cessat & extinguitur, cessante vita, vel impedimento coadjuti, Chok. *num.* 21. citans Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 25.

8. Respondeo ad octavum, officia Ecclesiastica, quæ in titulum non dantur veluti officium Custodis, Cellerarii, &c. de quibus vide Gomes. *ad reg. de infirmis, q.* 22. Mand. *ad reg.* 21. *q.* 7. non cadunt sub reservationibus hujus regulæ. Secus est de officiis, quæ verè beneficia Ecclesiastica sunt, ut Thesauraria, Sacristia, Archipresbyteratus, de quibus diversi sunt in jure Can. tituli, Chok. *nu.* 24. citans Rebuff.

Quæstio 559. Dum regula hæc excipit beneficia vacantia per resignationem, de qua resignatione loquatur?

1. Respondeo, excipi solùm vacantia per resignationem expressam, (qualis est illa, quæ fit verbis expressis, ut dum beneficium habitum in manibus Superioris relinquitur ab eo providendum) non verò excipi vacantia per resignationem tacitam, qualis est, quæ ex factis ab aliquo inducitur ipso jure, v. gr. dum quis secundum beneficium assequitur cum primo incompossibile, dum quis beneficiatus contrahit matrimonium, vel professionem in religione approbata emittit, &c. his enim factis præsumitur & censetur quis dimittere suum beneficium, Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 544. Gonz. *gl.* 14. *à n.* 62. Castrop. *loc. cit. num.* 5.

2. Respondeo secundò, excipi solùm vacantia per resignationem simplicem seu puram, hoc est, quæ fit simpliciter absque ulla conditione; non verò excipi vacantia per resignationem conditionatam, qualis est ea, quæ fit in favorem alterius, non aliter reservatâ resignanti aliqua pensione aut jure, aut non reservatâ, Castrop. *cit. num.* 5. Garc. *loc. cit. num.* 542. contra Gonz. *gl.* 14. *num.* 29. & Chok. *hic gl.* 7. *num.* 3. Reservantur siquidem hâc regulâ extra Curiam vacantia quocunque modo, præterquam quàm per resignationem; extra Curiam autem vacare non potest beneficium per resignationem conditionatam, ut est expressa constitutio Pii V. sed solùm per resignationem simplicem; quia hanc solùm Ordinarius admittere, & beneficium ex vi illius vacationis providere potest. Item regula hæc intendit coarctare facultatem Ordinarii de beneficiis providendis; Ordinarii autem non habent facultatem providendi vacantia per resignationem conditionalem, cùm hæc vacent in Curia, Castrop. *loc. cit.* Tametsi igitur per verba illa regulæ: *aliàs quàm per resignationem:* non excipiantur beneficia vacantia per resignationem conditionalem; excipiuntur ea tamen per verba illa regulæ: *extra Curiam* Rom. cùm ea non vacent extra Curiam, sed in Curia, Garc. Castrop. *ll. cit.*

3. Respondeo tertiò: excipiuntur nihilominùs, seu comprehenduntur in exceptione vacantium per resignationem simplicem vacantia per resignationem factam permutationis causâ; est enim permutatio vera resignatio, & non est propriè resignatio in favorem, cùm loco favoris facti resignatario, resignans alium æqualem ab ipso recipiat: potestque Ordinarius hujusmodi resignationes seu permutationes admittere, ut expressè habetur *in cit. constit. Pii V.* Castrop. & Garc. *ll. cit.* Gonz. *gl.* 14. *ut* Castrop. *vel* 13. *ut* Garc. *n.* 32. Potest itaque quis quolibet mense beneficium suum, aliàs non reservatum in manibus Ordinarii resignare simpliciter, vel etiam permutationis causâ, cùm vacans hoc titulo, ut dictum, non sit reservatum. Auctores iidem.

Quæstio 560. Cùm per hanc ipsam regulam à reservatione ipsius excipiantur beneficia spectantia ad provisionem Cardinalium, de quibus Cardinalibus, & de quibus beneficiis id intelligendum, an indifferenter de omnibus, an de aliquibus tantùm?

1. Respondeo primò: intelligendum tantùm de Cardinalibus ordinariis collatoribus, seu quibus competit collatio jure ordinario, quales sunt Cardinales Episcopi in suis Diœcesibus; cùm Papæ excipientis in hac regula Cardinales intentio tantùm fuerit, non afferre Cardinalibus præjudicium in sua ordinaria collatione, Chok. *ad hanc reg. gl.* 10. *n.* 4. citans Monet. *de optione, c.* 4. *q.* 3. *n.* 87. Castrop. *cit. p.* 22. *§.* 4. *num.* 2. citans Gonz. *gl.* 24. *num.* 38. Garc. *loc. cit. n.* 624. Proinde beneficia spectantia ad collationem Cardinalium extraordinariorum Collatorum, seu ex privilegio seu indulto talium (quales adhuc sunt Cardinales legati de latere in suis legationibus & provinciis degentes, utpote qui non nisi collationem extraordinariam habentes, ut ex eo patet, quod egeant indulto ad providendum ibidem beneficia vacantia in mense Apostolico, illudque passim illis concedatur) non excipiuntur ab hac reservatione.

2. Secundò intelligendum quoque dicta exceptio de beneficiis, quæ sunt collationis simultaneæ Cardinalis Episcopi & Capituli, ita ut si vacent in mense Apostolico, provideri possint jure ordinario à Cardinale Episcopo & Capitulo simul, Castrop. *loc. cit. n.* 3. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 35. etsi enim pro Capitulo facta non fuerit dicta exceptio, sed pro solo Cardinale, eò ipso tamen, quo Cardinalis exceptuatus, adeóque relictus ordinariæ suæ potestati, beneficia in quolibet mense vacantia jure ordinario providet, Capitulum in provisione eum comitari debet; dum jus habet concurrendi cum Episcopo in provisionibus, quæ jure ordinario ei competunt; atque ita Capitulum per consequentiam seu concomitantiam manet exceptum ob exceptionem factam Cardinali Episcopo suo, Castrop. *ibid.* Idem censet Gonz. *gl.* 24. *n.* 61. de beneficiis simultaneæ collationis aliàs reservatis, ad quorum provisionem Cardinalis Episcopus indultum habet; posse nimirum ea à Cardinale & Capitulo simul provideri; eò quòd tale indultum non ampliet ei facultatem conferendi, sed solùm removeat obstaculum reservationis, quo remoto, Cardinalis ille ordinario jure providet: In ordinaria autem provisione, ut jam dictum, Capitulum concurrit. Contrarium tamen censet Castrop. *loc. cit. n.* 4. & Garc. *num.* 628. nimirum quòd tale indultum non prosit Capitulo, adeóque vi illius indulti Cardinalis Episcopus solus possit conferre beneficia aliàs (dum nimirum reservata non essent) simultaneæ collationis, cùm dictum indultum non tollat reservationem; sed ea manente (adeóque non abrogativè sed dispensativè semoto hoc obstaculo) dat Cardinali facultatem providendi, ac si reservatio non esset, Castrop. & Garc. qui posterior etiam addit, quòd Cardinalis Episcopus, conferens vi indulti, non conferat ut Ordinarius, sed ut Delegatus & Commissarius Apostolicus. Unde etiam, si non provideat infra semestre, devolutio non fiat ad Archiepiscopum, sed ad Papam, tanquam de reservato; citat pro hoc Mandos. *de sign. gratia, tit. de provis. vers. in benef. reserv.* Germon. *de ind. Card. §. volumus, n.* 56. Idem tradit Castrop. *loc. cit. num.* 6. obi etiam ait, contrarium esse, nempe fieri devolutionem ad Archi-Episcopum, dum negligit providere beneficia competentia illi, non vi indulti, sed jure ordinario; eò quòd licet Cardinalis in dignitate Cardinalatûs sit superior Archi-Episcopo, quia tamen non jure Cardinalatûs, sed Episcopatûs, hæc beneficiorum provisio ei competit, esto, dignitas Cardinalatûs occasio fuerit, ne beneficia ad ejus collationem spectantia reservarentur.

3. Tertiò: exceptio dicta non extendit se ad beneficia, quæ vacârunt in mense Apostolico tempore Antecessoris non Cardinalis, ita ut ea nequaquam in eodem Episcopato Successor Cardinalis Episcopus conferre possit, nisi fortè desuper speciale indultum habeat; quia quod semel reservatum fuit, manet tale, Gonz. *gl.* 24. *n.* 108. & cum eo Garc. *loc. cit. n.* 653. Castrop. *loc. cit. n.* 7. E converso tamen, dum Cardinali Episcopo succedit Episcopus non Cardinalis, posse hunc beneficium, quod tempore prædecessoris sui, nimirum istius Cardinalis Episcopi, vacavit in mense reservato, conferre, tenet cum Gonz. *loc. cit. n.* 114. Castrop. *loc. cit. n.* 8. Contrarium sentiente Garc. *n.* 633. eò quòd tale beneficium, cùm vacavit, nullâ fuit reservatione affectum; tum etiam, quia sicut beneficium, quod tempore Episcopi non Cardinalis vacavit in mense Apostolico, excluditur à provisione Cardinalis Episcopi ob reservationem; ita è contra beneficium vacans tempore Episcopi Cardinalis provideri potest à Successore non Cardinale ob li-

libertatem, seu carentiam reservationis; cùm contrariorum eadem sit ratio & decisio.

4. Quartò, extendit se dicta exceptio ad omnes Cardinales ordinarios Collatores, etiamsi sint absentes à Curia, Castrop. *loc. cit. n.* 7. Garc. *num.* 638. contra Gonz. *loc. cit. n.* 121. & Chok. *loc. cit. n.* 5. tenentes non extendere se illam ad 6. illos Cardinales supra nominatos titulares de Urbe; nam, ut ait Castrop. duo hæc benè subsistunt, quòd nullus Cardinalium, etiam absens à Curia, sit comprehensus in hac reservatione mensium, & quòd aliqui Cardinales sint inclusi in reservatione facta (nimirum per regulam septimam) pro beneficiis vacantibus tempore, quo à Curia fuerint absentes.

Quæstio 561. *A quo tempore computentur incipere, & finiri menses reservati & Ordinarii?*

1. Respondeo: Menses hi incipiunt à media nocte diei præcedentis, v. gr. Januarius incipit ab elapsa media nocte diei ultimæ præcedentis mensis, nempe Decembris; dies enim naturalis & consequenter mensis secundùm communem & naturalem computationem incipit à media nocte, juxta *l. more Romano, ff. de feriis, & l. consuluit. de off. deleg.* Card. de Luc. *de benef. d.* 55. *n.* 3. dicens: sic receptum in materia beneficiali, & in ordine ad hunc effectum metiendi vacationem, an in uno vel altero mense contigerit, quidquid aliàs sit ad effectus actorum judicialium ac alios, Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 523. citans Nav. *de orat. c.* 3. *num.* 34. Gonz. *gl.* 11. *à n.* 9. Francol. *tr. de temp. horar. can. c.* 87. & aliquot Rot. decis. Castrop. *cit. p.* 22. §. 2. *n.* 1.

2. Est autem nox media, ubi cœpit sonare horam 12 noctis, etiam antequam desinat sonare horologium, seu ante finitos pulsus istius horæ; quia cùm primus pulsus horæ sonat, jam est hora expleta. Garc. *n.* 524. citans Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 41. *n.* 40. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *de potest. Ep. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 182. *&c.* & sic, qui exspiravit post primum pulsum horæ 12. noctis ultimæ diei Decembris, etiam antequam finiatur pulsus illius horæ, dicitur obiisse in Januario, Garc. *ibid.* Et ubi plura sunt horologia, standum est horologio parochiæ defuncti, vel illi, per quod communiter ibi populus regitur, seclusâ fraude, vel notabili horologii deordinatione, Card. de Luc. *l. c. n.* 13. Garc. *n.* 525. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam approbare videtur doctrinam Bobadil. *in polit. l.* 5. *c.* 2. *num.* 25. dicentis: sequendum horologium proprium, si res, de qua agitur, est favorabilis, secùs si est odiosa; quod verissimum dicit Parlador. *l.* 3. *q.* 9. *n.* 20. si duo tantùm ibi sint horologia; si verò plura, adhærendum pluribus numero, & communiter certioribus, ut contingit in testibus. Idem cum Parlad. sentit Card. de Luc. *loc. cit. n.* 12. Ubi verò non est horologium, vel si sit, deordinatum probatur, vel audiri non potuit, aut de facto auditum non fuit, media nox metienda, tum ex cursu siderum, tum ex judicio hominum habentium de hoc experientiam, tum ex communiter accidentibus, Garc. *n.* 526. Castrop. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n.* 187. Tametsi autem ea galli cantu non firma, sed levis solùm desumatur præsumptio diei sequentis jam cœptæ, eò quòd, licèt diu noctuque cantent galli, cantent tamen frequentiùs versùs auroram; nihilominùs dictam præsumptionem ex galli cantu maximè accipiendam esse ad sustinendam provisionem Ordinarii, ex quo pro eo facit jus commune, tradit Garc. *cit. n.* 526. & ex eo Barb. *loc. cit.* & Gonz. *gl.* 11. *num.* 10. qui sic bis à Rota decisum esse dicit, Castrop. *loc. cit.* ait: præsumptionem firmam reddi, dum contrarium adversarius non probaverit.

3. Denique ubi horologia incipiunt ab Occasu Solis usque ad 24. horas, numerando per 4. senarios, vel 2. duodecimas, ut in Italia, media nox accipienda erit juxta quantitatem seu magnitudinem, & parvitatem dierum & noctium, ita ut v. g. tempore æquinoctii media nox sit hora 6. Garc. *n.* 525.

4. Portò notandum hic, quod ait Card. de Luc. *loc. cit. num.* 15. dum beneficiatus ultimâ mensis, v. gr. Ordinarii constitutus erat in agone & articulo mortis, ipse mensis videatur quodammodò constitutus in possessione hujus mortis; quia constitutus in articulo mortis pro mortuo potiùs sit habendus, dum magis de morte, quàm vita participet; non quidem, quòd mors illa ficta sufficeret ad vacationem beneficii, ejusque tempus regulandum; cùm sine dubio attendendum ipsum vacationis momentum; sed ad effectum, ut aliqua major præsumptio in concursu probationis assisteret uni magis, quàm alteri, ita ut per quendam modum loquendi mensis iste gerat personam rei & possessoris, subsequens verò mensis personam Actoris, &c.

Quæstio 562. *Quid in dubio, in quo mense beneficium vacârit?*

1. Respondeo primò: Si dubium est, num vacârit beneficium in mense Apostolico, an ordinario, quod dubium facta diligente inquisitione (ad quam tenebitur Ordinarius, & aliàs malè faceret; quin &, si fortè beneficium vacâsset in mense Apostolico, violaret alternativam, ut Garc. *n.* 527. juxta Rotam *in Pistoriens. alternativa*. 17. *Octobr.* 1558. & ex eo Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *nu.* 36. qui etiam addit, idem esse, si id contingeret ex mala computatione temporis) vinci non potuit, eò quòd beneficiatus reperiatur mortuus in sylva vel fluvio, nesciatúrque, quo die aut mense mors contigerit; vel reperiatur mortuus in lecto mane primo Januarii, & nesciatur, an exspiraverit ante vel post mediam noctem; in hoc inquam casu posse Episcopum illud beneficium conferre, tradit Garc. *num.* 528. cùm in dubio præsumendum sit pro Episcopo, ex quo ad eum cessantibus reservationibus spectat provisio omnium beneficiorum suæ Diœcesis de jure communi, quo jure privari non debet, quousque constet de reservatione, &c. Ad hæc in dubio facienda sit interpretatio non pro reservatione, quia in dubio favendum ordinariæ collationi, & jurisdictioni; & per istam interpretationem non fit grave præjudicium Papæ, utpote qui concurrit cum omnibus Ordinariis, & aliàs fieret grave præjudicium Ordinario, privando illum suâ provisione; quæ ratio procedit in quolibet Ordinario, Garc. *n.* 528. & ex eo Corrad. *pr. benef. loc. cit.*

2. Secundò in hoc casu, si de facto Ordinarius prius contulit tale beneficium, esto, Collatarius illius possessionem non acceperit, certum est, hanc collationem sustinendam esse contra provisionem Apostolicam, ob rationem immediatè ante datam; tum quia in casu dubio reservationis negari non potest, Ordinarium habere jus, saltem æquale cum Papa, ad providendum beneficium, adeóque si huic æquali juri addat præventionem, vincet ratione præventionis, Castrop. *loc. cit. n.* 2. cum communi ut ait.

3. Tertiò dum in hoc casu non constat, quis priùs providerit, an Papa, an Ordinarius, neutérque provisorum est in possessione, præferendum adhuc esse ab Ordinario provisum ob rationem jam datam, nimirum quòd semper in casu dubio in favorem ejus judicandum sit, qui habet pro se juris præsumptionem, tradit Castrop. *loc. cit. n.* 3. & apud illum Gonz. *gl.* 11. *n.* 37. neque his obstant dicta ad initium *hujus cap.* ubi nec *c. si à Sede. de præb. in* 6. loquitur enim illud, & nos locuti sumus de casu, dum æqualiter Papæ & Ordinario competit provisio, ipséque Papa Ordinarii provisionem prævenire intendit, secùs verò, cùm solo jure reservationis intendit providere; quia tunc, nisi de ejus reservatione constet, ejus provisio sustinenda non est. Multoque minùs obstat *Clem.* 1. *ne lite pendente*. quia ibi constabat de lite, ac proinde de impedimento, quod habebat Episcopus ad providendum, adeóque mirum

non est prælatam hinc provisionem Papæ, ita Castrop.

4. Quartò: dum in hoc casu provisio Apostolica fuit antecior provisione factâ ab Ordinario, & provisus apostolicè vi provisionis illius possessionem accepit, adhuc provisum Apostolicum repellendum esse à possessione, & provisum ab Ordinario admittendum, dum provisus Apostolicus non probavit beneficium Sedi Apostolicæ reservatum esse, affirmat Castrop. *ibid. n.* 5. & Garc. *à n.* 530. & maximè 532. contra Gonz. *gl.* 11. *num.* 26. eò quòd provisus Apostolicus in tantum acquirit jus in beneficium, in quantum beneficium est reservatum, quia solùm jure reservationis Papa illud conferre intendit; & in præsenti nullo modo constat de reservatione: ergò constare non potest de jure quæsito provisi Apostolici. Adde, quòd, dum Papæ non constat de reservatione, beneficium providere non potest jure reservationis. Quin & ècontra eo ipso, quòd de reservatione non constet, Ordinarius non est dubius, sed certus reservationem non esse, saltem ex præsumptione juris; quia ei competit provisio beneficiorum suæ diœcesis, dum non probatur reservatio, juxta *c. ex frequentibus, de institutionibus.* ergò provisio Papæ in dicto casu est nulla; ergo provisus ex illius provisione nullum jus acquirit, etiamsi possessionem acceperit, & consequenter tanquam provisus sine vero titulo est repellendus; cùm jam nullatenus ex possessione præsumi possit dominium beneficii: dum nimirum jam constat de illegitimo titulo, sive eum possidere illud, ut sibi datum jure reservationis, cùm tamen reservatum non sit. Castrop. *loc. cit.*

5. Sed & falsum est in hoc casu proviso ab Ordinario tanquam Actori incumbere probationem carentiæ reservationis; quia dum reservatio non probatur, is habet pro se juris præsumptionem; qui autem juris præsumptionem habet, habet suam intentionem fundatam, ut transferat in Adversarium, etiam possidentem, onus probandi, ut Covar. *l. 2. var. c. 6. n. 1.* Masc. *q. 17. à n. 6.* Alciat. *de præsumpt. l. 11. q. 33. à n. 2.* & alii apud Castrop. *cit. n. 6.* & Garciam. *cit. n.* 530. Quin & qui pro se habet jus commune, ut in præsente dictus provisus ab Ordinario, dicitur habere ita suam intentionem fundatam & plenam probationem, ut quamdiu aliquâ contrariâ exceptione plenè prolata ei non objicitur, dimoveri nequeat, Garc. *ibid.* citans Bartol. & Ripam *in l. admonendi, de jurejurando* & Puteum *decis. 101. n. 1. l. 2.* est enim juris præsumptio vera ac liquidissima probatio, Garc. *ibid.* ex Alciat. Masc. Menoch. & æquiparata quasi possessioni rejicit onus probandi in Adversarium, Garc. *ibid.* ex Menoch. *de præsumpt. l. 1. q. 33. n. 2.* Proinde, quod ait Puteus *cit. decis.* quòd proviso ab Ordinario agenti contra provisum Apostolicum possessorem incumbit onus probandi beneficium vacâsse in mense Ordinario, intelligendum non est de nostro hoc casu, quo id constare non potest, in quo mense vacârit; sed de casu, in quo id constare potest, & controvertitur, cui incumbat onus probandi Mensem Apostolicum vel ordinarium, Garc. *n.* 531.

6. Nec denique valet in præsenti: quòd in casu dubio potiùs favendum sit reo, quàm Actori; & possessori, quàm caranti possessione; quia etsi in præsenti sit dubium, in quo mense vacârit beneficium, dubium tamen non est, neque obscurum, quòd Ordinario competat ejus provisio, dum non apparet in mense Apostolico vacâsse, uti etiam dubium non est, quòd Papæ non competat ejus provisio jure reservationis, dum non apparet reservatio, Castrop. *cit. n.* 6.

Quæstio 563. Quid si ergo certum sit beneficium vacâsse in mense ordinario, utrùm Ordinarius possit illud conferre in mense Apostolico?

Respondeo affirmativè, Gonz. *gl.* 11. *num.* 48. Garc. *cit. p. 5. c. 1. n.* 536. dicens: à nulla hac de re dubitari, nec unquam in Rota disputatum, cùm tamen contingat quotidie. Hoc enim beneficium non vacavit in mense Apostolico, etsi ejus vacatio duret ad mensem apostolicum usque; regula autem hæc loquitur de tempore & initio vacationis, nimirum quando contigit obitus beneficiari, seu alius modus vacandi. Sed neque esset bona partitio, si Episcopi nequirent beneficia in suis mensibus vacantia providere, postquam intrâsset mensis Apostolicus, cùm tamen beneficia semel vacantia in mense Apostolico, & sic reservata, semper maneant reservata, Garc. *loc. cit.* Unde jam etiam infertur, quòd beneficia Sede Apostolicâ vacante vacantia in mense Apostolico non reserventur per supervenientem regulam mensium novi Pontificis, licèt adhuc vacent; cùm regula solùm reservet beneficia vacatura post sui constitutionem, & non vacantia, Garc. *n.* 537.

Quæstio 564. Dum regula hæc sub nullitate gratiæ expressè vult, ut in supplicatione, seu quavis impetratione & concessione beneficiorum per ipsam reservatorum, etiam quæ fit motu proprio (motus enim proprius etsi tollat subreptionem, non tamen supplet intentionem concedentis, nec substantialem defectum, qui committitur in taciturnitate mensis, cujus expressionem expostulat Papa pro valore gratiæ, ut Castrop. cit. p. 22. §. 5. n. 1. *citans Rebuff. & Anton. Gabr. Chok.* hîc gl. 13. n. 3.) *fiat mentio mensis, in quo vacârit beneficium, qualiter hæc mentio facienda?*

1. Respondeo primò: Debet fieri mentio mensis dispositivè, ut ait regula, id est, assertivè & absolutè dicendo: beneficium vacâsse in tali mense, ita ut non sufficiat narrare mensem dubitativè dicendo: quòd forsan vacârit, vel vacârit, ut asseritur, in tali mense, Chok. *hic gl.* 13. *num.* 3. Gonz. *gl.* 32. *n.* 7. 10. 12. Garc. *cit. c. 1. n.* 656. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Mandol. *de resignat. gratia, tit. de provision. col. 8.* ne, si Papa vi talis narrativæ dubiosæ provideret, exponeretur periculo derogandi Ordinariorum provisioni, quam derogationem unicè per adjectas illas particulas regulæ vitare intendit. Cùmque plenè aliàs & concludenter probanda sit reservatio ab impetrante, oportet fundamentum gratiæ concessæ, ut latè Gonz. *gl.* 18. *n.* 98. jam eâ probatione non egeret impetrans, ut gratia ei facta subsisteret; cùm non in reservatione certa, sed dubia & sub opinione posita fundaret suam impetrationem, Castrop. *l. c.* Proinde jam etiam non sufficiet narrativa facta per clausulas generales conditionales, v. gr. si quis à Papa peteret beneficium, quod credit vacâsse tali mense; vel si fortè vacavit in alio mense, & sic gratia erit nulla; nisi fortè clarè colligatur, Papam non obstante prædictâ narrativâ minùs legitimâ, voluisse gratiam conferre, Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ubi antè, n.* 15. & Garz. *n.* 666.

2. Secundò sufficere narrare, quòd beneficium vacaverit in mense Apostolico, seu uno ex reservatis, absque eo, quòd exprimatur seu specificetur mensis, negat Garc. *cit. p. 5. c. 1. n.* 656. Affirmat econtra Castrop. eò quòd etiam non specificato in individuo mense, jam ex ista narratione sufficienter constet Papæ, nullum creari Ordinario præjudicium in provisione talis beneficii de se facta, quæ fuit unica ratio motiva, cur voluerit exprimi mensem. Proinde narratio hæc est satis clara, absoluta & determinata expressio mensis, prout requirit regula, esto, non sit determinata numericè; hoc enim ipsum per accidens est ad reservationem, sive in hoc numero, sive in alio numero mense vacet beneficium.

3. Tertiò probabiliùs solùm de mensibus reservatis, ubi in iis vacaverit beneficium, facienda est mentio

tio in supplicatione seu impetratione, ita ut provisus à Papa de beneficio vacante in mense Ordinarii non teneatur in supplicatione de mense illo facere mentionem; id enim solùm videtur velle regula, dum Papa, postquam præmiserat reservationem omnium beneficiorum, quorum vacatio 8. illis mensibus Papalibus contingit, nullâ factâ mentione de vacatione contingente in mensibus Ordinarii, mox subjungit: *De dictis beneficiis tunc vacantibus dispositive mentionem fieri de mense, in quo vacaverint.* Chok. *ad hanc reg. gl.* 13. *n.* 2. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 657. referens sic pluries resolutum à Rota contra Gonz. *gl.* 39. *à n.* 49. censentem, solius mensis ordinarii faciendam esse mentionem: Item contra alios volentes, utriusque mensis, & reservati & ordinarii faciendam mentionem. Porrò quod hic dicitur de 8. mensibus reservatis, nimirùm ut in concessionibus seu gratiis de beneficiis in iis vacantibus debeat fieri mentio de mense vacationis, idipsum procedit etiam in 6. mensibus alternativæ concessæ Episcopo, cùm illi 6. subingerentur loco illorum 8. cum iisdem qualitatibus, Garcias *n.* 658. Chok. *loc. cit.*

4. Quartò: Dicta mensis reservari expressio facienda est, quoties beneficium in mense reservato vacans obtinetur; sic itaque primò, dum prima provisio fuit nulla, eò quòd mensis expressus non fuit, vel quia ab inferiore collatore facta provisio de beneficio vacante in mense reservato, & secunda, seu nova obtinetur, in hac secunda mensis debet exprimi, Garc. *n.* 660. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Gonz. *gl.* 32. *n.* 20. *&c.* De cætero autem, dum mensis expressus fuit in prima gratia, regula hæc locum non habet, sive non opus est, illum iterùm exprimere in nova gratia, seu in gratia reformatoria, seu *perinde valere.* Garc. *n.* 672. citans Gonz. *gl.* 32. *n.* 41. *& seq.* Capitaq. *decis.* 215. *p.* 2. Mohed. *decis.* 4. *de conceß. preb. n.* 3. Secundò exprimeodus est mensis in gratia *si neutri*; quia est vera gratia & concessio beneficii ad vitandas lites, Castrop. *num.* 8. Garc. *n.* 659. Gonz. *n.* 21. *& seq.* ubi *n.* 24. quòd id à fortiori procedat, si tertius, qui non fuit in lite, & nullam aliam gratiam habuit, dictam gratiam *si neutri* obtinuerit, Pitt. *l.* 1. *decis.* 9.48. *n.* 5. Tertiò non solùm in beneficiis vacantibus de jure & de facto, sed etiam in vacantibus de jure tantùm; putà, si moriatur, qui habet solùm jus, alio existente in possessione beneficii; cùm regula loquatur simpliciter, & sit vera vacatio, quæ fit per mortem illius, qui habet jus, Garc. *n.* 661. citans Bellenz. *de subsid. charit. q.* 121. & ex eo Chok. *n.* 6. Gonz. *num.* 25. Castrop. *n.* 9. Quartò non solùm in vacantibus per obitum, sed quomodocunque vacent, si ob modum vacationis aliàs non sint reservata, Castrop. *n.* 10. Gonz. *n.* 26. Garc. *num.* 665. Qui Auctores tamen advertunt, quòd, licèt ita sit de jure, in Dataria tamen admittantur supplicationes beneficiales de aliis vacationibus, præterquam per obitum, putà, per assecutionem alterius incompatibilis, per initum matrimonium absque expressione mensis. Et ideò forsan praxin interpretari regulam hanc, quò ad expressionem mensis solùm procedere in vacantibus per obitum. Ait tamen Gonz. hanc esse magnam regulæ restrictionem, & hinc sibi adhuc videri verum, quòd mensis sit exprimendus in quacunque vacatione. Addit etiam Garc. *num.* 666. ideo Datariam admittere supplicationes sine expressione mensis in aliis vacationibus, & non in vacationibus per obitum; quia in vacantibus per obitum regulariter Papa non vult prævenire Ordinarios, in aliis verò vacationibus vult benè prævenire. Quòd si tamen vacatio ejusmodi alia contigerit in mense Apostolico, gratia erit nulla, cùm non sit facta mentio de mense, nec in hoc praxis aut stylus contradicit. Quin etiam, ut subjungit Garc. si in vacatione per obitum Papa concederet gratiam de beneficio absque expressione mensis, censeretur velle prævenire Ordinarium, si fortè in mense ordinario vacavit, quamvis non soleat id facere.

5. Quintò, non est necessaria explicatio mensis in beneficiis aliis reservatis; quia hæc sub hac regula non continentur, & in iis cessat ratio finalis regulæ; utpote quorum collatio Ordinario præjudicare nequit, Castrop. *n.* 11. citans Mand. *de sign. gratia, tit. de pravis.* Gonz. *loc. cit. n.* 39. Garc. *n.* 668. citans insuper plures Rot. decis. Sic necessaria non est in vacantibus per resignationem; dum enim resignatio conditionalis est, vacat in Curia, & collatio nequit competere Ordinario. Sed nec Papa ignorare potest, quando vacâ-it; cùm vacent ab illo punctò, quo resignationem admittit, & gratiam signat. Castrop. *ibid.* Garc. *num.* 667. Gonz. *n.* 45. qui tamen hoc ipsum eodem *n.* 45. *&* 52. sic limitat, ut, si resignatio in favorem non teneret, (quia v. gr. intrusus in beneficio illud resignavit) nec haberet effectum, & resignatarius propterea, non vigore resignationis, sed vigore clausularum generalium: *Sive vacet præmissa, sive alio modo;* contenturum in resignatione intenderet consequi beneficium, necessaria tum adhuc foret mensis expressio. Sed neque in resignationibus simpliciter factis in manibus Ordinarii aut alterius Collatoris inferioris opus est expressione mensis, v. gr. si quis in mense Apostolico resignat simpliciter beneficium in manibus Ordinarii, (extra Curiam Roman.) & alius obtinet provideri à Papa de tali beneficio ante provisionem factam ab Ordinario, valida est provisio, etsi non sit facta mentio de mense vacationis, Gonz. *gl.* 32. *n.* 44. Item non est necessaria in subrogationibus quò ad beneficia litigiosa, cùm hæc subrogatio non possit præjudicare Ordinario, utpote in quolibet mense impeditio ad subrogandum, Garc. *à n.* 671. Castrop. *loc. cit.* Item in beneficiis jurisp. laicorum, dum ea provider Papa; cùm non sint illi reservata, Garc. *num.* 669. Castrop. *loc. cit.* neque in beneficiis devolutis ad Papam ab eodem impetratis; quia hæc conferre nequit Ordinarius, cùm ab eo ob negligentiam sint avocata, Castrop. *ibid.* Denique non est necessaria hæc mensis expressio in provisionibus & gratiis ab Episcopis aliisque Ordinariis factis; tum quia hi præsumuntur habere notitiam mensis, in quo contigit vacatio; tum, & præcipuè, quia regula loquitur de narrativa facienda Papæ, ne Ordinariis in provisione præjudicet, Castrop. *l. cit.* Garc. *n.* 674. Gonz. *gl.* 32. *n.* 46.

Quæstio 565. *Quâ ratione per hanc regulam derogetur obstaculis hujus reservationis mensium?*

1. Respondeo: ut reservatio per hanc regulam inducta firma persistat, præterquam quòd Papa deroget consuetudines etiam immemoriales optandi ejusmodi beneficia hic reservata, (de qua optatione dicemus infra, & de ea vide tantisper Castrop. hic *p.* 22. §. 6. & Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *à n.* 449.) derogat insuper quaslibet consuetudines, etiam immemoriales, & quælibet privilegia, & indulta (quidquid sit de distinctione hoc in punctò inter privilegium & indultum, de quo multa Gonz. *gl.* 39. *q.* 1. *n.* 2. quæ tamen non placent Castrop. *l.* 6. *nu.* 10. & quibus Garc. *n.* 675. ait: magis contineri quæstionem de nomine, quàm de re) Apostolica, non tantùm concessa simpliciter de disponendo de beneficiis, sed etiam ad disponendum de beneficiis reservatis hac reg. seu vacantibus in mensibus reservatis; sic enim indicant verba regulæ: *De hujusmodi beneficiis*, id est, vacantibus in 8. illis mensibus, cùm dictio *hujusmodi* sit relativa præcedentium cum omnibus suis qualitatibus, Garc. *n.* 676. citans Gonz. *gl.* 33. *n.* 6. ac ita etiam, ut non solùm derogetur indultis ac privilegiis, sed etiam consuetudinibus immemorialibus, non tantùm optandi, sed & disponendi de dictis beneficiis; tametsi enim verbum illud *disponendi* videri posset respicere sola indulta, & non consuetudines, quia relatio debet fieri ad proximiora; referri nihilominùs etiam debet ad consuetudines; quia dictiones illæ *ac*, *etiam*, augent dispositionem: tum quia eadem ratio militat pro derogandis illis consuetudinibus, quæ pro derogandis privilegiis & indultis, Garc. *n.* 677. *&* 678. citans plures Rotæ decis.

& Gonz. *gl. 35. q. 2. à n. 24.* Castrop. *loc. cit.* Cur tamen, his non obstantibus, non comprehendantur his verbis indulta, concessa in Bullis Sixti IV. & Leonis X. de conferendis Canonicatibus, Doctoralibus, & Magistralibus Cathedralium Hispaniæ, dictum est supra ea Garc. *n. 679. & seq.* quia nimirum hæ Bullæ sunt per modum statuti & legis.

2. Addit insuper Castrop. sub hac derogatione privilegiorum & indultorum non comprehendi privilegia concessa disponendi de beneficiis, ac si verè jure fundationis dispositio competeret; eò quòd, cùm jusp. ex fundatione competens hac regulâ non derogetur, etiam non derogetur privilegium illius naturam induens & sequens. Idem ait de privilegiis pro limitato tempore concessis, juxta dicta supra; eò quòd hæc reputentur gratiæ modici præjudicii. Denique efficacia verborum illorum: *Cum derogatoriarum derogatoriis*, & insolitis clausulis, quæ ad majorem reservationis firmitatem adjecta, vide Gonz. *à gl. 35. & seq.*

PARAGRAPHUS VIII.

De altera Regulæ 8. parte, hoc est, de alternativa concessa Episcopis.

Quæstio 566. Quæ, seu qualis sit hæc gratia alternativæ?

Respondeo cum Ordinariis, seclusâ hac gratiâ, solùm relicti essent liberi menses 4. nimirum Martius, Junius, September, December, per hanc gratiam conceduntur 6. menses, in quibus de beneficiis in iisdem vacantibus, & aliàs non reservatis, liberè providere possent, & sic quò ad menses cum Papa alternant. Unde vides, per dictam alternativam concedi ex mensibus aliàs Apostolicis Februarium, Aprilem, Augustum, Octobrem; & è contra à Papa ad se avocari Martium & Septembrem, qui aliàs seclusâ hac alternativâ erant, & sont menses Ordinarii, Castrop. *loc. cit. p. 23. §. 1. n. 2.* cum communi.

Quæstio 567. An gratia alternativæ tollat reservationem illam in prima parte regulæ de 8. mensibus?

Respondeo negativè, sed illâ persistente aperit viam Ordinario providendi de reservatis per illam priorem partem sub conditione residendi, quâ conditione seu residentiâ cessante, cessat alternativa, & intrat reservatio prior, Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *de potest. Episc. alleg. 13. n. 50.* & Cassad. *decis. 8. n. 10. de præb.* Lott. *l. 2. q. 40. n. 66.* dicens hanc sententiam probatam Rotæ *in Ovetensi beneficii, 30 Julii 1610.* & *in Trid. Canonicatus, 21. April.* 1570. Et nisi sic dicatur, Papa non jure reservationis, sed jure devolutionis provideret tunc ista beneficia, Episcopo non residente, vel etiam negligente illa providere, quod admittendum non est. Castrop. *loc. cit.* Lott. *loc. cit. n. 68.* ubi etiam probat, id ex stylo Cancellariæ, quæ tunc non dat literas tanquam de devoluto, sed de reservato in vim primæ partis regulæ. Sed neque his obstat, quòd per alternativæ concessionem videatur facta quædam permutatio mensium inter Papam & Ordinarium, & quosdam effectos ordinarios, qui per reservationem aliàs erant Apostolici, ut dictum *quæst. præced.* id enim per Catachresin, & non propriè dici, ait Lott. *ibid. num.* 67.

Quæstio 568. Num Junius, & December, in quibus non fit aliqua permutatio cum Papa; quique tam in generali reservatione, sive in prima parte regulæ, quàm in alternativa, seu secunda parte, relinquuntur, seu assignantur Ordinariis, & ea de causa menses fixi dicuntur, censeantur concessi in gratiam alternativæ sub eadem conditione, nempe residentiæ, sub qua in illa conceduntur reliqui 4. menses Februarius, Aprilis, &c.

1. Respondet negativè Garc. *nu.* 506. dicens: sic communi consensu & praxi receptum, Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *de pot. Ep. alleg. 23. nu. 44.* Pirh. *de præb. num.* 356. voluntque non concedi hos duos menses in alternativa, tametsi ibi exprimantur unà cum aliis 4. Februario, Aprili, &c. per accidens, & tantùm demonstrationis gratiâ, non verò gratiâ novæ concessionis; adeòque nec illis impositam conditionem, seu onus residendi, utpote quod onus annexum illis solùm mensibus, qui de novo per alternativam conceduntur, non verò iis, qui jure ordinario competebant. Idem tenere videtur Card. de Luca *de benef. d. 18. num. 8.* dum ait: Papa Ordinario ob residentiam concedit 2. ex Apostolicis, adeò ut ex 4. aliàs concessis is jam obtineat 6. Econtra in casu non residentiæ amittat 2. ex his 4. sibi remanentibus Junio & Decembri. Eâ ducuntur ratione hi Auctores, ut Castrop. quòd alternativa solùm removeat obstaculum reservationis inductæ per primam partem hujus regulæ, ut tradunt Cassad. *decis. 8. num. 6. & 10. de præb.* & Gonz. *gl. 42. num. 13.* apud Castrop. quò ad illos autem duos menses nunquam intrârit reservatio. Unde jam rectè inferunt hi Auctores & Castrop. & Pirh. expressè, Ordinarium, sive resideat, sive non, posse providere beneficia vacantia mensibus Junii & Decembris; quia non providet vi alternativæ, sed ex jure ordinario per alternativam non derogato. Quia licèt dicti 2. menses constituant simul aliis quatuor alternativam. Quin & diceretur illis quà talibus annexum onus residendi, adeòque non posse Ordinarium vacantia in illis beneficia conferre vi præcisè alternativæ formaliter talis, quin resideat; cùm tamen non teneatur uti gratia alternativæ, etiam dum eam acceptavit, sed possit uti facultate sibi à jure concessâ, poterit adhuc conferre beneficia in his binis mensibus, quin resideat, ita Castrop. *loc. cit. num.* 4. quod ipsum, ut videbimus, omninò negat Lott.

2. Respondet è contra affirmativè Gonz. *Glos. 43. n. 116.* apud Castrop. *loc. cit. n. 3.* eò quòd in regula sub eadem clausula tenoréque verborum, quo Februarius, Aprilis, Augustus, October, conceduntur: & nisi sic pari modo in gratia alternativæ concederentur, ut quid ibi cum aliis mensibus alternativæ exprimuntur? Quæ sententia si vera, non videtur posse Ordinarius beneficia illis 2. mensibus vacantia providere, nisi verè & personaliter resideat, non secus, ac non nisi sub hac conditione providere potest vacantia in Februario. Hanc Gonz. sententiam acriter tenet, & validè Garciam refutat Lott. *l. 2. q. 41. num.* 38. dum ait: ad hoc, quod Garcias dicit, sententiam suam sensu communi & praxi receptam; nisi referatur ab eo ad sensum communem & praxin extra Curiam, omninò falsum esse, dum id hactenus in Curia observatum non sit, ac propterea non habendum in consideratione sensum illum communem & praxin; cùm Curia Rom. in interpretandis legibus, præcipuè canonicis, non sequatur sensum & stylum Judicum de partibus, sed potiùs illis indicat ex proprio sensu & stylo, quæ sit vera interpretatio. Proinde levissimam esse in hac re opinionem Garc. loquentis sine lege & auctoritate. Ad illud verò, quod Garcias ait, duos illos menses solùm demonstrationis gratiâ unà cum reliquis exprimi, Respondet, esse nimis frigidum & enerve, uti nullatenus attingens rhombum difficultatis, qui non stat in simplice mensium designatione, sed in qualitate jugis residentiæ singulis adjecta, nec quicquam esse, quin Episcopus potuerit horum duorum men-

mensium naturam, accedente hac nova qualitate immutare absque explicita declaratione solùm implicitè, seu ex implicita rei natura subjiciendo, videlicet se obligationi residendi in suis mensibus alternatis; sicut enim habens bona allodialia & libera, & nihilominus eadem recognoscendo à Domino feudi tanquam feudalia, censetur ipsa bona domino dedisse, & brevi manu utile dominium jure feudi ab ipso recepisse, ut Rosental. *de feudis c. 6. conclus. 68. n. 17.* Sic Episcopus acceptando alternativam sub hac lege residentiæ, cui priùs non erat subjectus, hos duos menses unà cum aliis in manibus Papæ liberè posuisse, & rursus brevi manu eosdem cum aliis 4. ita qualificatos, & onere residentiæ affectos recepisse. Unde fit, ut non satisfaciat regulæ, si velit uti alternativa, & non residere, ex quo illud accidens residentiæ determinat, ac certam reddit obligationem, nec propterea patitur, ut Episcopus divertat ad id, quod sibi priùs erat licitum in genere. Atque ex his concludit Lott. *num.* 38. volens utramque sententiam conciliare; Episcopum non residentem in dictis 2. mensibus validè adhuc conferre beneficium in iis vacans ex suppositione taciti recessûs ab alternativa; invalidè verò, persistente in integritate suæ alternativæ.

Quæstio 569. Quandonam ceperit alternativæ usus, & à quibus concessa?

1. Respondeo: cepisse usum illius à Nicol. V. circa annum 1447. tradit Corrad. *in pr. benef. l. 3. c. 6. num. 8* ex Bursat. *l. 2. cons. 126. num.* 102. verùm, ut addit Corrad. Nicolaus Ordinariis concessit non nisi menses 4. Martium, Junium, Septembrem, Decembrem, postmodùm verò ab ejus successoribus concessa pro 6. mensibus. Et quamvis id generaliter non fuerit indultum Episcopis, nisi sub Leone X. Anno 1514. ut Burs. *loc. cit.* consuevit tamen etiam priùs specialiter indulgeri, Lott. *l. 2. q. 37. num. 11. & 12.* citans Felin. *in C. cùm ex officii, de rescrip. num.* 36. & Sot. glossatorem.

2. Ubi illud notandum, olim illam concedi solitam ad supplicationem manu Papæ signatam, uti fieri solet in concessione aliarum gratiarum, & sic super ipsa supplicatione postmodum literæ sub plumbo expediebantur juxta stylum datariæ & Cancellariæ Apostolicæ. Unde dum in decisionibus quibusdam dicitur, alternativam non suffragari Episcopo ante expeditionem literarum, & hinc collationem factam in mense reservato ante dictam expeditionem non valere, id referendum ad tempora antiqua, ubi ea gratia dicto modo per brevia particularia indulta, ad gaudendum ea concedebatur. Hodiedum autem alternativa concedatur per hanc ipsam regulam Cancell. nulláque requiritur expeditio literarum, sed sufficit, quòd illa acceptetur per literas patentes recognoscendas per Datariam, servatâ formâ hujus regulæ, Corrad. *loc. cit. n. 7.*

Quæstio 570. Quibus hæc gratia alternativæ concessa?

1. Respondeo: Concedi eam solis Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis; quia ipsi tantùm exprimuntur in regula sub dictione terminativa *duntaxat*, utpote relata, ut Castrop. *loc. cit. num.* 2. non solùm ad residentiam, sed potiùs ad personas, quibus gratia hæc sub onere residendi conceditur. Et quia hæc gratia non conceditur nisi solùm pro beneficiis, quæ sunt de libera collatione Episcopi, Castrop. *loc. cit.* Garc. *p. 5. c. 1. num.* 683. Corrad. *loc. cit. nu.* 13. Quin &, ut Card. de Luca *de benef. d. 93. nu. 13.* patet ex ipsa ratione, quæ fuit causa concessionis alternativæ: invitandi nimirum Episcopos ad residentiam, quæ ratio non adeò in prælatis inferioribus desideratur, neque Capitulis congruit. Hinc

2. Extendenda hæc gratia non est, seu locum non habet in inferioribus Episcopo Collatoribus, qui habent ex privilegio vel consuetudine jus conferendi (quidquid servatum in hoc fuerit antiquibus, quando etiam inferioribus Collatoribus concedebatur, ut Corrad. *loc. cit. n. 13. & 14.* citans Pur. *decis.* 88. *l. 1.* quod ipsum tamen etiam negat Garc. *nu.* 473. nisi fortè, ut Lott. *l. 2. q. 41. nu.* 120. speciali super hoc privilegio donati sint. Auctores iidem cum Gonz. *gl. 42. à num.* 1. contra Zerolam, quem tamen Garc. *loc. cit.* aliud non voluisse ait, quàm quòd resignatio 8. Mensium habeat locum in inferioribus etiam Collatoribus.

3. Sic in specie non competit Capitulo, etiam Cathedrali habente per se collationem, Garc. *num.* 684. citans seipsum *nu.* 473. Gonz. *ubi antè nu. 2.* & trinas Rotæ decis. Neque Capitulo Sede vacante, Chok. *hic gl. 15. n. 2.* Castrop. *cit. n. 1.* Garc. *n. 685.* citans Rotam *in Segob. Canonicatûs, 24 Nov.* 1588. Neque Capitulo habenti simultaneam cum Episcopo collationem (quidquid enim de hoc fuerit antiquitus, quando, ut Garc. *cit. num. 473. & 471.* alternativa concedebatur Episcopis, & quia favorabilis, comprehendebat beneficia simultaneæ collationis faciendæ à Capitulo unà cum Episcopo, adeoque Capitulum ex beneficio Episcopi uti poterat alternativa) id tamen hodie non procedit. Ita ut nequidem in illo casu alternativa suffragetur Episcopo, quia alternativa restringitur per illa regulæ verba: *Ad liberum ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum iis dispositionem*; ad beneficia spectantia ad liberam solorum Episcoporum collationem, Garc. *cit. num.* 473. Lott. *l. 2. q. 49. num.* 120. Quid autem sit, dum menses isti 6. alternativæ ex concordia divisi sunt inter Episcopum & Capitulum, an Capitulum in Turno suo uti possit alternativa, vide de hoc dicenda paulò post, ubi, ad quæ beneficia se extendat alternativa. Vide etiam interea Garc. *num.* 472. 707. *& seq.* Lott. *l. 2. q. 21.* Castrop. *p. 23. §. 2.*

Quæstio 571. Quænam sit mens & ratio hujus regulæ quoad concessionem alternativæ?

1. Respondeo primò: huic quæstioni satisfieri passim putatur dicendo, Papam non intendisse aliud, quàm hoc singulari beneficio allicere Episcopos ad residendum in suis Ecclesiis seu Diœcesibus. Verùm cùm hæc duo mens & ratio in præsenti valdè diversum quid sint; mens siquidem legislatoris nihil significat, quàm simplicem legislatoris voluntatem, prout resultat ex simplici, & nuda verborum structura, sive est ipsa dictum legis; ratio autem significat causam, propter quam legislator ita cavit, sive est causa dicti legis, Lott. *cit. nu.* 40. *à nu.* 3. hinc

2. Respondeo secundò magis enucleatè, mentem hujus regulæ in hac parte fuisse, favere Episcopis, id enim clarè & explicitè verba sonant, Lott. *num.* 8. ratio verò hujus regulæ est bonum publicum. Hoc tamen bonum publicum in hoc simplici favore facto Episcopis contra primam regulæ hujus partem minimè considerari potest, sed potiùs oppositum, Lott. *num.* 9. cùm ista secunda pars regulæ sit nociva potiùs reip. utpote cui magis expedit beneficia provideri per Papam quàm inferiores, Lott. *num.* 33. & fusiùs *l. 2. q. 36. num.* 16. Sed neque hoc bonum publicum, seu ratio hujus secundæ partis regulæ statui potest in allectione Episcoporum ad residendum; nam tametsi majus bonum sit residentia Episcoporum, quàm quòd beneficia per Papam provideantur; hæc tamen residentia, cùm non sit in libertate Episcoporum, sed ad eam jam antecedenter præcepto divino teneantur, ut constat ex Trid. *sess. 23. c. 1.* D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. & TT. possintque proinde ad eam cogi, absque eò, quòd necesse sit illos ad eam impensiùs præstandam invitari dicto beneficio; hinc inquam, evincitur, residentiam in ratione hujus regulæ spectatam diversam esse ab ea, ad quam Episcopi de jure tenentur, Lott. *à nu.* 34. cùm illa ita jugis non sit, quin liceat abesse aliquando vel ad modicum tempus, præcipuè ex justa causâ, juxta *c. præsentiam*,

7.

7. q. 1. adeò, ut verbum *residentia* non amarè, sed civili modo intelligendum veniat, liceatque pastori, ubi subditorum saluti sufficienter in absentia pastoris provideri potest, ob ipsius Ecclesiæ commodum, aut periculum personæ à grege abesse, Lott. *num.* 36. *&* 37. citans D. Tho. *ubi ante*, atque ita, cùm adhuc relinquatur aperta via prætendendi causas justæ absentiæ (præsertim ubi ex modicitate temporis earum æquitas conscientiæ Episcopi remittitur) semper latet occasio fovendi, si quis inhæret animo, spiritum evagandi, ut ait Lott. *num.* 39. Econtra verò hæc residentia, quam exigit regola, debeat esse jugis, neque per momentum intercepta; quod ipsum præseferunt verba regulæ: *Ipsis, quamdiu apud Ecclesias aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint;* atque ita per eam spiritus ille evagandi penitus excludatur, cùm penitus excludat facultatem illam se absentandi ad tempus permissum aliàs ex causa legitima; quod olim erat mensium duorum (dum, ut patet, si Episcopus, qui v. gr. recessit ab Ecclesia sua in Martio, si velit frui gratia alternativæ in mense Aprili, teneatur ibi esse præsens ab initio ipsius Aprilis, impossibile est durante usu hujus alternativæ, ut absit ultra mensem, Lott. *num.* 42.) sequitur, in hac residentia strictiore, ad quam de jure non tenentur Episcopi, rationem hujus regulæ constituendam esse, Lott. *num.* 38. Hinc circa hanc rationem seu unicam conditionem, sub qua & non aliter conceditur Episcopis hæc alternativa.

Quæstio 572. Qualis igitur esse debeat hæc residentia, ut regulæ satisfiat?

1. Respondeo: primò hanc residentiam debere esse veram personalem; cùm regula dicat: quamdiu fecerint residentiam verè & personaliter. Proinde etsi residentia ficta (qualis est, cùm Episcopus abest ex justa causa, v. gr. in causa Ecclesiæ vel Reip. vel etiam in concilio generali aut provinciali, vel in negotio aliquo ex mandato & commissione Papæ, quia licèt reverà absit, tamen ex tali causa censetur esse præsens, juxta *c. ad audientiam, de Clericis non resid.* & *c. unico tit. eod. in 6.* Garc. *p. 5. c. 1. nu. 466.* Chok. *hic gl. 15. num. 3.*) quondam, dum in alternativa Pii V. Sixti V. Gregor. XIII. non aderat verbum *verè*, sufficeret, Chok. *loc. cit.* Jam tamen à tempore Sixti V. à quo illud *Tò verè ac personaliter* additum, residentia talis ficta non sufficit; cùm dicta verba non nisi ad excludendam residentiam fictam & interpretativam addita videantur. Auctores iidem *ll. cit.* Gonz. *gl. 43. à num. 1.* Corrad. *l. 3. c. 6. num. 42.* contra Leon. *in Thes. fori Eccl. p. 2. c. 2. n. 9.* & Paris. *de resign. l. 1. q. 10. n. 85.* quem tamen loqui de tempore & alternativa Sixti V. ait Garc. *num.* 467. ubi etiam Gonz. addit, quòd sac. Congreg. quæ aliàs 9 *Julii* 1573. attenta nimirum alternativa Pii V. aut ad summum Greg. XIII. declarat contrarium, modò sic sentiat. Et quòd, dum Episcopus quidam Hispaniæ pro exercitio sui officii inquisitoris generalis absens à sua Diœcesi supplicâsset Clementi VIII. pro obtinendo indulto speciali, ad gaudendum in hac absentia alternativâ, nonquam illud indultum obtinere potuerit, quamvis ante bene concedebatur istiusmodi indultum. Unde jam sequitur, Episcopum absentem ex justissima causa, & ad modicum tempus, quamdiu abest, frui non posse alternativa in beneficiis, de tempore talis absentiæ vacantibus, adeòque ea Papæ reservata esse, auctores ibid. & nominatim Chok. Quinimò videtur procedere idipsum, etiamsi timore mortis vel violentia impeditus à sua Ecclesia abfuerit; quia in isto casu adhuc verè abest, & alternativa non conceditur, quamdiu verè abfuerit. Esto igitur impossibilis ei sit residentia, hoc ipsum sufficit, quò minùs alternativâ non nisi sub hac conditione veræ residentiæ concessâ fruatur, Castrop. *cit. p. 13. §. 2. num. 3.* Garc. *num.* 469 contra Gonz. *cit. gl. 42. q. 9. num.* 200. Quibus qualiter non obstet *Clem. 1. de foro comp.* vide apud eundem Castrop.

2. Respondeo secundò, debere esse actualem pro tunc, quando beneficium vacat, ita ut pro tunc absens, etiamsi reliqua parte mensis resedisset, non posset conferre vi alternativæ beneficium; eò quòd solùm pro tempore veræ & personalis residentiæ concedatur alternativa, Garc. *num.* 697. Castrop. *loc. cit. num.* 2. cum communi.

3. Porrò notandum hîc, olim tempore secundæ alternativæ Pii V. editæ Anno 1570. in qua concedebatur alternativa Episcopis residentibus juxta Trid. dispositionem, quod Episcopis permittit abesse per 3. menses, Episcopi in 3. illis mensibus gauderent alternativâ, possentque conferre beneficia in iis vacantia, etiamsi abessent, Corrad. *l. 3. c. 6. nu.* 41. Garc. *loc. cit. nu.* 461. juxta decis. Rotæ *in Salmant. fructuum Archidia.* 20 *Jun.* 1586. Econtra, si ultra dictos 3. menses abfuissent, non poterant pro illo anno gaudere alternativa, ac ita nequidem conferre beneficia vacantia tunc, cùm actu verè residebant, cùm jam pro illo anno defecisset conditio requisita ad fruendum alternativa, nimirum residentia 9. mensium, Garc. *num.* 464. Unde dum Rota tenuit contrarium *in una Salman. Canonicatûs*, 20 *Junii*, 1572. nimirum quòd Episcopus absens 3. mensibus sibi permissis recreationis causâ, animo redeundi, non gaudebat alternativa, id intelligendum de tempore primæ alternativæ Pii V. utpote in qua exigebatur residentia, non secundùm dispositionem Trid. sed simpliciter.

4. De cetero num Episcopus habens alternativam absens à sua Diœcesi, possit nihilominus providere vacantia beneficia in Martio & Septembri, controversum est inter Auctores. Affirmat Germon. *de indulto Cardin. §. volumus nu.* 18. apud Garc. *nu.* 688. item Leo. *in thes. fori Eccles. c. 16. n. 4.* apud Castrop. *loc. cit. num.* 5. his adhæret Garc. *loc. cit.* citans pro hoc Rot. *in Salmon. Canonicatus*, 4 *Martii*, 1583. nisi quòd limitet id Garc. dum *nu.* 689. dicit, id procedere, nisi Episcopus gavisus fuisset mense alternativæ præcedenti, v. gr. Februarii, ne vel sic gaudere posset 2. mensibus consequenter. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd cessante ob non residentiam alternativâ, intret reservatoria 8. mensium, in qua Martius & September reservati non sunt. Verùm id probabiliùs negant Mand. *conf.* 18. *num.* 8. *&* 9. apud Garc. *num.* 687. Castrop. *loc. cit. nu.* 4 citans pro hoc Ricc. *in pr. fori Eccl. decis.* 684. *in prima editione*, *& in secunda edit. resol.* 582. *num.* 2. Barb. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 53. num.* 36. &c. eò quòd, licèt dicti menses seclusâ alternativâ competant Ordinario (in quo casu opus etiam non est residentia, utpote quam non requirit regula reservatoria 8. mensium, nisi ad summum juxta dispositionem Trid. quamvis etiam, dum Episcopus absque legitima causa abest ultra 3. menses, possit adhuc juxta Garc. *num.* 691. conferre vi dictæ regulæ reservatoriæ 8. mensium beneficia vacantia in 4. istis mensibus per eam non reservatis; cùm ista collatio beneficiorum computanda non sit inter fructus beneficiorum, quos solùm ex dispositione Trid. amittit ultra tres menses absens, ut hæc ipsa Tridentini dispositio, utpote pœnosa extendenda non sit) acceptata tamen alternativa, ii sint Pontificis, neque sit in potestate Episcopi alternativam acceptatam dimittere: & certè defraudaretur aliàs Papa, dum Episcopos conferre posset beneficium in Februario vi alternativæ, & in Martio vi subintrantis regulæ reservatoriæ 8. mensium.

5. Respondeo tertiò, an requiratur residentia integri mensis, ita ut præterquam, quòd resideat, seu præsens fuerit ista die vel hora, quando vacavit beneficium, requiratur insuper, ut in præterita parte istius mensis resederit, & reliqua ejusdem parte præsens futurus sit, non conveniunt Auctores, Garc. *num.* 695. *&* 697. citans pro se Gonz. *gl. 43. ex nu.* 136. & dicens in hoc inclinare Sarmiento *l. 6. selectar. c. 18. nu.* 9. Castrop. *loc. cit. num.* 6. negativam tenent, docéntque, non esse habendam rationem mensis integri, sed tantùm temporis, quo intra illum vacat beneficium, ita ut, si vacatio contingat in mensa Episcopi post acceptatam alternativam,

Epi-

Episcopo residente, is possit beneficium illud conferre, etiamsi ante dictam vacationem in eo mense Episcopus per dies aliquot absens fuit, vel etiamsi alternativam priùs post inchoatum jam mensem illum suum acceptâsset, v. g. tertiâ Februarii; eò quòd, ut ex Gonz. Garc. *num.* 697. usus alternativæ concessus sit, quamdiu resederit; dictio autem *quamdiu*, cùm mensis sit divisibilis in dies, & hi in horas, non tam apposita sit mensi integrali, quàm singulis ejus diebus, vel etiam horis; cùm qualitas adjuncta verbo *vacationis* debeat regulari secundùm tempus verbi; adeóque aliud nihil considerandum sit, quàm tempus vacationis, & qualitas residentiæ de illo tempore. Et ne, si necessaria esset integra residentia totius mensis, illud sequeretur inconveniens, quòd Episcopus, dum resedisset omnibus diebus mensis, contulissétque beneficia omnia interea vacantia, & post legitimè factas has provisiones abesset, dein in sola ultima die mensis ejusdem, hæ provisiones factæ de tempore habili corruerent; vel certè, quòd dictæ collationes omnes fuissent conditionales, videlicet sub hac conditione: si Episcopus integram residentiam totius mensis continuâsset. Quibus accedit, quòd concessio alternativæ sit favorabilis, & beneficium principis, ac propterea amplianda potiùs quàm restringenda; cùm beneficium Principis contra concedentem sit latissimè interpretandum, juxta *l. 3. ff. de constitut. principum.* Gonz. *loc. cit.* apud Garc. *num.* 697. Sed neque his obstare dicunt hi Auctores decis. Rotæ *in una Faventina Canonicatûs.* 16. *Decemb.* 1583. adverbium illud *quamdiu*, non ad dies mensis, sed ad mensem integrum referentis; cùm loquatur de mense Septembri, qui stante alternativâ integraliter reservatus est. Castrop. *cit. num.* 6. Garc. *num.* 696.

6. Affirmativam tenet Germon. *de indult. Card.* apud Garc. *num.* 695. Card. de Luca. *benef. d.* 19 *n.* 5. ubi tradit, quòd, dum alternativæ acceptatio facta in mense aliàs ordinario, v. g. Februario jam cœpto, hic non desinit esse Apostolicus; sed in sua natura seu statu, quem statim à primo instante, nisi obstet alternativa jam accepta, assumit, ad finem perseveret, citátque pro hoc Barb. *de Canonicis & dignit. c.* 14. *num.* 24. & *de pot. Ep. alleg.* 35. *num.* 30. Idem tradit *num.* 8. ubi, quòd mensis aliàs ordinarius ob non residentiam Episcopi habentis jam alternativam, effectus Apostolicus talis perseveret, ut licèt mense jam cœpto sine residentia, Episcopus rediret ad residentiam, adessétque tempore, quo vacaret beneficium, hæc residentia ei non suffragaretur. Idque, etiamsi causa justissima pro Ipsius Sedis Apostolicæ vel Christianæ Reip. servitio abfuisset. Citat pro hoc Rot. *in Calvensi parochialis.* 23. *Jun.* 1642. Idem tradit *d.* 93. *num.* 16. & expressius *num.* 18. Tenet quoque hanc affirmativam Lott. *l.* 2. *q.* 40. *à num.* 54. dum ait eo ipso, quòd Papa concessit alternativam in certis mensibus, quolibet eorum designato per nomen ei proprium, unumquemque ab eo contemplari seu spectari, prout est constitutivus unius corporis integralis, nihilque obstare, quò minùs id quod naturâ suâ dividuum est, constituatur individuum ex voluntate disponentis. Ac proinde, cùm absurdum sit, ut ait *num.* 56. rem unam eandémque diverso jure censeri, mensem, prout individuus est, censeri non posse partim Apostolicum, partim ordinarium. Addit etiam *num.* 58. residentiam, non quidem simplicem, sed qualificatam, hoc est, debitam omnino ex pacto inito inter Papam & Episcopum acceptantem alternativam, quæ residentia ex pacto, ut ait *num.* 61. in hoc meliorem esse residentiâ simpliciter tali; quòd facere aliquid ex voluntate firmata in bonum sit melius, pertineátque ad perfectivum virtutis, ut constat in voto. Atque ex his, sive ex hoc utroque simul sumpto, nimirum ex eo, quòd Papa contempletur menses singulos, ut totum integrale, quod totum recipiat essentiam suam à continuo, & præcipuè tamen ex eo, quòd residentia tali modo qualificata requiratur, concludit *num.* 59. quòd, si Episcopus alternativam recipiat non tantùm post aliquot dies mensis elapsos, sed etiam statim ab initio mensis, non possit ei illa suffragari respectu illius mensis, eò quòd, etiamsi tunc resideat per totum illum mensem, non tamen dicatur per totum resedisse ex pacto. Unde nec Episcopus obligetur illo mense, in quo, vel etiam, sub cujus initium acceptavit alternativam, residere; cùm obligatio hæc non referatur nisi ad menses integros; sed mensis totus reputetur Apostolicus. Lott. *num.* 64. adeóque verba illa regulæ: *tum demum, & non ante*, referantur ad mensem illum alternatum Episcopi, v. g. ad Aprilem, dum eam acceptavit in Februario. Ac demum, ut comprehendat quoque alios casus apertè ac generaliter, *num.* 80. affirmat, pro usu alternativæ non sufficere præsentiam Episcopi in Diœcesi tempore vacationis; sed exigi residentiam continuam, eò quòd, si admittatur sufficere solùm momentaneam residentiam, tota hujus regulæ ratio, quam ex eo 9. *praced.* dedimus, deficiat, & aperiatur omnimoda via fraudibus. Atque ita, ubi Episcopus tempore vacationis præsens, non tamen præsens ab initio mensis fuit, mensem ab initio fuisse, & deinceps ad finem manere affectum Papæ, & nequaquam intrare pro Episcopo alternativam; sicque perpetuò tenuisse Rotam, quidquid in contrarium reluctentur Garc. & Gonz. quorum rationes, aliásque similes cum eorum tota auctoritate in hoc puncto rejecit *in Papiensi beneficii,* 10. *Aprilis Anno* 1527. ut ait Lott. *à num.* 87. ubi etiam *num.* 89. quòd ratio à Gonz. & Garc. adducta nihil valeat; cùm vinculum reservationis incertum sit à principio mensis, illum totum tanquam unum aliquod integrale pervadat; adeòque quandocunque in eo vacat beneficium, dicatur Papæ reservatum, & sic inspecto tempore vacationis optimè dicatur intrare reservatio. Quinimò in casu, dum Episcopus tam ab initio mensis, quàm tempore vacationis fuit præsens, verùm ante vacationem ad modicum tempus abcessit, ut vel hinc minùs integra videri posset residentia. Etsi Lott. *num.* 89. & 90. dicat esse plus difficultatis, eò quòd mensis iste non intraverit tanquam Apostolicus, sed tanquam ordinarius; & vel hinc cessare videatur ratio, cui maximè innixa Rota *in illa Faventina & Papiensi*, ita etiam, ut Rota nihil in casu hoc, votis Dominorum semper æqualibus, resolverit; quin & positione habitâ 16. *Maii* 1628. jusserit causam concordari. Ipse tamen inhærens suæ sententiæ *num.* 92. asserit, Episcopum in tali casu non posse frui alternativâ, eò quòd vis reservationis resultet ex interpolatione residentiæ, cujus actus retrotrahitur ad mensis initium ob hanc ipsam regulam, dum, ut ait *num.* 94. & *seq.* omnino respicitur residentia illa civilis, exigitúrque omnino naturalis vera & continua (ut Rota respondit *in regul. beneficii.* 24. *Maii* 1604. in quo casu duraverat absentia Episcopi per horas 39. & causa erat honestissima) adeò, ut beneficium illud alternativæ cesset illico, subintrétque effectus reservationis, ut Episcopus abcedit, quamvis brevissimo tempore; nec obtendi possit, ut Lott. *num.* 102. excusatio ab æquitate & honestate causæ, cùm hæc considerari nequeat in præjudicium juris acquisiti alteri, & jam ex præcedente pacto applicati, nimirum Papæ; saperet enim id manifestam iniquitatem, dum vel sic à Papa auferatur absque illius facto, quod ipsius est, uti id fusissimè per *num. seq.* probat Lott. Elidit etiam idem *num.* 83. inconveniens illud à Garcia & Castrop. adductum, dicendo: quòd dum Episcopus ab initio mensis ad vacationem beneficii residens absque eo, quòd dabatur etiam Episcopo præexistens aliqua causa remigrandi post collationem factam ad alium locum, illud conferens, conferat validè, etsi post factam collationem à residentia recedat; eò quòd provisio hæc fuit facta de tempore habili, ex quo verè & personaliter residebat, non debeat retractari; licèt enim facultas conferendi in futurum dependeat ab illa continua & integrali residentia; validitas tamen jam factæ collationis ab illa non dependet ampliùs, sed simpliciter à statu, in quo res erat de tempore actûs.

7. Re-

7. Respondeo quartò, videri residentiam debere esse cum animo permanendi in ea, ita ut Episcopus, qui ut plurimùm non residet in suo Episcopatu, sed ad tempus, non cum animo permanendi, sed redeundi, non gaudeat alternativâ in beneficiis vacantibus, cùm residet. Sic tenet Card. de Luca *de benef. d.* 93. *n.* 17. ubi, quòd residentia non tantùm requiritur corpore, sed etiam animo, quòd scilicet de tempore, quo contingit vacatio, Episcopus resideat animo residendi, & suum munus impleat; secus autem sit, & non fruatur alternativâ, si solitus non residere, quamvis ex justa causa publici muneris, casualiter reperiatur in Diœcesi, citò recessurus. Idque à fortiori, ubi residentia esset affectata; quia nimirum Episcopus eo tempore solitus non residere, in vicinia moram trahens, & videns vacationis imminentiam, se ad Diœcesin conferret. Idem expressiùs tenuisse Rotam, fusè refert Garc. *n.* 699. *&* 670. Lot. *loc. cit. n.* 82. ubi quòd, si Episcopus non tantùm tempore vacationis, sed ab initio mensis præsens usque ad vacationem, quin & post eam continuam residentiam usque ad finem mensis, non præsumatur tamen in eo animus per totum mensem ibi morandi ob necessitatem illi injectam aliò migrandi ex munere antea suscepto, quod personalem exigit residentiam, non possit pro illo mense frui alternativâ, eò quòd talis nequeat censeri residens, dum is non dicitur esse in loco, quem corpore occupat, dum mente & animo abest, qualiter talis Episcopus mente abest, dum præexistit causa remigrandi in locum, in quo, contitevit perpetuam habere residentiam. Nihilominus Garc. *n.* 701. ait, salvâ pace & reverentiâ tanti tribunalis, nempe Rotæ (quam tamen *n.* 702. dicit cœpisse inclinari in suam sententiam) quâ quoque unicè se retineri dicit Gonz. quò minus liberè & intrepidè secum sentiat, contrarium sibi videri verius. Idemque cum Garc. tenet Castrop. *n.* 8. eò quòd regula solùm requirat residentiam veram actualem tempore vacationis absque distinctione & consideratione animi; cùm sic inducantur adhuc Episcopi ad residendum ampliùs, quàm aliàs residerent, & quòd, qui residet, licèt habeat animum remigrandi aliò, nec residcat de ordinario, quo tunc verè residet. Cui non obstat, quòd dictis Rotæ decis. dicatur, censeri aliquem residere, ubi continuè moratur, non ubi casualiter & ad tempus adest; cùm id impropriè & per quandam fictionem dicatur, prout indicant verba *censetur*, *videtur*, *habetur*, juxta Mand. *ad reg. de annali. q.* 87. *n.* 1. Nav. *cons.* 8. *n.* 6. *de Cler. non resid.* regula autem non contentetur residentiâ fictâ, adeòque, sicut Episcopus, qui casualiter & ad tempus abest, cum animo redeundi, non gaudet alternativâ de illo tempore absentiæ, ita è contra Episcopus, qui casualiter adest, & verè personaliter residet, etiam cum animo redeundi aliò, pro tunc gaudet alternativâ.

8. Respondeo quintò, debere esse hanc residentiam veram in ipsâ Diœcesi formaliter, ita ut non sufficiat esse præsentem in loco vicinissimo, etiam ex legitima causa, & citò reversurum; cùm *Tâ apud*, quo utitur regula, non significet hic *prope*, sed *in* vel *intra* Diœcesim. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Barb. *de pot. Ep. alleg.* 53. *n.* 54. Quin & probabiliùs non sufficiet, Episcopum morari in loco exempto intra suam Diœcesim contento; cùm locus talis exemptus, etsi materialiter & quò ad situm sit de Diœcesi, formaliter tamen, hoc est, quò ad gubernationem & jurisdictionem sit extra Diœcesim; residentia autem in Diœcesi ea de causa exigatur in alternativa, ut Episcopus tanquam Pastor oves proprias suis legibus & statutis regat, illisque assistat, quod in tali loco non potest; etsi fortè in aliquibus casibus de rarò contingentibus, ibidem posset exercere jurisdictionem, dum interim leges frequenter contingentia, & modum ordinarium providendi respiciunt. Garc. *n.* 704. Castrop. *loc. cit. n.* 10. contra Corrad. in *pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *n.* 17. item contra Gonz. *cit. gl.* 43. *q.* 7. *n.* 180. apud Garc. quamvis uterque admittat, procedere sententiam Gonz. seu posse Episcopum frui alternativâ, si Episcopo ad exercendam suam jurisdictionem in tali aliquo casu extraordinario existente in tali loco exempto, vacaret beneficium in ejus Diœcesi; è contra sufficere, etiam dum Episcopus residet in loco suæ Diœcesis, seu suæ jurisdictioni contentiosæ subjecto, contento tamen intra aliam Diœcesim, censet Castrop. *loc. cit. n.* 11. citans Garciam; eò quòd talis residendo in loco, in quo jurisdictionem ordinariam exercere potest, verè residcat in sua Diœcesi, quod ipsum, & non plus requiritur ad fruendum alternativâ, esto, quòd de cetero residendo in tali loco remoto, adeòque incommodo, unde reliqua gubernetur Diœcesis, non satisfaceret obligationi residendi ratione officii pastoralis impositæ, de qua Trid. *sess.* 23. *c.* 1.

Quæstio 573. An provisus ab Ordinario, fundans se in alternativa, obligationem habeat probandi inter cetera hanc veram & personalem residentiam Episcopi tempore vacationis beneficii?

Respondeo affirmativè. Garc. *n.* 502. *& seq.* testans sic sæpe à Rota resolutum. Gonz. *gl.* 43. *n.* 92. Castrop. *loc. cit. n.* 12. Card. de Luca. *de benef. d.* 93. *n.* 19. nam licèt ex eo, quod Episcopus in sua Diœcesi teneatur existere ratione muneris sui, & nemo præsumendus sit à sua obligatione deficere, sed potiùs ei satisfacere, præsumi debeat Episcopum in Diœcesi sua residere; quia ibi quivis præsumitur residere, obi residentiæ obligationem habet, ut Menoch. de præsumpt. *lib.* 6. *præsumpt.* 16. *n.* 4. Masc. *de prob. concl.* 5. *n.* 5. Tiraq. *in l. connubial. gl.* 1. *n.* 3. quia tamen jus non præsumit, absolutè Episcopum semper & quolibet momento temporis verè & personaliter residere; cùm potius supponat plures causas urgentes & excusantes à residentia; quin & per menses aliquot concedat abesse, communisque talis residentia non sufficiat ad usum alternativæ, sed requiratur vera & actualis eo tempore, quo vacavit beneficium, meritò hæc residentia necessariò probanda est. Castrop. *ibid.* Dat etiam hanc rationem positivam Card. de Luca *loc. cit.* dicens: onus probandi negativam residentiæ non incumbere proviso Apostolico; sed onus probandi affirmativam incumbere proviso ab Ordinario, etiam mensis, qui aliàs esset Apostolicus, & per alternativam factus est Ordinarius, eò quòd provisus Apostolicus ratione vacationis in mense regulariter Apostolico habeat intentionem fundatam in regula, quam allegare sufficit; provisus autem ab Ordinario innititur limitationi, quæ in dubio non præsumitur, sed est probanda, & quoties limitatio resultat ex aliqua qualitate seu conditione, ista etiam qualitas probanda sit; adeòque, cùm non solùm alternativa acceptata faciat, ut mensis Apostolicus efficiatur ordinarius, sed requiratur insuper qualitas seu conditio residentiæ, hæc probanda est per eum, qui se fundat in limitatione ista qualificata. Castrop. tamen fatetur non semper requiri exactam talis residentiæ probationem, sed sufficere aliqualem, v. g. si plenè probaretur, tempore proximè antecedente vacationem, Episcopum resedisse; eò quòd non præsumatur tunc mutatio residentiæ.

Quæstio 574. Qualis requiratur acceptatio, & in qua forma ea facienda.

1. Respondeo primò, acceptatio hæc libera esse debet, & ideo nemo invitus eam acceptare tenetur; cùm sit gratia & beneficium, quod invito non datur. *l. invito. ff. de reg. juris.* prout multi Episcopi, ut ait Chok. *hic gl.* 21. *num.* 1. eam non acceptant propter onera præsertim residentiæ. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 483. citans Gonz. *gl.* 58. *à n.* 1. Chok. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò, debere eam fieri juxta formam præscriptam in hac ipsa regula, quæ est de substantia hujus acceptationis; siquidem regula hæc suum fert in fine decretum irritans, quod quoad omnes

omnes regolæ partes formam inducit, Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 19. & inducta ad evitandas fraudes, quæ per Ordinarios committi possent in osu alternativæ, Garc. *n.* 498. ex Fusco *de visit. l. 2. c. 28. n. 32.* Unde licèt nemo præter Papam possit quicquam adversus hujusmodi decretum irritans attentare, adeòque nec formam per illud inductam, etiam in minimo, immutare, aut ei detrahere, Corrad. *n.* 20. Nihilominus nil vetat, quò minùs in hoc negotio acceptationis, & ejusdem recognitionis, Datarius seu Prodatarius, & ad quem spectat, nomine Papæ hanc acceptationem recipere & recognoscere, aliqoid ex hujus formæ rigore remittat, utpote qui ad hoc remittendum non censetur moveri, nisi ex voluntate Papæ, cujus ipse personam & vices in his beneficialibus amplissimas gerit, & cujus ipse, ut Gonz. apud Garc. *n.* 496. Cassador. Cæsar. de Grassis apud Corrad. *loc. cit.* organum est mentis & vocis, ac proinde, si Datarius admitteret acceptationem alternativæ, non servatâ omnino dictâ formâ, utique valeret, & de ejus ad hoc facultate minimè dubitandum, ut Corrad. *loc. cit. n.* 24. Garc. *cit. n.* 496. citans Rot. *in Salman. fructuum, 3. Januarii,* 1587. Unde etiam infert Corrad. *n.* 24. quòd si ex gratia omitti potest aliquid ex præscripta regula, multò magis id admitti debet, dum quandoque ipsa vix, aut omninò servari nequit. Infert etiam *cit. n.* 24. quòd perperam agant Episcopi, qui postquam ex gratia Datarii alternativam acceptârunt, non servatâ in omnibus formâ regulæ quòad hoc, dein occurrente vacatione beneficii in mense vigore dictæ alternativæ alternato & Papæ reservato, qui aliàs esset unus ex 4. mensibus ordinariis, idem beneficium conferunt, prætextu nullitatis acceptationis alternativæ, & recognitionis. Porrò formulas hujus acceptationis alternativæ secundùm præscriptum hujus regulæ conceptas vide apud eundem Corrad. *num.* 18. & Fusc. *loc. cit. num.* 3.

3. Respondeo tertiò: in specie, fieri debere hanc acceptationem: Primò per literas patentes (hoc est, apertas non continentes sigillum, clausulam seu ligaturam talem, sine cujus læsione aperiri & legi possint, Castrop. *loc. cit.* § 4. *nu.* 2. Chok. *loc. cit. num.* 30.) Garc. *num.* 488. ex Gonz. *gl.* 59. juxta text. hujus regulæ.

4. Secundò debent hæ literæ patentes subsignari seu subscribi manu propriâ Episcopi acceptantis, aliàs acceptatio non tenebit, Garc. *nu.* 489. ex Gonz. *gl.* 60. juxta text. regulæ, subscribens enim approbat omnia contenta in scriptura, proinde ac si totam scripsisset, Chok. *juxta* §. *1. instit. de empt. & vend.* Quòd si tamen Episcopus acceptans omninò impeditus infirmitate aut aliâ occasione, ut nequidem cum adjutorio alterius manûs subscribere valeat, sufficit, alium ejus loco subscribere, v. gr. Vicarium ejus generalem, Castrop. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit. num.* 26. juxta *l. divus, de in integ. restit.* & Baldum *in rub. C. de fide instrum.* ubi: dum pro forma requiritur subscriptio propriæ manûs, imminente necessitate tenet subscriptio facta manu alienâ. Addit etiam Castrop. *loc. cit.* probabile esse, quòd sufficiat, literas has propriâ manu Episcopi scriptas esse sine subscriptione, dum in ipsa scriptura dicatur manu propriâ subscriptas esse; eò quòd hæc descriptio expressæ subscriptioni æquivaleat, præsertim in causa favorabili, qualis est hæc causa alternativæ.

5. Tertiò debent hæ literæ munitæ esse proprio Episcopi acceptantis sigillo, Castrop. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 61. Garc. *num.* 490. juxta textum regulæ, utpote quòd, ut Chok. juxta Bald. *in l. contractus, nu.* 1. *de fide inst.* perfectionem actûs denotet; perinde autem est, an munitæ sint sigillo Episcopi parvo, an magno, Castrop. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n.* 7. Præter quam subscriptionem & sigillationem opus non est adhibitione & appositione testium, aut interventu vel subscriptione Notarii, cùm nihil de hoc in regula, Garc. *num.* 491. Gonz. *gl.* 61. *nu.* 24. Castrop. *loc. cit.*

6. Quartò debent hæc, nempe subscriptio illa & sigillatio fieri in civitate vel Diœcesi propria Episcopi acceptantis, ut habet regula, Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 492. Gonz. *gl.* 62. Quod ipsum est contra juris communis dispositionem; cùm Episcopus extra suam Diœcesin possit aliàs hujusmodi actus, seu jurisdictionem voluntariam exercere, beneficiáque conferre, Garc. *loc. cit.* Chok. *nu.* 8. & 9. Posse tamen Episcopum has literas dicto modo expedire, seu alternativam acceptare in loco exempto suæ Diœcesis, tenet Corrad. *loc. cit. nu.* 16.

7. Quintò tenetur Episcopus dictas literas transmittere ad Datarium, Garc. *num.* 494. Gonz. *gl.* 63. juxta textum reg. perinde autem est, an per nuncium specialem, an per ordinarium; cùm nuncius non acceptet, sed acceptationem deferat, & de modo transmissionis nihil sit in regula, Castrop. *loc. cit.* Chok. *num.* 10. satisque est, has literas ad Agentem in Curia mittere, ut is eas præsentet Datario; cùm etiam ex tali transmissione resultet mandatum, ut Chok. *num.* 11. ex Gonz. *gl.* 63.

8. Sextò pro complemento acceptationis alternativæ debent istiusmodi literæ ab Episcopo transmissæ ad Datarium ab eodem receptæ & recognitæ esse, Gonz. *gl.* 64. Garc. *num.* 494. juxta textum regulæ; ut nimirùm constet, num omnes supradictæ conditiones in iis servatæ, (cùm omnes eæ pro forma sint requisitæ, & cujuslibet illarum defectus totum rescriptum vitiet) num literæ sint integræ, non cancellatæ, & absque ulla rasura, aut falsi suspicione; & hinc hanc recognitionem exactè facit, & facere tenetur Datarius, Corrad. *loc. cit. nu.* 26. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam de modo faciendi hanc recognitionem, nimirùm per testes ex parte Episcopi, seu illius, qui literas defert Datario productos, qui deponere debent, illam esse subscriptionem & sigillum illius Episcopi acceptantis, & sic fieri, nimirum, ut summariè examinentur duo testes super recognitione subscriptionis & sigilli ad majorem cautelam, ait Corrad. quâ tamen diligentiâ opus non est, ubi ex aliis instrumentis & literis sigillum & subscriptio Episcopi satis cognita sunt, Castrop. *loc. cit.* Et de hac recognitione fidem facere solet Datarius sub autographo aut subscriptione, Castrop. *ibid.* Chok. *cit. gl.* 20. *num.* 11. cujus formulam vide apud Corrad. *num.* 27. Atque his peractis, opus non hodiedum expeditione literarum, ut dictum suprà, cùm hodie per hanc ipsam regulam, tanquam legem generalem, concedatur gratia alternativæ.

Quæstio 575. Num valeat acceptatio alternativæ facta ab Episcopo tempore, quo excommunicatus est?

Respondet Garc. *num.* 487. valere, non secus, ac valet acceptatio beneficii ab excommunicato facta, citat pro hoc Gonz. *gl.* 58. *nu.* 26. Quibus obstare non videtur, quod tradit Lott. *l.* 2. *q.* 41. *n.* 15. impossibile esse, ut in Episcopo excommunicato sit alternativa; cùm eo ipso, quòd excommunicetur, destituatur jure conferendi, eò quòd æquiparetur prælatus excommunicatus mortuo. Intelligendum enim id videtur de usu alternativæ, sicut de usu potestatis conferendi, vide eundem.

Quæstio 576. An & qualiter acceptatio hæc alternativæ probanda?

1. Respondeo ad primum: cùm non præsumatur, quòd alternativa sit acceptate; quia acceptatio hæc est quid facti, uti & omnes solennitates in regula assignatæ, factum autem non præsumitur, nisi probetur, probanda erit à fundante se in alternativa illius acceptatio, Garc. *n.* 449. & Gonz. *gl.* 62. *n.* 28. Castrop. *loc. cit. n.* 8.

2. Respondeo ad secundum: probabitur autem per fidem Datarii, aut ipsum librum Datariæ, ubi tales acceptationes describuntur. Auctores iidem. Card. de Luca *de benef. d.* 93. *nu.* 2. ubi etiam, quòd acceptatio annotata in libro Datariæ sit probatio,

quæ sola, aliis neglectis, attenditur. Et si liber iste reperiri nequeat, probari etiam posse hanc acceptationem per testes, deponentes de quasi possessione conferendi in mensibus concessis vi alternativæ, tradunt *ibid.* Garc. & Castrop. ex Germon. *de indultis Card.* §. *volumus*, *num.* 27. & 32. & juxta decis. Rotæ *in Asturicen. Archidiaconatus*, 3 *Decembr.* 1571. quin & Romæ satis probatur per fidem Notarii, quòd sit in libro Datariæ; cùm ad talem librum sit facilis recursus, Garc. *num.* 500. ita decisum dicens à Rota *in Caurienſi præstim.* 9 *Junii*, 1592.

Quæstio 577. A quo tempore incipiat alternativa habere effectum?

1. Respondeo ex ipso momento recognitionis factæ Romæ, etiam ante notitiam hujus recognionis, de quo tamen paulò post, Castrop. *loc. cit.* Chock. Card. de Luca. de benef. *d.* 93. *num.* 2. juxta textum hujus regulæ; licèt enim concessio illa alternativæ sit quidam contractus, involvens etiam permutationem (intellige mensium) initus ex simultaneo Papæ & Ordinarii consensu; eo ipso tamen, quòd Ordinatio præsentante in Dataria alternativam, ejusque descriptio fit in libro, resultare dicitur Papæ consensus, perficiens hunc contractum, ita explicatum per Datarium, qui, ut dictum, est Papæ organum, & ad dictum effectum legitimus procurator, Card. de Luca. *ibid. n.* 3. & hoc rationabiliter, ut ait de Luca. *num.* 7. quia ubi absens dat mandatum ad contrahendum cum altero existente in diverso loco, eo ipso, quòd alterius consensus sequitur, ita fieri dicitur consensuum conjunctio perficiens contractum. Intelligenda hæc tamen, ut rectè monet Corrad. *nu.* 29. juxta dicta à nobis supra, quamvis recognitio non fuerit facta in aliqua parte mensis, qui jam erat Apostolicus; sic enim, cùm jam fuisset jus quæsitum Papæ in illo mense, non poterit Ordinarius vi alternativæ, etiamsi sciret eam acceptatam & recognitam, beneficium tunc vacans conferre. Porrò ne effectus instantaneæ istius operationis alternativæ damnosus esse posset Ordinario; dum nimirum, si acceptatio fiat in mense Apostolico, hic non desinat esse Apostolicus, & si fiat in mense aliàs ordinario jam cœpto, hic etiam perseveret esse Apostolicus in sententia Lotterii & Card. de Luca, rectè monet idem Card. *loc. cit. num.* 9. & 10. quòd agentes & procuratores Ordinariorum in hoc debeant esse cauti, ut dicta acceptatio fiat tempore congruo, quale erit v. gr. in fine mensis Apostolici, v. gr. in Januario.

Quæstio 578. Num igitur ante notitiam Romæ acceptatæ & recognitæ acceptationis alternativæ, Episcopus possit validè & licitè uti alternativa; vel etiam 4. mensibus aliàs citra alternativam ordinariis?

1. Respondeo ad primum affirmativè: nimirùm posse Episcopum validè uti alternativâ, antequam dictæ recognitionis habeat notitiam, eò quòd, ut manifestè indicat regula, alternativa competat Episcopo à puncto recognitionis cum effectu, ut dictum, Castrop. *cit. p.* 23. §. 3. *num.* 4. Corrad. *loc. cit. num.* 28. qui etiam ait: proinde necessarium non esse, quòd tantum temporis effluxerit, ut talis notitia potuerit ad Episcopum verisimiliter pervenire, Garc. *num.* 764. Card. de Luca. *num.* 7. &c. Atque ita si ultima Januarii facta hæc recognitio, poterit Episcopus primâ Februarii vacans beneficium conferre. Unde jam etiam sequitur, quòd si dicta recognitio contingat in mense, qui cessante alternativa solet esse Ordinarii, v. gr. in Martio, statim ille mensis desinat esse ordinarius, & efficiatur Apostolicus, Corrad. *num.* 30. Sequitur item, cessare statim 4. menses Ordinarii, & Episcopum (quæ erat tertia pars *quæst.*) etsi ignoret recognitionem jam factam, invalidè conferre in illis vacans beneficium, Garc. *num.* 764. Sed neque his obstat, quod objici solet: nimirùm quòd alternativæ concessio sit beneficium, & gratia, quæ firma non est, quousque notitiam illius habeas, Bartol. *in l. fin. ff. de constit. principum*; quodque per alternativam concedatur Episcopis potestas disponendi de beneficiis reservatis; potestas autem & jurisdictio de beneficiis disponendi effectum non habet ante notitiam, ut Mandos. *ad reg.* 32. *q.* 25. *n.* 5. apud Castrop. *loc. cit. nu.* 3. nam si alternativa est solùm remotio reservationis, quâ remotâ, ordinariâ potestate à jure concessâ providetur beneficium, jam habet Ordinarius notitiam hujus potestatis ordinariæ, vi cujus providet beneficium, éstque certus de fundamento suæ provisionis, esto, recognitionem illam, per quam ultimò tanquam conditionem istud obstaculum removetur, ignoret, quod sufficit. Si autem alternativa concedit ipsam facultatem providendi tali mense, jam etiam, cùm hæc facultas non concedatur per recognitionem literarum illarum acceptantium, sed per legem, nimirum per hanc regulam, sub conditione tamen ipsius recognitionis, talis Ordinarius habet notitiam istius potestatis, esto, notitiam illius conditionis non habeat, Castrop. *n.* 7. Garc. *num.* 768. citans pro se Mand. *ad reg.* 27. *q.* 16. Felin. *in c. Suscitatis, de rescript. n.* 12. &c. Additque, quòd, licèt concedatur, gratiam alternativæ esse privilegium, adhuc tamen non requiratur dicta notitia, ex quo per procuratorem, seu nuncium acceptatur, seu potiùs exhibetur acceptatio Episcopi, esto, aliàs privilegium non operetur, seu habeat effectum, antequam innotescat privilegiato; citat pro hoc Sylv. *v. privileg. q.* 16. Rodriq. *qq. reg. tom.* 1. *q.* 7. *a.* 6. Azor. *à n.* 30. Porrò dato, quòd Episcopus providere non possit validè in mense alternato, vi alternativæ ante habitam dictam notitiam, habitâ tamen dictâ notitiâ, posse illum nihilominus providere beneficia, quæ vacâssent in mense alternato post acceptatam Romæ alternativam, licèt tempore vacationis non habuisset notitiam acceptationis; quia, esto, ante dictam notitiam non haberet exercitium juris alternativæ, haberet tamen illud habitu, sicuti dicitur de Judice delegato ante receptionem literarum; tradit idem Garc. *n.* 771. quod ipsum, ut addit, sufficeret, ut statim, ac acceptata est Romæ alternativa, cessent 4. menses ordinarii.

2. Respondeo ad secundum: licitè tamen non potest uti alternativâ, dum nescit, utrùm Romæ recognitæ sint literæ suæ, vel etiam, uti Castrop. *n.* 5. quamdiu ex conjecturis moraliter de eo non constat, licèt, ut Garc. *n.* 774. secundùm tempus elapsum esse posset, quòd literæ Romæ sint receptæ & recognitæ, Garc. *n.* 777. Castrop. *loc. cit.* quia, cùm certus talis sit de lege reservationis, ab illa se eximere non potest, Castrop. *ibid.* Et conferendo in isto casu Ordinarius se exponit periculo usurpandi provisionem ad Papam privativè spectantem ratione reservationis, & faciendi intrusum in beneficio, adeóque peccandi mortaliter; & ècontra exspectando certiorationem, nulli se exponit periculo; quin & jus ei manet integrum, si verum, quod paulò ante dictum ex eodem Garcia; posse illum nihilominùs conferre post acceptam dictam notitiam vacantia ante illam post recognitas literas, Garc. *n.* 775. Proinde ubi Ordinarius verisimiliter præsumit, Romæ factam dictam recognitionem, poterit beneficium vacans providere sub conditione, nimirum si de facto Romæ facta illa recognitio, quæ tamen collatio habebit effectum, si vera fuit conditio, secùs si falsa; interim tamen provisus capere non poterit possessionem, quousque constiterit, conditionem appositam veram esse ob periculum intrusionis, ac ita Ordinarius cavere debet in literis provisionis, Castrop. *loc. cit. num.* 6. Garc. *num.* 777. & 779. qui etiam *n.* 778. addit, sic quoque Episcopum probabiliter dubitantem, num Romæ facta dicta recognitio, non posse licitè providere de beneficiis vacantibus in mense Martii vel Se-

ptembr.

prembr. (qui aliàs, seclusâ alternativâ, competebant Ordinario vi regulæ reservatoriæ 8. mensium) nisi sub dicta conditione.

Quæstio 579. Num Episcopus duarum Diœcesium acceptando alternativam pro una, censeatur aut teneatur hoc ipso etiam acceptare pro altera?

Respondeo negativè: expedire enim potest, ut acceptet pro una, & non pro altera, Card. de Luca. *de benef. d.* 19. *n.* 5. ubi. quòd idipsum procedat, etiamsi istæ Diœceses essent unitæ principaliter, & citat pro hoc Gonz. *gl.* 58. *num.* 22. & dicit, sic absolutè supponi *in Cæsaraug. beneficii*, apud Garc. *n.* 706.

Quæstio 580. An, & qualiter missis jam literis, sed nondum facta dicta recognitione Romæ, vel etiam ea jam facta possit Ordinarius pœnitere, & se ad jus commune reducere?

1. Respondeo ad primum: ante factam recognitionem à Datario certum est, quòd possit Ordinarius pœnitere, & pœnitendo declinare alternativam; cùm ante illam ei nihil adhuc concessum sit, sed is procuret, ut concedatur; adeóque desistere potest à procuratione, Castrop. *cit. p.* 23. §. 4. *n.* 11. ex Gonz. *gl.* 63. *à n.* 22. Verùm tenetur tunc Ordinarius monere nuncium, vel ipsum Datarium de hac pœnitentia, ne literæ missæ, & jam revocatæ, adeóque nullæ recognoscantur & approbentur, & sic Papa irrideatur; quin & in suis provisionibus detrimentum patiatur; cùm satis probabile sit, ex vi revocationis, etiam non intimatæ, cessare acceptationem factam, Castrop. *loc. cit.* verùm circa hoc

2. Respondeo secundò: si antequam nuncius vel Datarius moneatur de hac pœnitentia Ordinarii, Datarius literas ab eo missas recognoscat & approbet, probabiliter recognitio & approbatio est valida, non obstante revocatione non intimatâ; eò quòd juxta textum *Clem.* 1. *de renunciatione*, cessio beneficii teneat, quousque hæc cessio fuerit intimata, ut illusio & variatio in personis Ecclesiasticis vitetur. Adeóque jam verum non est, quòd factâ revocatione acceptationis non intimatâ, non sit ampliùs acceptatio; cùm acceptatio firma persistat, neque valeat cum effectu revocari ab acceptante, quousque is revocationem notificet, Castrop. *ibid. n.* 12. ex Gonz. *loc. cit. n.* 48.

3. Respondeo tertiò: postquam literæ dictæ recognitæ sunt à Datario & approbatæ, revocari non potest acceptatio cum effectu sine scitu & consensu Pontificis; cùm enim, ut dictum, ista concessio involvat contractum initum ex mutuo consensu Papæ & Ordinarii, hinc resultat, quòd sola declaratio Ordinarii declarantis, nolle se ampliùs uti alternativa jam acceptata, non sufficiat, cùm distractus exigat eundem simultaneum consensum, qui in contractu requisitus erat, C. de Luc. *de benef. d.* 93. *n.* 3. citans Gonz. *gl.* 58. *n.* 14. Mand. *cons.* 18. *n.* 8. Put. *decis.* 88. *l.* 3. item Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 10. & 12. Sed neque tenetur Papa renunciationem hanc admittere, sed eam rejicere potest, si causæ legitimæ illius non proponantur, Castrop. *loc. cit.* §. 5. *n.* 3. solet nihilominùs quandoque hujusmodi renunciationem admittere, Corrad. *loc. cit. n.* 12. ubi etiam hujus rei praxin ponit ex Gonz. *gl.* 58. *n.* 23. quòd nimirum, postquam Papæ porrectus est libellus supplex, illum ad Datarium remittit, qui illius nomine aut admittere aut rejicere solet; prout sibi bene visum ob causas in libello expressas. Et tunc nihil aliud agitur, quàm quòd acceptatio semel facta cancelletur & cassetur de libro Datariæ, & in margine cassatio acceptationis cum anno, mense, die, annotatur, Castrop. *loc. cit.* §. 5. *n.* 33.

4. Respondeo quartò: neque etiam indirectè Ordinarius, absentando se à Diœcesi sua, potest revocare acceptationem alternativæ sine consensu Papæ; per solam enim absentiam Episcopi non resolvitur alternativa in præjudicium Papæ; sed solùm inducitur simplex suspensio in præjudicium Episcopi, Lott. *l.* 2. *q.* 41. *n.* 47. citans Rot. *in Faventina Canonicatûs*, 16. *Decemb.* 1585. Quamvis tamen in isto casu pro resolutione alternativæ sufficiat consensus implicitus Papæ, ut, si ipse conferat contra usum alternativæ; ubi enim consensus requiritur, non minùs tacitus, quàm expressus attenditur, juxta Decium *cons.* 31. *n.* 4. & Surd. *cons.* 355. *n.* 16. Lott. *n.* 48. & 49. Ac propterea, si post acceptam alternativam doceretur, non tantùm Episcopum contulisse jure suo ordinario in suis 4. mensibus, sed etiam Papam in suis 8. utrique contractus hic censeretur contrario consensu resolutus; eò quòd Papa videretur approbâsse recessum Episcopi, Lott. *num.* 50. & 51. citans pro hoc decis. Rotæ *in Paduana Prioratûs*, 18 *Maji*, 1611. in qua tamen dictum, ut Lott. *n.* 52. gratiam alternativæ pendere ex consensu Papæ, non ex scriptura acceptationis, quæ ea igitur, ut inde probetur factum acceptationis. Adeóque è contra necessarium non est, ut contrarius consensus, Papæ nimirùm, quo in dictam dissolutionem alternativæ consentit, per scripturam justificetur; nam neque scriptura est necessaria pro recessu à contractu celebrato in scriptis, nisi scriptura fuerit adhibita pro forma contractûs, eò quòd contrahentes à principio noluerint aliter valere contractum, quàm si in scriptis fieret, Lot. *n.* 53. & 54.

Quæstio 581. Ad quæ beneficia se extendat alternativa?

1. Respondeo primò in genere, videnda esse, quæ dicta sunt supra ad primam partem hujus regulæ, *in quæst.* quænam beneficia cadant sub reservatione mensium; ad eadem enim extendit se alternativa, exceptis solùm iis, quæ non sunt liberæ collationis, Chok. *hic gl.* 16. *n.* 1. Hinc

2. Respondeo secundò: extendere se illam ad omnia beneficia, sive sint cum cura, sive absque cura; sive regularia, sive sæcularia, qualitercunque qualificata, &c. quæ aliàs reservata non sunt, & ad liberam ipsorum Episcoporum dispositionem spectant; qualia sunt, quæ Episcopi absque alterius dispositione, electione, præsentatione, consilio, consensu vel interventu providere possunt, seu quorum provisio à solius Episcopi voluntate dependet, Castrop. *loc. cit.* §. 3. *num.* 1. Chok. *loc. cit.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 475. Gonz. *gl.* 45. *n.* 10. Et qualia adhuc censentur in ordine ad effectum alternativæ, quæ Episcopus tenetur ex fundatione vel statuto, aut aliunde conferre certo generi personarum, v. gr. filiis familias, personis de certo Collegio, Card. de Luc. *cit. d.* 93. *n.* 5. Garc. *nu.* 476. citans Gonz. *ubi ante, n.* 19. Put. *decis.* 162. *l.* 2. Item beneficia curata & parochialia, etsi conferenda sint dignioribus & per concursum, Garc. *ibid.* citans Gonz. *ubi antè, n.* 22. & sic resolutum dicens à Rota *in Abul. Parochialis*, in his enim ex parte Episcopi libera est collatio; cùm solus conferat sine consilio, interventu, præsentatione aliorum, & licèt in cui dando non sit absoluta potestas Episcopi, id tamen non est considerabile ad effectum hujus regulæ, de hoc nihil dicentis, Garc. *ibid.* ex Gonz. *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 223. Item ad ea, ad quæ præsentatio seu electio competit soli Episcopo; siquidem prima beneficii dispositio, quæ antecedit, libera est, & alia ex illa necessariò sequitur, Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 733. Atque ita, dum Episcopus ratione dignitatis suæ habet jus præsentandi ad aliquod beneficium, habebit in eo locum alternativa, non obstante, quòd institutio spectet ad alium, Garc. *n.* 734. idem est in electione, v.g. cùm electio personæ in pœnitentiarium spectat ad solum Episcopum, quomodocunque illa consideretur, intrabit in ea alternativa, quamvis personæ electæ facienda sit collatio ab Episcopo & Capitulo, vel à solo Ca-

Capitulo, Garc. *n.* 735. Et hæc procedunt, sive Episcopus gaudet alternativa, etiamsi beneficia, ad quæ præsentare, vel eligere, vel etiam quæ conferre habet Episcopus, sita sunt in aliena Diœcesi, Garc. *cit. n.* 734. & 705. citans pro hoc *nn.* 706. Gonz. *gl.* 10. *n.* 4. & Rot. decis. aliquot.

3. Econtra ad liberam Episcopi dispositionem non spectabunt, adeoque in iis locum non habebit alternativa: primò, ad quæ præsentare, vel quæ conferre non potest sine consilio alterius; *Tò libera* enim denotat potestatem faciendi actum sua sponte, & irrequisitâ alterius voluntate, juxta *c.* 1. *de rescript.* & *ibi gl.* Chok. *hic gl.* 17. *n.* 2. idque etiam, licèt dictum consilium sequi non teneatur, Gonz. *gl.* 46. *nn.* 35. Multòque minùs, dum eget alterius consensu, utpote quod minorem libertatem importat; cùm majoris effectus sit consensus quàm consilium; quia consilium sufficit petere, & sequi non est necesse, Chok. *ibidem.* cum Gonz. *gl.* 47. & 48. ubi fusè hanc materiam consensûs & consilii tractat.

4. Secundò: ea, circa quæ disponere nequit sine interventu seu præsentia alterius, v. gr. Capituli, ut habet textus Reg. Interventus verò hic, seu præsentia importat scientiam & intelligentiam, non tamen consilium vel consensum. Unde si statutum, vel alia quæpiam dispositio prohibet fieri actum sine interventu alterius, satìs erit illius præsentia, etiamsi non consentiat, vel consulat illum actum fieri. Neque ab eo petendum consilium vel consensus, ut Bald. *in l. nam ita Divus, de adopt.* Chok. *loc. cit. n.* 4. non tamen propterea frustra erit talis præsentia, quòd hoc adhuc commodi ex ea oriatur, quòd actus majore cum deliberatione, maturitate, utilitate, fraudis etiam & doli exclusione expediatur, ut Tiraq. *de l. connubial. gl.* 6. *n.* 32. Chok. *n.* 5. Circa quæ illud observandum: quòd si illi, qui consentire, consulere, intervenire habent, nolint ista subire, poterunt compelli, adirique Superior, qui illis mandet; quibus rursum recusantibus, Superior consentiet, interveniétque vel alius ex illius mandato, Chok. *nn.* 6. citans Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 20. *per tot.*

5. Tertiò: excluduntur ab alternativa etiam ea, utpote non liberæ adhuc collationis, in quorum provisione citra consilium, consensum, præsentiam alterius necesse est intervenire quocunque alio modo ministerium alicujus, vel jussus Superioris, aliusve modus, quos obiter proponit Gonz. *gl.* 49. Chok. *loc. cit. n.* 7. Quamvis tamen adhuc liberam in ordine ad effectum alternativæ collationem illam esse dicat Lott. *l.* 2. *q* 40. *n.* 122. ubi ex statuto Ecclesiæ, aut jure singulari aliquo teneretur Episcopus conferre sub testimonio duorum vel trium, quod testimonium minimè habet vim consilii aut assensûs; citat pro hoc decis. Rot. 600. *p.* 2. *Recent.* Cùm ii, ut ibi dicitur, sint veriùs testes bonæ vel malæ collationis, quàm participes.

6. Denique, ne beneficium dici possit liberæ collationis in ordine ad dictum effectum, impedit consuetudo optandi, Card. Luca. *cit. d.* 93. *n.* 6. In his itaque beneficiis non liberæ collationis locum non habet alternativa, sed de iis provideri debet in 4. mensibus ordinariis Martio, Junio, Septembri, Decembri, perinde ac si alternativa acceptata aut concessa non esset, Pith. *loc. cit.* Chok. *hic gl.* 16. *n.* 2. citans Monet. *de opt. c.* 3. *q.* 3. *n* 88. & Gonz. *gl.* 45. Porrò observandum in his, non tam proprietatem, quàm possessionem spectari, ita ut, si quis sit in quasi possessione præsentandi, consentiendi, consultandi, assistendi, aliámve actionem ad provisionem requisitam efficiendi, etiamsi quò ad proprietatem legitimo jure careat, id sufficiat, ut beneficium non dicatur liberæ collationis; sicut è contra, dum Episcopus est in possessione conferendi liberè, etsi careat quò ad hoc proprietate, beneficium dicatur collationis liberæ; quia in jure conferendi attenditur potiùs possessio, quàm proprietas, juxta *c. olim*, & *c. cum Ecclesia, de causa possess. & prop.* Castrop. *cit. p.* 23. §. 3. *num.* 10. Garc. *num.* 478. Gonz. *gl.* 45. §. 3.

Quæstio 582. *Ulterius magìs adhuc in specie, an & qualiter se extendat alternativa ad beneficia, quæ spectant ad simultaneam collationem Episcopi & Capituli, dum convenit inter illos de collatione facienda per turnos, quod jura permittunt*, cap. ult. de præb. in 6. Clem. 2. de jurep.

1. Respondeo primò: dum divisio facta est per vices, hoc est, ut una vice provideat Episcopus, alterâ vice Capitulum, alternativa intrat ex parte Episcopi, sive Episcopus gaudet alternativa, & vi illius providebit, dum nimirùm beneficium vacat mense alternato, & tempore vacationis est turnus Episcopi, Castrop. *cit.* §. 3. *num.* 3. Garc. *à num.* 707. Gonz. *gl.* 45. §. 1. *num.* 13. sic sæpè à Rota decisum referentea; in eo enim casu, esto, quòd jus radicale conferendi commune sit Episcopo & Capitulo, factâ tamen concordiâ seu dictâ divisione, quò ad exercitium & usum, qui attenditur, divisum est, ita ut integrè & in solidum unicuique competat in suo turno absque ullo alterius interventu; & sic Episcopus jure proprio, & non communi liberè confert in suo turno sine interventu Capituli, Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 709. idipsum quoque pluries à Rota decisum referens. Econtra tamen, cùm Capitulo non suffragetur alternativa, utpote non concessa inferioribus Collatoribus, sed solis Episcopis, si vacatio contigerit in mense alternato ordinario, v. gr. in Februario, & sit turnus Capituli, Capitulum providere non potest, sed Papa, utpotè cui tunc reservatum tale beneficium; cùm tunc non sit de libera collatione Episcopi, sed alterius. Providere tamen poterit Capitulum, si beneficii vacatio contigerit in 4. mensibus ordinariis, Martio, Junio, &c. & simul tunc sit turnus Capituli, Castrop. *ibid.* Idem est, dum divisio facta per choros seu latera, ita, ut beneficia sedentium ex choro dextero, seu dexterâ parte chori pertineant ad Episcopum, sedentium ex sinistro ad Capitulum, Castrop. *ibid. n.* 4. citans Gonz. *ubi antè*, *n.* 36. Garc. *n.* 710. Idem quoque est, dum divisio facta per annos, Castrop. *n.* 6. Garc. *n.* 714. Gonz. *n.* 55.

2. Respondeo secundò, si divisio facta per menses, ita ut unus mensis competat Episcopo, alter Capitulo, cùm divisio solùm fieri possit circa 4. illos menses citra alternativam ordinarios, Martium, Junium, Septemb. Decembrem, cùm reliqui sint reservati vi primæ partis regulæ, ut alternativa intret, & eâ gaudere possit Episcopus, necessariò ei in hac divisione assignari debent Martius & Septembet, dum loco illorum Papa vi alternativæ concessæ cedat ei 4. alios, nempè Februarium, Aprilem, Augustum, Octobrem, in quibus vacantia beneficia tunc poterit providere vi alternativæ, & turni sibi competentis; nam si ei in divisione assignaretur Junius & December, cùm hi menses non permutentur, sed sint fixi, Episcopus frui nequibit alternativa, ne aliàs Capitulum perderet omnino provisionem sibi competentem; quia perderet eam pro mensibus Martii & Septemb. utpote qui per alternativam reservantur Papæ, ita Castrop. *loc. cit. num.* 5. citans Gonz. *ubi antè*, *num.* 38. quibus non video qualiter obstent, quæ habet Garc. *num.* 712. & ob quæ negat, in hoc casu alternativam habere locum: quòd nimirùm, dum Papa pro duobus illis mensibus Martio & Septembri sibi cessis ab Episcopo vi alternativæ concessæ dat duplum, nimirùm 4. menses, adeóque non servetur proportio.

3. Respondeo tertiò: si divisio facta per hebdomades aut dies, alternativa etiam respectu Episcopi locum non habet; cùm hæc turni divisio repugnet divisioni alternativæ, utpote quæ facta est per menses, dum una eadémque hebdomada quandoque participet de utroque mense, ordinario & Apo-

sto-

stolico, Garc. *n.* 713. Castrop. *n.* 7. Gonz. *ubi ante*, *n.* 49. possitque etiam hebdomada & dies utriusque, nempe Capituli & Ordinarii occurrere in uno codemque mense.

4. Porrò observandum hîc primò: quod dictum de intrante alternativa, dum simultanea collatio divisa est inter Capitulum & Episcopum, id quoque locum habeat, dum sola electio, nominatio, præsentatio personæ divisa est, & collatio remanet simultanea seu communis, ut contingit in aliquibus Ecclesiis, Garc. *n.* 715. qui etiam in *seq.* idem esse dicit, in jure præsentandi communi Episcopo ratione dignitatis (intellige cum patronis Ecclesiasticis, beneficia enim jurisp. mixti, ubi Episcopus est unus ex compatronis, non cadent sub alternativa; quia non cadunt sub reservatione primæ partis regulæ) per concordiam tamen diviso, ita ut Episcopus tunc quò ad turnum suum possit frui alternativâ quoad præsentandum.

2. Secundò observandum, hæc omnia de intrante alternativa ex parte Episcopi, ubi facta est divisio dicta per turnos, etiam post acceptationem alternativæ, vel tempore, quo de hac acceptatione tractabatur, procedere adhuc, etiamsi dicta concordia seu divisio facta non fuerit confirmata auctoritate Apostolicâ, tradunt Castrop. *loc. cit. n.* 8. Garc. *n.* 726. non obstante præjudicio, quod in hoc videtur fieri Sedi Apostolicæ, dum hac ratione beneficia, quæ ante dictam concordiam erant simultaneæ collationis, adeoque, utpote non liberæ collationis, conferri non poterant, nisi in 4. mensibus ordinariis, jam per dictam concordiam, seu divisionem turnorum evadant liberæ collationis, utpote in quibus solis alternativa locum habet, & consequenter libera à reservatione regulæ reservatoriæ 8. mensium; quia eò ipso, quòd permissum est in jure communi facere hujusmodi concordiam seu divisionem, Episcopus & Capitulum utuntur jure suo, adeoque non committunt in eo fraudem, esto, per accidens inde resultet dictum præjudicium Sedis Apostolicæ, & derogatio dictæ reservationis; quia illud præjudicium venit in consequentiam, & sic non attenditur, juxta *l. si quis nec causam, ff. si certum petat*, & ibi Jason. *n.* 3. & Prob. *ad Monach. in c. in illis, n. ult. de præb. in 6.* Addit etiam Garc. *n.* 727. adhuc intrare alternativam, etiamsi concordia dicta confirmata esset per Sedem Apostolicam cum clausulis: *Reservationibus Apostolicis, & sine earum præjudicio*; cùm clausula illa non ponatur ad tollendam alternativam, sed ad præservandas reservationes Apostolicas, sive 8. sive 6. mensium, & aliàs; ita ut per talem confirmationem non detur jus in reservatis, & sic per illam clausulam potiùs exprimatur id, quod de jure inest.

6. Observandum denique quod ait Pirh. de *præb. n.* 356. quòd cùm collatio canonicatuum in Cathedralibus in mensibus 6. ordinariis, seu non pontificiis, ex consuetudine vel privilegio, aut alio speciali jure spectat ad eadem Capitula, & nullatenus ad Episcopum, quoad hæc beneficia alternativa vix locum habeat, etsi Episcopi apud suas Ecclesias resideant.

Quæstio 583. *Quandonam cesset gratia alternativæ citra abusum illius?*

1. Respondeo in sequentibus: Primò per translationem Episcopi ad alium Episcopatum, ita ut si velit etiam pro isto Episcopatu, ad quem transferuntur, uti alternativa, debeat de novo pro eo Episcopatu eam acceptare; cùm prior acceptatio solùm fuerit pro Episcopatu dimisso, nec etiam fieri possit acceptatio pro Episcopatu futuro, Card. de Luca. *de benef. d.* 93. *n.* 22. Castrop. *p.* 23. §. 5. *n.* 1. Garc. *n.* 484. citantes Gonz. *gl.* 58. *à n.* 18.

2. Secundò per mortem Papæ, vel Episcopi eam acceptantis, ita ut non transeat ad successorem, Card. de Luc. *loc. cit. n.* 21. Chok. *hic gl.* 21. *n.* 1. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Gonz. *ubi antè n.* 17. & Nav. *cons.* 31. *n.* 2. *de præb.* cum enim alternativa sit quidam personalis contractus & mutua obligatio inter Papam & Episcopum, quolibet eorum pereunte, extinguitur, Castrop. *ibid.* Item morte Papæ cessant regulæ Cancellariæ, & jus Ordinariorum revertitur ad terminos juris communis, Castrop. ibid. Card. de Luca *de benef. d.* 16. *n.* 8. & *d.* 31. *n.* 4. & 5. ubi dicit, id esse absolutum principium beneficiale, Garc. *n.* 643. & 644. ubi etiam ait, idem esse, dum Papa renuntiaret Papatui; cùm talis renuncians quò ad hoc habeatur pro mortuo, & mors civilis æquiparetur naturali, citat pro hoc Æn. de Falc. *q.* 5. §. 1. *n.* 8. Paris. *cons.* 19. *à n.* 9. *l.* 4. Mand. *ad reg.* 30. *q.* 7. *n.* 14.

3. Tertiò per renunciationem illius, si ea à Papa acceptetur, de quo dictum paulò supra, Castrop. *loc. cit. n.* 2. An autem Episcopus, qui post acceptatam alternativam obtinuit indultum à Sede Apostolica, ut possit conferre beneficia vacantia in omnibus mensibus, per tale indultum censeatur renunciare alternativæ, dubitatur; negant id probabiliùs Gonz. *gl.* 53. *ex num.* 43. Caputaq. *decis.* 309. *p.* 1. Gimon. *de indult. Card. §. volumus, n.* 11. apud Garc. *n.* 737. qui iis consentire videtur; eò quòd alternativa non sit incompatibilis cum indulto conferendi in omnibus mensibus.

Quæstio 584. *An, & qualiter amittatur alternativa per abusum illius?*

1. Respondeo primò: censeri abusum, & amitti alternativam, si Episcopus se intromiserit in provisionem beneficiorum, quæ per hanc regulam vel aliàs Sedi Apostolicæ reservata sunt, (vel etiam affecta, Corrad. *in pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *nn.* 32. & alii passim) aut eorum provisioni impedimentum quoquo modo præstiterit, ne debitum effectum consequatur; sic habet text. reg. Per quæ verba duplex abusus indicatur, Lott. *l.* 2 *q.* 41. *à n.* 2. Chok. *hic gl.* 20. *n.* 2. Primus insinuatus istis verbis regulæ: *Se intromiserit*; consistens nimirùm in eo, quòd Episcopus de facto attentet conferre vacantia in mensibus Apostolicis, vel aliàs quomodolibet reservata, in quo casu videtur simpliciter abuti privilegio, indéque ingratitudinis notari. Alter istis verbis: *Aut impedimentum præstiterit*; dum nimirùm nititur impedire effectum gratiæ Apostolicæ, quod secundum licèt minùs frequens videri posset, cùm Episcopus, qui non contulit, raró se opponat provisionibus Apostolicis, gravius tamen, ut ait Lott. *n.* 3. implicat delictum, & est scelus sceleri addere, ut Lott. *n.* 7. quod credo intelligit, dum & ipse Episcopus contulit reservatum, & insuper factam de eo provisionem Apostolicam nititur impedire. Ad hunc secundum abusum spectat, velle de substantia ipsius gratiæ cognoscere, dum ipsi Episcopo est demandata executio; cùm de judicio Sedis Apostolicæ velle judicare, præfractæ sit audaciæ, juxta *c.* 2. *de confirm. utili vel inutili*, Lott. *n.* 7. & 8. Item huc spectat, ad quod etiam potissimùm respexisse videtur regula, dum executio alteri mandata est, & hanc impedit Episcopus, in quo adhuc graviùs delinquit, Lott. *nn.* 11. Hanc quoque pœnam amissionis alternativæ intrare, dum Episcopus sese intromitteret scienter in provisione beneficiorum, non quidem reservatorum, jure tamen præventionis provisorum, sive validè sive invalidè; eò quòd licèt ea aliàs reservata non sint, per appositionem tamen manus Papæ manent affecta, & sic intret privatio regulæ, quæ loquitur de beneficiis reservatis vel affectis, Garc. *n.* 761. Non tamen intrabit hæc pœna, dum Episcopus scienter se intromittit in provisione beneficii litigiosi, contra *c.* 1. & 2. *ut lite pendente, in 6.* eò quòd beneficia litigiosa non sint reservata, licèt durante lite prohibeatur Ordinarius ea conferre: regula autem solùm privat alternativa intromittentes se in provisione reservatorum, vel affectorum, quæ pœna non est extendenda, Garc. *n.* 760.

2. Porrò limitanda est responsio, ita ut, si Episcopus contraveniret, & violaret alternativam ex proposito, & data opera in fraudem ad eximendum se ab alternativa, de cujus acceptatione forsan

eum pœnitebat, licèt statim amittat alternativam quoad se, & in sui damnum, non tamen quoad Papam; quia fraus & dolus nemini patrocinari debet, nisi Papa talem renunciationem acceptâsset, Garc. *n.* 750.

Quæstio 585. *An Episcopus propter talem contraventionem vel abusum non solùm privetur alternativa, sed & 4. mensibus ordinariis, nimirùm Martio, Junio, Septemb. Decemb.*

Respondeo negativè; sed statim Episcopus restituitur, seu redit ad 4. illos suos menses, & Papa ad 8. prout priùs ante acceptationem alternativæ, Chok. *hic gl.* 20. *n.* 6. citans Mand. *conf.* 21. *nu.* 1. & Anton. Augustinum *in suo repertorio, verbo alternativa.* Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *nu.* 40. Garc. *nu.* 746. & 749. ex Gonz. *gl.* 66. *n.* 149. Addit tamen Garc. quòd, ut Episcopus in hoc casu gaudeat dictis 4 mensibus ordinariis, necesse sit, certiorem facere Papam seu Datarium de amissione alternativæ, vel ei coram illis renunciare, nisi aliàs Papa amissionem acceptâsset expressè & dispositivè.

Quæstio 586. *Num dicta pœna incurratur ipso jure absque omni sententia?*

1. Respondeo: videtur probabilius, quòd in his casibus ipso jure, mox à commisso delicto gratia & usu alternativæ destitutus existat, ac si nunquam eam habuisset, ac consequenter provisiones prætextu illius deinceps faciendæ sint nullæ, Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 34. (ubi etiam quòd non tantùm privatus sit jure conferendi, sed & quasi possessione, & hoc ipsum significatur per *Tonsu*) Garc. *nu.* 738. citans plores Rotæ decis. Chok. *cit. gl.* 20. *à n.* 5. citans Gonz. *gl.* 56. *n.* 119. vel ut eum citat Lott. *n.* 29. Lott. *loc. cit. n.* 12. & *seq.* contra Castrop. qui tenet, requiri ad minimum sententiam declaratoriam delicti, & usque ad illam per talem validè conferri beneficia sibi aliàs vi alternativæ competentia; ne sid in pœnam delicti non possit; etiam ante dictam sententiam cogeretur pœnam promeritam ipse in se exequi. Ratio responsionis desumitur ex illis verbis regulæ: *Eo ipso*, quæ important privationem à lege ipso jure & latæ sententiæ absque ministerio alio, juxta Gl. *in c. quamsit, v. eo ipso, de elect. in* 6. Chok. & Lott. *ll. cit.* Et pœnæ impositæ ipso jure seu ipso facto, quæ consistunt in onere, privatione, & non requirunt actionem seu executionem positivam, qualis est pœna, de qua hic, statim incurruntur absque alia executione & sententia, juxta c. *Rudolphus, de rescriptis.* Garc. *nu.* 744. & 748. & ex eo Chok. *cit. n.* 4. Lott. *loc. cit. n.* 30. & *seq.* ubi *n.* 31. quòd neque ulla opus sit intimatione facta Episcopo, quod deliquit; cùm is non possit ignorare aut factum, quod ab ipso processit, aut dispositionem juris, & consequenter se amisisse privilegium; sive factum consistat in mero simplici abusu, (generaliter siquidem statutum, privilegium ei non prodesse, qui eo abutitur, *l. nullos, l. Judæi, c. de Judæis.* Surd. *decis.* 307. *num.* 9.) sive ipsum factum consistat in actibus è diametro contrariis, & cum ipso privilegio incompatibilibus, quo casu censetur eidem privilegio renunciatum: Atque ita intimatio non debet fieri scienti, ubi ea ad alium finem non requiritur, quàm notificandi, Lott. *nu.* 36. citans Menoch. *cons.* 1004. *num.* 6. Tiraq. *de retract. consang.* §. 36. *gl.* 2. *num.* 30. &c. Quin etiam addit Garc. *cit. nu.* 748. quòd hæc procedant, sive contraventio Episcopi sit notoria, sive non; adeòque verum non esse, quod tradit Gonz. nimirum quòd, quando contraventio Episcopi non est ita notoria & clara, ut nulla tergiversatione possit celari aut controverti, necessaria sit judicialis declaratio, citato & audito Episcopo; eò quòd licèt privatio induceretur ipso jure per hanc regulam, nihilominùs requiratur sententia declaratoria prævia summariâ causæ cognitione de contraventione. Quamvis admittat Garc. quòd ubi agitur de beneficio, debeat contraventio Episcopi & amissio alternativæ concludenter probari per eum, qui se in eâ fundat, & consequenter Judex super ea judicare, saltem tacitè. Addit etiam Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 34. quòd etsi opus non sit declaratione ad pœnam amissionis incurrendam, negari tamen non posse, quin collationes factæ contra formam hujus regulæ, & per abusum alternativæ, quandoque per Papam invalidæ & irritæ declarentur, ut ostendit Gregor. XIII. in Archiepiscopo Hispal.

2. Verumtamen etiam responsio nostra limitanda est primò, ut non procedat, ubi Episcopus contraveniens habuisset justam seu coloratam causam ignorantiæ vel excusationis ad providendum de beneficiis reservatis, Chok. *gl.* 20. *nu.* 5. citans Gonz. *gl.* 56. *nu.* 128. & dicens, id illum variis modis exemplificate, Garc. *num.* 738. & 752. ubi, quòd dum se Episcopus intromittit in provisione beneficiorum reservatorum Papæ propter ignorantiam reservationis, ea ignorantia eum præserver ab amissione alternativæ, si fuerit ignorantia probabilis facti, ut quia v. gr. ignorabat, defunctum fuisse officialem Papæ, aut familiarem Cardinalis, vel quia verisimiliter credidit, defunctum in longinquis partibus decessisse in suo mense, quia de hoc fama erat; vel quia putabat, Sedem Apostolicam vacare, citat pro hoc Gonz. *gl.* 56. *num.* 128. Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 38. Idem esse dicit Garc. si reservatio esset secreta & particularis, cujus datur justa ignorantia. Quòd si tamen talis ab initio justè ignorans, postquam postmodùm certus factus fuit de reservatione, & quòd nullatenus providere potuerit, procedat ad ulteriorem effectum suæ provisionis, v. gr. mittendo provisum à se in possessionem, amittat eo ipso alternativam; eò quòd jam scienter impedimentum præstet, ne provisio apostolica effectum consequatur, Garc. *nu.* 756. & 757. ex Gonz. *gl.* 56. *num.* 141. Ait tamen Garc. *cit. nu.* 757. sibi non placere alterum, quod *ibid.* tradit Gonz. nimirùm tali modo talem amittere alternativam, ubi post acceptam notitiam talem à se provisum & missum in possessionem non cutaverat, quantùm in se est, à possessione tali removere, ut ea vacua maneat, & ne provisus Apostolicus in ea capienda impedimentum habeat. At si ignorantia sit juris, v. gr. quia ignorabat, reservationem in jure, aut in regulis Cancell. & constitutionibus Apostolicis contentam, amittit alternativam, saltem in foro exteriori; quia ignorantia juris non excusat, nisi sit ignorantia juris dubii, & obscuri, cujus error est probabilis & justus, & æquiparatur errori facti, juxta Bellamer. *de permut. p.* 11. *q.* 4. Garc. *num.* 753. Secus tamen etiam est in foro conscientiæ, ubi Episcopus ex ignorantia juris se intromisit, sincerè tamen & bonâ fide, & dum non impugnantur provisiones per talem vigore alternativæ factæ, Garc. *num.* 754. cui non obstat, quòd ignorantia juris non dubii non excuset, etiam in conscientia à devolutione, ut Rota; quia devolutio inducitur, non delictum; sed ob negligentiam, quæ etiam dari videtur in ignorante jus, Garc. *num.* 755.

Quæstio 587. *An saltem ad hoc, ut reipsâ incursa censeatur hæc pœna amissionis alternativæ, requiratur intimatio desuper facta Papæ, ejusdemque declaratio seu acceptatio illius amissionis, ut hæc amissio sortiatur effectum, cùm Papæ possit interesse, alternativam in Episcopo conservari, inductaque sit hæc privatio alternativæ, non tantùm in odium Episcopi, sed & in favorem Papæ; ea autem, quæ in favorem alicujus annullantur, effectum non habeant, quousque ipse annuat irritationi, ut pluri-*

bus

bus exemplificat Gonz. gl. 56. n. 40. *apud Castrop.*

1. Respondeo negativè, Castrop. *cit.* §. *5. nu.* 7. Garc. 746. & 747. citantes Gonz. *gl.* 56. *nu.* 124. Corrad. *pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *nu.* 34. Lott. *l.* 2. *q.* 41. *à num.* 14. Papa enim per ipsam hanc regulam satis declarat intentionem & voluntatem suam, ut Episcopus eo ipso, quo abusus fuerit alternativâ, eâ privatus existat, unde cùm jam habeamus claram, expressam, & indubitatam, frustra exigitur nova declaratio, Castrop. Garc. *ll. cit.* Additque rectè Castrop. hujus contrarium esse, nimirum consensum Illius, in cujus favorem à lege fit annullatio, dum is à legislatore distinctus est, cùm tunc illius consensus per legem non exprimatur. Addit etiam Garc. nunquam auditum, talem declarationem Papæ aliter factam fuisse, quàm per regulam ipsam, esseque valdè absurdum, imponere Papæ hoc maximum onus declarandi de novo in specie cuilibet Episcopo contravenienti, quod per legem generalem & expressam jam omnibus declaravit: maximè, cùm eo ipso, quòd Episcopus acceptavit alternativam cum conditionibus & gravaminibus in ea contentis, jam habuerit plenissimam notitiam de intentione & declaratione Papæ, seque ipsum subdiderit pœnæ absque alia nova declaratione. Censet nihilominùs Castrop. *loc. cit. num.* 8. Episcopum sic amittentem alternativam obligatum esse, Pontificem vel ejus Datarium monere de amissione, ne aliàs Papa illudatur, & jus el quæsitum derogetur, dum is inscius amissionis hujus, non provideret in mensibus alternatis Episcopalibus, &ècontra provideret in Mensibus Martii & Septemb. putans sibi competere. Unde ait talem Episcopum non monentem non posse in Mensibus Martii & Septemb. aliàs ordinariis providere. Idem tenet Garc. *num.* 749. Quin & , dum Episcopus datâ operâ abusus fuisset alternativâ, & hinc eam quò ad se, ut dictum suprà, amitteret, adhuc opus esse certiorare Papam in ordine ad effectum amissionis, & ut Ordinarius providere posset in 4. his mensibus, satis indicat Garc. *num.* 750. Nec sufficere certiorationem de violatione, nisi etiam fieret mentio de fraude & animo, quæ facta est; & nihilominùs Papa eam acceptaret.

2. De cetero rectè ex his infertur, provisiones à tali Episcopo factas vi alternativæ post eum abusum statim ante omnem Papæ acceptationem & scientiam de contraventione, & hinc secuta amissione, esse nullas, perinde, ac si Episcopus nunquam acceptâsset alternativam. Neque verum, quod tradont Felin. *in c. de quarto, de præscrip. num.* 33. Navar. *in Man. c.* 23. *n.* 104. Gonz. *gl.* 56. *num.* 124. aliique apud Garc. *num.* 745. provisiones interim vigore alternativæ factas, esse in pendentia, ita ut Papâ acceptante postea amissionem, censeantur nullæ à principio; collatio siquidem est actus legitimus, qui non debet esse in pendenti, nec vagari in incerto, juxta *c.* 2. *de elect. juncta gl.* Garc. *cit. num.* 745.

Quæstio 588. *Qualiter subveniatur tali Episcopo, qui amisit alternativam per abusum, si eam iterùm habere velit. Item provisis ab illo?*

1. Respondeo ad primum, debere illum accurrere ad Papam narrando, qualiter, cùm haberet alternativam acceptatam, eam amiserit per contraventionem, & petendo eam iterùm sibi concedi de & ex gratia speciali, Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *n.* 751. Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 4.

2. Respondeo ad secundum, taliter provisis dandam novam provisionem, si ita Papæ placuerit, cum annullatione possessionis captæ, attento decreto irritante hujus regulæ, quod inficit titulum & possessionem, adeò, ut sic nulliter possidentes nequeant uti aliquo ex remediis possessoriis, nec in summariissimo manutentionis, in quo solent exceptiones admitti. Corrad. *in pr. benef. loc. cit.*

Quæstio 589. *Num præter reservationes contentas in corpore juris & regulis his Cancell. dentur reservationes quorundam aliorum beneficiorum?*

Respondeo: præter illas nullas esse alias generales, seu per legem sancitas, nisi quæ apponuntur in pœnam alicujus delicti. Castrop. *loc. cit. p.* 24. *n.* 1. Sic primò ob crimen hæresis vacat ipso jure beneficium, & Papæ reservatur, ex constit. Pii V. *cùm ex Apostolatus. datâ* 6. *Calen. Feb.* 1566. Secundò ob crimen Simoniæ vacat & reservatur ex Constit. Pauli III. *Sanctissimus*, quod fortiùs procedit in Simonia confidentiali, ob quam non solùm beneficium sic obtentum, sed etiam omnia illa, quæ confidentiarius obtinebat tempore commissi delicti, reservantur, juxta Constit. Paul. IV. *Romanus*. Pii V. *Intolerabilis*. Tertiò beneficia parochialia, in quorum collatione servata non fuit forma præscripta à Trid. reservantur ex Constit. Pii V. Quartò reservantur beneficia ob non factam publicationem resignationum juxta formam præscriptam in Constit. Gregor. XIII. *Humano.* &c. Quintò beneficia offendentis litigantes in Curia Rom. & eorum Judices, Advocatos, Notarios, testes, Procuratores, ex Constit. Alexan. VI. *In eminentia.* Sextò beneficia collata personis inhabilibus ex aliquo privilegio à Papa concesso, vel ex instituto à Sede Apostolica confirmato, v. g. si esset statutum excludens à beneficiis descendentes ex sanguine infecto, vel ex condemnato hæresis, & tali conferretur beneficium, nulla esset provisio, & beneficium maneret Papæ reservatum, ut habetur in Constit. Gregor. XIII. *In Ecclesia. datâ Idibus Novemb.* 1580. Septimò beneficia eorum, qui seipsos pro aliis examinandos supponunt, vel pro consequendis beneficiis annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur; vel quando pro se ipsis impetrant beneficia, cum intentione illa resignandi, ut habetur in Constitut. Paul. IV. *Inter cetera. datâ.* 27. *Novemb.* 1557. Octavò beneficia ob non delationem habitus clericalis, juxta *Extrav. Sixti V.* quæ est 92. *in Bullario.* Denique beneficia, quæ Cardinales vi suorum indultorum contulerunt, si ipsi beneficiati citramontani intra 4. menses, ultramontani intra 8. novas provisiones à Sede Apostolica non obtinuerint, literásque Apostolicas non expedierint; quia sic in indultis Cardinalium habetur. Ita ferè Castrop. *l. cit.* ubi *in reg.* addit, horum beneficiorum vacationem, quia est in pœnam delicti commissi, locum non habere, quousque delictum declaretur; eò quòd censuræ, utpote medicinales pœnæ, absque ulla declaratione Judicis contrahantur, reliquæ pœnæ, etiam privativæ, hanc declarationem prærequirant, quæ declaratio retrotrahitur à puncto commissi delicti. Citat se ipsum *in tr. de LL.*

PARAGRAPHUS IX.

De reservationibus factis per Concordata Germaniæ.

Quæstio 590. *Unde hæc concordata?*

Respondeo: ob dissidentes diro inter se schismate Germaniæ principes (dum eorum alii Concilio Basileensi, quod Eugenius IV. auctoritate suâ dissolverat, & Antipapæ Felici adhærebant; alii cum Friderico III. Imperatore neutrius partes sequentes, neque Eugenii, neque Felicis, dici volebant neutrales) rebus in Germania, & inter cetera quoque quò ad beneficiorum provisiones turbatissimis: dum ut ait Bzovius ad annum 1444. Collatores ordinarii ea pro arbitrio suo providebant. Cæpta desuper quoque tractari concordia, missis ab Eugenio Francofur-

eofurtum legatis Anno 1446. (cui conventioni quinam præter Imperatoris legatos interfuerint Germaniæ principes, tum Ecclesiastici, tum sæculares, vide apud Nicolart. *in proœm. ad Concord. Germ.*) eáque inita, & compositionis hujus Concordata ab eodem Eugenio in Consistorio approbata, editâ desuper paulò ante obitum constitutione. Ac denique quò ad beneficiorum provisiones à Nicol. V. ejus successore plenè certóque modo confirmata anno 1448. per Bullam, quæ incipit: *Ad sacram Petri Sedem*, & ponitur in Bullario prima inter constitutiones ejusdem Papæ. Nicolart. *loc. cit.* Pith. *de præb. num. 357.* Engels *tit. eod. num. 4.* Eorundem deinceps Concordatorum observantia variorum, tum Pontificum constitutionibus, tum Imperatorum diplomatibus roborata, putà, Pii II. *de data 1458. 13. calen. Febr.* Sixti IV. *de data 1479.* Maximil. I. *de data 1518. 11. Jul.* qua distinctè mandat, ea sedulò observari per districtum Leodiensem, ubi fortè dicta observantia nonnihil violata, Caroli V. *de anno 1554. 9. Febr.* respectu districtûs Cameracensis, cum severa inhibitione, ne aliter, quàm juxta hæc Concordata provisi recipiantur, sed ut intrusi rejiciantur. Nicolart. *ad hæc concordata tit. 3. dub. 1.* Chok. *ad Reg. 8. gl. 81. num. 2.* Zipæ. *consult. Can. l. 3. consult. 5.* ex Wames. *cons. 33.*

Quæstio 591. Ad quas Ecclesias se extendant hæc Concordata?

1. RESpondeo primò, aliquas esse Ecclesias, quæ sub his concordatis continentur per viam comprehensionis, ut sunt Ecclesiæ nationis Germanicæ; alias verò esse Ecclesias, quæ sub eisdem concordatis continentur per viam extensionis seu communicationis. Lott. *l. 2. q. 28. num. 62.* taliter, ut Lott. *ibid. num. 63.* sub concordatis Germaniæ per viam extensionis continetur Ecclesia Virdunensis, ut firmavit Rota *in Virdunensi Episcopatûs. 11. Novemb. 1593.* Item Ecclesia Metensis, ut Rota *in Metensi Eleemosynaria. 17. Decemb.* 1612. Item secundùm aliquos Ecclesia Genuensis, de quo Gemin. *cons. 56.*

2. Respondeo secundò: Concordata hæc non extendere se ultra Imperii Germanici fines; quippe enim solo Imperatore & Principibus Germaniæ nomine solius nationis Germanicæ inita. Nicolart. *loc. cit.* §. 2. citans Wames. *consilior. can. 10. 1, cons. 246. num. 16. & cons. 255. num. 10.* Zip. *loc. cit. tit. de præb. consult. 3. 5. 6.* pacta siquidem non nisi partes contrahentes ligant, nec ultra extenduntur, aut aliis prosunt vel obsunt, juxta *l. 2. c. res inter alios acta.* Unde jam mirum non est, ea locum non habere in provinciis Belgii, utpote quæ de Imperio non sunt, neque unquam ab earum Principibus aut prælatis acceptata, si exceperis Ecclesias Nivellensem, quæ Principatus est Imperii, & fundationis imperatoriæ: Cameracensem, quæ feudum est Imperii ac Principatus, nationis Germanicæ membrum: & Trajectensem ad Mosam (quæ urbs etsi primitus, ut Nicolart. *loc. cit.* ex Zipæo, à Philippo II. Imperatore beneficiario jure concessa Henrico Duci Brabantiæ, & demum firmiter à Carol. V. eidem Brabantiæ annexa, non tamen desierat quò ad spiritualia ac temporalia subesse Leodiensibus, indivisa ibidem jura possidentibus, adeóque minimè mirum eandem Ecclesiam Cathedralis suæ mores imitatam Concordata Germaniæ recepisse) Nicolart. *cit.* §. 2. Zipæ. *juris pontif. l. 3. de instit. n. 11.* & *consult. Can. l. 3. consult. 3. à num. 21.* ubi etiam per totum fusè probat, qualiter hæc concordata specialiter in Brabantia nunquam acceptata sint, aut specialiter obtinuerint, ac proinde etiam literæ illæ Maximiliani & Caroli V. Leodienses & Cameracenses collatores non obligârint quò ad beneficia in Brabantia sita, nec pœnas Banni, aliásque in iis contentas locum ibidem habere. Sed neque memoratas Ecclesias Nivellensem, Cameracensem, aliáque similia loca, dum olim subfuêre Imperio, modò ex translatione fortè ad alterius dominium primæva amisisse privilegia, (intellige Concordatorum) ait Nicolart. citans Chok *ad preces primarias. in proœm.*

3. Respondet tertiò Zipæ. *l. 3. juris pontif. loc. cit.* Concordata hæc se non extendere ad omnes Ecclesias Germaniæ, eò quòd earum plures gaudentes fortè amplioribus, & sibi convenientioribus privilegis Concordata illa nunquam acceptârint, ut Herbipolensis, Bambergensis, occasione cujus,

Quæstio 592. An igitur ad hoc, ut Concordata hæc obtineant, requiratur acceptatio, eáque sit libera, etiam hodiedum adhuc?

1. REspondet ad primùm affirmativè Zipæ. *cit. consult. 3.* ita ut, dum dicitur in initio horum Concordatorum, ea iniri nomine nationis Germanicæ, id eatenus solùm obtineat, ut includantur, qui declarant, se ea acceptare. Idem sentit Chok. *ad reg. 8. gl. 11. num. 15.* dicens: necesse est, ut illa expressè sint acceptata (intellige à particularibus Ecclesiis, ut Zip.), ut patet ex verbis illis *reg. 8. Cancell. & per eos, qui illa acceptare & observare debuerint, acceptata:* citat pro hoc Nav. *cons. 1. de constitut. n. 23.* Quemadmodum enim alteri facta stipulatio non procedit, nisi dum per personam publicam facta (uti facta in præsenti concordatio per Imperatorem & Principes quosdam nomine nationis Germanicæ) acceptetur ab eo, in cujus favorem facta, Zipæ. *cit. consult. 3. n. 4.*

2. Respondet quoque ad secundum Zipæ. *loc. cit. n. 5. & 6.* quòd tametsi igitur dicta acceptatio necessaria sit ad hoc, ut collator gaudeat & includatur his concordatis, liberum tamen fuerit, & sit Ecclesiis, earùmque Prælatis & Collatoribus hæc Concordata acceptare vel non, & ita iis includi vel non includi, pateátque hoc ipsum ex eo, quòd ad finem horum Concordatorum detur facultas ea acceptandi iis, qui uti & gaudere eisdem voluerint; quod sanè foret frustraneum, si ex prima partium (quæ partes fuerunt hinc inde Legatus Apostolicus ad hoc sufficiente auctoritate suffultus à Papa, & Imperator cum nonnullis principibus Germaniæ) approbatione, conclusione, acceptatione, ceteræ dein particulares Ecclesiæ & Collatores obligati & coacti fuissent ea acceptare, aut acceptâsse citra propriam libertatem censerentur. Sed neque Imperatorem, Germanos seu subditos Imperio obstrinxisse ad acceptanda hæc concordata, neque expressè, neque tacitè acceptando illa, sed arbitrium acceptandi, illa reliquisse, ait ibid. *num. 7.* Zipæ. etsi specialiter postmodùm Episcopi Leodienses, & Cameracenses, aliíque in eorum Diœcesibus Collatores ea non satis observantes jussi sint, ut dictum, à Maximiliano & Carolo V. ea deinceps sedulò observare, de quo vide Zip. *loc. cit. num. 33. in fine.* Ac proinde argumentum, quòd Rex contrahendo pacta publica & fœdera pro regno aut natione subditos suos obliget, locum hic non habere: Quin & dum principes quidam, etiam Ecclesiastici unà cum Imperatore hæc Concordata acceptârint, non quà Ecclesiastici, sed ut principes id fecisse, cùm, si contraxissent ut Ecclesiastici, nominati fuissent Archiepiscopi, Episcopi &c. ait Zip. *ibid. n. 2.* Horum verò contrarium esse in concordatis Galliæ, utpote in quibus solus Rex absque interventu ullorum Magnatum contraxit & concordavit cum Papa, & in quorum Concordatorum fine nequaquam concedatur facultas ea acceptandi & iis gaudendi, sed potiùs in iis à Papa & Rege mandetur omnibus istius Regni subditis illa observare, & sic totum Regnum Galliæ ab acceptatione Regis & publicatione ligârunt citra ullius alterius arbitrium & acceptationem; constitum enim per Leonem X. ipso Rege, nempe Francisco in protectorem, defensorem, & conservatorem literatum & Concordatorum horum adversus omnes contrarium illis attentantes, tradit Zip. *cit. consult. 3. num. 3. & 6.* Qui etiam *ibid. num. 31.* hanc ulteriorem quò ad hoc punctum addit differentiam inter Galliæ & Germa-

niæ

niæ concordata: quòd nimirum concordata Germaniæ non sint lex aut constitutio, sed contractus respectu Papæ & Imperatoris aliorúmque principum; respectu verò Nationis seu subditorum privilegium contineant, quo ante factæ beneficiorum reservationes multifariam restringuntur, & Collatoribus amplior potestas tribuitur; ècontra concordata Galliæ respectu quidem Papæ & Regis contractus sint, sed respectu subditorum legem & præceptum absolutum contineant, datque etiam hujus discriminis hanc rationem vel potius occasionem: quòd nimirum auctoritas & superioritas, quam Rex Galliæ habet in suos, longè distet ab ea quam Imperator exercet in principes, sub Imperio comprehensos, dum sub natione Germanica multi sint principes Ecclesiastici & sæculares regalia in suis terris obtinentes, & ordinationibus Imperatoriis non ita subjecti, & hinc Imperator non ita, ac Rex Galliæ, eminenter continens subditorum consensum & absolutam imperandi auctoritatem, non potuerit ita nomine Imperii seu nationis Germanicæ contrahere, & subditis absolutam observantiam imperare: Atque ex his jam sequitur, eoipso aliquem non comprehensum his Concordatis, iisque uti posse, quòd modò aut olim tempore Concordatorum comprehensus sit vel fuerit sub Imperio: sed ut iis uti possit & debeat, requiritur, ut doceatur de expressa, vel saltem tacita (quæ ex observantia subsecuta ut plurimùm argui solet) acceptatione, ut Zip. *juris pontif. l. 3. de institut. n.* 11.

3. Respondet etiam ad tertium conformiter prioribus Zip. *cit. l. 3. de institut. num.* 11. nullam in Concordatis dari clausulam præscriptivam temporis, intra quod debeant acceptari, & tamen dari facultatem ea acceptandi; adeóque facultatem ea acceptandi esse perpetuam, & durare adhuc hodie. Porrò verba illa Concordatorum ad finem apposita: *tempus congruum habeant ad acceptandum*, refert Zipæus ait, ad effectum primæ publicationis, ut nimirum statim innotescere possent, & tempestivè acceptari, antequam currere inciperent. Quamvis hanc facultatem acceptandi concordata in fine eorundem appositam esse velint Branden, Leoninus &c. *ll. citandis*, propter eos, qui etsi essent nationis Germanicæ, tempore tamen Concordatorum non agnoscerent superioritatem Imperii.

4. De cetero præcedentibus omnino contrarium (& ut videtur probabilius) tenent Leoninus. *conf.* 50. Georg. Branden *in Concordata. q.* 2. 3. 4. 5. Nicolart. *in ead. Concord. tit.* 3. *dub.* 1. & 2. *ferè per totum*, citans inter alios Crescent. *decis.* 2. *de privileg.* Mohed. *decis.* 23. *num.* 4. *de præb.* quibuscum sentire videtur Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *num.* 12. nimirum Concordata hæc per Romanorum Regem seu Imperatorem, aliósque Germanos principes totius nationis Germanicæ nomine cum Papa contracta, conclusa, probata, acceptata, non solùm vim pacti & contractûs, sed & (ut expressè Nicolart. *cit. dub.* 2. §. 2. citans *Gail. l.* 2. *observat.* 127. *num.* 8. Paris. *cons.* 11. *num.* 56. *volum.* 1. &c.) legis communi concordiâ Papæ & Imperatoris, aliorúmque Principum Eccles. & secularium latæ pro pace, unione, & tranquillitate Rom. Ecclesiam & Imperium inter obtinere; adeóque omnes Imperii subditos velint, nolint, obligare, absque eo quòd opus sit aut fuerit particulari subditorum acceptatione, ac proinde, ut ibid. Nicolart. ex Brand. *q.* 4. inane sit judicium allegando non usum seu non acceptationem.

Quæstio 593. *An præscriptione aut contrariâ consuetudine his concordatis derogari possit?*

1. RESpondeo: inhærendo posteriorum horum Auctorum sententiæ, negativa tenenda est, eáque tutior, pro qua sunt sequentia argumenta: Primò usus & observantia universalis, in quo, ut videmus apud plerasque, si non omnes Germanico Imperio subjectas Ecclesias & ditiones, sunt hæc concordata, cùm factæ secundùm illa beneficiorum provisiones sine contradictione effectum sortiuntur ubique, impedit particularem præscriptionem ex vi inseparabilis connexitatis, quam habent inter se partes & totum. Nicolart. *cit. dub.* 2. §. 3. ex Leonino.

2. Secundò jus publicæ utilitatis, unionis & tranquillitatis, quæsitum ex concordatis universi Imperii, qui nullis subditorum vel privatorum pactis mutari aut tolli potest, ita nec præscriptione, vel consuetudine, adeò, ut particulares, nec expressè consentiendo in derogationem concordatorum, nec tacitè per non usum sese à nexu & vinculo horum concordatorum eximere possint; ut patet in Clericis, nec expressè, nec tacitè privilegium fori à se abdicare valentibus; quia hoc universitati Clericorum commune est. Leonin. & ex eo Nicol. *loc. cit.*

3. Tertiò contra pontificias reservationes, tam regularum Cancell. maximè octavæ, quàm horum Concordatorum, nulla admittitur præscriptio aut consuetudo contraria, vel non usus, etiam immemorialis; non solùm, quia in genere contra ordinationes, constitutiones, & leges pontificias nullo non usu seu consuetudine contrariâ præscribitur, sine certa & positiva scientia Papæ, & illius expresso consensu, & ad inducendam consuetudinem, dum Papa potestatem suam non habet à populo, ut principes sæculares, sed immediatè à Christo, adcóque constitutiones ejus nullâ egent subditorum approbatione, & consensu, seu usu, receptione; sed mox ut promulgatæ innotuerint, etiam absque eo, quòd in singulis provinciis publicatæ sint, vim habeant, habenturque pro effectuatis & usu receptis, & obligant inferiores ad earum observantiam & receptionem. ut Suar. *de LL. l.* 4. *c.* 15. *num.* 3. & *seq.* Dian *p.* 1. *tr.* 6. *resol.* 39. sed & specialiter; quia expressè in iis Papa derogat omnibus juribus, statutis, consuetudinibus contrariis, præteritis & nascituris, dum tollit omnem potestatem conferendi. Brand. *loc. cit.* Nicolart. *loc. cit.* §. 4. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *nu.* 558. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 35. *num.* 21. &c. sic enim expressè in textu concordatorum continetur decretum irritans his verbis: *Et insuper quoque irritum & inane, si secus his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari*, &c. cujus decreti quanta sit efficacia, ita ut annullet, quidquid sit in contrarium, enervétque omnino vim quorumcunque actuum contrariorum subsequentium & observantiæ, introductionémque cujuscunque contrariæ consuetudinis, adeò, ut ipso jure inficiat, nedum titulum, sed & possessionem provisi, & nequidem colorem tribuat judicio possessorio summariissimo manutentionis; quin & ipsos ignorantes afficiat, dictum est supra ad regulas Cancell. Et in specie quò ad præsentem Concordatorum materiam fusè ostendit quamplurimis pro hoc allatis Auctoribus Nicolart. §. 9. accedit quoque huc constitutio *Clem.* 7. *admonet nos.* qui motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaravit, quascunque collationes contra formam concordatorum factas & faciendas imposterum irritas & inanes, nullum titulum vel colorem ipsa beneficia possidentibus tribuisse, aut in futurum tribuere; sed illos pro malæ fidei possessoribus & merè intrusis habendos, & fructus perceptos aut percipiendos nullo unquam tempore suos facere, sed teneri ad eorum restitutionem, in utroque foro. Hujus constitutionis tenorem vide apud Nicolart. §. 12.

4. Tantum igitur abest, ut Pontifices, aut etiam Imperatores consuetudines concordatis Germaniæ contrarias, seu collationes beneficiorum contra eorum formam factas approbârint, aut in eas consenserint; quin potiùs ab initio & postmodum successivis vicibus, ubi de his notitiam habuêre, diversis constitutionibus & edictis eas omnino improbârint, & contraventores ad debitam eorum observantiam & usum pristinum, intentatis etiam gravissimis pœnis, revocârint; sic patet non tantùm in *cit. constit.* Clem. 7. sed & ex Brevi, (cujus tenorem vide apud Nico-

Nicolatt. *cit. dub.* 1. §. 6.) à Clem. 8. transmisso ad Rudolph. 2. Imperatorem 15. Junii 1603. quo eum hortatur circa Præposituram Bremensem perperam à Capitulo contra concordata Germaniæ collatam, ut eadem Concordata tanto, ut ait, pondere sancita nullo modo violari aut imminui patiatur. Item ex Brevi ab Urban. VIII. transmisso An. 1624. ad Legatum suum apud Ferdinand. 2. quo implorat in simili causa dicti Imperatoris auxilium contra Halberstadienses, apud eundem Nicolatt. §. 8. *loc. cit.* atque ita constanter & ubique, ut Pith. *ad tit. de præb. n.* 363. summi Pontifices declarârunt, juxta quod & Rota judicavit semper, provisiones quascunque contra concordata attentatas fuisse nullas & irritas. Patet item, non solùm ex diplomatibus & edictis Imperatorum supra *cit.* sed ex eo, quòd in electione Ferdinandi 4. in Regem Rom. 1653. inter cætera capitulationis puncta sese is expressè obstrinxit, quòd dicta concordata manuteneret, & perpetuò inviolata observari curaret. De quo vide Nicolatt. *loc. cit.* §. 8.

5. Atque ex his jam infertur Primò, quòd provisi contra formam horum concordatorum tueri se non possint beneficio regulæ de annali & triennali possessione ex disertis verbis *cit. constitutionis Clementinæ*; sed, cùm ipso jure privati sint beneficio, non possint illud citra peccatum mortale retinere, verò tenenantur in foro conscientiæ etiam ante sententiam omnem Judicis illud statim dimittere, & fructus perceptos restituere. Nicolatt. *tit.* 3. *du.* 2. §. 14. citans Layin. *Th. Mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 15. *n.* 2. *& seq.* Branden. *q.* 5. *n.* 10. Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *n.* 8. *& ad reg.* 33. *n.* 89. & plures alios.

6. Secundò, Collatores, eósque, qui taliter malè provisos ad possessionem admittunt, præter peccatum mortale, quod incurrunt, teneri ad restitutionem damni, & interesse, quod provisus Apostolicus exinde patitur. Nicolatt. *ibid.* §. 15. citans Garc. *p.* 7. *c.* 16. *n.* 51. Item tales suspensos esse à beneficiorum & officiorum collatione, donec veniam petentes, restitutionis gratiam à Sede Apostolica meruerint obtinere, per *constit. Gregor. XIII.* Nicol. *ibid.*

7. Tertiò, taliter contra hæc concordata provisum non posse ad eorundem beneficiorum titulum ordinari, cùm Trid. *sess.* 21. *c.* 2. decernat, ne quis ad SS. Ordines titulo beneficii promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium sufficiens pacificè possidere; taliter autem provisi, cùm sint merè intrusi, nullum omnino habeant titulum, nequidem coloratum, nec etiam ullam possessionem beneficii. Nicolatt. §. 17. citans Chok. *ad reg.* 27.

8. Tenet nihilominus in contrarium Zipæ. *consult. can. l.* 3. *consult.* 5. *n.* 38. concordata hisce non secus ac alias legibus & pactis præscribi posse non usu, vel contrario usu; ait etiam Engels *ad tit. de præb. n.* 54. quòd licèt ipse putet tutius fore, concordata undequaque observare, & hactenus forsan ob incidentes latéque grassantes hæreses intermissa denuo in usum reducere, interim tamen etiam opinetur satis probabilibus argumentis desumptis à præscriptione (utpote quæ saltem dum 100. annorum est, vel immemorialis, etiam contra Papam procedit. *c. ad audientiam.* 6. *cum vobis. c. si diligenti de præscrip.*) & consuetudine (utpote quæ pari modo, dum est immemorialis, vel etiam nonnunquam quadragenaria, vim habet legibus positivis, etiam canonicis, derogandi) excusari & tutos esse in conscientia, quò minùs ad concordata in aliquibus punctis teneantur, ut v. g. certa beneficia, quæ aliàs vi concordatorum essent de collatione Papæ, Ordinarii Germaniæ conferre possent. Respondet etiam Engels, universaliter verum non esse, quòd decretum irritans inficiat titulum & possessionem; cùm *Extrav. ambitiosæ. de reb. Eccl. non alienand. inter communes.* habeat decreta irritantia actus contrarios, & tamen Doctores passim admittant præscriptionem bonorum Ecclesiasticorum. Ad illud verò quòd arguendi potiùs quàm juvandi sint subditi legum superioris non recipientes, juxta *c. Si decreta d.* 20. dicit id rectè procedere, antequam consuetudo legitimè introducta est, ut tunc Superiores cogant subditos ad legis observantiam, quæ instantia & coactio Superioris adversus non observantes legem si cesset, & interim tempus ad inducendam consuetudinem sufficiens effluat, perit obligatio. Pro quo videndum, quæ aliàs dicuntur de receptione & abrogatione LL. Denique ad *constitut. illam Clem.* 7. ait, ad summum eam habere posse locum in possessione modici temporis, veluti annali & triennali, utpote in qua vix contingere possit, ut quis justam habeat decreti ignorantiam, dum nimirum alicui collatum beneficium contra concordata in tali diœcesi, ubi de cetero integra est concordatorum observantia; secus autem contingit, ubi possessio est longissimi temporis, & quando ordinarii prælati sibi invicem successerunt, & jura ab Antecessoribus suis in se derivata bonâ fide (quam etiam de illis suis Antecessoribus præsumere poterant) Papâ ejúsve legato ne quicquam contradicente, retinuerunt; adeóque alio titulo opus non est, vel certè optimus allegari potest.

Quæstio 594. Quamdiu durent hæc concordata, & quamdiu quis iis acceptatis comprehendi dicatur?

1. Respondeo ad primum: durabunt deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum. Sic habent verba concordatorum. Zipæ. *Juris pontif. l.* 3. *de instit. n.* 11. Sed neque hæc concordata exspirant morte Pontificis. Engels *ad tit. de præb. n.* 48. Pith. *de præb. n.* 357. Unde jam sequitur, quòd, licèt ordinarii collatores possint beneficia reservata per *Extravag. ad regimen.* aliáque conferre, sede papali vacante, id tamen non possint vi concordatorum, quæ per mortem Papæ non exspirant. Engels *loc. cit.* de quo tamen vide ex eodem paulò post dicenda.

2. Respondeo ad secundum: cùm concordata acceptata in pactum transeant, sine mutuo consensu solvi non possunt, ut satis indicare videntur ipsa eorum verba. Zipæ. *consult. can. l.* 3. *consul.* 5. *n.* 7. Tradit nihilominus idem Zipæ. *ibid. n.* 37. *&* 38. licere privatis etiamnum redire ad sua jura, rejectâ acceptatione & usu concordatorum per se & Antecessores facto, & sic favori pro se introducto per concordata (cùm manifestum sit, utilitatem etiam privatam concordatis immixtam esse) & quòd ad se renunciare: multóque magis, si longo jam usu contrarium est consuetum, licere in eo casu remanere.

Quæstio 595. An, & qualiter Papa Concordatis Germaniæ derogare possit, aut soleat?

1. Respondeo primò, absolutè loquendo, posse Papam ex plenitudine potestatis, ob gravem extraordinariam, publicámque bonum, seu Ecclesiæ necessitatem concernentem causam iis derogare. Pith. *de præb. n.* 366. Laym. *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Branden *ad concord. q.* 8. Nicolatt. *tit.* 3. *dub.* 3. §. 5. Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *n.* 21. citans Maod. *in reg.* 2. *q.* 2. Simonet. *de reserv. q.* 1. *n.* 5. *& q.* 99. *n.* 23. & latissimè Wamesf. *consf.* 255. *n.* 3. *& seq.* apud eund. Chok. Idque etiam extra Concilium generale, ut Auctores iidem; cùm ei, tanquam supremo Christi in terris Vicario, libera sit & plenissima ligandi & solvendi potestas, quæ ut ait Card. de Luc. *in miscellan. Eccl. d.* 1. *n.* 7. per nulla quantumeunque ampla indulta, etiam per speciem contractûs vel concordatorum in iis, quæ juri divino clarè non adversantur, ligari potest; sed neque summam hanc absolutámque à Christo immediatè acceptam potestatem, de rebus, præsertim beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, in Ecclesiæ utilitatem disponendi & dispensandi per nulla pacta à se abdicare, aut ei renunciare posse, quin semper penes se majorem retineat. Nicolatt. 10. citans Gonz. *ad reg.* 8. §. 1. *proœm. num.* 10. Suar. *contra Regem Angl. l.* 4. *c.* 34. *n.* 22. *& seq.* Dian. *p.* 5. *tr.* 1. *resol.* 14. posséque etiam Princeps

supre-

supremus pacta inita rescindere, & juri alterius quæsito præjudicare, gravissimâ causâ boni publici sic exigente. Pith. Laym. Brand. *loc. cit.* idque præcipuè, respectu pactorum eum suis subditis initorum. *loc. cit.* §. 7. citans Suar. Dian. *ubi ante.* Paris. *cons.* 11. *n.* 51. *vol.* 1. Felin. *in c. novit ille. de judiciis. n.* 8. & Doctores communiter *in c. in nostra. de jurejurando.* quos etiam Auctores id facere differentiæ, ait Nicol. inter Papam & Principem laicum, quòd hic si quid privilegii & favoris facit Ecclesiæ per aliqua concordata & privilegia, id faciat omnino Superiori, & non subdito; & ideo manet irrevocabile per ejusdem potestatem; Papa autem quidquid favoris & privilegii facit laico Principi, cùm semper faciat sibi subdito in spiritualibus, ideo semper manet revocabile, si ita postulet ratio boni spiritualis, & bonum regimen ipsius Ecclesiæ. Sed neque obstabit huic potestati derogandi decretum irritans in concordatis appositum, utpote non ligans Pontificem, præcipuè ubi non dicitur in decreto: *per Nos, aut Successores nostros contigerit attentari.* Chok. *l. cit. n.* 19. citans Menoch. *cons.* 83. *n.* 21. Garciam *p.* 5. *c.* 1. *num.* 29. Nicolart. *loc. cit.* §. 11. citans Wames. *cons.* 255. *nu.* 3. 6. 9. contra Prob. *ad Monach.* Rebuff. & alios volentes illud ligare Papam, etiamsi non dicatur *per Nos.* &c. dum ponitur in jure seu lege generali aut concessione speciali; uti neque Nicolaus V. potuit Successoribus suis legem aliquam imponere, quam ipsi de omnimoda necessitate tenerentur servare, cùm par in parem non habeat imperium. Chok. *loc. cit. num.* 22. Nicolart. §. 12. cum communi.

2. Respondeo secundò: non tamen Papa, non solùm solet aut facilè facit istiusmodi concordatorum derogationes, sed nec convenienter facere potest sine gravi causa bonum publicum concernente; siquidem hæc concordata non sunt simplex gratia aut privilegium merè gratuitum, sed vera pactatio & promissio, utrimque acceptata, habens adjunctam clausulam de non revocando, & veluti contractus reciprocus utrimque cum onere. Ex parte quidem Germanorum, quòd nullum jus conferendi in mensibus papalibus aliisque exceptis in Concordatis casibus (ut ut illud fortassis ante concordata possederant) imposterum prætendere, & taxas Cameræ Apostolicæ fideliter solvere velint: Ex parte verò Papæ quòd per quamcunque aliam (præter exceptas in iis reservationes) reservationem, gratiam, exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per se aut auctoritate suâ factam vel faciendam, non velit impedire, quò minùs in 6. mensibus alternatis sibi non reservatis liberè de beneficiis disponatur per illos, ad quos pertinet. Jam verò istiusmodi concordiæ jure naturali obligantur, & Princeps pacta inita jure naturæ & gentium servare debet. *l.* 1. *ff. de pactis.* Nec aliàs de plenitudine potestatis suæ eximitur ab iis servandis, nec etiam eâ uti debet potestate, nisi ex publica gravissimâque causa, ex qua Principi concessum jus alteri quæsitum auferre. Quin etiam, concordiæ nomine Ecclesiæ & dignitatis, præsertim cum consensu Capituli seu Cardinalium (ut in præsenti) factæ in Successorem transeunt, ut dicitur *in tit. de transact.* Engels *ad tit. de præb. n.* 54. citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 28. *n.* 11. & *seq.* Pith. *loc. cit. à* §. 1.

3. Respondeo tertiò: nihilominus diversi Pontifices quandoque, dum justa causa publicæ utilitatis aderat, Concordatis Germaniæ derogârunt. Et sic iis derogare solent, concedendo novo Imperatori preces primarias. Nicolart. *loc. cit.* §. 9. sic etiam multis annis in usu fuisse, ut non obstantibus hisce Concordatis Lovanienses gravarent Ordinarios sine discrimine tam in mense Apostolico, quàm ordinario, nominando ad beneficia, idque per indultum Sixti IV. quod expressam, formalem, & individualem dictorum concordatorum Germaniæ derogationem continet ob evidentem & publicam utilitatem, qualis est promotio studiorum, ob quam Principi etiam à pactis & contractibus, præsertim cum subditis initis, aliquantulum recedere, iisque derogare facilè permittitur, tradit Chok. *ad reg.* 8. 9. 11. *n.* 31. addens ex Wames. *tom.* 1. *cons.* 255. *num.* 3. istiusmodi derogatione non abrogari aut tolli dicta Concordata, sed impediri tantùm semel aut bis in vita Ordinarii cujusque Collatoris, quod durum videri non debeat ob favorem studiorum; subjungit tamen Chok. quòd dicto indulto non obstante Julius III. speciali suâ constitutione, quæ incipit: *Romanum Pontificem.* expressè declarâsse, idque motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine Apostolicæ potestatis, quòd de cetero Ordinarii Collatores non obstantibus quibuscunque nominationibus juxta Concordatorum continentiam & tenorem disponere de quibuscunque beneficiis in illorum mensibus vacantibus licitè & liberè poterunt, decernens irritum & inane si secus; ac denique *n.* 32. ait, quòd dum nihilominus adhuc orirentur superioribus annis diversæ lites ratione mensium Apostolicorum, Paulus V. speciali rescripto de Anno 1616. permiserit Lovaniensibus usum Concordatorum in duobus solum mensibus alternis annis, nempe in Januario & Novembri, & altero anno in Novembri tantùm.

4. Respondeo quartò: quidquid sit de potestate & facto Pontificis hac in parte, Pontificem ob dictam rationem, quia nimirum hæc Concordata vim pacti & contractûs habent, & quia ut Lott. paulò post citandus, processerunt ob utilitatem publicam, ad vitanda nimirum scandala, nunquam censeri velle concordatis his, suæque permissioni derogare per quantumcunque, etiam generales & amplas clausulas, nisi specialem & expressam concordatorum horum, ac justæ causæ mentionem faceret. Engels *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 28. *nu.* 69. citans Puteum *decis.* 45. *n.* 11. *l.* 1. *in novis.* & Rotam. *decis.* 840. *l.* 3. *p.* 3. *divers.* restringit tamen id Lott. ad Ecclesias comprehensivè contentas sub his concordatis, intraréque ait *n.* 67. tunc reservationem respectu Ecclesiarum comprehensarum solùm sub iis extensivè; cùm in iis cesset ratio contractûs, & subintret simplex jus privilegii seu indulti, cui satis censetur derogatum per clausulas generales. Sic Gregor. XIII. quâdam constitutione suâ de Anno 1572. 6. Junii Romæ publicatâ declaravit, se sub quorumcunque verborum forma rescripserit, concordata lædere nolle, teste Simonet. *de reserv. q.* 99. *n.* 28. ita refert Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *n.* 23. sic etiam Paul. V. revocâsse derogationem quandam factam concordatorum German. per Clem. VIII. refert ibid. Chok. *num.* 24. Quòd si proinde impetretur gratia seu rescriptum pontificium adversus hæc concordata, v. g. contra alternativam concessam in concordatis sine sine dicta mentione, etsi de cetero clausula generalis: *non obstantibus privilegiis, facultatibus & indultis &c.* adsit, rescriptum hoc subreptitium & invalidum censeri debet. Engels *loc. cit.* Zipæ. *in resp. Can. responso* 1. *n.* 9. Quod ipsum negare videtur Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *n.* 20. dum ait: certum est, si Papa in gratia apponeret clausulam: *non obstantibus privilegiis, facultatibus &c.* per hujusmodi clausulam derogaret alternativæ concessæ in concordatis, ut resolvit Rota *in Zamorensi Canonic.* apud Mohed. *decis.* 1. *de concess. præb.*

Quæstio 596. An concordata hæc sint realia, an personalia?

1. RESpondeo, esse realia, Zip. *in consult. can. l.* 3. *consult.* 6. *num.* 2. & *seq.* statuta siquidem realia dicuntur illa, quæ res ipsas dirigunt, quæque rei ipsi, rerum dominiis, seu modis eas administrandi, qualitatem certam imprimunt; personalia verò, quæ personas duntaxat afficiunt seu dirigunt, quæque qualitatem ipsi personæ imprimunt, ita ut quoties de jure aut libertate personæ, aut facultate ad actus personales quæritur, respondendum sit secundùm conditionem personæ, quam induit in loco domicilii; si verò de jure, servitute, aut libertate rerum seu facultate ad actus rem spectantes exercendos

agitur,

agitur, ad leges situs respicere oporteat. Zip. *l. cit. n.* 2. ex Burgundo *tr.* 1. *de consuet. Flandria. n.* 1. *& 9.* Jam verò in concordatis his nihil de jure, conditione, libertate, & servitute personarum Collatorum transfigitur, nec aliter eorum fit mentio, quàm quatenus collatio sine illis ut instrumentis expediri nequit; sed totus tenor Concordatorum in ipsa beneficia conceptus, & quasi in rem scriptus, tota etiam ratio Concordatorum consistit in jure, servitute, libertate, reservatione, distinctione rerum, nempe beneficiorum, quæ vacant, & mensium, quibus vacant; Causa denique concordatorum realis est, utpote his verbis contenta: *pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, tranquillitate inter nationem Germanicam & Ecclesiam perpetuò solidandis*; dum interim *in reg.* 8. *Cancell.* causa, quâ ea nititur, sit favor personarum, quibus alternativa conceditur, nulli loco adstrictus. Proinde in his concordatis locum habere debet, quod in genere docet Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 28. cum pluribus ab eo citatis; item Card. de Luc. *de benef. d.* 27. *n.* 19. id fusè probans, & fundamenta contrariæ sententiæ resolvens, citánsque pro se Rebuff. *in pr. tit. forma Vicariatus. num.* 108. Barb. *in Clem. unione. de supp. neg. prælat. num.* 12. Tond. *de benef. q.* 169. *p.* 3. *n.* 13. Tiraq. &c. quòd nimirum in materia collationis attenditur locus, ubi situm est beneficium, & non locus, ubi degit persona, ad quam spectat provisio. Sic suppletur negligentia Collatoris non ab ipsius personæ Collatoris Superiore, sed beneficii. Gl. *in Clem. unione. de supp. negl. v. locorum. & v. sua.* Sic ratione beneficii forum legésque illius possessor nanciscitur. *c. fin. de foro compet.* Sic Episcopi diversarum Diœsium ab eo Archiepiscopo judicantur, sub quo est locus rei litigiosæ &c. Zip. *loc. cit. num.* 4.

2. Sic igitur in particulari, si collatio beneficiorum existentium in Gallia pertineat ad Collatores Germanos, secundùm concordata, non Germanica, sed Gallica erunt providenda; adeòque quò ad illa beneficia non dabuntur reservationes papales pro alternis. E contra, si beneficia sita in Germania spectent ad Collatores Gallos, hi ea providere tenentur secundùm concordata Germaniæ; cùm credendum sit, non aliter cum Gallis, quàm Germanis transactum esse, sed pactum ab utrisque pro beneficiis in eorum dominatu sitis. Zip. *loc. cit. n.* 5. *& seq.* Sic quoque attenditur situs locorum beneficii in Regno, v. g. in Gallia vel Germania per concordata, & non datur extensio ad loca beneficii existentia extra illud, quamvis loca ista existentia extra Regnum, v. g. Germaniam in spiritualibus subjiciantur Ecclesiis existentibus in Regno, v. g. in Germania. Card. de Luc. *loc. cit. num.* 16.

Quæstio 597. Num concordata tanquam favorabilia sint benignè interpretanda?

RESpondeo affirmativè; eò quòd prodierint in gratiam pacis & unionis Ecclesiæ. Card. de Luc. *de benef. d.* 27. *n.* 4. sic quoque favorabilia esse ac plenissimè interpretanda Concordata Germaniæ in favorem Ordinariorum, cùm reducant ad jus commune, stante maximè alternativâ mensium, tradit Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. ex quo tamen non sequitur, quòd concordata Galliæ comprehendere debeant beneficia tam existentia in Gallia, quàm extra illam; similiter concordata Germaniæ tam existentia intra quàm extra illam, quasi quòd non ipsorum beneficiorum localitas, quàm ipsorum collatorum status & locus attendi debeat. Card. de Luca *loc. cit.*

Quæstio 598. Quænam beneficia reserventur Papæ in concordatis Germaniæ?

1. REspondeO: reservantur primò beneficia omnia, quæ reservantur Sedi Apostolicæ per *Extrav. Execrabilis.* de qua supra, eisque nulla in concordatis Germaniæ adjecta est modificatio. Pirh. *ad tit. de preb. n.* 357.

2. Secundò: quæ reservata sunt per *Extrav. ad regimen*, quæ etiam verbotenus ipsis concordatis inseritur. Adjiciuntur tamen eidem *Extrav.* modificationes seu limitationes sequentes: prima, quòd beneficia per muneris consecrationis suspensionem vacantia, quæ reservantur in dicta *Extrav.* non reserventur in Concordatis. Pirh. *loc. cit.* Secunda quòd in concordatis reserventur non nisi ea Officialium Sedis Apostolicæ beneficia, quæ ipsi, dum actu officiales sunt, & moriuntur, habent; cùm tamen per dictam *Extrav.* reserventur indistinctè omnia eorum beneficia, etiam ab iis obtenta ante adeptum & post dimissum officium. Pirh. *loc. cit.* Tertia quòd in *cit. Extrav.* absolutè ponantur Commensales, & quilibet alii Capellani Papæ; in Concordatis verò ponantur officiales quidam certo numero, nimirum Vicecancellarius, Camerarii, 7. Notarii, Auditor Literarum contradictarum, Auditores causarum Apostolici palatii, 24. pœnitentiarii Ejusdem Sedis, 25. Abbreviatores, nec non veri Commensales Papæ, & alii 25. Capellani ejusdem Sedis in Epitaphio, hoc est syllabo seu albo Curialium descripti. Quarta quòd in Concordatis reserventur Papæ quæcunque beneficia auctoritate literarum Apostolicarum immediatè collata, & imposterum conferenda, præterquam si virtute exspectativæ assecutio fiat; in *Extrav.* autem *ad regimen*, non habeatur vox *immediate.* neque sequens illa exceptio, quæ in Concordatis fortè ideo adjecta, ne Collatores ordinarii nimium gravarentur, si nequirent beneficia vacantia per pacificam assecutionem alterius beneficii incompatibilis vi gratiæ exspectativæ alicui collati, alis liberè conferre. Pirh. *loc. cit.*

3. Sic itaque in specie vi concordatorum reservata manent Papæ Episcopatus, prælaturæ vacantes in Curia per obitum Episcopi, prælati &c. sive is sæcularis, sive regularis sit, & non est locus electioni. Pirh. *loc. cit. num.* 359. Item locus electioni non est, sed reservantur liberæ dispositioni Papæ Episcopatus, prælaturæ sæculares & regulares vacantia per obitum illius, qui factus Cardinalis ea possidet, ubicunque is moriatur. Pirh. *loc. cit.* Item Ecclesiæ Cathedrales, Monasteria, dignitates & beneficia omnia vacantia per depositionem, privationem vel translationem factam auctoritate apostolicâ. Item dignitates & beneficia omnia, ad quæ quis electus vel postulatus est, dum postulatio repulsa, vel electio cassata aut renunciata ab electo, admissáque per Sedem Apostolicam. Pirh. *loc. cit.* Item dignitates beneficiaque, quæ promoti ad Episcopatum, Monasteriumve regimen obtinent tempore promotionis factæ per Papam. Denique beneficia omnia vacantia per alterius incompatibilis assecutionem factam auctoritate apostolicâ; hæc enim omnia reservantur per cit. *Extrav. ad regimen*, nec cadunt sub dictis limitationibus. Sed & huc spectare, & non esse locum electioni vi Concordatorum, sed manere reservatum Papæ Episcopatum Germaniæ vacantem per resignationem liberam acceptatam à Papa, tradit & probat Pirh. *num.* 360.

4. Tertiò semper, seu pro omnibus mensibus reservatæ manent dignitates majores post pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, de quibus *Reg.* 3. *Cancell.* reservarique has ipsas dignitates, non obstantibus concordatis Germaniæ, etiamsi ante diem promotionis vel assumptionis ad Episcopatum dimittantur vel resigneotur in manus Ordinarii vi *regula* vigesimæ quartæ, utpote comprehendentis etiam beneficia Germaniæ, tradit Chok *ad reg.* 8. *gl.* 11. *num.* 30. citans pro hoc Cassiad. & Crelc. Branden. *in Concord. Germ. not.* 111. qui id decisum refert *in una Paderbornensi Præpositura.* 9. *Martij. &* 30. *Maij.* 1588.

5. Quartò reservata manent beneficia quæcunque vacantia in mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septemb. Novemb. de quibus *reg.* 8. *Cancell.* adeóque non est, quòd Capitula contendant ad se in quovis mense spectare dignitatum inferiorum electivarum (ut sunt scholasteria & similes) quocunque demum

demùm nomine veniant, dispositionem; cùm negari nequeat, quin ceteræ dignitates omnes & beneficia, etiam electiva, post majores in Cathedralibus, & principales in collegiatis comprehendantur sub alternativa concordatorum reservatione, Nicolart. *in pr. benef. ex concord. Germ. tit. 1. dub. 1. num.* 15. *& seq.* Brand. *ad ead. Concord. q. 7.* Quin & beneficia, in quorum fundatione expressè reservata collatio Ordinarii, in quocunque mense vacent, nihilominùs comprehendi sub alternativa etiam Concordatorum Germ. ut & reg. Cancellariæ præsertim si sint jurispat. Ecclesiastici, ita ut, si vacent in mense Apostolico, conferri nequeant ab Ordinario, non obstante dictâ fundatione, tenet Nicolart. *loc. cit. dub.* 4. § 5. citans pro hoc Paris. *de resign. l. 7. q.* 14. *nu.* 3. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *nu.* 42. Piasec. *in pr. Ep. p. 2. c. 3. a. 5.* Wames. *consil. Can. To.* 1. *consul.* 231. *num.* 7. *& cons.* 252. *nu.* 11. & Rotam, eò quòd talis conditio sit contra naturam substantialem beneficii, dum Papa ex vi primæ jurisdictionis & potestatis disponendi de beneficiis ei datæ à Christo in Petro, est collator supremus & universalis omnium beneficiorum Orbis; quia est supremus dispensator bonorum Ecclesiast. & Superior, seu Ordinarius Episcoporum, (quin & vocetur Deus in terris circa beneficialia, ut Gonz. §. 1. *proœm. num.* 31. *& seq.* Wames. *loc. cit. cons.* 241. *n.* 3.) hinc ab illius jurisdictione generali & potestate collativa nullum beneficium eximi potest, utpote quæ nullis legibus aut regulis coarctatur; adeòque, licèt quivis sit rerum suarum arbiter & moderator, nemo tamen facere potest, quin jura desuper statuta locum habeant, juxta *c. requisivisti, de testam.* ubi: *Privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare.* Adde, quòd Papa reservando generaliter in regulis Cancell. & concordatis German. derogat omnibus juribus in contrarium, ita ut istiusmodi fundationes nec fieri, aut factæ subsistere possint, Nicolart. *loc. cit.* citans Chok. *ad reg. 8. gl.* 1. *num.* 5. Posse nihilominùs, non obstantibus Concordatis, etiam in mense pontificio fieri in manus Ordinarii resignationem, eámque ab illo recipi, & beneficia in eorum manibus simpliciter resignata conferri, modò talia sint, quæ aliàs in mensibus non reservatis per obitum vacantia spectant ad Ordinariorum collationem, & resignatio illorum speciali jure tunc non sit prohibita, tradere videtur Chok. *ad reg. 8. gl.* 11. *num.* 29. & sic expressè tradunt Branden. *in Concord. q.* 12. *num.* 13. Nicolart. *in praxi benef. ex concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 9. §. 9. Rationem dant hanc, quòd per reservationem Concordatorum non censeatur Papa voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ facere duriorem, illisque plùs detrahere, quàm soleant Pontifices aliis Episcopis aliarum Provinciarum; jam verò per reservationes regularum Cancellariæ, quibus ligantur omnes Ordinarii, Pontifices solent excipere modum vacationis per resignationem, ut expressè videre est *in regula 8.* seu mensium, ubi dicitur: *Aliàs quàm per resignationem quocunque modo vacatura*, &c. quibus verbis reservat sibi Papa beneficia omnia in mensibus alternativis, quocunque modo, & aliter, quàm per resignationem vacantia. Atque ita ex identitate rationis etiam vacantia per renunciationem ea causa permutationis, ita, ut quolibet mense possit Episcopus, & quilibet alius Ordinarius conferre beneficia coram se resignata liberè; Item in quolibet mense anni possint permutari beneficia coram Episcopis, & hi admittere resignationes ex causa hac permutationis factas, & permutantium cuilibet collationem de beneficio resignato facere, ut Gonz. *ad reg. 8. gl.* 14. *n.* 32. *&* 33. Ac proindè jam non obstet in contrarium, quòd resignans juxta communem opinionem habeatur pro mortuo, & mors civilis æquiparetur morti naturali; adeóque sicut Ordinarius in Germania non potest conferre in mensibus Pontificiis vacantia per obitum, ita etiam videatur non posse conferre vacantia per mortem civilem, nempè per resignationem; nam argumentum à simili non procedit, quando in casu proposito dissimilitudo colligitur, uti inter resignantem & mortuum Regula Cancell. reservatoria mensium facit differentiam; & nihil obstat, quò minùs eam extendamus ad casus Concordatorum, adeòque tam Ordinarii Germaniæ, quàm alii hujusmodi distinctione juventur, Brand. *loc. cit. n.* 10. 11. 12. *juncto num.* 16.

Quæstio 599. Quænam igitur in specie præserventur Collatorum ordinariorum dispositioni, seu in quibus derogetur reservationibus Papalibus per concordata Germaniæ?

1. Respondeo primò: Conceditur seu statuitur, ut in Metropolitanis & Cathedralibus, etiam Sedi Apostolicæ immediatè non subjectis, & in monasteriis illi immediatè subjectis fiant canonicæ electiones, quæ ad dictam Sedem pro obtinenda confirmatione intra tempus constitutum (nempe per Nicol. III. *in c. Cupientes, de elect. in 6.*) deferantur, alioquin libera provisio ad eandem Sedem devolvatur. Et si dictæ electiones minùs canonicæ fuerint, de iis per Sedem Apostolicam providebitur, & si canonicæ fuerint, per eandem confirmabuntur, nisi ea rationabili & evidente causa de digniore & utiliore persona ea consilio Cardinalium duxerit providendum. In monasteriis verò dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis beneficiis regularibus, pro quorum confirmatione seu provisione ad dictam Sedem non solet recurri, electi seu providendi pro confirmatione & provisione ad Curiam Rom. venire non tenebuntur. De monasteriis verò Monialium eadem Sedes non disponit, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

2. Secundò conceditur in concordatis, ut de ceteris dignitatibus & beneficiis quibuscunque sæcularibus & regularibus (exceptis, ut dictum, majoribus dignitatibus post pontificales in Cathedralibus, & principalibus in collegiatis) jure ordinario provideatur in mensibus alternis, nempè Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri, per collatores inferiores, ad quos aliàs eorum collatio seu provisio pertinet, & Papa hanc eorum provisionem per nullam aliam reservationem, gratiam, exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem factam vel faciendam impediat. Comprehendi hac alternativâ per Concordata concessâ præter vacantia per resignationem, de quibus dictum *q. præced.* vacantia per assecutionem secundi incompatibilis, etiam vacantia per privationem, initum matrimonium, ingressum religionis, ad modum alternativæ concessæ per *reg. 8. Cancell.* cùm non videatur esse illius ab hac discrepantia, postquam probabile dixisset Nicolart. *in pr. benef. ex Concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 1. §. 22. & citâsset pro hoc Zerolam *in prax. Episc. p. 2. v. alternativa*, §. 1. subdit juxta Chok. verisimilius esse, quòd beneficia ipso jure vacantia, de quibus Chok. *ad reg. 8. gl. 7. à num.* 12. sint affecta seu reservata Papæ, ut etiamsi vacent in mense ordinario, non possit Ordinarius in Germania vi concordatorum ea conferre, sed solus Papa. Circa hanc alternativam

3. Notandum primò, alternativam hanc longè aliter concedi, quàm conceditur in *reg. 8. Cancell.* siquidem in hac conceditur ea conditionatè, & moltis cautelis obnoxia; in concordatis verò simpliciter, & sine ulla restrictione, Zip. *Juris Pontif. l. 5. tit. de instit. num.* 11. Unde etiam imprudenter facere eos ait, qui cùm uti possent alternativâ concordatorum, acceptant alternativam *reg. 8.*

4. Notandum secundò, quòd tametsi, dum Papa aliàs alicui in Germania generatim concedit facultatem conferendi beneficia quæconque, vel mandat provideri alicui de quibuscunque beneficiis, in tali generali concessione vel mandato Papæ non censeantur comprehensa beneficia curata; ea tamen etiam vi concordatorum German. possint ordinarii collatores in his alternis mensibus sibi concessis conferre,

ferre, non secùs, ac Papa in mensibus suis pontificiis, ne aliàs alternativa illa gratia ex parte Collatorum ordinariorum foret manca, & jus inæquale ad Papam; cùm tamen in concordatis & in compositionibus æqualitas servanda sit inter partes, nisi aliquid specialiter reservetur vel excipiatur, Pith. *loc. cit. n.* 361. quamvis tamen, ut *ibidem* Pith. beneficia curata tardiùs provideantur, tam per Papam, quàm per Ordinarios; eò quòd eorum plurima sint jurisp. laicalis, cui per generalem concessionem conferendi beneficia non derogatur.

5. Notandum tertiò, quod ait Card. de Luc. *de benef. d.* 27. *n.* 22. juxta interpretationem Concordatorum tributam à consuetudine, illa capere etiam beneficia litigiosa; citat pro hoc præter Rebuff. Tond. *resol. benef. p.* 1. *c.* 29. *n.* 4. *& seq. & p.* 3. *c.* 169. *num.* 9.

6. Notandum quartò, nequaquam per concessam in concordatis hanc alternativam impediri Legatum à latere, multóque minùs ipsum Papam, quò minùs concurrere possit cum Ordinario in dictis 6. mensibus ordinariis Collatoribus per concordata assignatis in collatione beneficiorum; cùm ipse Legatus etiam dicatur Ordinarius in sua Provincia, juxta *c.* 1. *de off. leg.* & concordata tantùm tollant gratias præventivas, nempè exspectativas & reservativas, Pith. *de præb. num.* 362. Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *n.* 15. *&* 16. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 3. *p.* 3. *n.* 78. *& seq.* Cresc. *decis.* 180. *alias* 8. *de privileg.* Put. *decis.* 345. *n.* 1. *&* 2. *l.* 3. Rebuff. *ad concord. Rub. de collation. §. Si quis.* Branden. *in concord. notab.* 1. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 25. *n.* 15. *& seq.* pluribus Rotæ decis. id comprobantem. Idem de Papa tradit Card. de Luc. *de benef. d.* 27. *n.* 23. quòd concordata non obstent, quò minùs Papa prævenire possit Ordinarium in dictis mensibus. Observandum autem, præventionem illam non confundendam cum dicta gratia præventiva, qualis dicitur, quâ Papa ipsam vacationem prævenit; hæc námque, ut dictum, impeditur per concordata; sed accipiendam de simplici præventione, quâ concurrendo cum Ordinario eum prævenit, seu priùs tempore confert beneficium vacans. Vide dicta ad initium hujus partis. Sed neque his obstare decretum irritans in Concordatis appositum; eò quòd illud sortiatur naturam principalis dispositionis, quò ad gratias præventivas tantùm, & non ampliet dispositionem, tollendo facultatem Legati de latere de jure communi ei concessam, ait Chok. *loc. cit. num.* 19. Tametsi igitur illæsis Concordatis uti possint hac suâ potestate, non tamen solent eâ uti, & beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum conferre, uti nec ipse Papa id facere solet, Pith. *loc. cit.*

7. Tertiò statuitur in Concordatis: *Quòd si autem non apparuerit intra 3. menses à die vacationis in loco beneficii, quòd alicui de beneficio vacante in mensibus Apostolicis Apostolica auctoritate provisum sit, ex tunc, & non antè, possit Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, de illo liberè disponere, &c.* Circa quod

8. Notandum primò, quòd, licèt beneficia vacantia per *reg.* 8. *Cancell.* in mensibus reservatis perpetuò maneant affecta, nec de illis alius, quàm Papa ullo tempore disponere potest, Æn. de Falcon. *de reserv. prælud.* 3. *per tot.* juxta *Extrav. ad Romani, de præb.* apud Chok. *loc. cit. n.* 27. In concordatis verò Papa tam sit benignus cum Ordinariis, ut etiam contra jus commune *c. per vestras. de supp. neg. præl.* patiatur devolutionem fieri de supremo ad inferiorem, nempè ut, si intra tres menses non apparuerit de provisione Apostolica, Ordinarius ad collationem procedere possit, Chok. *ibid. n.* 28.

9. Notandum secundò: Gregor. XIII. *in constit. sua: Quam Ecclesiam, de Anno* 1576. 1. *Novemb.* circa hoc punctum constituisse, ut deinceps illi, quibus gratia vel provisio talis concederetur, ejus concessionem, fidem, & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii hujusmodi, vel dictis collatoribus, vel in ipso loco beneficii publicare quoquo modo teneantur, & omnes quæcúnque eæ sint, (intellige, si commodè fieri possit, & angustiâ temporis non coarctentur, facilè enim contingit, ut ob locorum distantiam, vel provisionis à Papa faciendæ delationem id fieri nequeat, Engels *ad tit. de præb. n.* 51.) dispositiones de dictis beneficiis ab eisdem Collatoribus post significationem seu publicationem hujusmodi pro tempore factæ, sint nullæ, Pith. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n.* 4. quòd si tamen intra tres menses, juxta dictam Constit. Gregorianam provisio Apostolica publicata non fuerit, nec etiam aliter innotuerit Ordinario, non propterea ea statim irrita erit. Sed tunc demùm, ubi intra tres menses à notitia vacationis in loco beneficii à Papa provisum non fuerit, Engels *loc. cit.* Chok. *loc. cit. num.* 5. neque enim aliud volunt ipsa Concordata, dum verba illa: *In loco beneficii*, conjungenda non sunt cum verbo *apparuerit*, sed cum verbis: *Notæ vacationis*, immediatè subsequentibus, ita ut sufficiat Apostolicam provisionem intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii saltem alicobi, id est, Romæ apparere, seu de ea constare, etsi ejus notitia propter impedimenta aliqua, vel quia priùs facta provisio sub finem trimestris, in Germaniam intra dictos tres menses à vacatione ibidem nota pervenire non potuerit. Unde si Ordinarius, postquam intra tres menses à die vacationis non acceperit nuncium de provisione talis beneficii Romæ facta, provideat de tali beneficio, nulla est ejus provisio, modò intra dictos menses revera facta sit à Papa provisio; ac dum demum licitè & validè disponet, ubi certus fuerit, à Papa intra illud trimestre factam non esse provisionem, Pith. *loc. cit. n.* 363. citans Brandeo. *in concord. notab.* 1. *n.* 6. 7. *& notab.* 2. *n.* 4. Sed neque aliud vult constitutio illa Gregoriana, dum mandat fieri dictam publicationem intra illud trimestre, nimirùm quantùm angustiæ patiuntur, solumque annullat provisiones ab Ordinariis factas post talem publicationem, Chok. *loc. cit.* sic decisum inquiens à Rota, 13 *Februarii*, 1559.

10. Notandum tertiò, quòd, si tamen reipsa istiusmodi negligentia intercurrerit, nimirùm Papa intra tres menses non providerit, non impediri adhuc Papam, quò minùs post lapsum 3. mensium istorum conferre possit tale beneficium jure concursus, & si prævenerit Ordinarium, provisum ab illo præferendum proviso ab Ordinario, Chok. *loc. cit. n.* 5. citans Wamel. *cc f.* 539. *n.* 1. *de præb.* Brand. *in concord. q.* 6. *in fine.*

11. Notandum quartò: hoc tempus trium mensium currere de momento in momentum, computatis mensibus secundùm Calendarium, & cui punctum mediæ noctis tribuatur, Zip. *in jus pontif. l.* 3. *tit. de instit. n.* 11.

Quæstio 600. Specialiter, num concordata hæc ex eo, quòd sint perpetua, & non exspirent morte paciscentium, adeóque durent, & vim suam habeant, etiam Sede Papali vacante, vi illorum impediantur, & nequeant ordinarii Collatores conferre beneficia vacantia Sede Papali vacante aliàs Papæ reservata per Extrav. ad Regimen. *aut per* regulam 8. *quemadmodum, ubi concordata non obtinent, vel nulla sunt concordata, ordinarii Collatores ea conferre possunt Sede Papali vacante, cùm regulæ, per quas reservantur, non sint perpetuæ, seu pro tunc exspirent, & non sint?*

1. Respondeo primò, & suppono, quæstionem hanc procedere solùm, aut saltem potissimùm, de beneficiis non curatis vacantibus in mensibus Papalibus; nam in reservatis per *Extrav. ad regimen.*

vix

via locum habere potest; vacantia enim per obitum in Curia aut vicinia reservata etiam sunt reservatione clausâ in corpore juris, *c. præsenti*, vacatio verò beneficiorum per privationem, depositionem, muneris & consecrationis suspensionem, electionis & postulationis cassationem, Episcopatûs alteriúsve dignitatis assecutionem contingere non solet Sede papali vacante; quia tunc similia non tractantur, sed differuntur post novi Pontificis assumptionem; nisi fortè ponatur, quòd trimestre datum promoto vivente adhuc Papa in Episcopum ad retinenda beneficia priùs habita exspiret Sede Papali vacante, in quo casu quæstio habere locum potest; Vacatio beneficiorum etiam per obitum Cardinalium ac aliorum officialium Sedis Apostolicæ contingere quidem posset Sede Papali vacante; sed in *Extrav. ad regimen. de præb. inter communes*, declaratum habetur, etiam ista beneficia jam vivente Papâ per reservationem fuisse affecta, istamque reservationem etiam post mortem Papæ durare, Engels *ad tit. de præb. n. 48.* ubi etiam, quòd Auctores (inter quos citat Gonz. *ad reg. 8. §. 5. proœm. n. 94.* Barb. *de potest. Episc. alleg. 57. n. 62.*) hanc dictæ *Extrav.* declarationem extendunt ad omnes reservationes regularum Cancell. aliarúmque temporalium constitutionum papalium, quæ personales sunt, seu determinatæ ad certas personas, aut certas Ecclesias, v. gr. quibus reservantur beneficia Cardinalium & Officialium Sedis Apostolicæ, & primæ dignitates post pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, ita ut hæ reservationes censeantur vivo adhuc Papâ statim habuisse effectum, ut ipsa beneficia per eas reservata Sede Papali vacante, quando dictæ regulæ non sunt, per Ordinarios conferri non impediantur, utpote in quibus, cùm indeterminata sint, quia incertum, in quo mense possessor beneficii sit moriturus, regula effectum non habet, nisi in ipsa morte beneficiati, quæ si contingat Sede vacante, impeditur dictus effectus regulis jam per mortem Papæ sublatis. Putat tamen Engels hanc distinctionem in theoria posse habere difficultatem. Ac denique beneficia curata, ut constitutum in *cap. S. Apostolica*, Sede Papali vacante, etiam in Curia vacantia liberè conferri possunt per Ordinarios. His autem suppositis,

2. Respondet directè ad quæst. negativè Engels *loc. cit.* contra Barb. *loc. cit.* eò quòd Papa per Concordata conditionem Ordinariorum Germaniæ non voluerit reddere duriorem, illísque plus detrahere (cùm nulla hujus detractionis appareat ratio, Pontifice dicente in ipsis concordatis, ea esse Germanicæ nationi utilia) quàm per regulas Cancell. (quibus non obstantibus conferri ab Ordinariis possunt beneficia vacantia in mensibus Apostolicis Sede Papali vacante) detraxerunt Pontifices Ordinariis aliarum Provinciarum; ne concordata, & concessa in eis mensium alternatio in favorem Ordinariorum introducta in eorum odium retorqueatur. Confirmatque idipsum Engels ab eo, quod in simili tradit Branden. *q. 12.* quòd, licèt in Concordatis non sit expressum, an beneficia resignata in mensibus Papalibus extra Curiam sint reservata, quia tamen idipsum expressum est in reg. Cancell. quòd non sint reservata, idem in Concordatis locum habeat. Dum proindè dicitur, reservationem mensium esse factam in Concordatis, adeóque durantibus Concordatis Sede Papali vacante, consequitur, durare quoque hanc reservationem mensium Sede papali vacante. Respondet, reservationem hanc mensium non esse aliter constitutam in concordatis, quàm ad eum modum, quo priùs etiam antecedenter ex parte Papæ erat in usu, nempè Sede plena, & non Sede vacante. Quò facit, quod tradit Gonz. *gl. 25. n. 9. & seq.* & dictum supra, Concordata Germaniæ, cùm reducant ad jus commune, esse favorabilia & plenissimè in favorem Ordinariorum contrà concedentem interpretanda; præsertim quia facta causâ unionis & tranquillitatis inter Ecclesiam & Principes Ecclesiasticos & sæculares, & propterea sint favorabiliora indultis Cardinalium.

Quæstio 601. Quænam præterea in dictis Concordatis statuantur?

1. Respondeo: cætera esse de annatis; declarat siquidem Papa, qualiter annatæ (hoc est, fructus primi anni de beneficiis aliquibus vacantibus ab iis, qui in iis succedunt, Sedi Apostolicæ solvendi, ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Rom. & in sustentationem Cardinalium egentium, & officialium Curiæ) solvendæ. Ac primò quidem de Ecclesiis Cathedralibus omnibus & monasteriis virorum duntaxat (scilicet exemptis, Engels *loc. cit. n. 53.*) vacantibus aut vacaturis à die vacationis de Ecclesiarum fructibus primi anni solvantur pecuniæ in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ taxa, ut ait Pirh. *de præb. n. 365.* tam est moderata, ut pro annata integra, etiam de beneficiis consistorialibus (hoc est, quæ conferuntur consistorialiter, nempè in consistorio Cardinalium, rogatis à Papa eorum sententiis) non petantur fructus integri, sive reditus unius anni, sed ferè tantùm quinta eorum pars, v. gr. si reditus Episcopales sint 100. florenorum millia, petantur circiter 20000. conceditque Papa in ipsis Concordatis, ut si quæ Ecclesiæ excessivè taxatæ sint, illas retaxari, concessis ad hoc, si petantur, Commissariis in partibus, qui auctoritate Apostolicâ post diligentem inquisitionem juxta qualitatem earum Ecclesiarum, rerum, temporum ac regionum taxam moderari valeant.

2. Secundò: statuitur seu conceditur, ut dicta taxa pro medietate solvatur infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius, vel majoris partis Ecclesiæ, & rerum ad eam pertinentium, pro alterâ medietate intra annum sequentem. Et si contingat eandem Ecclesiam intra annum bis vacare, taxa tantùm semel debeatur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesiis vel Monasterio transeat.

3. Tertiò: pro cæteris dignitatibus, officiis, beneficiis sæcularibus ac regularibus quibuscunque, quæ Auctoritate Sedis Apostolicæ conferuntur, (præterquam vigore gratiæ exspectativæ, aut causâ permutationis, quibus nullum onus est impositum) solvantur annatæ seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum; & debitum hoc similiter in successorem non transeat, hoc est, ut Engels *loc. cit.* si Antecessor in beneficio taxam non solvit, Successor ejus pro sua tantùm, non pro Antecessoris taxa convenietur.

4. Quartò: ut de beneficiis, quæ tamen valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur. Circa quod notandum, hodie ex generali consuetudine & stylo Curiæ Rom. omnes Canonicatus Germaniæ & Hispaniæ non æstimari in Camera Apostolica, juxta verum beneficiorum valorem, sed non nisi ad valorem 24. ducatorum, (v. g. si verus valor redituum annuorum Canonicatus sint 4000. ducati, in Curia tamen non æstimabitur, nisi 24. ducatis) adeóque de iis nihil solvi, Pich. *loc. cit.* citans Brand. *not. 2. num. 7.* & Chok *in reg. Cancell. 61. n. 1.*

PARAGRAPHUS X.
De reservatione resultante ex indulto precum primariarum.

Quæstio 602. Quid sit indultum precum primariarum, & quid contineat?

1. Respondeò primò: Esse indultum seu facultatem, concessam Imperatori recens electo per privilegium à Sede Apostolica ad quæcunque beneficia Eccles. per Rom. Imperium ubilibet constituta, in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, &

& quibusvis aliis Ecclesiis; sive curata sint, sive non; sive regularia, sive sæcularia; etsi Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, vel etiam officia majora & electiva fuerint, offerendi preces seu nominationes de idoneis personis, quibuscunque Collatoribus & Collatricibus, quas personas nominatas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de iis canonicè provisum fuerit, prædicti Collatores vel Collatrices recipere & admittere teneantur, sive ad eorundem collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertineant; ita ferè Pirh. *ad tit. de prab. num. 367.* Wagnereck. *ad c. is cui, tit. eod. n. 6. §. 2.*

2. Respondeo secundò: Hoc indultum sequentes continere limitationes. Primò: modò non sint dignitates in Metropolitanis & Cathedralibus majores post pontificalem, aut principales in Collegiatis. Secundò: singulæ collationes & singulæ Ecclesiæ ex hoc titulo, quàm in uno beneficio, non graventur. Tertiò: modò ipsi Collatores & Collatrices 4. beneficia conferre habeant. Quartò: quòd tametsi Cæsar unam & eandem personam supradictis Collatoribus vel Collatricibus simul vel successivè nominare possit, quamprimùm tamen persona sic nominata de beneficio aliquo provisa fuerit, ejus nominatio quò ad alios Collatores vel Collatrices facta ipso jore exspiret. Quintò: quòd Canonicatus, præbenda ac dignitas, seu personatus, administratio vel officium in una Ecclesia pro uno duntaxat beneficio computari debent, &c. Hæc ferè dicti indulti, seu precum primariarum summa juxta tenorem concessionis à Paolo V. factæ Ferdinando II. Imperatore, quam vide apud Chok. *in scholiis super preces primarias.* Circa quæ

Quæstio 603. Preces primariæ cur sic dictæ, & undè ortum habeant?

1. Respondeo ad primum: dicuntur ideo preces, quòd Imperator ex dicto indulto pontificio non conferat propriè beneficia, sed solùm vi illius jus habeat nominandi personas idoneas, Pirh. *loc. cit. num. 368.* ex Chok. *in proœm. precum, pag. 1.* dicuntur verò primariæ; quia præferuntur coivis juri cooferendi, præsentandi vel nominandi aliorum; vel quia sunt veluti prima Cæsaris petitio, Wagner. *pag. 491.* Pirh. *loc. cit. nu. 367.* vel quòd semel, seu pro prima vice, non autem bis aut sæpiùs uni & eidem Imperatori in una, eadémque concedantur Ecclesia, Chok. *ad preces, p. 18.*

2. Respondeo ad secundum: harum precum usum esse antiquum, ab annis saltem 400. hoc moris fuisse gratuiti ex parte Pontificum, ut tale privilegium singulis Imperatoribus electis concederent; colligitur ex Speculatore, qui vivens Anno 1271. earum meminit *ad tit. de prab. §. restat, nu. 2.* Wagn. *loc. cit. §. 1.* Engels *tit. eod. num. 70.* Altiori tamen sæculo receptum non fuisse, ait Chok. *in cit. proœm. p. 4.* quàm 1200. Testatur quoque Naucler. in sua Chronolog. apud eundem Chok. Rudolph. I. qui Anno 1273. electus est in Regem Rom. usum his precibus; ex quarum etiam formula, quam jamtum in ea ponatur: *Ex antiqua & approbata consuetudine*, patet, eas longè Rudolphi temporibus antiquiores esse, Chok. *ibidem*, ubi etiam apponit formulam harum precum, qualis ea hodiedum est. Unde dum Paul. V. in indulto harum precom concesso Ferdinan. II. nullâ factâ mentione privilegii hujus ab antiquo Imperatoribus concedi soliti, loquitur, veluti specialem novámque gratiam Ferdinando faceret, id facit, ne videatur jure hæc gratia deberi, aut consuetudo ex parte Imperatoris inducta esse jure speciali, quale est jus nominandi, seu præsentandi ad beneficia, cujus laici, quamvis Principes, per se sine auctoritate Apostolicâ incapaces sunt, Wagner. *loc. cit. §. 1.*

Quæstio 604. Quando, & qualiter hoc indultum precum concedatur Imperatori, & à quo tempore is eo uti possit?

1. Respondeo primò: non solere Pontifices has preces indulgere Cæsari antè præstitam sibi ab eo obedientiam, Chok. *l. c. sect. 1. p. 18.* solet autem electus Rex Romanorum; (non enim eligitur propriè in Imperatorem, sed ab Electoribus creatur Rex Romanorum, postea promovendus in Imperatorem per confirmationem, consecrationem, & coronationem Pontificis, nec antè horum utrumque receptum dici solet absolutè Imperator, sed cum additio Imperator electus, seu electus in Imperatorem, Wagn. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. pag. 14.* (ubi etiam Catalogum artexit ex Azor. *p. 2. l. 10. c. 5. q. 5.* eorum, qui à Carolo Magno usque ad Ferdinand. II. coronati fuerunt à Pontifice, quorum ultimus fuit Carolus V.) quamprimùm electionem suam per suos solennes Oratores Pontifici intimari, ostensóque electionis decreto per eosdem Oratores cum speciali mandato devotionem suam, reverentiam, seu obedientiam erga Pontificem, & S. R. Ecclesiam exhibere, petetéque confirmationem & approbationem, nec non gratias & favores consuetos curavit, juxta text. *Clem. 1. de jurejurando.* Auctores iidem ex Castaldo *in tr. de Imperat. q. 41. n. 1.* & Germon. *tr. de Sacrorum immunitatibus, l. 3. in proœm. n. 5.*

2. Respondeo ad secundum: si spectemus jura præcisè, electus Imperator ex sola electione hac ante confirmationem & consecrationem, uti non habet jus & auctoritatem administrandi Imperium, concedendi privilegia, & gratias, aliáque, quæ potestatis sunt cæsareæ, faciendi; ita priùs neque jus habet offerendi dictas preces; cùm electus in Imperatorem talis non sit, nisi confirmetur & coronetur à Papa. Si tamen spectetur consuetudo, quæ prævalet, dicendum est contrarium, Pirh. *de prab. n. 131.* Wagn. *cit. §. 1.* ex Azor. *p. 2. l. 10. c. 6. q. 2.* citans insuper Castald. *ubi antè, q. 46.* & Abb. *in c. venerabilem, de elect.* Cum hoc tamen discrimine inter hanc consuetudinem, privilegia, aliásque gratias in merè temporalibus concedendi, & consuetudinem offerendi dictas preces, or (dum jus illud nominandi spirituale est, aut spirituali annexum) hæc vim non habeat ex parte Imperatoris, sed ex sola benevolentia Pontificum, qui, cùm possent talia privilegia revocare, vel negare Principibus, id tamen non faciunt, quique hanc ipsam consuetudinem, cùm sciant ac tolerent, tacitè approbare censentur, Pirh. Wagn. *ll. cit.* dumque ab immemoriali tempore Pontifices semper consueverunt legitimè electis Romanis Regibus in Imperatorem promovendis hoc indultum precum absque tergiversatione concedere, habent electi ejusmodi indubiam, certámque præsumptionem de mente & voluntate Papæ, cujus gratiæ & auctoritati, non suæ, insistentes primariis precibus utuntur antè confirmationem, & hujus indulti emanationem, & electus nomine & auctoritate Apostolicâ potestatem nominandi vigore talis indulti concedi solitam, statim erga personas benè meritas exercet; ita ut nihil jam causa sit, cur Pontifex ratum non & habeat, & ratihabitionem literis, licèt posteriùs datis ad ipsam electionis diem retrotrahi, mandato sive indulto æquiparari velit, Pirh. Wagn. *loc. cit.* addítque Wagn. sic visum esse, quòd Ferdinand. IV. Augustæ in Regem Rom. electus absque mora preces primarias cumulatim, aut saltem earum exspectativas, nemine improbante, commiserit, antequam Româ confirmationem petere, & accipere potuerit, Prædecessorum utique suorum exemplo, sine quo id ausus non fuisset.

Quæstio 605. An, cùm dictæ preces pertineant ad gratias exspectativas, quippe per eas Cæsar jus habet nominandi ad beneficia proximè vacatura, ea adver-

sen-

sentur SS. Canonibus, c. 2. constitutus, de concess. præb. & c. 2. tit. eod. in 6. *in quibus exspectativæ, utpote per quas votum captandæ mortis inducitur, reprobantur & prohibentur, vel etiam Trident. quod* sess. 24. c. 19. *tollit quascunque gratias exspectativas ad beneficia vacatura?*

Respondeo negativè, cùm hujusmodi concessio & gratia Cæsaris sit generalia & incerta, ut advertit Gailius *l. 2. observ.* 155. *n.* 7. adeóque non ita inducit periculum captandæ mortis, Pith. *loc. cit. n.* 385. Chok. *in proœm. precum. pag.* 2. *&* 3. Sed neque illo Tridentini decreto comprehendi preces primarias Cæsaris censuit ex sententia S. Congreg. Concilii ipse Gregor. XIII. in literis suis de Anno 1575. 25. Jan. de quo vide Gallemart. *ad cit. c. Trid.* cùm in illo decreto non nominetur Imperator, qui cùm speciali notâ sit dignus, nominatus fuisset, si Concilium illum comprehendere voluisset, sicut nominavit ibidem Cardinales, qui & ipsi sunt digni speciali notâ seu expressione, Pith. *loc. cit.*

Quæstio 606. Ad quas terras seu provincias se extendant hæ preces?

Respondeo: Solùm per Imperium Rom. prout nunc est, non autem prout fuit, cùm plures Provincias & Regna contineret; quia per illud solùm secundùm præsentem statum Cæsar habet superioritatem, Pith. *loc. cit. n.* 368. Chok. *in proœm. pag.* 1. Wagn. *loc. cit.* §. 2. *pag.* 488. Hinc eas locum non habere in Italia, ait Chok. nec in Ducatu Mediolanensi, juxta Rotam *in una Novarien. Canonicatus*, 1555. 25. *Octobr.* habere tamen locum in civitate Cameracensi, & Metensi, aliisque, quæ fuerunt de Imperio, nunc autem sunt translata in alterius dominium. Verùm quidquid sit de Cameraco & Metis, quarum utbium modò alius est status, quàm quando scribebat Chok. & Wagner. putat idem Wagn. posse Imperatorem, si suo jure uti velit, aut permittatur, privilegium illud exercere, etiam in Ducatu Mediolanensi, & similibus, quæ quondam fuêre Imperii, & hodiedum adhuc sunt feuda Cæsaris.

Quæstio 607. Ad quæ beneficia se extendant hæ preces?

1. Respondeo: Extendunt se ad omnia nominata *in quæst.* 1. *hujus* §. Extendunt se itaque primò ad beneficia existentia in Imperio, etiam dum eorum Collatores vel Collatrices sedem non habent in Germania, nec subsunt Imperio; neque enim Papa tam respexit domicilium Collatoris, quàm locum, ubi beneficia constituta sunt, dum indistinctè gravat Ordinarios Collatores habentes Collationem ad minimum 4. beneficiorum per Rom. Imperium. Unde jam è contra non extendunt se hæ preces ad beneficia existentia in Gallia, etiamsi eorum Collator Sedem habeat in Germania, sitque subjectus Imperio, Chok. *loc. cit. sect.* 2. Wagn. *pag.* 488. Pith. *cit. num.* 368. Unde etiam, si beneficia principalia sint extra Imperium, aliqua autem beneficia iis annexa existant in Imperio, neque hæc annexa cadent sub precibus juxta regulam: accessorium sequitur principalis naturam, Auctores iidem.

2. Secundò, ad beneficia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis; exprimuntur autem hæ Ecclesiæ, quia regulariter in dispositione generali non comprehenduntur dictarum Ecclesiarum beneficia, sed earum facienda est specialis mentio, juxta *C. quamvis, de præb. in* 6. Pith. *loc. cit. n.* 369. Chok. *pag.* 38. Wagn. *pag.* 489. Exprimuntur etiam specialiter Ecclesiæ Metropolitanæ, quia in materia odiosa appellatione Cathedralis non venit Metropolitana, licèt sit Cathedralis, utpote qualis ea dicitur, in qua Cathedra & Sedes Episcopalis sita est. Auctores iidem.

3. Tertiò, ad dignitates, personatus, administrationes, officia; dignitates ideo exprimuntur, quia in materia odiosa, adeóque restringenda (cujusmodi est facultas nominandi, conferendi, concessa ei, cui de jure non competit, quia derogat potestati Ordinariorum) nomine beneficii non veniunt dignitates; sic enim, dum conceditur mandatum ad beneficia curata, & quæcunque alia, non includitur dignitas curata, juxta *Clem. ne in agro, &c. de statu Monach.* Auctores iidem. Personatus autem (qui est præeminentia aliqua in Ecclesia sine administratione) non est propriè, nec computatur inter dignitates, uti Coras. *de benef. p.* 4. *c.* 3. *num.* 7. Patis. *de resig. c.* 1. *num* 91. apud Chok. *loc. cit. pag.* 39. nisi fortè ex fundatione, statuto vel consuetudine talis habeatur, ut ex Wames. Chok. *ibid.* unde statutum vel etiam literæ ad beneficia, loquentes de personatu, non complectuntur dignitatem. Auctores iidem. Per administrationes intelliguntur hìc Ecclesiasticæ, quæ auctoritate Episcopi erectæ sunt in titulos, adeóque verè sunt beneficia, juxta Gomes. *ad regulam de infirmis, q.* 23. Rebuff. *in pr. tit. quotuplex benef. secul. nu.* 15. apud Chok. *pag.* 40. Officia Ecclesiastica, ut sunt Scholasteria, Cantoria, &c. vix differunt ab administrationibus, Pith. Chok. Wagn. *loc. cit.*

4. Quartò, extenduntur preces ad beneficia etiam propriè electiva, quæ nimirùm per electionem Capituli vel Conventûs, quæ confirmationem Superioris requirit, providentur, (alia enim, quæ conferuntur per viam quidem electionis, non tamen egentis confirmatione Superioris, v. gr. dum Capitulum per suffragia confert alicui Canonicatum, sunt potiùs collativa vel mixta, hoc est, participantia ex collatione & electione) debebántque, ut preces ad ea quoque extenderentur, necessariò exprimi; cùm aliàs non veniant electiva sub clausula: *Ad collationem, præsentationem, aut aliam quamcunque dispositionem communiter vel divisim spectantia*, juxta *Clem.* 1. *de præb.* Auctores iidem. Addit tamen Chok. preces in civitate & Diœcesi Leodiensi non afficere dignitates & beneficia electiva ob constitutiones variorum Pontificum, quas citat *pag.* 41.

5. Quintò, ad beneficia, quæ per præsentationem conferuntur, seu sunt jurisp. intellige, Ecclesiastici, Pith. *loc. cit.* Wagn. *pag.* 490. licèt autem nomen *collationis* quandoque complectatur præsentationem, electionem, institutionem, id tamen locum non habet, dum profertur in ambitiosis, qualia sunt plerumque rescripta Principum, præcipuè beneficiaria, adeoque sunt restringenda, Chok. *pag.* 42. Wagn. *loc. cit.*

6. Sextò, ad beneficia spectantia ad provisionem plurium tam communiter, quàm divisim, hoc est, tam ea, quæ conferre habet Conventus, seu Capitulum totum seu in communi, quàm quæ conferre habent singuli vel aliqui Capitulariter, prout sunt membra ejusmodi communitatis. Auctores iidem. Unde fit, ut soleant tunc preces dirigi Decano & Capitulo, singulisque Canonicis & personis talis Ecclesiæ dignitatibus, dum istæ dignitates & personæ spectant ad Capitulum, Chok. *pag.* 44. Sic preces hæ directæ Capitulo extendunt se ad beneficia, quorum collatio spectat, v. gr. ad duos Seniores, vel ad duos seniores ratione Canonicatûs, Pith. Wagn. Chok. *ll. cit.* ait etiam Chok. id verum, etiamsi Senior ille non conferat vice Capituli, sed ut antiquior Canonicus. Sic etiam directæ Capitulo extendunt se ad collationem Turnarii, Chok. citans Wames. *conf.* 220. *num.* 3. ubi dicit: Quòd exspectativa ad collationem Capituli concessa extendat se ad Turnarii concessionem. E contra preces directæ Capitulo, etiam cum clausula: *Conjunctim & divisim*, non extendunt se ad beneficia, quæ Canonicus aliquis conferre habet, non vice Capituli, nec ratione Canonicatus, sed jure quodam speciali, putà, ratione dignitatis alicujus non spectantis ad tale Capitulum, vel ratione familiæ aut alia. Auctores iidem. Porrò dum collatio spectat ad Episcopum sive Prælatum & Capitulum, precésque hæ insinuantur soli Prælato,

afficiunt etiam Capitulum, etiamsi huic non sit facta infirmatio; quod enim agitur cum Capite, censetur pertinere ad corpus, & agi cum illo.

7. Septimò, ad beneficia regularia, prout exprimitur in indulto precum; quod intelligendum de iis beneficiis regularibus, quæ non ex natura rei, sed per accidens sunt talia, & requiruntur professionem religiosam, quia nimirum ex fundatione aut alia assignatione, vel si de origine fundationis non constat, ex longa possessione & præscriptione 40. annorum debita, vel solita sunt conferri Religiosis, qualia sunt Parochiæ, Capellaniæ, Monasteriis incorporatæ, Pith. *loc. cit.* Wagn. *pag.* 489. Chok. *pag.* 38. qui tamen tradunt Cæsarem debere nominare ad eas personas idoneas, hoc est, religiosas, cùm videatur non posse alterare qualitates à fundatore requisitas, de quo infra. Observant quoque iidem, quòd rariùs ad talia beneficia Cæsar concedat preces, & ut Wagn. hodiedum nunquam, idque, ne turbet disciplinam Regularium, & totam dispositionem Superioribus Ordinum religiosorum relinquat. Porrò debebunt in hoc indulto exprimi regularia; cùm non veniant sub generali dispositione & reservatione beneficiorum istiusmodi regularia, Pith. & Chok. *ll. cit.*

8. Octavò, ad curata, modò sint perpetua, ut habet ipsum indultum; quænam autem dicantur curata, dictum est alibi. Vide etiam de eo Chok. *pag.* 37. Circa quod tamen illud observandum, quòd is, qui obtinuit preces ad curatum, non aliter in eo debeat institui, quàm prævio examine, & Ordinarii approbatione, juxta Trid. *sess.* 7. *c.* 13. & *sess.* 18. *c.* 18. Chok. *loc. cit.*

9. Nonò, extendunt se hæ preces ad omnia beneficia Papæ reservata, exceptis iis, quæ ei reservata sunt per *Extrav. ad Regimen.* Pith. *num.* 382. Wagn. *pag.* 494 Hinc

10. Decimò, extendunt se ad beneficia vacantia ob crimen ipso jure, v. gr. Hæresis, Simoniæ, &c. etsi enim ea reservata sint Papæ, non reservantur tamen in *Extrav. ad Regimen.* Chok. *pag.* 29. Ubi istud notat, quòd istiusmodi beneficia conferri possint Precistis non exspectatâ sententiâ, nec vocato possessore; non possit tamen collatio de facto exequi, nec Precista in realem possessionem induci, nisi priùs vocato, & audito possessore, & causa cognita, citat pro hoc *c. Licèt Episcopus, de præb. in 6.* Oldr. *cons.* 226. Gemin. *ad c. 1. de concess. præb. n. 9.* Bald. *cons.* 135. *l.* 4. beneficia verò, quæ non vacant ipso jure, sed per sententiam, ut homicidæ, perjuri, &c. non debeantur Precistis, nisi lata privationis sententia. Vide etiam, quæ habet Chok. *pag.* 66. ubi, quòd extendant se preces tam ad vacantia de jure & de facto (iis exseptis, in quibus intrat reservatio *Extrav. ad Regimen.*) quàm ad vacantia de jure, & sic affecta sint Precistis vacantia per contractum matrimonii, per ingressum religionis, per promotionem, &c.

11. Undecimò, extendunt se ad beneficia tempore datæ precum suppressa, v. gr. si ex indulto Papæ 6. Canonicatus & præbendæ primò vacaturæ intra sexennium sint affectæ seu applicatæ fabricæ, preces capiunt primò vacaturam; habebit tamen Precista exspectare, donec tempus indulti finitum sit, ut assequatur præbendam; licèt enim suppressa sit præbenda, non tamen Canonicatus, Chok. *pag.* 36.

12. Duodecimò, ad beneficia vacantia in mensibus alternis Ordinariorum; dicit enim expresè in ipso indulto precum Papa, se eas Cæsari concedere in quibusvis, etiam Ordinariorum quomodolibet concessis aut concedendis imposterum mensibus; adeoque privilegia nulla (nec ipsa concordata Germaniæ, etsi in iis similiter dicat Papa, se per quamcunque aliam reservationem vel gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma impediturum nullatenus, quò minùs illi, ad quos collatio, præsentatio, aut quævis alia dispositio pertinet, de iis beneficiis in alternis mensibus Februario, Aprili, &c. liberè disponant, utpote longè posteriora hoc indulto precum) eidem obstare possunt, nisi expresè & nominatim in iis dictis precibus derogetur; cùm per generale rescriptum seu dispositionem non tollatur speciale privilegium alicui priùs concessum, nisi specialis illius mentio fiat, præsertim ubi privilegium est remuneratorium, quale est illud precum concessum Imperatoribus ob merita illorum in Ecclesiam. Quò etiam spectat illud, quod Parif. *consil.* 61. *l.* 2. & *cons.* 50. *nu.* 30. *vol.* 4. apud Chok. *pag.* 61. tradit in specie precum imperialium, etiamsi Reges aut Reginæ in generali pontificis constitutione nominentur, non venire Imperatorem, nisi specificè exprimatur. Sed neque credibile est, aut præsumendum, Fridericum III. permissurum fuisse, ut tam antiquo & insigni privilegio Imperatoribus recenter electis concesso per Concordata cum Sede Apostolica ab ipso inita præjudicaretur; cùm juris proprii renuntiatio non præsumatur, nisi specialiter exprimatur, ut Tiraq. *in l. si unquam, in præf. num.* 128. *c. de revocan. donat.* Mascard. *de prob. concl.* 1263. &c. apud Chok. Atque ita hoc ipsum praxis confirmat, dum Imperatores non solùm in mensibus papalibus, sed & in ordinariis passim has preces concedunt. Ac denique, ut refert Chok. *pag.* 63. Sic decisum à *Rota 4. Maji, anno* 1618. nimirum, has preces comprehendere etiam menses ordinariorum, non obstantibus Concordatis Germaniæ, ita Pirh. *num.* 376. Wagn. *pag.* 492. Chok. à *pag.* 59. Engels *de præb. nu.* 20. dicens expresè in ipso indulto sub finem derogatum concordatis. Quæ verò de Diœcesi Leodiensi affert Chok. *pag.* 65. quòd ibi preces Cæsareæ locum non habeant in mensibus Ordinariorum, propter Pontificum aliquot privilegia Concordatis anteriora, facti est, non juris per hoc indultum cæsareum à Pontificibus constitui cum amplissima clausula, irritante omnem quamcunque aliam constitutionem quorumcunque tenorum; adeóque etiam prætensas à Leodiensibus Pontificum concessiones, quorum exemplum toti imperio præjudicare non potest, Wagn. *pag.* 493.

13. Decimotertiò, extenduntur ad beneficia devoluta ad Immediatum Superiorem, v. g. à prælato seu Abbate non exempto ad Episcopum; quia in indulto precum excipiuntur solùm devoluta ad Papam; exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis, Pith. *num.* 383. Chok. *pag.* 77.

14. Decimoquartò, extendunt se ad beneficia resignata simpliciter in manibus Ordinarii, Chok. *pag.* 368.

15. Decimoquintò, extendunt se ad vicarias perpetuas, Chok. *pag.* 36.

16. Decimosextò, extendunt se ad beneficia ex diversis personis vacantia, nempè dum plures simul & eodem tempore, vel intra breve tempus moriuntur, vel quando pluræ personæ de beneficiis contendunt, & simul, si aliquod habent, privantur, Pith. *n.* 382. Wagn. *loc. cit.*

Quæstio 608. Ad quæ beneficia se non extendant hæ preces?

1. Respondeo: non extendunt se primò ad dignitates post pontificalem majores in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, (addit Engels *ad tit. de præb. nu.* 70. prælaturas primas in monasteriis) quæ limitatio ipsis precibus est inserta. Quæ autem sint dignitates majores & principales, præcipuè ex praxi & consuetudine dignoscendum, & de hoc actum suprà *in reg. Cancell.* In Germania Præpositura & Decanatus videntur esse majores in Cathedralibus, quin & principales in Collegiatis, Pith. *loc. cit. num.* 370. licèt autem ibidem Præpositura censeatur major dignitas Decanatu; quia tamen Papa in indulto precum utitur numero plurali, excipiendo post pontificalem majores, videtur non unam tantùm dignitatem majorem vel principalem, sed plures, si sint, à precibus excipere. Et sic Cæsar aliquem ad Præposituram vel Decanatum in Cathedrali vel Collegiata vi precum (de cetero jure alio, vel potiùs indulgentia & privilegio Papæ distincto ab illo indulto

to precum, ad similes dignitates, quin & ad Episcopatus plures in suis ditionibus Regem Rom. seu Cæsarem denominare posse dubium non est, Chok. *pag.* 4. Engels *loc. cit. n.* 70.) denominare non potest. Pirh. *loc. cit.* Wagn. *pag.* 490. qui tamen monent, in hoc ipso attendi debere usum & praxin, quâ Cæsares, nemine interpellante, utuntur. Addit etiam Chok. *pag.* 41. citans pro hoc Wames. *cons.* 279. *num.* 5. *vol.* 1. quòd, si quis vigore precum acceptaret talem dignitatem majorem, hæc ipso jure non caderet, sed foret resolvenda; eò quòd dictio illa *dummodo*, quâ utitur indultum precum, modum inducit, non conditionem; de quo videndi Gomes. *de exspectativ. nu.* 62. Felin. *in C. in nostra. de rescrip.* Bald. *in c. dudum. de elect. coroll.* 6. *num.* 27. Hinc jam consequens est, ut multò magis à precibus his excipiantur ipsæ dignitates potificales seu Episcopatus. Engels *loc. cit.* Porrò tametsi in facultate, quam alicui daret Papa conferendi etiam reservata qualiacunque, aut etiam in exspectativis aliisque gratiis ad dignitates non comprehenduntur hæ dignitates majores, ut Gomes. *de exspectativ. n.* 45. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 9. §. 1. *num.* 20. Germon. *de indult. Cardinal.* §. *ac irritum. num.* 50. apud Chok. *pag.* 41. adeóque videretur non necessaria harum dignitatum hoc loco exceptio; ambiguitatis tamen majorísque claritatis gratiâ eæ expressæ fuerunt. Chok. *ibid.*

2. Neque ad beneficia monocularia; éstque hæc limitatio quoque inserta precibus, dum Pontifex noluit gravari nisi Collatores illos, qui saltem 4. beneficia conferendi jus habent, & nequaquam illos, qui non nisi unius beneficii, vel duorum, aut trium tantùm habent collationem, ne fortè hi totâ vitâ suâ nunquam uti possent jure suo conferendi liberè, uti facilè contingere posset, dum intra breve tempus unum alterúmve Cæsarem mori, & novum eligi contingeret, quorum quilibet nominare potest, & dirigere preces suas ad talem Collatorem, quin etiam ejusmodi beneficia juxta gl. communiter receptam *in Clem.* 1. *de præb. non cadunt* sub generalibus gratiis & exspectativis. Pith. Wagn. *loc. cit.* Chok. *pag.* 46. Sic collator adhuc gravari non poterit, qui habet unicum conferendum beneficium in Imperio, etsi alia plura conferenda habeat extra Imperium; cùm indultum precum expressè requirat, ut habeat 4. saltem beneficia in Imperio, Chok. *pag.* 47. addens contrarium dicendum de illo collatore, qui habet collationem unius beneficii in Imperio, & præterea præsentationem aliorum plurium in eodem Imperio; quia jam beneficium illud, cujus solius collationem habet, non dicetur monoculare. Idem dicendum, nimirum adhuc posse gravari per preces Collatorem, qui in uno beneficio habet privativè collationem, in aliis verò pluribus simultaneè cum aliis, cùm meum adhuc dicatur, quod mihi cum aliis commune est; quamvis addat, in oppositum facere, quòd in odiosis *meum* propriè dici non possit, quod mihi cum aliis commune est; privilegia autem & indulta sint strictissimè intelligenda, ut quantum fieri potest, minùs præjudicent Ordinariorum potestati. Ac denique si preces directæ sint Collatori habenti conferre 4. beneficia, & interea unum illorum beneficiorum fuerit unitum alteri ex illis, non nociturum Precistæ, eò quòd tempus datæ in hoc inspici debeat, tradit *ibid.* Chok.

3. Neque ad beneficia jurisp. Laicalis, (intellige dum juspat. competit illis ex fundatione vel dotatione Ecclesiæ; secus si ex præscriptione, consuetudine, vel privilegio. Pirh. *num.* 368. Chok. *pag.* 44.) vel etiam mixti; (saltem ubi Laici constituunt æqualem vel majorem in eo partem; in favorabilibus enim, ut dictum aliàs, semper attendenda est potiùs qualitas Laicalis, ne Laicus propter Clericum perdat suum privilegium. Auctores iidem, Wagn. *pag.* 490.) siquidem generalis dispositio & indulta pontificia, etiamsi præstantissimas contineant clausulas derogatorias, & derogationes derogatoriarum derogatorias, non extendunt se ad istiusmodi beneficia, & nunquam derogare velle censetur Pontifex dicto juri quæsito Laicis ex fundatione, nisi id specialiter & clarè exprimat, uti constat ex dictis aliàs. Chok. *pag.* 42. Pirh. & Wagn. *ll. cit.*

4. Neque ad beneficia per se, & ex natura rei regularia, seu requirentia professionem regularem & religiosam; qualia sunt Præpositura seu Abbatia regularis, Prioratus conventualis habens administrationem, Canonicatus regularis, Monachatus; & sic consuetudine patet, Cæsares non nominare Præpositos, Decanos, Priores in monasteriis, multòque minùs Canonicos regulares vel Monachos.

5. Neque ad beneficia, quæ ordinantur ad nudum ministerium canendi vel simile, etiamsi de cetero electiva, ut vicariatus chori. Wagn. *pag.* 489. Pirh. *n.* 368. Chok. *pag.* 34.

6. Neque ad beneficia litigiosa; non enim Precista tenetur ea acceptare, & si sciens beneficium litigiosum acceptet, debet litem prosequi, ut Chok. *loc. cit.* & generatim gratias exspectativas non cadere super litigiosa beneficia, decisum à Rota *decis.* 28. *de concess. præb. in antiquis*, testantur Chok. Pirh. Wagn. *ll. cit.* Quòd si tamen lis sit notoriè frivola, preces adhuc locum habent; cùm lis injusta & calumniandi causâ intentata non inducat vitium litigiosi. Auctores iidem. Uti etiam, dum lis est solùm super possessione beneficii, preces intrant; quia talis lis beneficium non denominat litigiosum. Auctores iidem citantes Wames. *cons.* 101. *num.* 9. & Mandos. *ad regul. de surrogandis. q.* 13. *num.* 4.

7. Neque ad beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta; sic enim expressè habet ipsum indultum precum. Pirh. *num.* 383. Chok. *pag.* 77.

8. Neque ad beneficia vacantia per resignationem in favorem. Pirh. *num.* 382. Chok. *pag.* 74. privilegium enim nominandi ad beneficia vel conferendi non habent locum in iis, quæ vacant per resignationem in favorem; quia resignans in favorem non intendit jus à se abdicare, nisi beneficium acquiratur resignatario à se designato. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 7. *num.* 22. apud eosdem. Neque etiam ad vacantia per resignationem simplicem factam in manibus Papæ. Chok. *pag.* 36. Pirh. *n.* 368. Wagn. *pag.* 494. Secus est de resignatis liberè, & simpliciter in manibus Ordinarii.

9. Neque ad vacantia permutationis gratiâ. Auctores iidem. *ll. cit.* limitat tamen hoc ipsum Chok. hâc ratione; nisi permutatio fieret in fraudem, v. g. si senex in infirmitate permutet cum nepote pingue beneficium cum tenui; cùm talem permutationem declarârit nullam Pius IV. in constitut. publicata Anno 1564. 27. Januarii, citat seipsum in *tr. de permutatione. p.* 3. *c.* 1. *per tot.*

10. Neque ad beneficia erecta priùs post concessas alicui preces; quod probabile censet Pirh. *cit. num.* 368. Chok. *pag.* 35. tanquam probabilius præ opposito tenet; tum quia, cùm tempore concessarum precum non sit adhuc beneficium, Cæsar non erat mentis ad illud concedere preces; & non entis nullæ sunt qualitates; qualitásque adjuncta verbo debeat intelligi secundùm tempus verbi; tum quia fundatores arcerentur à fundationibus beneficiorum, si simul ac erecta essent, jam deberentur. Ac denique quia concessio precum tanquam odiosa est restringenda.

11. Neque ad beneficia manualia, aut etiam Vicarias temporales; secùs est in perpetuis. Chok. *pag.* 36. & 34. Pirh. *loc. cit.* neque enim manualia veniunt sub exspectativis. Staph. *de lit. gratia.* §. *quinta forma &c. num.* 6. apud Chok.

12. Neque ad beneficia de mensa, hoc est, incorporata perpetuò mensæ Episcopi, Capituli, aut Abbatis. Auctores iidem.

13. Neque ad exempta, utpote quæ non cadunt sub exspectativis. Pirh. *loc. cit.* Chok. *pag.* 36. citans Gomes. *ad reg. de infirmis. q.* 5.

14. Neque ad commendata. Pirh. & Chok. *ll. cit.* ex Gaspare de Perus. *de reserv.* & Gomes. *ad reg. de triens. q.* 5.

15. Neque ad pensiones Ecclesiasticas, nisi dentur in titulum. Auctores iidem ex Gomes. *de annali q.* 20.

 16. Ne-

16. Neque ad solita dari scholaribus ratione studii in aliqua Universitate, nisi dentur in titulum. Auctores iidem.

17. Neque ad Hospitalia, etiam religiosa, nisi dentur in titulum & in perpetuum; aliàs enim non sunt beneficia. Idem dicendum de Leprosariis & Eleemosynariis. Iidem Auctores.

18. Denique multò minùs ad officia, quæ cadunt etiam in laicos. Iidem. De his quoque omnibus idem ait Wagn. *pag.* 491.

Quæstio 609. An, si Precista nominatus sit ad beneficium simplex, possit illud acceptare, si fuerit interea erectum in curatum?

RESpondent negativè Old. *cons.* 53. & Anchar. *in Clem. unione. n.* 37. *de conceß. præb.* apud Chok. *pag.* 27. eò quòd omnis dispositio intelligenda est rebus sic stantibus. Respondet tamen ipse Chok. contrarium; eò quòd indultum precum comprehendat etiam curatum; per mutationem autem non extinguatur privilegium, quod est compatibile cum statu immutato.

Quæstio 610. Ad quas personas se extendant preces, seu qui intelligantur in hoc indulto precum per personas idoneas ad hoc, ut iis preces concedi possint?

1. REspondeo primò: habentem jam ante beneficium in aliqua Ecclesia, censeri adhuc personam idoneam, ut, ei in eadem Ecclesia ad aliud beneficium concedantur preces cæsareæ, modò tamen hæc beneficia sint talia, ut sine dispensatione Apostolica simul retineri possint. Chok. *pag.* 74. & ex eo Pirh. *n.* 382. Wagn. *pag.* 494. qualia sunt difformia seu diversi generis, ut dignitas & Canonicatus, Canonicatus & Capellania, beneficium curatum & simplex; hæc enim sunt de jure compatibilia, etsi residentiam requirant; cùm enim in eadem Ecclesia consistant, potest quis in utroque simul residere, nisi ratione oneris vel ministerii, quod utrique eodem tempore incumberet, sibi repugnent. Pirh. Wagn. *ll. cit.* Chok. *loc. cit.* citans Abb. *cons.* 96. *dub.* 2. *p.* 2. Navar. *cons.* 21. *de præb.* Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 44. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *num.* 235. quamvis is *n.* 243. dicat, sac. Congr. Concilii contrarium resolvisse, quam declarationem Pirh. ait vel non esse authenticam, vel non esse receptam.

2. Secundò, adhuc esse personam idoneam, etsi jam habeat beneficia duo, tria aut plura, qualiacunque, cujuscunque valoris in aliis Ecclesiis, modò ratione ministerii vel residentiæ non sint incompatibilia. Chok. *pag.* 78. Pirh. Wag. *ll. cit.* juxta tenorem ipsius indulti precum. Idem est, dum quis jam ante haberet plures gratias exspectativas à Sede Apostolica, aut mandata de providendo; quod idem habetur in ipso indulto. Auctores iidem. Unde jam etiam Precista non tenetur exprimere, neque beneficia, quæ alibi habet, neque exspectativas illas. Auctores iidem. Unde jam patet, ampliore favore dignari hos Precistas, quàm nominatos ab Universitatibus, utpote qui exprimere debent beneficia, quæ obtinent, etiamsi unicum sit & minimum, ut constet, num nominandi habeant duas præbendas, aut dignitatem cum præbenda, aut beneficia alia usque ad certam summam. Chok. *loc. cit.* Item plus favoris per hoc indultum habere Executores harum precum, quàm per *cap. si, eus. de præb. in* 6. competit aliis, quibus auctoritate Apostolicâ concessum est, ut alicubi in sua vel alia Ecclesia provideant; nam licèt iis in concessione hujusmodi concessum sit, quòd personæ jam beneficiatæ providere possint, restringitur id tamen ad habentes duo solùm beneficia sine cura. Wagner. *loc. cit.*

3. Tertiò: personæ idoneæ adhuc sunt, etsi careant qualitatibus secundùm statuta & consuetudines Ecclesiarum requisitis, ut si Precista careat nobilitate, certâ ætate, actuali sacerdotio, similive requisito aliquo ex statuto, vel consuetudine alicujus Ecclesiæ. Chok. *pag.* 75. Pirh. & Wagn. *ll. cit.* testaturque hic, Ecclesiam nobilem vi hujus indulti, denique coactam esse recipere à Ferdinando II. nominatum carentem nobilitate ex ejusdem Ecclesiæ statuto & consuetudine requisita. Sed neque opus est, ad hujusmodi inhabilitates per specialia statuta & consuetudines Ecclesiarum introductas dispensatione; cùm illæ per hoc indultum, & clausulam in eo contentam sublatæ videantur quò ad preces Cæsareas. Auctores iidem. Ubi tamen illud notandum, quod ait Chok. *pag.* 26. quòd dum præbenda v. g. requirit gradum, seu est Theologalis, vel certam aliam qualitatem, non extingui per hoc, quòd vi precum collata sit non habenti illam qualitatem, sed suspendi duntaxat ad tempus, ita, ut prima postea vacans præbenda extra indultum precum debeat conferri Theologo. Idem est de præbenda sacerdotali. Similiter idoneæ personæ adhuc erunt, etsi careant qualitatibus à jure communi requisitis, v. g. ætate, natalibus legitimis, (quæ duo etsi exprimantur in indulto, eadem tamen est ratio de similibus inhabilitatibus. Wagn *pag.* 494.) ita, ut v. g. is, qui non est in ea ætate, ut intra annum promoveri possit sacerdos, acceptare tamen possit vi precum beneficium, & Executores illud ei conferre. Restringitur tamen hoc ipsimet à Papa in indulto, nimirum ut quò ad has inhabilitates à jure communi inductas sit legitimè cum iis dispensatum, nempe à Papa; (quia licèt Cæsar possit restituere quò ad natalia, non tamen id potest in Ordine, ut quis sit habilis ad beneficia Ecclesiastica) non enim concessâ potestate conferendi beneficia, hoc ipso censeri debet concessa potestas dispensandi, aut conferendi ta inhabilibus sine dispensatione; cùm ea potestas specialem requirat concessionem. Auctores iidem. Ex quibus illud sequi videtur, posse alicui non habenti istiusmodi qualitates à jure requisitas in sensu composito istius inhabilitatis, adeoque citra illam dispensationem concedi, & ab eo acceptari has preces, modò sit inhabilitas dispensabilis, tametsi in dicto sensu composito, seu citra dispensationem præviam ab Executoribus provideri nequeat de beneficio, in ordine, ad quod preces sibi concessas habet. Porrò hanc quæstionem movet Chok. *pag.* 75. num, si preces concessæ alicui fuerint ante primam tonsuram, valeant, & nihil ad illam respondet, sed remittit ad Imol. & alios *in c.* 2. *de instit.* Felin. *in cap. cùm adeò. de rescript. num.* 2. Paris. *cons.* 125. *volum.* 4. *&c.* proinde, cùm ista concessio precum habeat rationem nominationis, videtur in hoc puncto de ea dicendum, quod aliàs dictum de nominatione, dum quæritur, num sufficiat, ætatem aliámve qualitatem requisitam adesse tempore collationis seu institutionis, etsi non adsit tempore præsentationis; nisi fortè in hoc sit differentia, quòd nominatio aliàs seu præsentatio non fiat nisi ad beneficia vacantia, preces autem concedantur ad vacatura, & hinc sufficere videatur Clericatus habitus tempore vacationis beneficii, ad quod Precista offert Executoribus preces sibi à Cæsare concessas.

4. Quartò; Cæcos, surdos, mutos, aut aliquâ parte corporis vitiatos capaces esse precum Cæsarearum in ordine ad acceptandum beneficium, cui annexus aliquis Ordo actu aut in potentia proxima veluti intra annum suscipiendus, negat Chok. *pag.* 45. eò quòd, qui repellitur ab Ordine suscipiendo, repellatur etiam à beneficio obtinendo; concedit tamen eos capaces esse in ordine ad obtinenda beneficia, quæ Ordinem annexum non habent, accedente tamen Pontificis dispensatione; cùm nemo alius super irregularitate, quæ est ex vitio corporis, dispensare possit; adeòque Precistæ corpore vitiati beneficium vi precum citra dispensationem papalem acceptare nequeunt, ita ferè ille. Verùm hæc ipsa colligenda esse credo secundum corollarium istud paulò ante adjectum.

Quæ-

Quæstio 611. An igitur etiam Cæsar concedendo preces, immutare possit naturam beneficii?

RΕsponder ad hanc quæstionem sub distinctione Chok. *p. 26.* Cæsarem, dum confert, non ut Patronus, id non posse: cùm non possit jus acquisitum Ecclesiæ tollere; esset enim species alienationis: item quòd limitata potestas translata sit cum suo onere, hinc tenetur providere secundùm qualificationem, quâ tenebatur Collator ipse, uti & is, ad quem fit devolutio; adeóque providere hominibus illius qualitatis secundùm naturam institutionis beneficii. Ac denique quod ubicunque dispositio testatoris est certa respectu certæ personæ & loci, non potest alterari. Dum verò confert, ut Patronus, posse eum qualitates & conditiones tempore fundationis appositas in totum tollere; cùm sola auctoritas, ut Host. *in c. cùm accessissent. de constitut.* & consensus fundatoris vel ejus hæredum sufficiat ad hoc, ut tollatur natura & conditio, aut institutio in ipsa fundatione apposita. Et ut Imol. cum Abb. *in cap. fin. de Clericis non residentibus*, quòd si in institutione beneficii collatio facienda est presbytero, potest cum licentia Patroni super hoc dispensari, ita Chok. verùm hoc secundum membrum distinctionis omnino falsum est; cùm nequidem fundator ipse, multòque minus successores Patroni postmodum mutare possint leges fundationis, etiam cum consensu Ordinarii, ut supra fusè probatum, ubi actum quid possit Patronus.

Quæstio 612. Num Cæsar concedendo preces, de novo apponere possit conditiones aliquas?

RΕspondeo negativè; quia inferiores, etiam Collatores, debent conferre purè, nisi fortè adjiciatur conditio, quæ de jure inest. Chok *pag. 27.*

Quæstio 613. Cùm Cæsar ipse vi indulti precum non habeat potestatem conferendi, sed solùm nominandi, ut dictum supra ex Wagn. Pag. 490. *Pirh.* loc. cit. n. 368. *&* *Chok.* pag. 1. *à quibus Precistæ sint instituendi in beneficio, seu à quo ipsis conferendum beneficium in ordine ad quod preces impetrantur, an is sit ordinarius Collator, an Executor à Cæsare constitutus?*

1. RΕsponder primò Wagn. *pag. 495.* id spectare ad Executores illos, dum ait: stando in textu indulti, nisi aliud habeat consuetudo, cæsareas literas à Præcista primùm offerendas fore Executoribus à sua Majestate deputatis, qui nullo deprehenso substantiali vitio beneficia ipsis canonicè conferant, & postea preces cæsareas ordinariis Collatoribus, ad quos spectat, porrigant, à quibus Precista recipi debet, & in possessionem induci. Hujus suæ sententiæ hanc dat rationem: quòd Papa in ipso indulto velit, ut provisio canonica præcedat receptionem; hoc est, missionem in possessionem, dum ait: *postquam ipsis canonicè provisum fuerit, recipere & admittere teneantur:* hanc verò receptionem solam Ordinariis injunxit; cùm in toto indulto nullibi dederit potestatem conferendi iisdem Ordinariis seu Collatoribus.

2. Respondet secundò contrarium, & fortè probabilius Engels *ad tit. de preb. n. 71.* eò quòd ex binis earum precum formis, Rudolphi nimirum & Ferdinandi Cæsarum, quas *in proœm. pag. 4. & 5.* recitat Chok. ubi preces fuerunt expressè ad ordinarios directæ Collatores, iique ab Imperatoribus pro collatione & provisione Præcistæ facienda requisiti; adeóque vel ex hac practica observantia sufficienter colligatur sensus verborum illorum indulti: *nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit, recipere & admittere debeant, & teneantur*, esse hic: postquam per Ordinarios, ad quos preces per Cæsarem diriguntur, examinatis qualitatibus præcistæ & ceteris, quæ canonica institutio requirit, provisum illis fuerit, vel his recusantibus, aut forsan circa beneficia reservata, quæ ad eorum collationem non spectant, per Executores cæsareos, juxta earundem precum tenorem (juxta quem sanè non est, si, dum Imperator in literis expresse & directè requirit Ordinarii collationem in beneficio ad illum spectante, precista, eo neglecto, hanc collationem petat ab Executore) recipere debeant, scilicet ad actualem possessionem iidem ordinarii Collatores, vel ad quos ea in possessionem missio pertinere solet. Sed neque, ut addit Engels, videtur fuisse Papæ intentio, Ordinariis adimere suum jus conferendi, eisque præferre extraneos Executores, quod utique non rarò discordias & confusiones moveret. Eandem cum Engels sententiam tenet Pirh. *num. 375.* inquiens: quia ordinarii Collatores non facilè parebant huic indulto primariarum precum, Papam constituisse delegatos suos pro executione nominationis cæsareæ, ut compellant Ordinarios ad conferendum; quamvis *n. 384.* expresse teneat contrarium, dum inquit: Executores deputati à Cæsare debent iis, qui ab illo nominati sunt ad beneficia, conferre & assignare beneficia, & postquam illis canonicè provisum est, Collatores eosdem recipere & admittere debent; adeoque collatio semper fit (hoc est demandatur facienda) Executoribus, collatoribus verò nudum receptionis seu installationis ministerium. Idem cum Engels tenet Chok. *pag. 26.* (quamvis obscuriùs loquatur, & velit receptionem, & admissionem hanc, de qua in indulto, esse receptionem collativam juris in beneficio, sive accipi pro ipsa institutione, seu collatione; adeóque Precistas non egere ulteriùs alicujus operâ vel gratiâ, nisi ad actum possessionis corporalis, in qua tantùm consistit executio facti) dum ait: mentem Pontificis esse, ut ipsi Ordinarii Precistis provideant & beneficia conferant per collationem, videlicet receptivam, vel receptionem collativam.

Quæstio 614. Executores precum harum, à quo, & quales constituendi, & quæ eorum potestas?

1. RΕspondeo ad primum: Pontifex generatim hos Executores constituit, dum nimirum pro nominationis cæsareæ executione delegatos suos constituit, seu haberi vult, quos Cæsar Executores deputavit. Wagn. *pag. 492.* Pirh. *n. 375.* Imperator verò auctoritate pontificiâ seu concessâ sibi Pontifice in specie hos Executores constituit, denominando certas aliquas personas Ecclesiasticas. Potéstque proinde Cæsar, Executore à se denominato mortuo, antequam preces seu denominatio sortita effectum, deputare & substituere alium & alium, donec preces plenè sortitæ effectum. Pirh. & Wagn. *ll. cit.* Atque Pirh. aliud dicendum, si Executores non à Cæsare ex concessione Papæ, sed ab ipsomet Papa in particulari deputati essent; tum enim, iis mortuis, recurrendum ad Papam, à quo tum nulli alii potestas deputandi Executores concessa foret. Quòd si tamen sub nomine dignitatis alicui demandata Executio, tunc, quia dignitas non moritur. *c. gratiosè. de rescrip. in 6.* is, qui ad eandem dignitatem subrogabitur, exequi posset, juxta *c. quoniam. de offic. delegat.* Chok. *pag. 55.*

2. Respondeo ad secundum, hos Executores esse debere personas Ecclesiasticas in dignitate constitutas vel personatum obtinentes, vel Canonicos Ecclesiarum Cathedralium; cùm his solis causæ auctoritate literarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem committi possint, juxta *c. statutum. de rescrip. in 6.* Chok. *pag. 52.* Pirh. & Wagn. *loc. cit.*

3. Re-

3. Respondeo ad tertium, posse imprimis hos Executores constituere subexecutores, cùm habeant jurisdictionem delegatam à Principe, videlicet Papâ; dummodò tamen illi subdelegati seu subexecutores habeant illas qualitates, quæ requiruntur in delegato vel Executore. Chok. *pag.* 55. Pirh. & Wagn. *ll. cit.*

4. Dein possunt dicti Executores ex auctoritate pontificia contra quosvis Collatores, Episcopos quoque & alios, ad quos preces directæ sunt, etiam per censuras Ecclesiasticas procedere, ut preces ad effectum redigantur. Engels *loc. cit. num.* 71. Pirh. *num.* 384. ubi ex Chok. *pag.* 78. addit, quòd hi Executores sine justa causa contradicentes executioni precum possint excommunicare, & tunc eo ipso cadant jure, si quod in illo beneficio habeant. Idem habet *pag.* 83. citatque pro hoc Paris. *de resign. q.* 7. *num.* 169. Non tamen poterunt Executores hi excommunicare contradicentes de jure, dum allegando justam caussam, non parent literis Executoris. Chok. *cit. pag.* 85. An verò pari modo per censuras possint procedere contra Exemptos, ad hoc non respondet Chok. sed remittit ad fratrem suum Erasmum Chok. qui hanc quæstionem expressè tractavit *in tract. de jurisdict. Ordinar. in Exemptos. p.* 4. *q.* 64.

5. Denique non posse hos Executores, posito etiam, quòd ipsi per se conferre possint Precistis beneficia, sive sint ad providendum, recipere resignationem alicujus volentis in eorum manibus resignare, ut recepta provideant, tradit Chok. *pag.* 83. ex Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 22. eò quòd necesse sit, ut expressè committatur receptio resignationis, juxta *C. dudum de prab. in* 6. & Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *num.* 17. quem citat Chok.

Quæstio 615. Num Executores harum precum (idem ferè est de ipsis Collatoribus) possint exequi, seu nominatis conferre post obitum Imperatoris, re adhuc integrâ, hoc est, nullâ adhuc factâ acceptatione Precistæ ad beneficium vacans, dum in vivis adhuc esset Imperator?

1. Respondet primò Chok. *pag.* 53. negativè, dicitque esse aliud quærere, an gratia re integrâ exspiret morte pontificis; aliud, an preces hæ exspirent morte Imperatoris, quod posterius affirmat, & plura pro hoc affert. Primò quòd privilegium personale (quale est illud precum) sequatur personam, & cum ea extinguatur, juxta *C. privilegium. de reg. juris. in* 6. non enim quæritur, an illud privilegium concessum Cæsari exspiret morte Cæsaris, & non transeat ad successorem in Imperio; quod idem est cum illo: privilegia contra jus commune, quale est illud precum, non extendunt se de persona in personam, etiam ex identitate rationis, &c. Efficacius est illud, quòd mandatum factum per Legatum de providendo certæ personæ de beneficio tunc vacante, moriente legato ante mandati Executionem ipso jure exspiret, juxta *c. præsenti. de off. leg. in* 6. & *c. si cui nulla. de prab. in* 6. ergo multò magis exspiravit gratia precum à Cæsare concessa, re adhuc integrâ, seu nullo adhuc beneficio vacante, vel etiam nequidem adhoc insinuatione ullâ factâ Executori vel Collatori. Sic docere ait Gigas *de pens. q.* 91. *num.* 4. Mandos. *ad reg.* 10. *Cancell. q.* 2. *n.* 4.

2. Respondet tamen secundò idem Chok. *pag.* 55. has in contrarium adducendo rationes. Primò quòd commissio data Cæsari non reguletur adinstar mandati, quod re integrâ exspirat morte mandantis, sed adinstar gratiæ seu privilegii personæ Cæsaris facti, quod perpetuò durat, & non exspirat morte concedentis, ut videre est apud Bursat. *cons.* 29. *num.* 5. Verùm ipsæ preces concessæ à Cæsare Precistæ videntur se habere, & consequenter regulari, per modum mandati; cùm iis mandetur Executoribus & Collatoribus, ut ipsi provideant de vacaturo. Secundò, quæ ratio est melior, & facit hanc secundam partem probabiliorem: per nominationem Cæsaris, seu per concessionem precum factam Præcistæ res desiit esse integra, quia aliquid cæptum fuit, licèt necdum consummatum. Item Precista per acceptationem hujus gratiæ precum facit, ut res non sit ampliùs integra, ut Paris. *cons.* 145. *num.* 14. *vol.* 1. Old. *cons.* 229. Mohed. *decis.* 354. apud Chok. qui addit, huic dispositioni juris videri suffragari observantiam; & in dubio gratia Principis censeri debet perpetua, juxta Bursat. *cons.* 30. *num.* 4. adeóque licèt privilegium hoc Cæsari à Papa datum exspiret cum Cæsare, non tamen privilegium à Cæsare datum Precistæ exspirat cum Cæsare.

Quæstio 616. Quandonam, sive intra quod tempus hi Executores debeant exequi gratiam illam precum?

1. Respondeo primò: Executor etiam datus ad providendum de beneficio, quod impetrans duxerit acceptandum, non potest illud ei conferre (vel etiam dum Executor non est ad providendum, facere conferri) priusquam ille acceptavit, seu declaravit, se illud petere. Chok. *pag.* 52.

2. Respondeo secundò: debent providere aut facere provideri Precistis infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuit, & illi ea acceptârint, seu duxerint acceptanda, conferétque Executor beneficium (intellige dum est ad providendum) etiam illo, ad quem aliàs spectat collatio, non vocato aut monito; cùm is tunc sit merus Executor. Chok. *ibid.*

Quæstio 617. An Imperator hoc suum privilegium seu indultum precum cedere etiam possit alteri, ita ut non solùm nominati à Cæsare, sed etiam nominati ab iis, quibus Cæsar hoc jus nominandi concessit, frui possint gratia precum?

Respondeo affirmativè; cùm, ut Felin. *in repertor. v. denominatus de mandato.* nominatus de mandato alterius censeatur nominatus à mandante. Chok. *pag.* 21. testans sic illud cessum à Ferdinando Cæsare Electori Coloniensi, ita ut nominati ab hoc Electore censeantur nominati à Cæsare.

Quæstio 618. An Cæsar, postquam uni concessit preces, seu unum nominavit, possit à prima nominatione resilire, & nominare alium; vel etiam absque eo, quòd resiliat à primo, alium illi substituere, putà, dum Precista est mortuus, vel renunciavit gratiæ?

1. Respondeo primò, non posse sine omni causa; quia, licèt princeps possit sine omni causa suum privilegium revocare, ut Felin. *in c. quæ in Ecclesiarum. de constitut. num.* 55. dum tamen alicui benè merito donat vel concedit, (ut Cæsar facit Precistæ) non debet facultas hujusmodi, seu donatio auferri iterum ab eo sine causa, juxta *L. Aquil.* & *L. si pater. ff. de donat.* & Baldum. *in L. quæ ex relationibus. c. de LL.* & alios apud Chok. *pag.* 32. qui tamen id intelligit, si jus aliquod quæsitum precistæ, uti id factum videtur, dum is preces illas acceptavit; eo ipso enim jus acquisivit petendi primum vacaturum: secus si nomen tantùm in rotolo relatum, de quo paulò post.

2. Respondeo secundò, eum posse variare exemplo Legati de latere, qui postquam reservavit sibi beneficium pro certa persona, potest id revocare, & alteri conferre; tum quia per hujusmodi nominationem non acquirit jus in beneficio, sed solùm jus implorandi officium Executoris, ut sibi provideat, vel providere faciat; tum quia exspectativæ omnes sunt odiosæ, adeóque res censetur manere integra, dum quis nominatus est ad beneficium vacaturum. Unde

etiam

etiam talis nominatio vim non habet præsentationis factæ ad beneficium vacans, utpote quæ revocari nequit; cùm non relinquat rem amplius integram. Chok. *pag.* 22. & ex eo Pirh. *num.* 372. Wagn. *pag.* 491. Videnturque hæc procedere etiam, ubi nomen Precistæ jam relatum est in albo seu rotulo Cæsareo, unde sic inscripti & nominati dicuntur exspectantes; quia ex eo non acquiritur jus in re, nec ad rem; cùm sit tantùm nuda annotatio ad principis memoriam. Chok. *pag.* 23. Sed quid si nominatus jam curâsset desuper solenni ritu literas Cæsareas expedire? Videtur adhuc idem esse; cùm per hoc plus juris non acquisiverit; sed neque scriptura sit de essentia, substantia, & valore gratiæ, ut Abb. *in c. nost. de elect.* Archid. & Jo. And. *in proœm. Sexti Decretal.* Etsi necessaria sit ad illius probationem: & quæ in præsentia principis disponuntur, æquè servanda sint, sive scripta sint, sive non sint. *c. institutionis.* 25. *q.* 2. Unde jam etiam censet Chok. *pag.* 22. quòd si quis Cæsar hodie nominet unum, & eras secundum, & hic secundus curet rite solenni desuper expediri literas Cæsareas, hunc secundum non esse præferendum primo.

3. Respondeo ad secundum: si preces alicui concessæ non sint sortitæ effectum ob mortem Precistæ, vel quia Precista non admittit gratiam seu nominationem sibi factam, vel nominatus expressè vel tacitè (putà, quando ob negligentiam inducitur præsumpta renunciatio, v. g. si intra mensem non acceptet, ut hic statuitur, de quo postea; quando enim quis tenetur ad factum limitato tempore, si non facit, probatur negligentia, & ex ea tacita juris renunciatio) renunciat nominationi aut precibus, potest Cæsar nominare alium & alium, donec preces illæ sortitæ sint effectum. Pirh. *nu.* 373. Wagn. *pag.* 941. Chok. *pag.* 24. & 26. qui etiam *pag.* 25. ait, idem posse Cæsarem, nimirum surrogare alium, dum beneficium, ad quod Precista nominatus est, eique exinde collatum, fiat litigiosum, & pendente lite Precista moriatur, aut cedat juri suo; quemadmodum, dum Electus lite pendente moritur, aut cedit, vel electioni non consentit, electio revertitur ad Eligentes. Nec obstat, quòd sic jura statuant de Electoribus vel Collatoribus Ecclesiasticis; quia idem servandum in Cæsare; cùm & ille jus suum mutuatur à Papa, à cujus indulto sit, ut beneficium, ad quod nominavit, maneat affectum Cæsari, usque dum nominatio plenum suum ac pacificum sit sortita effectum; & sanè aliàs vix unquam Precista esset pacificus possessor, cùm ordinarii Collatores, utpote summo odio prosequentes Precistas, semper facerent eis molestias, hoc non facturi, dum vident, quòd si lite pendente moriatur Precista, collatio precum ad Cæsarem revertatur, isque surrogare possit alium.

Quæstio 619. Quid, si Cæsar pluribus simul conferat preces ad eundem Collatorem, seu idem beneficium, quis præferendus?

1. RESpondeo primò, dum ex scriptura seu diplomaribus de eadem data, vel etiam aliunde constat, quis eorum priùs in album Precistarum sit relatus, hic præferendus erit, cùm qui prior est in scriptura, etiam prior sit in tempore, juxta *leg. quoties. c. de usuf.* Chok. *pag.* 23.

2. Respondeo secundò; qui priùs Executori præsentavit diploma precum, præfertur alteri, cui de eadem data facta est collatio precum. Chok. *pag.* 24.

3. Respondeo tertiò, præferendum illum, in cujus diplomate inserta est clausula motûs proprii, vel clausula: *etiamsi alteri contulerimus*; ea enim denotat gratiam alterius esse posteriorem.

4. Respondeo quartò: dum unus à Cæsare est denominatus, alter ab eo, cui Cæsar hac in te partes suas commisit, nec constat de prioritate temporis, præfertur, qui à Cæsare nominatus. Chok. *ibid.* De cetero notanda hic, quæ dicta sunt supra de Papa concurrente cum Ordinario.

5. Denique, si Cæsar uno eodémque verbo primarias nominationes seu preces conferat duobus pro eadem Ecclesia, neutra collatio valet; cùm deficiat potestas, & consequenter etiam voluntas. Chok. *ibidem.*

Quæstio 620. An, & qualiter Cæsar simul, vel etiam successivè nominare possit unum eundémque ad plura beneficia?

1. RESpondeo primò: posse Imperatorem aliquem nominare simul, hoc est, in continenti uno eodémque contextu, nullo interposito temporis intervallo, etsi unum fiat post alterum, ad plura beneficia in diversis Ecclesiis contenta, v. g. ad Canonicatum in Ecclesia, Monasteriensi, Hildesiensi, Paderanâ; quin & ad diversa, eáque incompatibilia, & in eadem Ecclesia dum spectant ad diversos Collatores, v. g. ad Decanum, vel Prælatum alium ejusdem Capituli. Et tot in eadem Ecclesia Collatores gravari possunt, quot in eadem reperiuntur, modò tamen singuli, qui gravantur, saltem 4. beneficia conferre habeant. Chok. *pag.* 48. atqui in hoc casu tot censebuntur nominationes, quot beneficia, licèt uno diplomate comprehensa. Chok. *ibid.* & ex eo Wagn.

2. Respondeo secundò: posse quoque Cæsarem idem facere, hoc est, distinctis & interruptis ex intervallo temporibus, quo casu quælibet denominatio distinctum diploma requirit. Auctores iidem. Verùm tamen in his omnibus casibus, sive nominationes factæ simul, sive successivè, acceptatione unius beneficii, v. g. Canonicatus in Ecclesia Monasteriensi, ceteræ omnes nominationes consumuntur, sive extinguuntur. Auctores iidem juxta tenorem ipsius Indulti; neque enim ideo plures nominationes eidem personæ conceduntur, ut plura illi concedantur beneficia, sed ut citiùs & certiùs pluribus Ecclesiis assignatis eveniat alicujus beneficii vacatio, & consequenter obtentio. Pirh. *n.* 370.

3. Potest nihilominùs Cæsar post extinctionem harum priorum precum, alias de novo concedere preces eidem ad easdem Ecclesias, eosdémque Collatores, illo & illo excepto Collatore, à quo jam obtinuit beneficium vigore priorum precum; cùm idem Collator, precibus effectum sortitis, gravari denuò nequeat; possit autem gravari denuò is, apud quem effectum nunquam adhuc habuerunt. Pirh. *loc. cit.* Chok. *pag.* 49. Et qualiter proinde denuò gravari non poterit Collator Ordinarius, ad quem in specie directæ preces, vi quarum precista quoque acceptavit beneficium ad ejus collationem spectans, dum is dein renunciavit huic à se factæ acceptationi, eò quòd jam hoc ipso nominatio facta à Cæsare habuerit effectum suum, (si non ultimatum, qui est ipsa collatio) nimirum acceptationem, ita ut nihil ex parte collatoris defuerit, quò minùs Precista obtineret beneficium. Chok. *pag.* 107. juxta *decis. Rota* 22. *in antiq.* & Felin. *in c. innovamus. de treugis notab.* 5. apud eundem. Neque per hoc juris communis dispositioni ratione pluralitatis beneficiorum creabitur præjudicium; cùm per affecutionem secundi beneficii vacet prius habitum. Wagn. *pag.* 491. Pirh. *cit. n.* 370. Chok. *pag.* 49.

4. Porrò observandum hic, quæ est postrema in indulto precum limitatio, quòd Canonicatus & præbenda, dignitas sive personatus, administratio sive officium in una Ecclesia habeantur pro uno beneficio, ac proinde non posse Cæsarem unam personam nominare in eadem Ecclesia pro Canonicatu, alteram pro præbenda, aliam pro dignitate, officio aut administratione annexa, (tametsi aliàs vigore mandati Apostolici provideri alicui possit de Canonicatu in præsente, de præbenda verò in futurum, vel contra) idque statutum, ne Ecclesiæ nimium graventur. Auctores iidem.

Quæ-

Quæstio 621. Intra quod tempus teneatur, & possit Precista acceptare beneficium, & quid, si id negligat?

1. REspondeo ad primum, teneri Precistam intra mensem, postquam vacatio beneficii, ad quod etiam in genere nominatus fuit, ipsi innotuit, (ita ut probabiliter hic mensis incipiat currere à die vacationis notoriæ in loco vel Ecclesia beneficii, nisi fortè Precista alleget & probet absentiam, vel aliam justam causam ignorantiæ. Chok. *pag.* 66. & ex eo Wagn. *pag.* 493. & Pith. *num.* 378.) beneficium vacans (intellige non tantùm per obitum, ut Pith. *n.* 377. sed & per resignationem liberè factam in manibus Ordinarii) acceptare, hoc est, declarare per se, (vel per alium, etiam laicum, nempe procuratorem, habentem ad hoc speciale mandatum, juxta Covar. *l. 3. var. res. c.* 16. Auctores iidem; non tamen per substitutum ab hoc procuratore, nisi is haberet potestatem substituendi. Chok.) quòd vigore precum Imperatoriarum petat hoc beneficium, idque quia diuturna vacatio dispendiosa est Ecclesiis. Pith. Wagn. *loc. cit.* Chok. *loc. cit.* ubi etiam, quòd, si dum invalida fuisset acceptatio, utpote facta per invalidè substitutum, aut non habentem speciale mandatum ad hoc, sufficiat ratihabitio Precistæ facta intra terminum ad acceptandum. Unde jam etiam tenetur ante elapsum mensem rescriptum precum insinuare ordinario Collatori, cui aliàs ligatæ non essent manus, possetque vacante beneficio illud conferre alteri. Auctores iidem. Chok. *pag.* 73. citans Germon. *de indultis Card.* Et si Episcopus collator esset, eo absente, insinuatio fieri potest ejus Vicario, (ita etiam ut, si postea Ordinarius conferat alteri, non valeat collatio, etsi dicat, se ignorâsse insinuationem factam Vicario suo. Chok. *ibid.* citans Rebuff. *de nomin. q.* 14. *n.* 60. & Rotam) Auctores iidem. Quin & Vicario, etiamsi is non esset in Diœcesi; cùm, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, possint exerceri extra territorium. Chok. *ibid.* Et, si Collator esset Capitulum, deberet fieri insinuatio in Capitulo, Canonicis capitulariter congregatis; cùm singuli Canonici seorsim Capitulum non repræsentent. Auctores iidem.

2. Porrò tempus illud mensis non currere minori vel legitimè impedito (modò impedimentum non sit affectatum) durante minore ætate vel impedimento, probabilè censet Chok. *pag.* 72. & ex eo Pith. & Wagn. Et licèt aliàs minor in spiritualibus habeatur pro majore, juxta *c. ex parte. de rest. spoliat.* & *cap. ult. de judic. in 6.* censeatúrque sui juris, sicut filiusfamilias quò ad peculium castrense, quia id tamen locum habet tantùm in merè spiritualibus, ut sunt ingressus in religionem, votum, matrimonium, non verò in iis, quæ spiritualibus tantùm annexa, ut beneficialia, in his contra minorem non currit tempus præscriptionis, aut certè conceditur ei restitutio in integrum, juxta Covar. *l.* 1. *var. c.* 4. *n.* 2. Chok, *pag.* 72. Pith. *n.* 381. Wagn. *pag.* 494.

3. Respondeo ad secundum, nihilominùs re adhuc integrâ, id est, adhuc vacante beneficio, probabile est, Precistam post mensem elapsum, etiam, dum sciens vacare, ex negligentia non acceptavit, ut expressè Pith. *n.* 378. Chok. *pag.* 45. posse acceptare illud beneficium, idque propter clausulam extraordinariam adjectam in ipso indulto precum §. *fin.* ubi dicitur, quòd non obstent Precistæ, quæ alioquin per constitutiones Apostolicas requiruntur de insinuatione & publicatione gratiarum exspectativarum, & diligentiis desuper faciendis in favorem ordinariorum Collatorum, dum aliàs, si tales clausulæ derogatoriæ non essent, Precista excideret suis precibus, qui intra mensem per se, vel per alium beneficium non acceptaret; quia non acceptando intra tempus præscriptum, non observaret formam literarum Apostolicarum, & per consequens actus esset nullus, & secundus impetrans præferretur primo. Engels, Pith. Wagn. ex Chok. *pag.* 67. ubi etiam, quòd impetranti incumbat onus probandi acceptationem in tempore factam; quia ubi certum & limitatum tempus, vel alia qualitas est fundamentum intentionis, sive Actoris, sive Rei, oportet, quòd illud tempus & illa qualitas probetur per eum, qui se in illa fundat.

4. Porrò posse nihilominus eidem Precistæ, qui ob negligentiam excidit precibus, pro eodem beneficio conferri denuo preces, non secùs ac alteri, donec sortiantur effectum, tradit Wagn. *pag.* 493. & sic non hoc ipso, quòd Precista neglexit preces intra mensem insinuare Collatori, hic non erit imposterum liber, ita ut nullis ampliùs precibus gravari possit.

5. Respondeo tertiò: quòd, si Precista neglexit acceptare beneficium primum vacans, poterit adhuc petere secundum vacans (idque, sive primum vacans jam collatum fuerit, sive non) quia Papa in indulto relinquit in arbitrio Precistæ, acceptare beneficium vacans, quandocunque & quodcunque maluerit, aut duxerit acceptandum; adeoque poterit acceptare primum vacans, si velit; vel si non velit, potest exspectare secundum, illudque exspectate, & si nec illud velit, potest exspectare tertium, & sic de ceteris. Chok. *pag.* 68. & ex eo Wagn. Pith. Sed neque hic obstat *c. si Clericus. de preb. in 6.* ubi mandatum, ut alicui de beneficio proximo vacaturo provideatur, intelligitur de primo, quo neglecto censetur extincta gratia; cùm hic textus ex mente Gl. *ibid. v. si Clericus.* accipiendus sit, & locum habeat, si mandatum sit restrictum ad beneficium primò vacaturum, quasi illud verbum *proximò* idem significet, quod *primò*, sintque mandati Apostolici termini strictè observandi. Engels *de preb. n.* 71.

6. Respondeo quartò: quòd, si tamen, postquam primum vacans acceptavit, (accipiendo *Tò acceptavit*, non pro acceptatione collationis sibi factæ de primo vacante; indubitatum enim est, non posse eum tunc variare vi earundem precum; sed has extinctas esse, & vim suam amisisse; sed pro declaratione factâ Collatori, se illud petere seu velle) dein ab illa acceptatione tacitè vel expressè resiliat, non potest beneficium aliud de novo vacans vi earundem precum acceptare. Chok *pag.* 68. Pith. *n.* 379. Wagn. *loc. cit.* qui tamen, ut rectè advertit Engels, primitus malè confundunt negligentiam petendi primum beneficium vacans cum hac variatione super acceptatione jam factâ. Quin & non posse in hoc Collatorem illum gravari novis precibus, dictum est ante ex Chok. *pag.* 107. Limitanda tamen responsio, ut non procedat primò, quando primus actus fuit invalidus; dispositio enim loquens de actu intelligi debet de primo actu valido, adeóque per acceptationem invalidam dispositio seu facultas acceptandi non extinguitur. Secundò quando acceptans non posset consequi beneficium illud, quod acceptavit. Tertiò, quando per errorem elegit seu acceptavit alteri jam debitum; vel beneficium simplex pro dignitate. Quartò, quando Precista in ista acceptatione sua protestatur, quòd non intendat acceptare beneficium, nisi quatenus sibi de jure debetur, & in quantum pacificè potest obtinere illius possessionem. Pith. Wagn. *ll. cit.* Chok. *pag.* 71. & 69. Unde

7. Respondeo quintò: quòd si Precista acceptavit, seu petiit sibi conferri beneficium, dicens vacare per obitum Petri, cùm tamen vacet per obitum Pauli, nequit variare; valet siquidem ista acceptatio, modò constet de corpore beneficii, quia demonstratio non vitiat actum, si de corpore, seu re constet, juxta *l. demonstratio. ff. de condit. & demonst.* Neque ab impetratione seu provisione beneficii (quæ impetratio taliter facta, nimirum, dum in supplicatione narratum beneficium vacare per obitum Petri, cùm re ipsâ vacet per obitum Pauli, non valet, etiamsi de cetero apponatur clausula: *sive per obitum Petri, aut quovis alio modo vacet:* quia expresso uno modo vacandi, non venit alius modus per obitum alterius personæ, quæ expressa fuit, juxta *cap. statutum. de rescript. in 6.*) arguendum est ad acceptationem, de qua hîc, quæ

non

non est nisi quædam voluntatis declaratio de acceptando beneficio, si conferatur, & solùm tendit ad executionem gratiæ, Auctores iidem *loc. cit.*

Quæstio 622. An Collatores preces has sibi insinuatas admittere, & nulli alteri, quàm Precistæ, beneficium conferre teneantur & cogantur?

1. Respondeo ad primum affirmativè: Sunt enim hæ preces armatæ, & prævalent cuivis juri conferendi, præsentandi, nominandi aliorum, & hinc rejici nequeunt, obsistente nimirùm mandato Papæ, Wag. *pag.* 490. cogendi enim per censuras ab Executoribus, si nolint. Unde, dum Collatores aliqui has preces non admittunt, etiam quò ad Ecclesias & Collegia, quæ aliàs in rotulis seu registris precum Imperialium in Cancellaria Cæsarea comperiuntur, (ut inter ceteros de Ducibus Juliæ, Cliviæ, & Comitibus Flandriæ, qui diversas Ecclesias habent, in quibus ad ipsos solos Canonicatuum & præbendarum collatio pertinet, teste Cranzio *in Ecclesiastica Saxonum Histor.* memorat Chok. *pag.* 3) ii, etiam Episcopi, quandoque se potissimùm fundant in jurep. laicali, eò quod ex bonis suis patrimonialibus, aut majorum suorum tales Ecclesiæ, seu Collegia fundata & dotata sint, Chok. *ibidem.*

2. Respondeo ad secundum, quòd sequitur ex dictis; non posse Collatores alteri quàm Precistæ debito tempore requirente beneficium conferre, utpote quòd per preces has interpositas redditur affectum, ita ut si collator, etiam ignoranter, illud contulerit alteri, invalida sit collatio propter decretum irritans in indulto contentum, quod etiam ignorantes ligat, ne quoquo modo tali dispositioni contraveniri, & ubi contraventum, nihil actum censeatur, Chok. *pag.* 95. Engels *ad tit. de præb. n.* 71. adeòque Precistâ requirente, collationem à se factam collator corrigere debet, eique de novo validè conferre; cùm melius sit corrigere se ipsum, quàm corrigi, §. *t. authent. de nupt.* Et non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, Chok. *pag.* 72. Insinuat nihilominus idem Chok. *pag.* 62. contrarium, nimirùm potestatem. Ordinarii non esse ligatam, quò minùs, antequam ei debitè insinuatæ sunt preces, conferre possit beneficium, & valeret collatio, prout valet collatio Ordinarii facta, antequam ipsi mandatum de providendo alicui à Papa concessum insinuetur, juxta Gloss. quam citat Chok. *in c. fin. de preb. in* 6. licèt secus esset, si Papa reipsa jam Canonicum aliquem creâsset, & mandâsset illi provideri de prima præbenda vacatura; tunc etiam ignorantis Ordinarii manus ligatæ forent, *c. si postquam, de preb. in* 6. quod in precibus non fit, sed tantùm provisio in futurum mandatur, nullo jure de præsenti collato Precistæ, ita Chok. Quòd si Ordinario negligente aut recusante Precistæ conferre, hic recurrat ad Vicarium Ordinarii, qui ignarus collationis ab Ordinario factæ alicui, idem beneficium conferat Precistæ, & tertius quoque interim illud idem beneficium impetrat à Papa, præferendam à Vicario isto factam collationem, si contulit, uti Executor Apostolicus vigore precum, asserit Chok. *pag.* 72. eò quòd licèt Vicarius non possit expedire ea, quæ sunt meræ gratiæ, potest tamen expedire, quæ sunt Justitiæ & necessitatis, & sic supplere moram Ordinarii. Quòd si collator lateat, aut aliàs obstet, quò minùs ei fiat insinuatio precum, perinde erit, ac si facta fuisset; eùm pro citato habetur, qui se occultat, vel impedit, ne possit citari, juxta *c. Quoniam frequenter, ut lite contestata, c.* 1. *de foro competente.* Chok. *pag.* 78. Porrò num mortuo ante collationem Imperatore Collatores adhuc conferre possint, & consequenter teneantur, ad hoc, inquam, responsum est supra.

Quæstio 623. An Decanus & Capitulum, dum Collatores non sunt, impedire possint Precistam, denegando illi possessionem, (dum missio in possessionem ad illos spectat) si iis constet de injustitia & defectu tituli, v. gr. propter incompatibilitatem beneficiorum?

Respondet negativè Chok. *pag.* 79. hac ductus ratione, quòd imprimis, licèt beneficium haberi non possit, nisi præviâ institutione canonicâ & legitimo titulo, possessio tamen potest transferri sine eo, ut Abb. *in cap. literis, de restit. spoliat.* cùm, quòd beneficium obtineri nequeat absque titulo, id solùm verum sit respectu juris, non verò respectu possessionis, quæ plus facti quàm juris habet. Unde fit, ut exceptiones concernentes titulum non impediant immissionem in possessionem. Deinde quòd Precista hoc ipso, sive ex concessione precum Cæsarearum ei facta habet titulum coloratum, qui sufficit ad tollendam omnem intrusionem, juxta decis. Rotæ, quam citat, validusque satis est, ut Decanus & Capitulum adstringantur ad illius receptionem; cùm illud non habeant nisi nudum installationis ministerium, & nequaquam cognitionem causæ, ut eam haberet, si haberet liberam collationem, adeòque posset se opponere & appellare, & interim conferre, ut Ruzæus *tr. de jure Regal. privilegio* 6. quem citat Chok. *ibid.* Proinde tenetur recipere Precistam, salvo jure cujuslibet; quia non spectat ad Capitulum cognoscere de viribus tituli, & titulus provisi non habetur in consideratione in nudo ministerio facti & possessionis, ut Philip. Prob. *tr. regal. q.* 36. citatus quoque ab eo, sed est hoc Executoris, qui juri tertii non derogat, & coram quo, si tertius opponat exceptionem, ejus est videre, num sit relevans, nec ne.

Quæstio 624. Quænam in illo indulto precum concesso Imperatori à Papa contineantur clausulæ derogatoriæ eorum, quæ eidem indulto obstare non possent?

1. Respondeo, hæ sequentes: Primò derogat Papa Constitutionibus Apostolicis de non utendo gratiis exspectativis.

2. Secundò, literis exspectativis concessis in forma pauperum, juxta *c. si pauper. de preb. in* 6. sive mandatis de providendo pauperibus Clericis non habentibus beneficium; item literis de providendo personis illustribus aut graduatis, ita ut omnes hujusmodi literæ non obsteet precibus Cæsareis, si contingat, illas concedi super talibus beneficiis, quò minùs dictæ preces sortiantur suum effectum.

3. Tertiò, regulis cancellariæ quandocunque publicatis & publicandis, quibus expressè & speciatim derogari debet; quia per clausulam generalem derogatoriam: *Non obstantibus constitutionibus Apostolicis;* non censetur derogatum nisi constitutionibus ordinariis, non extraordinariis, quales sunt Extravagantes & regulæ cancell. atque ita etiam derogatum regulæ undecimæ, quæ est revocatoria exspectativarum, sive per quam Papa statim post assumptionem suam revocat omnes exspectativas, non sortitas in aliqua parte effectum: ita ut hac regulâ non obstante, preces sortiantur suum effectum, etiam post obitum Papæ, qui eas Cæsari concessit, Chok. *pag.* 87. Dubitat nihilominùs Chok. *ibid.* num per istas generales clausulas in precibus contentas derogatum sit iis regulis Cancell. quæ ubique sunt in celebri apud omnes observantia; nimirùm de annali, triennali, de publicandis, de surrogandis, de infirmis, &c. quæ judiciales sunt; & ait Gomes. *in q.* 6. *proœm.* censere, dictas regulas notabiles ex stylo cancellariæ non censeri sublatas, non factâ expressâ & individuo mentione earum.

4. Quartò, statutis & consuetudinibus aliarum Ecclesiarum etiam juramento & confirmatione Papæ roboratis; quibus quoque expressè erat opus derogari, & speciatim etiam derogatur consuetudini optandi, (cujus consuetudinis optandi necessaria erat expressa & specialis derogatio, ut Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 150.) Chok. *pag.* 90.

5. Quintò, literis quibuscunque Apostolicis, non facientibus plenam & expressam de verbo ad verbum de eodem mentionem.

6. Sextò, ipsis Concordatis Germaniæ eorúmque confirmationi, quatenus huic indulto adversantur. Unde patet, dubium non esse, habere has preces etiam locum in mensibus ordinariorum Collatorum.

7. Septimò, quibusvis aliis privilegiis, indultis & literis Apostolicis, indulto huic quomodocunque adversantibus, etiam motu proprio Papæ, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum clausulis derogatoriarum derogatoriis, & aliis insolitis concessis.

8. Ac denique decernitur, quidquid contra quecunque auctoritate attentatum fuerit, irritum & inane, ita ferè Pirh. *n.* 386. & Wagn. *pag.* 495. pluribus de his Chok. *à pag.* 86. qui etiam *pag.* 61. refert, Papam in privilegio dato facultati artium Lovaniensi velle, quòd hujus facultatis nominationes præferantur precibus Imperialibus; quod si verum, expresè ergò per hoc Papa derogavit precibus hisce; malè tamen ex hoc supposito infertur, preces non habere locum in mensibus Ordinariorum; cùm in his locum non habeant dictæ facultatis nominationes; cùm tamen hæ præferantur nominationibus factis vi precum; nam, ut rectè Chok. *pag.* 62. in isto indulto nominandi concesso Lovaniensibus, Papa expresè non vult eas locum habere in mensibus Ordinariorum, cujus contrarium statuit expresè in indulto precum; ergò ex eo, quòd ubi concurrunt nominatio vi precum, & nominatio vi istius indulti Lovaniensis, hæc prævaleat, adhuc non sequitur, istam vel hanc non habere locum in mensibus Ordinariorum.

Quæstio 625. Num contra Cæsarem quoad has preces detur præscriptio, ita ut, si hoc indulto precum non utatur, illud amittat?

Respondeo negativè: quia contra privilegium consistens in voluntate privilegiati non currit præscriptio, si non fuerit usus privilegio, dummodo tamen alii fuerint usi, Chok. *pag.* 21. citans Calderin. *conf. 1. de rescript.*

Quæstio 626. Num Papa idem, qui concessit, vel etiam ejus Successor, preces revocare possit?

Respondet Chok. *pag.* 88. cùm hoc Indultum concessum Cæsari ob ejus in Ecclesiam merita, nequeátque Princeps in hoc casu bene merentiæ auferre à Donatario, quod donavit, sine causa, videri Papam non posse has preces revocare; quod utique intelligendum non de Papa utente plenitudine potestatis suæ; sed de eo, quòd non deceat id eum facere. Unde etiam à tempore, quo Cæsares sunt in possessione precum istarum, visum non est, per aliquem Pontificem iis uspiam derogatum, Chok. *ibid.*

Quæstio 627. Qualiter Precista amittat factam sibi gratiam precum?

1. Respondeo primò: Si Precista fiat inhabilis vel irregularis, aut crimen commisit, quod privationem ipso jure inducit, Chok. *pag.* 30. ubi, quòd tamen iteratò possit Cæsar tali concedere preces; quod credo, intelligit, sublato impedimento inhabilitatis.

2. Secundò: si Precista renunciavit precibus expresè vel tacitè; potest enim quis privilegio in suum favorem inducto renunciare, *c. si diligenti, de foro compet.* & in hoc casu tam operatur tacitum quàm expressum, Chok. *pag.* 30. Censetur autem tacitè renunciare primò, dum contrahit matrimonium, & in hoc casu Cæsar potest alium surrogare, Chok. *ibidem*; quòd si tamen matrimonium fuit invalidum, Precista per hoc non excidit precibus, juxta illud: non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *de reg. juris in 6.* Quin &, qui post impetratas preces ad primum vacaturum duxit uxorem, & ea interim moritur antè primum vacans, posse adhuc vi dictatum precum primum illud vacans obtinere, *pag.* 30. ait Chok. citans Angel. Tertiò tacitè censetur renunciare, dum fit miles; cùm qui arma militaria exercet, perdat privilegium Clericorum; quia facit actum contrarium Clericatui, juxta Innoc. *in cap. in audientia, de sent. excom.* imò perdit beneficium, si quod habet, juxta Paris. *de resign. l. 1. q. 1. n. 22.* Chok. *loc. cit.* Quartò, dum emittit religiosam professionem, Chok. *ibid.*

PARAGRAPHUS XI.
De reservationibus ratione aliarum Exspectativarum.

Quæstio 628. Quid sint exspectativæ, & quotuplicis generis?

1. Respondeo ad primum: Exspectativæ (quæ etiam dicuntur mandata de providendo, nisi quòd mandatum de providendo latiùs pateat, utpote extendens se etiam ad beneficia vacantia) sunt literæ Apostolicæ, in quibus mandatur locorum Ordinariis his vel illis Clericis providere de beneficio proximè vacaturo, Azor. *p. 2. l. 6. c. 32. q. 1.* Pirh. *de præb. n.* 234.

2. Respondeo ad secundum, novem gratiarum harum exspectativarum enumerari à Staphil. apud Azor. *loc. cit. q.* 4. nimirùm Primò, quibus Papa concedit literas, quibus aliquem in Cathedrali vel Collegiata creat Canonicum, certúmque Executorem constituit, qui ei primò vacaturam præbendam conferat. Secundò, quibus concedit, ut quis in una Ecclesia habens Canonicatum, jus habeat ad alium primò vacaturum in alia Ecclesia. Tertiò, quibus mandat, ut alicui habenti Canonicatum, provideatur de alio simplici beneficio in eadem vel alia Ecclesia. Quartò, quibus concedit, ut regularis habeat jus ad obtinendum beneficium aliquod sæculare. Quintò, quibus conceditur, ut certi Ordinis Religiosus jus habeat ad aliquod beneficium regulare alterius Ordinis obtinendum. Reliqua similium gratiarum genera ibi enumerata, non tam beneficia vacatura, quàm retentionem habitorum concernunt.

Quæstio 629. Qua occasione, & à quo tempore introductæ Exspectativæ?

1. Respondeo ad primum: cùm quidam olim Episcopi abuterentur potestate conferendi beneficia, præferendo indignos dignis, & vel maximè à se promotos ad Ordines repellerent à beneficiis, Pontifices per diplomata sua locorum Ordinariis præcipere cœperunt, ut Clericis idoneis, & præsertim illis, quos ad Ordines sine beneficio ullo promovissent: quin & certo alicui à se nominato, quem ob insignem vitæ integritatem aut singularem literaturam, aut ob collatum aliquod in Ecclesiam meritum hac ratione remunerari intendebant, beneficium proximè vacaturum conferrent, Azor. *loc. cit. q.* 1. & ex eo Pirh. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum: Exspectativas & mandata similia Apostolica verisimile est, in usu non fuisse ante annum 1150. eò quòd in toto decretorum volumine, quod circa Annum illum à Gratiano Monacho editum, nulla de iis mentio reperiatur, Azor. *loc. cit. ad initium, c.* 32. & ex Zipæ. *l. 3. juris pontif. ad tit. de concess. præbendæ.* Exspectativarum initia aliqui referunt ad Alexand. III. Exspectativarum usum invectum circa tempora Innoc. III. qui anno 1198. Pontificatum iniit, ait Lott. *de re benef. in apparatu, n.* 14. idque patere ex decretali ejus Epistola relata *in cap. proposuit, de concess. præb.* eumque usum invaluisse adeò, ut sub Innoc. IV. qui fuit creatus Papa Anno 1244. diversæ Exspectativarum formulæ compositæ fuerint, ut Thom. Campeg. *tr.*

de

de reserv. benef. cæterique dein passim Pontifices hunc usum Exspectativarum ad Trid. usque retinuerunt, ut liquet ex diversis decretalibus, sub *tit. de rescript. de præb. de concess. præb. &c.*

Quæstio 630. An, & qualiter dictæ Exspectativæ hodiedum sint sublatæ?

1. Respondeo: Imprimis in Germania Exspectativarum & similium mandatorum de providendo sublatus usus per Concordata, Laym. *ad cap. Capitulum S. Crucis, de rescript. q. 2.* Dein Trident. *sess. 24. c. 19. & sess. 25. c. 7.* ob frequentes harum Exspectativarum abusus universaliter & generatim Exspectativas, & quæcunque eas redolent, abrogavit, ut Zipæ. *loc. cit.* seu omnem earum usum & fomitem, ut Lott. *loc. cit. n. 16.* sustulit, statuendo, nemini omninò imposterum quovis colore concedendas esse, nec hactenus concessas valere Exspectativas, Barbos. paulò post citand. Et ita evanuerunt cum eo etiam dictæ Decretales, & ingentia Doctorum Commentaria super illis, Lott. *ibid.*

2. Procederéque hanc ipsam abrogationem factam per Trid. etiamsi accedat consensus Ordinarii, ajunt Barb. *juris Ecclef. l. 3. c. 13. n. 10.* Zipæ. *loc. cit. n. 1.* citantes Gonz. *ad reg. 8. in proœm. §. 1. n. 64.* ubi etiam, quòd sacra Congregatio Concilii declarârit, ex hoc decreto Concilii colligi, non posse erigi Canonicatum supernomerarium ad futuram præbendam. Extendere se etiam hanc abrogationem Trid. ad exspectativas in favorem Collegiorum, Universitatum, & singularium personarum, etiam sub nomine indulti, ait Patis. *de resign. l. 2. q. 10. n. 4.* sic quoque ait Zipæ. *loc. cit. num. 2.* ex Barb. quòd abrogatis hac ratione indultis concessis, Collegiis etiam & Universitatibus, periclitatæ sint nominationes Universitatum studiorum, eò quòd disertè non videantur, ut aliàs solent, exceptæ, quamvis dicat Barbosam aliàs ad *c. 19. sess. 24.* aliósque ab eo citatos nolle comprehendi Collegia & Universitates, ubi non exprimuntur. Item extendit se hoc Trident. decretum ad reservationes mentales, (quales dicebantur, dum Papa reservabat beneficium vel in specie, vel in genere per Bullam seu Breve, ut personæ gratæ provideret, quam non exprimebat, sed in mente retinebat, Gonz. *loc. cit. n. 67.* apud Barb. & Zipæ. *loc. cit.*) & quascunque gratias ad vacatura, id est, promissiones certorum beneficiorum, cùm vacaverint: & eas nequidem Cardinalibus concedendas decrevit Trident. *cit. c. 19.* Zipæ. & Barb. *loc. cit.* Non tamen per dictum Trident. decretum tolli consuetudinem titulorum canonicorum præbendam exspectantium; uti nec consuetudinem immemorialem, quâ eligi solent aliqui Canonici, quibus demum cedat præbenda primò vacatura; præsertim si inter exspectantes non Senior assumi ex Ordine, sed nova electione magis idoneus debeat, habet Garc. *p. 6. n. 5. & p. 1. c. 1. num. 5.* apud Zipæ. *loc. cit.* Sed neque Trident. *sessione 25. c. 7.* absolutè removit Coadjutorias cum futura successione, (quæ quoque rationem exspectativæ, seu gratiæ talis præventivæ seu prævenientis vacationem beneficii habent, ut Lott. *l. 2. q. 25. n. 6.* citans Rotam apud Mohed. *dec. 10. de privileg.*) sed indulsit in Cathedralibus & Metropolitanis urgente necessitate, vel evidente utilitate, causâ per ipsum summum Pontificem cognitâ, Lott. *loc. cit.* quamvis Card. de Luc. *ad Trid. d. 45. n. 9.* dicat, in Germania & Gallia, aliisque partibus ultra montes, in quibus Concilii observantia non adeò vigeat, vel etiam si in aliis vigeat, in hoc tamen puncto usus aliter suadeat, solere Papam faciliùs in dictis Ecclesiis concedere istiusmodi coadjutorias; in Italia verò & Hispania nullum ferè esse usum istiusmodi Coadjutoriarum in Cathedralibus, bene tamen in Ecclesiis & beneficiis inferioribus, putà, in Parochialibus, in dignitatibus & Canonicatibus Cathedralium & Collegiatarum; sed de Coadjutoriis expresse alibi.

Quæstio 631. Qualiter hodiedum Papa se habeat circa concessionem istiusmodi exspectativarum?

Respondeo: quamvis usus ille Exspectativarum valdè exorbitet à jure, quo inferioribus à Papa penitùs interdictum est, vacationem beneficii prævenire; juxta *c. 2. de concess. præb.* Lott. *cit. q. 25. n. 2.* Quin & Auctores plures, præcipuè Galli, apud Azor. *p. 2. l. 6. c. 32. q. 3.* existimârunt, illum esse quoque contra antiquiores Canones, invectum per Decretales illas posteriores; dubitandum tamen non est, quin Papa ex plenitudine potestatis, derogando isti decreto Trid. utpote quæ per illud ne in minimo diminuta fuit, hodiedum adhuc ejusmodi exspectativas concedere possit, Lott *loc. cit. n. 4.* Card. de Luc. *ad Trid. d. 45. n. 1.* Quin & ea concessio habere potest summam honestatem, fundatam nimirùm in utilitate judicio Papæ expensa, & æstimata ex meritis personæ, cui talis gratia fit, Lott. *ibid. n. 3.* Verumtamen hoc jus sibi soli tribuit Papa, veluti pro imperio quodam extraordinario, Lott. *n. 2.* ex Cujac. *in explicat. 1. & 2. c. de concess. præb.* Quin & in utendo hoc jure suo & plenitudine potestatis post Trid. admodum rari sunt Pontifices, Card. de Luc. *loc. cit.* vel etiam prorsus à concedendis istiusmodi gratiis abstinuerint, Lott. *n. 5.* ubi: quòd etsi audiverit, à quibusdam quandoque, etiam post Trid. fuisse has gratias concessas, non tamen se repetisse exemplum aliud, quàm sub Gregor. XIV. pro Canonicatu Ecclesiæ Calagurritanæ, 26 Septembris, Anno 1561. super quo lis postea fuit orta; & tametsi validam & efficacem propter dictam potestatis plenitudinem, quâ fuerat usus Gregor. cum expressa derogatione Concilii, eam nihilominus gratiam Rota habuerit pro exorbitante, Lott. *cit. n. 5.*

Quæstio 632. In qua forma concedantur exspectativæ, & quale jus conferant?

1. Respondeo ad primum: Exspectativam aliam dari in forma simplicis provisionis, quando nimirùm Papa providet alicui de beneficio vacaturo, quod decernit acceptandum cum clausula: *Ex nunc prout ex tunc*, quo casu etsi constituti certi Executores, tamen gratia dicitur perfecta, nec revocatur morte. Alia datur in forma simplicis mandati de providendo, quando nimirum Papa mandat certis Executoribus, ut provideant impetranti de beneficio vacaturo, quod duxerit acceptandum, quo casu morte concedentis exspirat gratia, Lott. *l. 2. q. 51. n. 79.*

2. Respondeo ad secundum, ante acceptationem beneficii per exspectantem, (quæ acceptatio eget expressâ declaratione exspectantis, nec aliter præsumitur, Cardin. *in Clem. 1. de concess. præb. n. 8*) nullum prorsus jus ei quæritur, quod considerabile sit, Lott. *loc. cit. num. 75.* Post acceptationem autem nihil quoque quæri exspectanti præter jus simplex implorandi officium Judicis, sensisse videtur gl. *in c. veniens, verbo renunciâsse, de renunc.* apud Lott. *num. 76.* Quòd ipsum jus non censeatur præservatum propter modicum præjudicium, quod fit exspectanti, utpote cujus gratia tunc non consummitur, sicque servari de usu & stylo Curiæ, tradit Rota *decis. 17. de præb. in novis.* apud Lott. *num. 77.* qui hoc ipsum tenet *num. 82.* dum exspectativa concessa in forma simplicis mandati, citans pro hoc Cardin. Cassad. &c. Idem sentire videtur Laym. *ad c. ad audientiam, de rescrip. num. 1.* dum ait: Habens gratiam Exspectativæ, eo ipso, quòd provisus non est, seu collationem nullam accepit, non habet jus ad beneficium, nisi remotè. Idem habet ad *c. in nostra, tit. eodem, num. 7.* quamvis contrarium sentiant Chok. *de permut. benef. c. 1. num. 4.* Patis. *de resig. l. 2. q. 23. num. 15.* citans Cardin. & Sarnens. & alii apud Lott. *num 78.* nimirum per talem acceptationem quæsitum acceptanti jus ad rem. Vide de

de hoc dicta in precibus primariis. Quòd si verò exspectativa concessa in forma simplicis provisionis, illicò ut exspectans acceptavit, licèt necdum videatur, habere titulum, dicitur tamen ei jus quæsitum in re vigore istius clausulæ retrotractivæ: *Pro nunc prout ex tunc*; quæ secutâ acceptatione retrahit gratiam ad tempus datæ, Lott. *loc. cit. n.* 80. & 81. citans Crescent. *decis. 7. nu. 13. de concess. præb.* Put. *decis.* 290. *l.* 2.

Quæstio 633. Ad quæ beneficia vacatura se extendant exspectativæ?

1. Respondeo primò: non extendere se ad beneficia, quæ collator tenetur conferre ad nominationem alterius, vel etiam de consilio aut assensu alterius; vel etiam quæ spectant ad præsentationem non nisi de consilio vel assensu alterius faciendam, Lott. *l.* 2. *q.* 15. *n.* 17. & 18.

2. Secundò, neque extendebant se etiam olim exspectativæ ad beneficia electiva, aut simultaneæ collationis, nisi exprimerentur in individuo, Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 120.

3. Tertiò, quia pauper præsumitur vilis persona, dum ei concessa exspectativa, excluditur adhuc à Canonicatibus, & beneficiis consistentibus in Cathedralibus, Lott. *l.* 2. *q.* 48. *num.* 167. citans Staphil. *de form. exspect. ex n.* 40.

4. Quartò, dum concessa est exspectativa de prima præbenda vacatura restricta ad menses ordinarios, non capit præbendam vacantem in mense Januarii, Sede Papali vacante, quamvis Januarius ob cessationem regularum esset ordinarius; idque ex verisimili intentione Papæ, quòd loquendo de mensibus ordinariis, intellexerit de mensibus continuis currentibus, non autem de istis accidentalibus, seu extraordinariis, Card. de Luca *de benef. d.* 31. *n.* 6.

5. Quintò, exspectativa de primo vacante non extendit se ad beneficia, quæ optari solent, sive non derogat juri optandi; cùm enim talis exspectativa per se solam non inducat reservationem aliquam, quia non est de certo corpore beneficii; nec capit reservata, præservat jus optandi in Ecclesiis, ubi consuetudo est optandi, Lott. *l.* 2. *q.* 38. *n.* 15.

6. Denique non extendit se gratia exspectativæ ad beneficia resignata in favorem, sed suspenditur tantisper, Card. de Luca *de benef. d.* 7. *n.* 2. Econtrà verò extendit se ad resignata simpliciter, & sic factâ in manibus Ordinarii, etiam in mensibus Apostolicis, resignatione beneficii, super quo erat concessa exspectativa, subintrat exspectans, quia beneficium vacat, Paris. *l.* 2. *q.* 10. *num.* 6. & *q.* 9. *num.* 24. citans pro hoc Æo. de Falcon. *de exspect. q.* 2. *num.* 31. & Rotam. Vide plura dicta de his in precibus, quæ pleraque & hîc locum habere videntur.

Quæstio 634. An si exspectativa concessa ad primum vacans sortiri non possit effectum ad primum vacans, capiat secundò vacans?

Respondeo: affirmativè, Lott. *l.* 2. *q.* 33. *n.* 44. citans c. *cùm Ecclesia de præb. in 6.* Gemin. *cons.* 30. *num.* 13. Corrad. *l.* 2. *c.* 13. *nu.* 32. Quòd si etiam ex dolo malo seu in fraudem & odium Titii exspectantis Cajus faceret vacare primò beneficium aliquod tenue, v. gr. resignaret, ut ita impediretur Titius ab assecutione pinguioris, quod aliàs futurum erat primò vacans, posse, non obstante illo primo vacante, per resignationem obtineri adhuc à Titio illud secundò vacans pinguius, dicitur in c. *si te, de renunc.* Laym. *ibid. in paraphrasi.*

Quæstio 635. Quæ exspectativa ex pluribus concurrentibus præferenda?

1. Respondeo primò: huic applicari posse, quæ generatim Auctores docere solent; nempè in literis istiusmodi beneficialibus de providendo, attendi debet tempus datæ, ut is, qui prius gratiam impetravit, alteri sit præferendus, juxta *reg. in sis* 14. *in 6.* qui prior est tempore, prior est jure, Laym. *ad c. duobus, de rescrip. num.* 1. Quòd si in literis de providendo, quæ pluribus eodem die ad eandem Ecclesiam datæ apparere non possit de prioritate temporis, is præferendus est, qui literas priùs præsentavit. Si autem duo vel plures simul præsentent tales literas eodem die datas, locus est gratificationi, ita ut unus ex illis arbitrio Collatorum eligi possit, cui beneficium conferant. Ratio horum est, quia ambæ gratiæ exspectativæ validæ sunt, quamvis Collatores alterutram rejicere possint, sive contra eam excipere; eò quòd Papa non soleat Ecclesiam unam pluribus ejusmodi mandatis gravare: debeant autem tunc rejicere eam, quæ minoris firmitatis est; si verò ambæ æqualis firmitatis, possunt rejicere, quam voluerint.

2. De cæterò, dum plures præsentant literas Papales, quæ non sunt de providendo, sed quibus illis ab ipso Papa providetur de eodem ejusdem Ecclesiæ beneficio, cùm pateat, posteriùs datas obreptitias & penitus irritas esse, ex quibus nullum jus impetranti acquiri potest, nec is earum vigore in possessionem absque intrusionis vitio mitti, prioritas præsentationis earum prodesse non potest. Dum verò tales literæ Papales datæ essent eodem die, ita ut de prioritate collationis apparere nequeat, neutra gratia Papalis executioni danda, donec quid certius intelligatur, ita ferè Laym. *loc. cit. num.* 2. Observandum etiam hîc, quòd, si uni mandetur provideri sub conditione, & postea alteri absolutè, & huic posteriori impetranti conferatur Canonicatus priùs quàm alteri; eò quòd necdum conditio dicta impleta esset, hunc quoque posteriorem dein quoque præferendum esse in assecutione præbendæ isti priori impetranti posteriùs recepto ad Canonicatum, c. *si pro te, de rescrip.* Quæ decisio huic innititur rationi: quòd primò impetranti facta sit gratia conditionalis; si enim absolutè facta ei fuisset gratia in assecutione præbendæ, præferendus esset posteriori impetranti, juxta c. *tibi qui, tit. eod.* Laym. *ad cit. c. si pro te.*

Quæstio 636. Qualiter habentes exspectativam ad beneficium aliquod possint renunciare huic gratiæ, aut illam permutare?

1. Respondeo ad primum: possunt renunciare simpliciter, non autem in favorem; cùm adhuc beneficium non sit virtualiter exspectantis, ut illud in alium transferre possit, Laym. *in c. ad audientiam, num.* 1. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 23. *num.* 14. & 15. citans Gemin. *cons.* 127. *in fine.* Boër. *decis.* 308. *nu.* 1. cum communi.

2. Respondeo secundò, habentes gratias exspectativas ad beneficia vacatura posse illis gratiis renunciare absque auctoritate Superioris; quia cessat interesse Superioris; cùm per eas non sit quæsitum jus in re, sed tantùm ad rem, Laym. *l. c.* Paris. *loc. cit.* citans eosdem; & *l.* 7. *q.* 1. *num.* 97. & 98. citans Coras. *de benef.* [illegible] 1. *c.* 5. *num.* 15. addit tamen Paris. *nu.* 99. non posse renunciare literis obtentis ad beneficia vacantia sine auctoritate Superioris; eò quòd juri in re non possit renunciari absque Superiore, juxta Rotam *decis.* 8. *de surep. in novis.* per expeditionem autem literarum & acceptationem videatur quæsitum jus in re beneficii vacantis, citat pro hoc Put. *decis.* 90. *n.* 4. *l.* 1. & DD. communiter *in c. Si tibi, de præbendis in 6.* posse tamen & istis gratiis ad vacantia absque Superioris Auctoritate renunciari tacitè, non capiendo possessionem illorum beneficiorum; cùm per impetrationem non obligetur quis beneficio, nisi ceperit possessionem, juxta Abbat. *in c. Ad audientiam, de rescript.* ait idem Paris. *loc. cit. num.* 99. & 100. Porrò si renunciatio exspectativæ etiam ad vacaturum, fiat cum conditione seu pacto adipiscendæ pensionis aut beneficii, simoniaca est, Laym.

Laym. *loc. cit.* citans Abb. *in c. ad audientiam, n. 6.* & Felin. *ibid. num.* 11. contra gl.

3. Respondeo ad secundum: sed neque permutare quis potest exspectativam ad vacaturum cum beneficio; cùm extendat se solùm ad beneficium nondum vacans, & non tribuat jus in re, sed nequidem jus ad rem propriè, Laym. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. unic. de rerum permutatione in 6.* & Suar. *To. 1. de relig. c. 33. de simon. num. 8.* ubi docet, permutationes beneficiorum odiosas, ideòque non esse extendendas; cùm sint concessiones quædam contra canones, quibus omnis pactio in spiritualibus est prohibita.

Quæstio 637. Quando, & qualiter exspiret Exspectativa?

1. Respondeo primò: dum exspectans consequitur beneficium incompossibile cum eo, ad quod habet exspectativam, *c. si pauper clericus, de præb. in 6.* Laym. *in c. ad audientiam, de rescrip. n. 1.* item Paris. *de resign. l. 1. q. 1. num.* 19. citans Caldec. *cons. 5. de præb.* Anch. *cons.* 214. *nu.* 4. Rom. *cons.* 356. *nu.* 1. & ait, sic sentire omnes in *cit. c. si pauper*, hæcque intelligenda, dum subsecuta est possessio pacifica dicti beneficii incompatibilis, Laym. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. num.* 10. citans plurimas Rotæ decis.

2. Secundò, exspirat morte concedentis, seu mandantis conferre vacaturum, nimirùm Papæ, dum res adhuc est integra; cùm talis exspectativa sit gratia non facta, sed facienda, utpote ad incertum, & nondum vacans beneficium collata, nullam omnino provisionem ex parte Pontificis continens; sed merum providendi mandatum, quod morte mandantis exspirare solet, Laym. *ad c. si super. de off. & pot. jud. deleg. num.* 2. ubi tamen ait, secus esse in gratiis jam factis, (qualem esse ait, dum Pontifex mandat alicui conferri beneficium jam vacans; quia Pontifex, quantum est ex parte sua, jam per tale mandatum fecit gratiam) seu eas non exspirare morte concedentis; neque etiam executionem talis gratiæ suspendi per mortem concedentis, etiam, dum res adhuc est integra, imò etiamsi ista gratia necdum acceptata, & executio esset non mera, sed mixta cum aliqua cognitione causæ; ut dum Papa mandaret in forma *dignum* conferri beneficium vacans, citátque pro hoc Sanch. *l. 8. de matrim. d. 28. num. 43.* Gutt. *qq. can. l.* 1. *c.* 17. &c. atque, id non solùm in gratiis beneficii Ecclesiastici, sed & dispensationis, absolutionis, &c. tenere. Quinimò secus esse ait, dum Papa alicui canoniam ipse conferret, & insuper mandaret Canonicis, v. gr. aut officiali Episcopi, ut præbendam proximè vacaturam eidem conferant; eò quòd in hoc casu gratia est facta à Papa, & executio alteri demandata; citat pro hoc Glos. *in c. si cui, de præb. in 6.* & Garc. *p. 6 §. 3. num.* 305. Tradit quoque Lott. *l. 1. q. 29. num.* 34. quòd, si Papa concessisset exspectativam de beneficio vacaturo cum clausula simili: *Ex nunc prout ex tunc;* gratiam illam usque adeò dici perfectam, ut non exspiret morte concedentis; eò quòd per talem clausulam inducta sit talis effectuatio, & consummatio actûs, & sic decisum ait à Rota in *Calagurritana Canonicatus.* Vide tamen, quæ ibi subdit *seq. n.*

3. Tertiò, exspirat per renunciationem expressam vel tacitam; vide plura de his dicta in precibus primariis, quæ huc applicari possunt.

Quæstio 638. Quandonam exspectativæ censeantur irritæ?

1. Respondeo primò: Si habens literas Papales ad beneficium vacaturum proximè ipsi renunciet cum pacto, ut pensionem vel aliud beneficium consequatur, & postea, tacito, quòd jam priùs aliam exspectativam obtinuerit; quin etiam, si id exprimat, & solùm taceat dictam pensionem, (si ea jure ac titulo beneficii Ecclesiastici constituta sit) esto, simoniacè obtineatur, exspectativa posterior seu secunda est obreptitia, & ipso jure irrita. Laym. *ad c. ad audientiam, de rescrip. nu. 1. c. 3.* ac ita etiam omnia alia, quæ occasione illius, sive propter illud acta sunt, pro irritis haberi debent; cessante enim principali, ruit etiam accessorium, Laym. *ibid. num.* 4. Idem ferè tradit Laym. *ad c. in nostra, de rescript. num. 6. & 7.* ubi, quòd, si quis exspectativam consecutus sit, & vel eodem tempore sub eadem data, vel sub diversa aliam exspectativam ad aliam Ecclesiam impetrat, posterior exspectativa irrita est, prætérquam si constet, aut probari possit, priori renunciatum esse; cujus ratio est, quòd taciturnitas illius prioris exspectativæ est taciturnitas rei intrinsecè pertinentis ad rescriptum posterius; quia si Papa veritatem cognovisset, non dedisset, aut certo alio modo dedisset illas posteriores exspectativas; ac proindè, cùm vel sic (nimirùm si duæ vel plures exspectativæ, aut similia rescripta beneficialia validè impetrantur ad obtinenda plurima beneficia) variis fraudibus præbeatur occasio, quibus obviandum, & cupiditas ad plura beneficia arcenda; adeóque talia rescripta beneficialia tanquam odiosa maximè restringenda, juxta *c. 4. de præb. in 6.* hinc inquam, meritò censendum exspectativam illam posteriorem emanâsse contra Pontificis intentionem, & omninò irritam esse.

CAPUT SECUNDUM.

De aliis Collatoribus inferioribus.

PARAGRAPHUS I.

De potestate Cardinalium in conferendis beneficiis.

Quæstio 639. Quænam beneficia Cardinales conferre possint jure ordinario, hoc est, sine speciali indulto?

1. Respondeo primò: Cardinales Episcopi jure ordinario, & sine speciali indulto & privilegio conferunt beneficia existentia & vacantia in eorum Episcopatibus, intelligendo hoc de mensibus ordinariis. Si enim hanc potestatem habent Episcopi alii, cur non & illi? Paris. *de resign. l. 7. q. 12. nu. 5. & seq.* Item beneficia existentia in Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, quos in commendam ex dispensatione Papæ & consuetudine, ut decentiùs vivant, habent jure ordinario, seu ratione illorum Episcopatuum, Abbatiarum, & Prioratuum conferunt; quia & in his jura Episcopalia exercent; ac proinde visitare, recipere quóque resignationes possunt, Paris. *ibid. num.* 22. Unde etiam, dum Cardinalis Episcopus providet in mensibus ordinariis, semper censetur providere auctoritate ordinariâ, non vigore indulti, Tond. *in qq. benef. p. 2. c. 3. § 5. n. 21.* citans Rotam *Decis. 444. nu. 64. p. 5. recent. Tom. 2.* Quinimò si Cardinalis diceret, se providere vigore indulti, tamen provisus ab eo, diceretur provisus ab Ordinario quò ad ea, quæ à potestate ordinaria dependent, Tond. *ibid. nu.* 21. Lott. *l. 2. q. 10. n.* 38. citans Gonz. *gl.* 14. *num.* 68. & Rot. *in Cremon. Canonic. 26 Apr.* 1624. Ac proinde locus esset dispositioni, *c. 2. de concess. præb.* & devolutioni, nimirùm ad immediatum Superiorem Cardinalis tanquam Episcopi, si Cardinalis Episcopus non contulit intra sex menses, Tond. *ibid. num.* 21.

2. Respondeo secundò: Cardinales non Episcopi beneficia existentia in eorum titulis, seu Basilicis conferunt, non ex gratia seu privilegio particulari, sed de jure communi ac ordinario; cùm Cardinales titulares in titulis suis sint Ordinarii, & tanquam Episcopi, juxta *c. his quæ, de major. & obed.* Paris. *l. 7. q. 12. num. 9.* citans quamplur. Card. de Luc. *de benef. d. 21. num. 16.* Lott. *l. 2. q. 2. nu. 7.* citans Germon. *de indult. Card. §. cum ratione, num. 15.* Barb. *in collectan. ad cit. c. his quæ, nu. 2.* & Abbatem *ibid. num. 1. & 2.* Quapropter in iisdem titulis destituere quoque possunt beneficiatos, recipere resignationes, &c. quia jura Episcopalia in iis habent, Paris. *l. c.* Nihilominùs jus hoc providendi in illis in tantum consecuti sunt ex speciali concessione Papæ, quatenus illi aliàs jus hoc tanquam Urbis Episcopo originaliter competit, ut eos magis alliceret ad residendum, & ne deserant Curiam Papæ, cui assistere debent, Lott. *loc. cit. nu. 8.* citans Germon. *ubi antè.* Unde etiam hac potestate conferendi privantur, si à Curia discedant, juxta *reg. 7. Cancell.* Lott. *ibid.* Porrò ex eo quòd jure ordinario beneficia illa conferant, infert Card. de Luca. *loc. cit. num. 17. & 19.* quòd, dum per regulam dictam ratione absentiæ illorum à titulis suis reservantur dicta beneficia, aliàs ad eorum collationem ordinariam spectantia, id fiat per speciem pœnæ, (quam semper importare dicitur privatio juris quæsiti, & competentis) non autem per modum ademptionis vel modificationis gratiæ ac privilegii, adeoque absentia esse debeat talis, quæ speciem delicti redoleat. De cetero præsentiam eorum non requiri veram, sed sufficere fictam, qualis est, dum absunt pro servitio Sedis Apostolicæ, vel occasione residendi in proprio Episcopatu, vel aliàs de licentia Papæ, secùs ac contingit in Episcopis alternativa mensium gaudentibus, tradit idem Cardin. Porrò dum jure ordinario dicuntur conferre in mensibus reservatis, hoc ita accipiendum, non quòd fiat hoc citra omne privilegium, (faciunt enim hoc vi exceptionis contentæ in *regula* 8.) sed postquam præservari per hanc exceptionem conferunt de jure, quod habuerunt seclusâ reservatione: Adeóque quòd hoc in sensu jus eorum sit ordinarium, id potiùs habent jure dictæ exceptuationis, quàm indultariæ concessionis, huic exceptuationi superaddita, vide Card. de Luca. *in sum. de benef. n. 23.*

Quæstio 640. An, quale, & quotuplex sit indultum Cardinalium conferendi beneficia?

1. Respondeo ad primum: Cardinales omnes ex speciali privilegio intuitu hujus supremæ dignitatis ipsis à Papa concessæ habent indultum circa collationem beneficiorum, Tond. *loc. cit. n. 3.* Paris. *l. 7. q. 12. num. 23.* de quo indulto specialem tractatum edidit Anastas. Germonius.

2. Respondeo ad secundum: horum indultorum duo sunt genera, alia ordinaria, alia extraordinaria. Ordinarium illud, quod solet concedi Cardinalibus, qui jure ordinario beneficia conferre possunt; dum nimirum, ut dictum, obtinent Episcopatum aliquem aut Abbatiam, etsi eam habeant in commendam, vel aliàs speciali jure, privilegio, aut consuetudine legitima titulis beneficiorum suorum hanc potestatem annexam habent, Tond. *loc. cit. n. 4.* ubi ex Seraph. *decis. 980. nu. 8.* quòd breve faciens mentionem de ordinariis Collatoribus, non solùm intelligatur de Ordinario nativo, nempè Episcopo, sed etiam de quolibet collatore ordinario, adeoque indultum hoc ordinarium suffragatur Cardinalibus in omnibus casibus, in quibus Cardinales sunt ordinarii collatores; non autem in quibus sunt collator extraordinarius, v. gr. dum collatio beneficiorum spectat ad eum, tanquam ad legatum, Tond. *n. 7.* Cùm enim in multis casibus Cardinales considerati ut collatores ordinarii impediantur conferre beneficia propter regulas Cancellariæ, hinc datur illis indultum hoc, quod nihil est aliud, quàm remotio impedimenti provenientis ex iisdem regulis Cancell. Unde etiam dicitur ordinarium, quia non tribuit Cardinalibus novam facultatem conferendi beneficia; sed solùm removet impedimenta, ita ut Cardinalis collator ordinarius vi illius conferens beneficium in mense aliàs non ordinario, sed reservato, dicatur conferre tanquam Ordinarius, neque ab ipso provisus dicatur provisus Apostolicus, sed beneficium obtinere tanquam provisus ab Ordinario, Tond. *loc. cit. num. 9.* juxta decis. Rotæ *in Toletan. beneficii, 5 Aprilis*, 1593. apud Buratt. *decis. 622. num* 11. Idem docet Lott. *l. 2. q. 10. num. 37.* dum ait: si Papa indulgeat Ordinario impedito conferre propter reservationes Apostolicas, ut illis non obstantibus, conferat, privilegium sive indultum cadit super remotione impedimenti; non autem super actu collationis subsecutæ, & propterea actus remotionis impedimenti dicitur Apostolicus, actus verò collationis dicitur ordinarius: non secùs ac si ligato pedibus dissolvantur vincula, dicitur beneficium illud dissolventis consummari in ista dissolutione vinculorum; actum verò subsequentis ambulationis esse actum hominis liberi, & distinctum à dicto beneficio, citat Jo. Monach. *in c. cum aliquibus, num. 2. de rescript.* Idem eadem similitudine adducta habet Card. de Luca. *de benef. d. 1. n. 5.* idque procedit, etiamsi Ordinarius dicat, se conferre in vim indulti, juxta dicta *q. præced.* Extraordinarium indultum est, quod continet aliquid, quod Cardinalis non posset facere tanquam Episcopus, aut alius collator ordinarius; quia tunc Cardinalis non confert jure ordinario, sed in vim provisionis pontificiæ. Unde tunc provisus ab eo dicitur provisus Apostolicus, debétque frui omnibus privilegiis & prærogativis, quæ de jure competunt proviso Apostolico, juxta tradita per Rotam *decis. 530. num. 26. p. 4. recent. To. 3.* & Angelum *Tr. de acquir. poss. q. 19. num. 70.* Tond. *loc. cit. nu. 11.* Tale indultum extraordinarium communiter reputatur illud, quod concedi solet Cardinalibus. Episcopis post Episcopatum dimissum conferendi nihilominùs vacantia in eo beneficia in mensibus Papalibus, de quo infra. Porrò hoc ipsum indultum extraordinarium superinductum, utpote inductivum formalis servitutis odiosum esse; dum econtra illud ordinarium datum Cardinalibus Episcopis possidentibus Ecclesias tanquam ordinariis Collatoribus sit favorabile, utpote præservativum facultatis de jure communi aliàs competentis, seu remotivum obstaculi inducti per regulas reservatorias, tradit Card. de Luc. *de benef. d. 2. num. 6.* Est & illud observandum, quòd hujusmodi indulta quandóque sint ampliora, quandóque verò strictiora, & ideò semper eorum tenor diligenter inspiciendus est, Tond. *num. 19.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 24. n. 73. & 74.* Card. de Luca. *in sum. de benef. num. 109.*

Quæstio 641. Ad quæ beneficia conferenda extendant se indulta Cardinalium?

1. Respondeo primò: extendunt se ad omnia beneficia reservata, exceptis iis, quæ reservantur reservatione clausâ in corpore juris, quia per illa tolluntur obstacula omnium cæterarum reservationum, Tond. *loc. cit. n. 20.* citans Rotam.

2. Secundò ad omnia & singula beneficia quomodolibet nuncupata, & qualificata ad ipsorum cum alio collationem, præsentationem, electionem aut similem aliam, vel dissimilem dispositionem spectantia, (modò in libris Cameræ Apostolicæ descripta non sint, aut ex personis familiarium Papæ, vel Conclavistarum, aut occasione vacationis apud Sedem reservata vel affecta non sint) ita ut soli per se ipsos vel alios ab ipsis deputandos absque canonicis, Capitulo, aliisve quamlibet dispositionem conjunctim vel divisim cum iisdem Cardinalibus habentibus liberè de iis providere possint, dummodò aliis sub illorum indultis comprehendantur, Tond. *loc. cit. n. 13.* juxta constitut. Urbani VIII. *29 Decemb.* 1625. quam verbo tenus recitatam videre est apud Lott. *l. 2. q. 10.*

num.

num. 126. átque ita, dum indultarii vi dictæ constitutionis conferunt soli dicta beneficia aliàs ad simultaneam collationem spectantia, dicendos esse conferre illa jure delegato, ac vice & nomine Papæ, cùm ita iis detur istud plus, quod antea eis non competebat, ait Card. de Luca. *de benef. S.* 1. *num.* 37. citans decis. Rot. 505. *p.* 5. *recent.* quam reputat magistralem & primam in hac materia.

3. Tertiò extendunt se indulta ista Cardinalium præfatorum, hoc est, Episcoporum, ad beneficia Ecclesiæ suæ, quam ultimo loco dimiserunt; sic enim Urbanus VIII. in *const.* sua quæ incipit: *licèt nullus* &c. decernit, quòd Cardinales præsules indulto conferendi beneficia uti possint ratione duntaxat Ecclesiarum, quibus præsunt, quarum regimini ultimo loco cesserunt. Tond. *loc. cit. num.* 33. ubi etiam ex Barbos. quòd constitutio illa Urbani non sit extendenda ad alias Ecclesias præter illam, cui ipsi præfuerunt, aut præsunt tanquam præsules. Verùm num ad hoc suffragetur illis indultum, quod habuerunt, dum Ecclesias dictas possidebant; an egeant novo speciali, de hoc vide dicenda inferiùs, ex quibus probabiliter deduces egere novo, saltem quo ex nova gratia preservetur illud habitum, seu habita facultas prior indultaria.

4. Quartò extendunt se hæc indulta ad beneficia patrimonialia, ut tradit Paris. *de resig. l.* 2. *q.* 12. *n.* 5. modò conferantur filiis patrimonialibus.

5. Quintò extendere se ad beneficia litigiosa, docet Card. de Luca. *de benef. d.* 52. *num.* 15. citans Rotam *decis.* 525. *p.* 2. *recent.* At tamen Lott. *l.* 1. *q.* 40. *num.* 108. sub concesso indulto conferendi etiam litigiosa, non comprehendi litigiosa, nisi in casu resignationis, citat pro hoc Lancell. *de attent. in præf. num.* 53. Put. *decis.* 56. *de præb.* & negat simpliciter Garc. *p.* 5. *c.* 3. *num.* 58. Cardinales ordinarios collatores posse vi indulti conferre beneficia litigiosa, seu in iis subrogare, ex quo de jure communi id prohibetur per *c.* 1. & 2. *ut lite pendente*, eò quòd indultum tollat solùm obstaculum reservationis Regularum; citat pro hoc Gonz. *gl.* 14. *nu.* 27. qui dicat sic expressè resolutum *in Hispalensi beneficii* 20. *Feb.* 1604. & aliàs, vide dicenda de hoc infra, ubi de Legato de latere.

Quæstio 642. *Ad quæ beneficia se non extendant hujusmodi indulta Cardinalium?*

1. Respondeo primò: indultarium conferre non posse ea beneficia, quæ aliàs remotis reservationibus conferre non posset, utpote ad alterius collationem privativè spectantia; indultum enim non capit beneficia ad inferiorum collationem spectantia, (etiam dum ea reservata sunt Papæ, nisi de iis sit facta expressa mentio) cùm potestatem Ordinarii non augeat, neque ei tribuat plus, quàm de jure, seclusis reservationibus, ei competit. Card. de Luc. *de benef. d.* 1. *n.* 2. 3. & 5. citans Garc. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 6. Unde jam etiam si collatio spectaret ad solum Capitulum, nisi obstarent reservationes Apostolicæ, his obstantibus, non spectabit ad indultarium, (v. g. dum Episcopus istius Capituli, seu Ecclesiæ esset Cardinalis) sed ad Papam. Card. de Luc. *ibid. cit. num.* 2.

2. Secundò, indulta hæc, quamvis generalia & universalia, non capiunt reservata reservatione clausa in corpore juris, ut dictum *q. praced.* Lott. *l.* 2. *q.* 27. *n.* 91.

3. Tertiò, non capiunt beneficia, in quorum providendorum possessione non est indultarius, si reservationes non obstarent, esto jus ipsum providendi esset penes indultarium. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 144. citans Mohed. *decis.* 8. *de privileg.* & Puteum *decis.* 200. *l.* 1. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 4. citans Garc. *ubi ante. num.* 7.

4. Quartò, non extendunt se ad beneficia seu monasteria consistorialia, (qualia hodiedum dicuntur illa, quæ in libris Cameræ taxata reperiuntur in florenis 66⅔.) Card. de Luc. *de benef. d.* 4. *n.* 2. & *seq.* Nec etiam ad alia beneficia descripta in iisdem libris Cameræ, quorum fructus ibidem taxati reperiuntur. Tond. *loc. cit. n.* 14. juxta *cit. constit. Urbani VIII.*

5. Quintò, non extendunt se ad resignata in favorem. Paris. *l.* 2. *q.* 19. *n.* 1. Unde etiam in Bulla Innoc. ut possint conferre vacantia per cessum vel decessum, non comprehendunt resignationem factam in Curia in favorem certæ personæ. Paris. *ibid. n.* 8. testans sic resolutum à Rota 14. *Novemb.* 1548. *in una Augustana Præceptoria*, sed verba illa: *per cessum vel decessum.* etiam addita in ipso indulto, accipiuntur de renunciatione simplici, ut *ibid.* Paris. *num.* 5. citans Puteum *decis.* 323. Mohed. *decis.* 338. Paleot. &c. limitat tamen etiam hoc ipsum Paris. *n.* 9. nisi fortè in indulto apposita essent hæc verba: *per cessum vel decessum, etiam in favorem certæ personæ.*

6. Sextò, neque ad beneficia vacantia apud Sedem hodiedum se extendunt, juxta constitut. Pauli V. quæ est 58. *in Bullar. tom.* 3. Lott. *cit. q.* 27. *n.* 92. Tond. *n.* 16. concedi nihilominus quandoque indulta Cardinalibus cum clausula: *Etiam in Curia per promotionem, amissionem, vel quamcunque aliam dispositionem, & sic per cessum, vel decessum vacantia*, ait Paris. *loc. cit. n.* 2.

7. Septimò, non extendunt se ad beneficia vacantia per obitum familiaris Papæ, vel familiarium Cardinalium; Sic enim expressè *in constit.* 58. Pauli V. indultorum moderatoriâ. Tond. *loc. cit. num.* 5. Idem docens de Conclavistarum beneficiis Card. de Luca. *de benef. d.* 4. *n.* 2. dicens, ad hujus Constitutionis limites hujusmodi indulta generaliter concedi, ejus scilicet formâ reservatâ, quoties ex gratia speciali aliter non statuitur, ut sequi solet in indultis, quæ Nepotibus vel sans benevolis conceduntur. Item Lott. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 94. & 95. dicens regulariter in istiusmodi indultis, præ cæteris excipi beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalis, sive vacent in Curia, sive extra; ita ut Cardinalis aliusve eorum collator ordinarius se nequeat ullatenus in eorum provisione immiscere. Addit tamen idem Card. de Luc. *n.* 9. quòd dicta constitutio Pauli V. excipiat nihilominus collationes, quæ Cardinalibus competunt ratione Ecclesiarum sui tituli, circa quæ expressè dicit, se nihil de novo statuere, quòd exceptio intelligenda quoad beneficia in ipso titulo existentia, & quorum collatio ratione ejusdem tituli tanquam ordinario Collatori competit.

8. Octavò, indulta istiusmodi ordinaria Cardinalium non comprehendunt beneficia vacantia ante adeptionem possessionis Episcopatûs, aut dignitatis similis, cui annexa collatio ordinaria beneficiorum factam per Cardinalem; quia cum illa beneficia essent jam reservata, antequam Cardinalis possessionem Episcopatûs, aut dignitatis alicujus alterius apprehenderet, possessio de novo capta non potest tollere reservationem jam formatam, nisi fortè indultum tale Cardinalis comprehenderet beneficia vacantia de præterito. Tond. *loc. cit. n.* 27. citans Gonz. *gl.* 24. *n.* 108. consentire videtur Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 633. An autem è contra Episcopus succedens Cardinali possit conferre beneficium, quod vacavit in vita aut Cardinale adhuc possidente Episcopatum, dubium est. Affirmat Gonz. negat Garc. *n.* 635. Garciam sequitur Tond. *p.* 2. *c.* 3. §. 5. *à n.* 31.

9. Nonò, non extendunt se ad reservata duplici reservatione, intellige, dum ambæ sunt personales, & coæquales, v. g. si beneficium fuisset possessum ab eo, qui simul erat familiaris Papæ, & Protonotarius. Secùs enim esset, si reservata essent reservationibus disparibus, quarum una esset realis, altera personalis, una tamen alterâ inferior. Card. de Luc. *de benef. d.* 3. *n.* 5. Tond. *loc. cit. n.* 35. citans Riccium *collect.* 2956. qui dicit, sic decisum à Rota.

10. Decimò, non potest Cardinalis vi indulti (nimirum extraordinarii) conferre beneficia alienæ diœcesis vacantia in mensibus papalibus, literis indulti necdum confectis; eò quòd hujusmodi facultas est extraordinaria, ordinariis collatoribus præjudicans, & restringenda. Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 21. *n.* 22.

11. Undecimò, neque indultum impedit optionem. Garc. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 8. citans Germon. *§. etiam ex eo. n.* 42. & Rotam.

12. Duodecimò, neque extendit se ad dignitates majores post pontificialem in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 630. ex Gonz. *gl.* 24. *n.* 72.

13. Decimò tertiò, non extendunt se hæc indulta ad beneficia vacantia, postquam Cardinalis Episcopus renunciavit Episcopatui, & donec Episcopus successor caperet possessionem; quia ex quo Episcopus renunciavit simpliciter in manibus Papæ, renuncians post renunciationem abdicavit à se omne jus, adeòque non potest ampliùs conferre. Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 7. *n.* 18. citans *Caputaq.* contra Rebuff. Sic etiam tanquam indubitatum refert Card. de Luca. *de benef. d.* 2. *n.* 5. ex Germon. *de indult. §. nec non quorumcunque. n.* 19. *& seq.* indulta concessa Cardinalibus respectu Ecclesiarum, quas obtinent tanquam Episcopi, cessare dimisso Episcopatu, & illud solùm remanere in quæstione, an illicò cessent per dimissionem; an verò exspectandum tempus effectuationis.

Quæstio 643. An, & qualiter igitur Cardinalis post dimissum Episcopatum pergat ex indulto, ut passim fit, conferre beneficia?

RESpondeo: Cardinalibus, qui habent Episcopatus in commendam, vel aliàs, dum eis renunciant, passim solet concedi indultum speciale novum conferendi beneficia istius Episcopatûs in 8. mensibus spectantibus ad Papam, in aliis verò mensibus ea conferri ab Episcopis. Paris. *l.* 7. *q.* 12. *n.* 24. Card. de Luc. *de benef. d.* 2. *n.* 1. vel, ut ait Card. de Luca. *de benef. d.* 31. *n.* 1. quo præservetur eadem indultaria facultas, quam dum Episcopi erant, habuerant, restricta solùm dictâ facultate ad Ecclesiam ultimo loco dimissam, si plures eum habere & dimittere contingeret Ecclesias, juxta *constit.* 60. Urbani VIII. Porrò tradit, & probat idem Card. in *cit. d.* 31. *n.* 7. *& seq.* quòd quidquid sit de stricta juris censura, (juxta quam Cardinalis indultarius, dimisso Episcopatu, jus illud conferendi magis habere dicitur ex novo indulto particulari, & extraordinario) ex verisimili intentione tam Papæ admittentis, quàm Cardinalis dimittentis Episcopatum jus conferendi in 8. mensibus pontificiis, quod jam Cardinalis indultarius habebat, non dicitur assequi ex novo jure delegationis, & ex novo indulto particulari, seu extraordinario, quod desuper expediri solet; sed potiùs jure retentionis, vel non dimissionis dictæ primævæ Episcopalis, seu ordinariæ facultatis, perinde ac si ad hunc effectum adhuc esset Episcopus, adeòque ei competat, (ut aliàs competit Ordinario) conferre beneficia dictis mensibus Papalibus Sede Papali vacante. Rationem hujus suæ doctrinæ dat, quòd, dum hujusmodi Episcopatuum dimissiones, quas faciunt Cardinales cum reservatione fructuum, (assignatâ solùm novo Episcopo congruâ, ita ut Cardinalis resignans dicatur percipere fructus tanquam dominus beneficii, & tanquam per continuationem antiquæ possessionis vel juris, perinde ac si non resignâsset, ut Paris. *de resign. l.* 6. *q.* 1. *num.* 17. & alter Paris. *cons.* 39. *vol.* 4. Mandos. *ad reg. de annali. q.* 30. *n.* 1. *&c.*) ac etiam collationis beneficiorum, admittantur in Cardinalium gratiam cum illis conditionibus, in quibus conveniant cum iis, qui de Ecclesiis providendi sunt; adeò ut quamvis Papa dicere soleat se facere omnia motu proprio, in effectu tamen totum sequi videatur ex conventione inita inter resignantem & resignatarium, vi cujus hic contentus esse debeat collatione 4. mensium, reliquis remanentibus penes renunciantem jure primævo, & continuativo per non dimissionem illius. Atque idem Card. his obstare non posse, quòd hodiedum vi *constit.* 59. Urbani VIII. de qua supra, habentes istiusmodi indulta non dicantur conferre jure ordinario, sed delegato, eò quòd hæc constitutio, cùm procedat in favorem Indultariorum, dum in vim indulti majorem accipiunt facultatem conferendi, nimirum per se solos beneficia conferenda aliàs per electionem, præsentationem, vel simultaneam collationem Capitulorum; adeòque trahi non debeat in odium eorum, dum extenderetur quoque ad alios casus: vide de hoc plura apud Card. de Luc. *de benef. d.* 2. *ferè per tot.*

Quæstio 644. An, & qualiter indultum concessum Cardinali Episcopo suffragetur etiam Capitulo habenti simultaneam collationem, vel electionem cum dicto Cardinali?

1. RESpondeo primò: præscindendo à declaratione seu constitutione Urbani VIII. de qua paulò post, Indultum illud, utpote removens solùm obstacula reservationum, & conservans Cardinalem ordinarium Collatorem in sua potestate ordinaria; non autem amplians eandem potestatem, ita ut solus possit conferre in præjudicium simultaneæ collationis; non secùs ac exceptio, quâ Cardinalis ordinarius collator in ipsa regula excipitur à reservationibus mensium, suffragatur etiam Capitulo habenti simultaneam, (secùs est de indulto, quod habent Cardinales non ordinarii collatores, de quo intelligendus Cassador. *decis.* 8. *de præb.* & prout intelligunt Gonz. *gl.* 24. *num.* 66. Moneta &c. apud Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 104.) cujus ratio est, quòd in individuis, quod quis per alium retinet, quod per se retinere nequit. Argumento *l. si communem fundum &c.* & quòd, ut inquit Paulus *in l. aristo. ff. quæ res pignori oblig. poss.* quandoque quis id, quod ex sua persona non habet, hoc per extraneum habere potest. Et ubi duo sunt socii, propter eum, qui capax est, & alter capit per consequentiam, qui aliàs est incapax. Lott. *loc. cit. à num.* 103. referens quamplurimas pro hoc Rotæ decisiones, uti & sic quondam judicatum esse pro hoc testatur Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 3. *§.* 2. *num.* 13. vide etiam Card. de Luc. *de benef. d.* 1. *n.* 35. & Garciam *p.* 5. *c.* 1. *n.* 627. Verùm

2. Respondeo secundò: quidquid de hoc fuerit quondam, (quamvis & hoc ipsum de indulto speciali ultra exceptionem illam in regula positam, concesso Cardinalibus conferendi tanquam reservata, quòd per illud Capitulo conservata fuerit simultanea, negare, & de sola exceptione posita in regula id admittere videatur Lott. *loc. cit. n.* 122.) hodiedum dicendum absolutè contrarium ob *constit.* Urbani VIII. *editam* 29. *Decemb.* 1625. *& publicatam* 10. *Sept.* 1626. *quæ est in Bullar.* 59. (quam verbotenùs recitatam vide apud Lott. *loc. cit. nu.* 126.) sic expressè declarantis & statuentis: nimirum neque in istiusmodi indultis, neque vi exceptionis, de qua regula, conservari ullatenus Capitulis, simultaneam, aut jus nominandi eligendive; nihilque hæc suffragari collatoribus aliis ordinariis inferioribus, ita ut hi habentes aliàs simultaneam collationem, nihil omninò sub prætextu hujus facultatis de istiusmodi indulto & privilegio participare queant. Sed Cardinales Præsules de omnibus ac singulis beneficiis, quomodolibet nuncupatis, & qualificatis ad ipsorum, etiam cum alio, collationem, præsentationem, electionem, similémve, aliam aut dissimilem dispositionem spectantibus, (modò non sint descripta in libris Cameræ, aut familiarium, aut vacantia apud Sedem) posse solos per se ipsos, aut alios ab ipsis deputandos liberè sine Capitulo, aliisve quamlibet dispositionem conjunctim vel divisim cum iisdem Cardinalibus habentibus de iis providere. Lott. *loc. cit. num.* 125. Tond. *loc. cit. n.* 36. qui etiam addit *n.* 37. per dictam constitutionem indultarios hos dici conferre dicta beneficia spectantia aliàs ad simultaneam cum aliis collationem jure delegato, & vice Papæ; cùm detur per hanc iis ampliùs, quàm quod iis priùs competebat, nimirum, ut soli conferant. Quæ tamen constitutio non videtur extendi ad alios casus, ita ut etiam, dum Cardinales Episcopi conferunt

ferunt beneficia reservata, quæ aliàs, seclusis reservationibus, conferunt jure ordinario, dicantur ea modò vide istius constitutionis conferre delegato. Vide de hoc dicta superiùs *in q. 2. hujus §.*

Quæstio 645. Qualiter derogetur indultis Cardinalium ?

1. RESpondeo primò, non obstante indulto, posse Papam prævenire, conferendo beneficia sub indulti reservatione comprehensa; quia per indultum non censetur sibi ligâsse manus, quin ipse conferre possit, præveniendo tanquam de reservato. Tond. *loc. cit. num.* 36. quod tamen intelligendum; modò expressè derogaverit indulto Cardinalis, faciendo de eo expressam mentionem; idque propter privilegium Leonis, quo cavetur non censeri derogatum indultis Cardinalium per quascunque gratias à Papa concessas, nisi specialis mentio tituli & denominationis Cardinalis facta fuisset; quamvis putent plures, illud privilegium Leonis non extendi ad Successores dicti Pontificis. Tond. *ibid. n.* 37. sed quidquid sit de dicto privilegio, dubitandum non est, quin requiratur expressa derogatio indultorum Cardinalium. Quæ tamen sufficienter facta dicitur, si in rescripto Papæ adesset clausula: *Non obstantibus privilegiis talis Ecclesiæ, vel illius Præsulis etiam Cardinalis.* Tond. *loc. cit. n.* 38. citans Achill. de Grassis, *decis.* 7. *de privileg.* Ricc. *collect.* 2380. *&c.* Additque *num. seq.* non solùm in provisionibus beneficiorum per Papam factis necessariam esse derogationem indulti Cardinalis Collatoris, sed etiam in concessione coadjutoriæ facta per Papam; ita ut ea concessa sine ista derogatione non suffragetur; citat pro hoc Rotam *decis.* 10. *p.* 3. *l.* 3. *divers.*

2. Respondeo secundò: derogationem indultorum intelligendam esse de indulto extraordinario, non autem ordinario, ex Puteo *decis.* 93. *l.* 3. testante sic decisum à Rota 26. *Martii* 1548. *in una Tolet. Canonicat.* refert Paris. *l.* 7. *q.* 12. *n.* 27.

Quæstio 646. Qualiter cessent hæc indulta ?

1. RESpondeo: juxta dicta superiùs ex Card. de Luc. *de benef. d.* 2. *n.* 5. indulta concessa Cardinalibus respectu Ecclesiarum, quas habent tanquam Episcopi, dimisso Episcopatu cessare, ac proinde non suffragari illis ampliùs; sed opus esse novo indulto, quo concedatur retentio facultatis conferendi reservata & affecta. Et hoc quidem, dum aliud non exprimitur, suffragatur solùm pro beneficiis istiusmodi reservatis existentibus in Ecclesia ultimò dimissa, non autem pro aliis, quas jam ante seu priùs dimiserant. Card. de Luc. *in sum. de benef. n.* 114. Ad illud autem, quod *cit. d.* 2. *n.* 5. referebat de Episcopo quodam, cui concessum indultum conferendi reservata, etiam suffragaretur post dimissum Episcopatum, respondet: id speciale & individuale fuisse; additque *n.* 16. ex tenore indulti istius clarè constitisse, illud concessum fuisse personæ, non autem ratione Episcopatus, qui demonstrativè solùm enunciatus fuit.

2. De cætero indultum extraordinarium, nimirum conferendi reservata, quæ aliàs seclusis reservationibus conferre nunquam potuit, seu respectu quorum nunquam in eo radicatum fuit jus ordinarium conferendi ex juris communis dispositione, qualia indulta concedi solent Cardinalibus non Episcopis, seu non ordinariis Collatoribus, & quæ meram continent delegationem, per quam indultarius confert reservata vice & nomine Papæ; hæc, inquam, indulta cessant Sede Papali vacante; quippe hac vacante cessant regulæ Cancell. adeòque reservationes præsertim mensium inductæ per has regulas; quin & aliæ reservationes reales & personales, exceptis iis, quæ in corpore juris includuntur, ut sunt familiarium, primæ dignitates &c. (licèt exinde collatio eorum non transeat ad ordinarios Collatores, quia remanent affecta) & consequenter locum non habet indultum, quippe, quod tantùm se extendit ad reservata, sed intrat ordinarius collator. Card. Luc. *de benef. d.* 31. *n.* 2.

Quæstio 647. Num aliquibus præter Cardinales hujusmodi indulta conferendi reservata concedi soleant ?

RESpondeo affirmativè; solet enim Papa aliquibus, nimirum Prælatis qualificatis, præsertim ultra montes Archi-Episcopis concedere indultum conferendi beneficia, quorum, cessantibus reservationibus Apostolicis vel affectionibus, liberam collationem haberent ratione Ecclesiarum suarum, quas possident, quorum tamen indultorum omnium non est eadem formula, sed magis minùsve lata, prout Papæ placuerit. Card. de Luc. *in sum. de benef. n.* 109. *&* 118.

Quæstio 648. An, & qualiter provisi à Cardinalibus in consequentiam indulti ipsis concessi teneantur sibi novas provisiones à Papa impetrare ?

RESpondeo: tenentur has sibi impetrare intra 6. menses à die sibi factæ provisionis à Papa, & jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere, ita ut si ea non præstiterint ante dictum tempus, provisio illis facta à Cardinali sit irrita, & beneficia vacent ipso jure, & possunt ab aliis à Sede Apostolica duntaxat, utpote cui reservata sunt, liberè impetrari, modò provisi non docuerint de impedimento. Tond. *p.* 2. *c.* 3. *§.* 5. *n.* 22. *&* 23. citans Barb. *de potest. Episc. alleg.* 57. *n.* 52.

PARAGRAPHUS II.

De potestate Legatorum Apostolicorum conferendi beneficia.

Quæstio 649. Quotuplicis generis sint Legati Apostolici ?

RESpondeo triplices: nimirum Legati nati, Legati missi, & horum alii missi de Latere, alii simpliciter missi, seu Nuncii. AA. communiter cum Gl. *in c.* 1. *de off. Legati in* 6. Legati nati dicuntur certi quidam Præsules, qui ratione Ecclesiarum suarum, quibus iste honor legationis perpetuò annexus est, munus & officium Legati obtinent, quam primùm ad eas promoventur; ac proinde morte Pontificis eorum potestas non exspirat, juxta *c. præsenti. de off. Leg. in* 6. tales sunt Archi-Episcopi, Cantuariensis in Anglia, Toletanus in Hispania, Rhemensis in Gallia, Pisanus in Italia, Gnesnensis in Polonia, Magdeburgensis olim, nunc Salisburgensis in Germania, Pith. *ad tit. de off. Leg. n.* 1. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 13. *n.* 3. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 25. *n.* 1. qui, ut Castrop. in suis provinciis Primates existunt. Legati de latere sunt Cardinales specialiter constituti à Sede Apostolica seu Papa ejusdem Legati, missique veluti de ejus latere, cui assistunt, ad provinciam aliquam ejus nomine gubernandam, vel alia gravia negotia tractanda. Castrop. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 5. Legati simpliciter missi seu Nuncii Apostolici dicuntur Prælati, (quamvis & alii simplices Clerici ad hoc constitui possint, etsi non soleant. Pith. *loc. cit.*) qui ob negotia gerenda, vel causas aliquas decidendas mittuntur ad provincias, & Curias Principum. Castrop. quamvis & hi aliquando mittantur cum potestate Legati de latere, etsi Legati de latere non sint. Porrò licèt omnes hi Legati propriè sint, quia nomine Pontificis legatione fungantur. Gloss. *in c. statutum, v. à Sede. de rescript. in* 6. eorum tamen jurisdictio & potestas diversissima est, præcipuè in ordine ad beneficiorum collationem. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Quare

Qua-

Quæstio 650. An tam Legati nati & missi, quàm Legati de latere habeant potestatem conferendi beneficia?

1. Respondeo primò: Legati de latere eo ipso, quo Legati constituuntur, habent potestatem conferendi beneficia suæ provinciæ, ad quam mittuntur. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans *c. dilectus. de off. Leg. c.* 1. *tit. eod. in* 6. *c. si à Sede. de præb. in* 6.

2. Respondeo secundò: Cæteri Legati hanc potestatem vi legationis suæ non habent, estque de hoc clarus textus *in c.* 1. *de off. Leg. in* 6. ubi Papa: *Præsenti decreto statuimus, ut Ecclesiæ Romanæ Legati quamcunque plenam legationem obtineant, sive à nobis missi fuerint, sive suarum prætextu Ecclesiarum legationis sibi vindicent dignitatem, ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum &c.* Paris. *loc. cit. n.* 10. Castrop. *loc. cit.* Unde dum potestas hæc eorum aliquibus committitur quandoque specialiter; quia non habetur à jure vi officii, est delegata, & non ordinaria. Castrop. *loc. cit.* Possunt tamen Legati nati beneficia conferre, non quidem jure, seu ratione legationis suæ, sed jure ordinario, quatenus sunt simul in provincia aliqua Archi-Episcopi aut Primates. Pirh. *de off. Leg. n.* 19. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 6. Quin & dum Nuncius mittitur cum potestate Legati de latere, poterit sine ulla alia speciali facultate beneficia conferre. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 52. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 80. Gonz. *gl.* 23. *n.* 3. Zechus *de benef. & pens. c.* 2. *&* 5. *n.* 2. Mandos. *ad reg.* 13. *Cancell. q.* 6. *n.* 4. Quintadven. *Eccles. l.* 1. *c.* 5. *n.* 3. *&c.* Quia tamen hæc potestas, quò ad beneficiorum collationem istis Nunciis missis de cætero cum potestate Legati de latere specialiter restringitur, ut Gonz. §. 2. *proœm. n.* 54. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 82. Castrop. *loc. cit. p.* 26. *n.* 1. in Nunciis Hispaniæ, hinc literæ concessionis examinandæ, & tenor hujus facultatis, & restrictionis ante omnia inspiciendus, ut inde horum Nunciorum potestas cognoscatur. AA. iidem. Neque, ut Castrop. *loc. cit.* obstat, concedi Nuncio, ne obligatus sit in suis literis, gratiis, dispositionibus facultatem suam inserere, aut testibus vel Notario comprobare, quò minùs in contradictorio judicio eam facultatem exhibere teneatur; quia illa prærogativa non inserendi, nec comprobandi facultatem intelligitur in illis gratiis, concessionibus, dispositionibus jure delegationis Nuncio competentibus, non de illis, quæ jure speciali competunt, qualis est hæc facultas providendi beneficia. Adde, quòd intelligatur id, dum non est, qui provisioni factæ contradicat.

Quæstio 651. Qualis sit hæc Legatorum de latere potestas conferendi beneficia?

Respondeo: est ordinaria; quia eorum officio & legationi præcellenti annexa est à jure communi. Unde licèt à Corasio & quibusdam aliis dicatur, eos conferre ex speciali privilegio, id intelligendum est de privilegio, seu prærogativa præ aliis Legatis illis competente, à jure tamen, & sic jure ordinario, & jure legationis non in genere, sed in specie, hoc est, jure talis legationis à latere. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 5. *&* 8. & Castrop. *loc. cit.* citantes Gamb. *de potest. Leg. l.* 3. *n.* 31. Gigas *de pens. q.* 6. *n.* 18. contra Selvam *p.* 2. *n.* 34. Prob. *ad Monach. in c. fin. de constit. n.* 39. & alios apud Garc. *loc. cit.* docentes de latere Legatos non jure legationis, sed speciali privilegio id habere; Item, contra Abb. *in clem.* 2. *de off. ordinar. n.* 4. docentem, quòd potestas Legatorum respectu jurisdictionis sit ordinaria, respectu tamen collationis beneficiorum sit extraordinaria; quia ex proprio officio Legatorum non venit potestas conferendi, & ideo Legati non Cardinales hanc potestatem non habent, & Cardinales legati hoc habent ex speciali privilegio. Contra quos tamen faciunt paulò ante dicta ex Garcia; quòd non jure legationis, sed talis legationis à latere Cardinales à jure habent hoc privilegium. Unde jam infert Garcias *n.* 10. quòd provisus à Legato jure legationis, & ut Legato non dicatur provisus auctoritate Apostolicâ, juxta *c. his, qui de præb. in* 6. & *ibi* Gl. & Franc. *n.* 5. & Bonifac. *in clem.* 2. *de off. Ord. n.* 9. contra Gl. *in eandem clem.* Provisio tamen Legati dicitur provisio Sedis Apostolicæ. Tond. *p.* 2. *c.* 3. §. 6. *n.* 1. Garc. *loc. cit. n.* 12. citans Germon. *de indult. Cardin.* §. *tibi, quo. n.* 101. & Rotæ *decis.* 206. *p.* 1. *divers. n.* 5. dicentes nomine provisionis Apostolicæ venire provisionem Legati, & Gl. *in c. si Abbatem. de elect. in* 6. quam sequuntur Joannes Andr. Franc. &c. dicentes appellatione *Sedis Apostolicæ* venire Legatum de latere, nisi proferatur in materia reservata soli Papæ, aut cum dictione *tantùm*, vel simili: eò quòd Legatus in provincia vices Sedis Apostolicæ gerat in non reservatis. *c. mandatur. de præsumpt.* Cuchus *l.* 2. *tit.* 5. *n.* 22. & in ea repræsentet Papam. Bonif. *in clem.* 2. *de off. Ord.* & ideo literæ Legatorum dicuntur Apostolicæ. Ex quibus omnibus infert Garcias *n.* 15. provisum à Legato, dici provisum Auctoritate Apostolicâ, saltem largè, licèt non ad effectum. *c. his, qui. &c.* Ac ita etiam provisiones Legati eodem fruuntur privilegio executivo, quo aliæ provisiones à Sede Apostolicâ emanatæ. Tond. *loc. cit.* citans Angel. *de acquisit. possess. q.* 20. *n.* 4. Adeóque Breve Pontificis de capienda possessione cum clausula: *Expulsis quibuscunque detentoribus, non tamen à Sede Apostolica* (vel etiam auctoritate Apostolicâ, ut Garc. *n.* 16.) *provisis*: non excluduntur provisi à Legato, Tond. *loc. cit. n.* 2. Garc. *cit. n.* 16. Etsi autem hæc potestas ordinaria sit, quia tamen non est naturalis, sed naturali modo quasi extraordinario superaddita, cedens in præjudicium aliorum Collatorum, est restringenda; quemadmodum èeontra aliorum Ordinariorum, quia est naturalis, est amplianda. Tond. *p.* 2. *c.* 2. §. 6. *n.* 6. Laym. *in c. collatio. de offic. Leg. n.* 1. Castrop. *loc. cit.* citans Gl. *in Clem.* 2. *de off. Ordinar.* & Garc. *uti ante n.* 9.

Quæstio 652. Ad quæ beneficia se extendat hæc Legatorum potestas ordinaria conferendi beneficia?

1. Respondeo primò: in genere ad omnia beneficia vacantia in provincia suæ legationis, quæ ordinarii (intelligendo non solùm per hos Episcopos, sed & quoscunque alios collatores inferiores) in ea conferre possunt, juxta *c.* 1. *de off. Leg. in* 6. Unde sicut Papa cum quolibet ordinario collatore, ita & Legatus de latere cum Ordinariis provinciæ suæ concurrere potest, (etiam nullo requisito consensu Episcopi, ut Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 29. citans quamplures) & datur inter illos locus præventioni, & Legati collatio præfertur collationi Ordinarii, si utráque eodem tempore facta. Pirh. *de off. Leg. n.* 18. Tond. *qq. benef. l.* 1. *c.* 70. *n.* 2. citans Gamb. *de potest. Leg. l.* 3. *num.* 31. Tusch. *v. Legatus. concl.* 169. *n.* 1. *& seq.* Selv. &c. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 24. Prateium *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 5. *n.* 9. Garc. *n.* 40. citans *c. si à Sede. de præb. in* 6. & *ibid.* Gl. Rotam. *in una Assisiensi beneficii.* 29. *Martii* 1587. Mohed. *decis.* 3. *de off. Leg.* Gomes. *de Exspect. n.* 16. & plures alios. Ac propterea collatio Legati de beneficio ita afficit collationem posteriorem Ordinarii, sicut reservatio Apostolica cum decreto irritante. Tond. *l.* 2. *c.* 3. §. 6. *n.* 7. citans *c. si à Sede, & c. si beneficia de præb. in* 6. & *ibi* Gl. modò tamen collatio Legati non fuerit fraudulenta, nempe ut intervenerit tantùm temporis, intra quod Legatus vacationis notitiam habere potuerit; quia cùm regula *de verisimili notitia* locum habeat in collatore ordinario, moltò magis locum habere debet in provisionibus Legatorum, utpote quæ non sunt adeò favorabiles ac Ordinariorum. Tond. *cit.* §. 6. *n.* 8. citans Gregor. *in instit. rei benef. c.* 32. *n.* 4. Similiter sicut Ordinarius extra diœcesim suam, sic Legatus extra provinciam suæ legationis existens beneficia conferre potest. Laym. *ad c. novit. de*

off.

off. Leg. n. 2. cum communi. Ex his omnibus infero, &

2. Respondeo secundò in specie Primò: potest Legatus a latere instituere à patronis præsentatos, & confirmare electos; cùm hæc sint beneficia vacantia in provincia legationis. Castrop. *loc. cit.*

3. Secundò potest conferre spectantia ad collationem exemptorum. Castrop. *ibid.* Laym. *ad c. cùm non ignoretur. de off. Leg. n.* 4. Garc. *loc. cit. n.* 19. citans Gamb. Coral. Zech. &c. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *num.* 30. quia & hi, licèt exempti à jurisdictione Episcoporum, sunt tamen collatores ordinarii istius provinciæ respectu dictorum beneficiorum. Quin & Legatus de latere, vel qui cum simili potestate missus est, exercet jurisdictionem in exemptos, exceptis casibus specialiter Papæ reservatis. Laym. *l. c. n.* 3. citans Abb. Molin. &c. estque Ordinarius exemptorum, ut Garc. *loc. cit. num.* 20. citans Gamb. Cuchum &c. ac proinde procedunt hæc, etiamsi ipsa etiam beneficia sint exempta. Laym. & Garc. *loc. cit.*

4. Tertiò: beneficia monocularia, dum sunt de provisione Ordinarii collatoris. Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Gamb. *de off. Leg. l.* 3. *n.* 512. Azor. *ubi supra. n.* 25. tum quia non minùs quis est & dicitur collator ordinarius respectu unius beneficii, quod unicum conferre potest, quàm alius respectu plurium ad ejus collationem spectantium; tum etiam, ut cit. AA. horum beneficiorum, quò ad hoc nulla invenitur in jure exceptio. Sed neque obstat mandatum Apostolicum de providendo non comprehendere beneficium monoculare; hoc enim mandatum impedit provisionem Ordinarii; potestas autem ista legati concurrendi etiam quòad monocularia provisionem collatoris istius monocularis non impedit, cùm is legatum prævenire possit. Castrop. *loc. cit.* quòd si verò provisio beneficii talis monocularis non spectaret ad ordinarium collatorem; sed esset de provisione delegati Apostolici, seu hîc & nunc de speciali privilegio ejus provisio commissa esset, aut competeret alicui, (dummodò, ut rectè limitat Garc. *loc. cit. n.* 78. per tale privilegium non evadat ordinarius collator) Castrop. censet, Legati potestatem se ad illud non extendere; eò quòd dum dicto modo conceditur alicui potestas ad certum beneficium, vel etiam certa beneficia, Legatus non valet se in illorum provisione intromittere; quia specialis provisio non derogat generali. Atque ita ex Abb. *in cap. dilectus. de off. Leg. in* 6. docet Garc. *cit. n.* 78. & 75. non quidem in specie de beneficio monoculari, sed in genere, dum alicui de certis beneficiis tanquam delegato Apostolico concessum esset privilegium; sive illud de cætero pro una vice seu temporale, sive sit perpetuum.

5. Quartò beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum ordinariis, etiam hodiedum stante regulâ mensium; intelligendo tamen hoc quoad quatuor menses Ordinarii non habentis alternativam. Garc. *cit. c.* 3. *n.* 45. nequaquam tamen conferre poterit vacantia in mensibus Ordinarii gaudentis alternativâ; tum quia illi 6. menses conceduntur Ordinariis sub onere personalis residentiæ, cui concessioni æquum est non derogari propter appositum in concessione alternativæ decretum irritans quamcunque provisionem, etiam factam per Sedem Apostolicam, cui decreto derogandi potestatem de jure communi non habet Legatus. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Garc. *cit. n.* 45. (citat hic Sarnensem *de triennali. q.* 28. qui etiam dicat, Rotam judicâsse, non valere provisionem Legati de latere de beneficiis istiusmodi vacantibus in mensibus istis Ordinarii propter decretum irritans, etsi Ordinarius postmodum non conferret) contra Azot. *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 28. *q.* 24. apud Castrop. item contra Zerolam apud Garciam, qui ait, hunc Auctorem tamen non esse multùm curandum, quia multa confundit, & barbarè procedit; item contra Gonz. (quem citat & sequi videtur Tond. *l.* 1. *c.* 70. *num.* 4. & *seq.* ubi ait, quòd si hoc verum de aliis Legatis, multò magis de Legato & Vice-Legato Avenionensi, utpote cui amplissima concessa potestas conferendi beneficia, de quo multa ibi) *ad reg.* 8. §. 2. *proœm. n.* 54. & *gl.* 25. *n.* 56. & 18. ubi loquitur pari modo de præventione concessa Legato adversus Ordinarium in mensibus illi per concordata assignatis; intelligendo tamen id de beneficiis vacantibus, non vacaturis. Solet tamen hanc potestatem derogandi dicto decreto irritanti habere quandoque de speciali gratia & favore Pontificis etiam Nuncius, ut de Nuncio Hispaniæ testatur Garc. *loc. cit. n.* 134. quâ facultate extraordinariâ dum utitur, necessariò ostendere debet literas, quibus ea illi conceditur, aliàs ei non creditur; cùm stet in contrarium præsumptio, Papam à communi & ordinario stylo non discedere. Castrop. *l. c. n.* 10. citans Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 27. *q.* 8. Similiter Legatus à latere conferre non potest beneficia vacantia in alternis 6. mensibus per concordata Germaniæ assignatis ordinariis collatoribus, eos præveniendo; quia hæc concordata habent rationem pacti, cui nec summus Pontifex derogare potest; sic tanquam æquius & probabilius censet Pirh. *de off. leg. n.* 25. citans Laym. *in c. dilectus. de off. Leg. n.* 2. contra Garciam, *p.* 5. *c.* 3. *n.* 42. ubi censet, posse Legatum concurrere cum Ordinario, non obstantibus Galliæ & Germaniæ concordatis, & ait sic decisum *in Verdun. canonicatûs.* 6. *Martii.* & 19. *Junii* 1595. quas decision. recitat *num. seq.*

6. Quintò: potest conferre beneficia suæ provinciæ, etiamsi spectent ad collatorem alterius provinciæ. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 37. de hoc plura paulò post.

7. Sextò: conferre potest beneficia devoluta ad Episcopum ex negligentia Patroni. Garc. *loc. cit. n.* 68. citans Selv. *p.* 2. *q.* 3. *n.* 41. posse similiter conferre devoluta ob negligentiam collatorum, docetur passim. Verùm id distinguit Castrop. *loc. cit. n.* 6. dicens, id posse Legatum, dum beneficia vacantia devoluta existunt intra provinciam delegationis; id verò non posse, si ea existant extra hanc provinciam, etiamsi Prælatus seu collator, (idem esse videtur de Patrono) ob cujus negligentiam in providendo devoluta sunt, existat, & habitet intra provinciam; eò quòd Legato concedantur beneficia suæ provinciæ, sive collator eorum aliàs ordinarius sit in provincia eadem, nec ne; Cùm in beneficiorum collatione potiùs spectetur locus, ubi situm est beneficium, quàm locus, ubi resider Collator. Ac proinde ad explorandum potestatem Legati circa beneficia non debet attendi, cui Prælato, an exempto, an ordinario; an de provincia, an extra; an jure devoluto, an ordinario competat; Sed num sint extra provinciam, vel an intra, seu de provincia. Idem tenet Garc. *l. c. à n.* 27. ubi, quòd Legatus possit beneficia suæ provinciæ, etiam devoluta ad Prælatum alterius provinciæ conferre; quia potest conferre beneficia suæ provinciæ, etsi spectent ad collationem existentis extra illam. Citat pro hoc Rebuff. *in concord. tit. de regia nominat.* Lamb. *p.* 3. *l.* 2. *q.* 8. *à. n.* 5. & plures alios. & *n.* 29. dicens, non posse Legatum conferre beneficia alterius provinciæ, etiamsi devoluta, vel etiam aliàs spectantia ad collationem Prælati, qui est de provincia legationis suæ; citat pro hoc Rebuff. *in p.* 2. *tit. de devol. versu* 13. *n.* 38. Imol. *in c.* 2. *de concess. preb.* Gamb. &c. contra Selv. *p.* 2. *q.* 3. *num.* 40. Addítque Garc. *n.* 30. provisionem factam à Legato de beneficio, existente extra provinciam suam, nequidem tribuere titulum coloratum, & sic decisum à Rota.

8. Septimò: quòd ex dictis jam sequitur, potest Legatus conferre beneficia devoluta ad Episcopum ex negligentia Prælati exempti, si ea beneficia existant intra suam provinciam, secùs si extra. Castrop. *loc. cit. nu.* 7. contra Pirh. *ad tit. de off. Leg. n.* 22. neque obstare, quòd Episcopus hæc beneficia provideat tanquam Apostolicæ Sedis delegatus; quia delegatus se intromittit independenter à devolutione & delegatione Episcopi, ait Castrop. *ibid.* addens hanc regulam: quòd delegatus non possit se intromittere in his, quæ Episcopus, non ut Ordinarius, sed ut dele-

delegans exequitur; tantùm veram esse quòad privationem, non autem quòad præventionem, hoc est, non possit se intromittere privativè, bene tamen cumulativè. Item veram esse in delegatione ab homine, non autem in facta à jure.

9. Octavò: quantùm est de jure communi, potest Legatus à latere creare in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata Canoniam supernumerariam, hoc est, qui solo titulo Canonicus nullos fructus percipiat, adeóque præbendam non habeat, (etsi juxta probabiliorem percipere possit distributiones quotidianas, ut Abb. *in cap. pro illorum, & c. dilectus. de præb.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 11. q. 5.* apud Castrop. *loc. cit. nu.* 12.) cùm talis creatio non tam difformis quàm conformis sit juri communi, juxta *c. cùm Ferrariensis. de constit. cap. relatum, & c. dilect. de præb.* possintque idipsum Capitulum & Episcopus, *cap. præsenti. de off. Leg. n.* 1. (ubi etiam, quòd, si Legatus aliquem talem Canonicum creavit, constituto Executore, ut proximè vacaturam præbendam eidem conferat, quòd is id mandatum exequi possit, etiam finitâ legatione mandantis, & citat pro hoc Gl. *in cit. c. præsenti*) Castrop. *cit. nu.* 12. qui tamen *num.* 13. ait, id Legatum non posse spectato Trid. *sess.* 24. *c.* 19. cùm talis Canonicus ventosus, etsi non strictum, habeat tamen aliquale jus ad præbendam proximè vacaturam; Tridentinum verò omnes exspectativas & gratias ad vacatura irritavit; citat pro hoc Gonz. & Barb. referentes sic declarâsse Sac. Congregationem, juxta dicta à nobis supra *de Exspect.*

Quæstio 653. Quid plùs quàm Ordinarii possit Legatus hac suâ ordinariâ potestate circa collationem beneficiorum?

1. Respondeo primò: potest beneficia suæ provinciæ, dum devoluta sunt ad Sedem Apostolicam, providere, quia hæc ob devolutionem non sunt specialiter reservata, argumento *c. venerabilis. de præb.* Castrop. *loc. cit. num.* 8. citans Abb. *in cit. c.* 2. & gl. *in c.* 1. *de off. leg. in 6. v. amplior.* Azor. *p. 2. l. 5. c. 28. q. 14.* Garc. *p. 5. c. 3. nu.* 21. citans Gamb. Coras. Cuchum & plures alios. Unde jam infertur, non currere Legato tempus, nempe semestre datum aliis Collatoribus ad providendum; eò quòd si ipse negligat providere intra semestre, devolvatur ad Papam; devoluta autem ad Papam ipse possit conferre. Gamb. *de potest. leg. l. 3. nu. 14. & 622.* Castrop. *loc. cit. num.* 9. Garc. *loc. cit. n.* 26. contra Lap. & Bonif. *in clem. si de beneficio. de præb.* censentes, Legatum non posse conferre devoluta ad Papam ex propria negligentia, & hinc currere ei tempus. Item contra Card. Imol. *in cit. clem.* Selvam Brunellum, Villadiego &c. apud Garc. *nu.* 24. docentes, non posse Legatum conferre devoluta, postquam devoluta esset collatio, sive ex propria Legati, sive ex aliorum negligentia, ad prælatum extra suam legationem, usque dum ultimatè facta devolutio ad Papam.

2. Secundò conferre potest beneficia jurisp. clericalis seu Ecclesiastici, quod non potest Episcopus seu Ordinarius, etiam nullâ factâ mentione, aut derogatione dicti jurisp. Garc. *loc. cit. num. 17. & 18.* citans quamplurimos. Tond. *p. 2. c. 2. §. 6.* citans Covar. *pract. qq. c. 36. num. 2.* Item conferre potest beneficia jurisp. laicalis ex privilegio, etiamsi privilegium sit speciale ad certa beneficia, & non generale. Garc. *n. 74. & 75.* vide dicta de hoc supra, ubi de derogatione jurisp. ubi etiam quòd Legatus nequeat conferre spectantia ad jusp. laicale mixtum; de quo etiam vide plurima apud Garc. *l. c. à n.* 66. & vel maximè *n.* 69. ubi id negat Legato de beneficiis jurisp. mixti, in quo plures sunt Ecclesiastici.

3. Tertiò, quantum est de jure communi, potest Legatus de latere reservare beneficia vacatura suæ collationi; cùm ea reservare possit, quæ potest conferre. *c. præsenti. de off. leg. in 6.* Castrop. *loc. cit. num.* 26. Laym. *ad c. præsenti.* Pirh. *de off. leg. nu.* 23. Garc. *num. 35. & 36.* citans Coras. *p. 2. c. 3. num.* 4. Cuchum. *l. 2. tit. 5. à num.* 73. Gamb. *l. 4. rubric. de pot. leg. in reservando.* & plures alios: vide de hoc & sequenti Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 5. num.* 55. citantem quamplurimos; cum modificatione tamen *c. præsenti.* non nisi reservatione speciali; cùm ante restrictionem illam *c. præsenti.* posset generaliter reservare beneficia suæ legationis. Æn. de Falcon. *de reserv. p. 2. q. 2. & 3.* apud Garciam *num.* 37. Quin & vacaturum reservare potest in favorem certæ personæ, ita tamen, ut pendente hac reservatione, hoc est, collato necdum hoc beneficio, aliam facere nequeat in eadem Ecclesia, aut beneficii alterius pertinentis ad eundem collatorem. Garc. *num.* 38. Castrop. *cit. num.* 16. Pirh. *loc. cit.* juxta *c. cùm dilectus. de surrep.* per quod tamen ista persona neque jus in re, neque ad rem, utpote quod dare non potest ad vacaturum, (quod est solius Papæ) Legatus, juxta *c. dilectus. de præb.* acquirat. Garc. *cit. num.* 38. citans Abbatem, Zech. Coras. proinde vi talis reservationis non arctatur, nisi ex aliqua decentia conferre illud beneficium alteri. Unde tamen non erit inutilis talis reservatio; cùm per illam impediatur Ordinarius, ne illud conferat alteri. Garc. citans Gamb. Cuch. Duaren. &c. Castrop. *loc. cit.* in quo casu quoque reservationis factæ in favorem certæ personæ de proximè vacaturo, si datis Executoribus, necdum factâ collatione, Legatus defungatur officio per mortem vel revocationem, reservatio & omnis processus super illo beneficio factus irritus est, nec potest illud Executor conferre ei, in cujus favorem reservatum. Pirh. *loc. cit. num.* 23. Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 5. num. 56. & 57.* fusè. Verùm hæc, ut dixi, quantùm est de jure communi; nam stante Trid. Legatus nullatenus reservare potest vacatura, præcipuè in favorem certæ personæ. Castrop. citans Gonz. §. 1. *proœm. num.* 8. quanquam Laym. *loc. cit.* contrarium indicare videatur, dum tali personæ per hoc nullum jus ad petendum tribuatur.

Quæstio 654. Quæ non possit hac potestate ordinariâ, vel etiam extraordinariâ Legatus de latere circa collationem beneficiorum?

1. Respondeo primò: illum non posse conferre reservata sive generaliter, sive specialiter, etiam dum habet facultatem conferendi beneficia, qualitercunque vacantia; sub dicta enim generali facultate non comprehenduntur reservata generali vel speciali reservatione. Castrop. *loc. cit. num.* 14. Garc. *n.* 53. citans Mandos. *de signat. gratia. tit. de indulto conferendi reservata. in principio.* Æn. de Falcon. *de reserv. q. 4. principali effectu* 6. Simonet. & aliquot Rotæ decis. Legatum tamen Avenionensem habere specialiter hanc facultatem conferendi reservata quæcunque exceptis vacantibus in Curia, & vacantibus per promotionem ad Episcopatum, & monasteria consistorialia, testatur Tond. *p. 2. c. 2. §. 6. n.* 28.

2. Secundò, tametsi habeat potestatem conferendi reservata, adhuc conferre nequit vacantia in Curia, nisi sit specialiter expressum, & concessum; cùm hæc reservatio sit clausa in corpore juris, ac proinde privilegiata, ne sub generali concessione reservatorum intelligatur. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 55. citans Gigas *cons. 7. n.* 6. juxta *c. 2. de præb. in 6.*

3. Tertiò conferre nequit beneficia propriè electiva, juxta *c. deliberatione. de off. leg. in 6.* Castrop. *loc. cit. num.* 15. Laym. *ad cit. c. num.* 1. (ubi etiam, quòd ea conferre possit, ubi ob negligentiam electorum devoluta sunt talia beneficia, & dignitates electivæ ad Papam, citans pro hoc Erasm. Chok. *de jurisdictione Ordinarii in exempt. p. 3. q. 30* Gamb. *de potest. leg. l. 3. nu.* 620.) Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 5. nu.* 41. citans Coras. *de benef. c. 3. num.* 10. Azor. *p. 2. l. 5. c. 25. q. 16.* Garc. *p. 5. c. 1. nu.* 52. Etsi enim *cit. cap. deliberatione.* solùm dicatur, non posse Legatum reservare Ecclesias Cathedrales, regulares, aut collegiatas, dignitatésque majores Cathedralium; sub

nomi-

nomine tamen *reservationis* venit quælibet provisio; cùm non reserventur, nisi in ordine ad provisionem; Et licèt ea tantùm ibi nominentur, ad omnia tamen beneficia electiva extenditur ob eandem rationem; nimirum ne eligentibus eorum libera electio impediatur, quin & in *reg. 3. Cancel.* Ecclesiæ Cathedrales, regulares, collegiatæ, dignitatésque majores post pontificalem, & principales in Collegiatis, sive electivæ sint sive non, reservantur; ideóque ut ... quid operetur reservatio contenta *in c. deliberatione*, de omnibus beneficiis electivis est intelligenda, ita fere Castrop. *loc. cit. nu.* 15. Competere tamen iterum specialiter hanc facultatem conferendi quæcúnque beneficia sæcularia, & regularia, dignitates etiam majores in Cathed. post Episcopatum, cum cura & sine cura, quamvis affecta & reservata in titulum vel commendam, & de ordine in ordinem transferendi Legato Avenionensi, testatur *loc. cit.* Tond. de cetero posse etiam quemcúnque Nuncium de latere conferre adhuc collegiatas habitu tantùm tales: vel si collegium fuit Superioris auctoritate sublatum, tradit Barb. *loc. cit.* citans Gamb. *de pot. leg. l. 3. nu.* 93. & Garc. *cit. c. 1. num.* 52. Item posse eundem conferre collegiatas & regulares, ubi hæ electivæ non sunt, tradit *ibidem.* Barb. ex Garc. idem tenet Azor apud Pirh. *de off. leg. num.* 23. contrarium tamen verius spectato juris communis rigore censet Pirh. cum gl. *in cit. c. deliberatione*, quem vide.

4. Quartò litigiosa conferre nequit durante lite, ex quo de jure communi, nempe *c. 1. & 2. ne lite pendente.* prohibetur in eis fieri subrogatio, seu collatio ab alio, quàm à Papa. Castrop. *cit. nu.* 15. Garc. *cit. c. 3. n.* 56. citans Lancell. *de attent. p. 2. in præfat. num.* 617. & Rotam *in Tullensi Prioratûs.* 20. *Novemb.* 1594. ubi expressè Legatum, etiam de latere, non posse conferre beneficia litigiosa, quæ in ejus manibus liberè fuerunt resignata, nisi id habeat expressum in commissione (uti hanc facultatem admittendi resignationes beneficiorum litigiosorum, eáque conferendi etiam simpliciter, vel causâ permutationis, concessam explicitè Legato Avenionensi, testatur Tond. *qq. benef. p. 2. c. 2. §. 6. n.* 29.) & in *una Verdun. Canonicatûs.* 28. *April.* 1595. *& n.* 60. citans Gamb. *de pot. leg. l. 3. n.* 431. *& seq.* ubi quòd non possit conferre beneficia jurisp. litigiosa, non quia jurisp. sed quia litigiosa. Quin & si haberet specialiter potestatem conferendi litigiosa, non posse adhuc conferre litigiosa jurisp. laicalis (idem videtur de jurep. mixto) propter præjudicium laici, cui salvum manet jus præsentandi lite finitâ, tanquam verius censet Garc. *n.* 61.

Quæstio 655. *Qualiter Legatus de latere possit collationem beneficii committere alteri?*

RESpondeo: Etsi non possit alicui in genere, aut etiam in specie facere potestatem, ut beneficiorum resignationes recipiat, & ea personis idoneis conferat; potest tamen alicui committere receptionem resignationis, & postquam illa recepta est, eidem committere, ut personæ idoneæ conferat. Laym. *ad c. deliberatione. de off. leg. §. prohibemus. n. 3. & 4.* Pirh. *de off. leg. num.* 26. Verùm de eo, quid possit Legatus circa resignationes recipiendas, item unienda beneficia, & alia suis locis agetur: vide tantisper Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 5. à n.* 61.

Quæstio 656. *A quo tempore Legatus de latere conferre possit beneficia?*

RESpondeo: posse eum id à die, quo Urbem egressus est, & ad eam redit; ab illo enim puncto, & toto illo tempore (quod idem est de Nuncio) Legatus est, & legatione fungitur, Argumento *l. verò. ff. de off. proconsulis.* habétque jurisdictionem voluntariam, etiam quòad exercitium, (quò refertur collatio beneficiorum) etsi non habeat contentiosam, saltem quòad exercitium. Castrop. *loc. cit. p. 26. num.* 19. *& 20.* citans Azor. *p. 2. l. 5. c. 27. q. 6.* additque contra Azor. *l. 6. c. 25. q. 12.* idem esse de institutione, & confirmatione, & quòd, licèt hæc fieri nequeant sine cognitione causæ, dum tenetur instituens & confirmans electorum & præsentatorum vitam & literaturam examinare; hæc tamen cognitio, & exploratio fieri possit absque strepitu judiciali ad sui plenam informationem, nullo apparente contradictore; præterquam quòd talis cognitio & informatio fieri possit ab eo, in provincia, institutio verò & confirmatio extra, citat Garc. *p. 5. c. 8. n.* 141.

Quæstio 657. *An, & qualiter valeat collatio a Legato facta ei, qui tacet se habere aliud beneficium?*

RESpondeo: esse subreptitiam, & nullam; non secus ac illa, quæ sic facta esset à Papa. *c. collatio. de off. leg. in 6.* Pirh. *tit. eod. num.* 27. Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 5. num.* 49. citans Staphilæum. *de lit. gratiæ. tit. de pot. leg. num.* 38. Menoch. *de arb. cas. 20. num.* 50. Rebuff. &c. Cujus contrarium est in aliis inferioribus Collatoribus, qui si beneficia conferant, opus non est, ut beneficii priùs jam habiti mentio fiat, licèt prius dimitti debeat, si est incompatibile cum secundo. Pirh. *loc. cit.* Barbos. *n.* 50. citans Felin. *in c. ad aures. de rescrip. num.* 15. Selv. *p. 1. q.* 25. & aliquot Rotæ decis. Ratio hujus disparitatis est; tum quia potestas Legatorum in hac parte est quasi extraordinaria, & superinducta, aliisque collatoribus præjudicans, ideóque restringenda, ut Pirh. tum quia ordinarius magis deliberatus est, & certius in beneficiis, quæ ad suam provisionem spectant, quàm Papa in beneficiis totius Orbis, vel Legatus respectu totius suæ provinciæ; ac proinde in Ordinario subreptitio non præsumitur, sicut in Papa & Legato, qui non sic subditos notos habent, sicut Ordinarius, adeóque nec ita notum habent, qualia beneficia clerici singuli possideant, sicut Episcopus. Quòd si tamen motu proprio Legatus à latere conferret beneficium, non factâ mentione prioris jam habiti, cum hac clausula: *motu proprio*: in literis collationis expressa, probabiliter validam esse collationem, sicut etiam in eo casu valida est collatio Papæ; quin & Ordinarii, quo deterior esse non debet Legatus, censet Pirh. citans Gl. Laym. & Barbos. *in cit. c. collatio.* (in quo etsi sermo sit de solo Papa, non tamen Legatus excluditur) idem tenet Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 5. nu.* 51. citans Mandos. *in reg. 16. q. 8. num. 3.* Abb. *in c. tuam n. 1. de ætat. & qual.* contra Jo. Monach. Lap. Anchar. &c. censentes non posse Legatum conferre beneficium cum clausula: *motu proprio*: absque eo, quòd de alio in gratia mentio fiat.

Quæstio 658. *Quid possit Legatus à latere in commendandis Ecclesiis?*

1. RESpondeo primò: illum posse beneficia parochialia commendare ad tempus, nimirum ad 6. menses; quia id juris & potestatis habet Episcopus. Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 5. num.* 58. citans Gamb. *de pot. leg. l. 4. num.* 143. & Azor. *p. 2. l. 5. c. 29. q. 6.* poterítque finito primo semestri, si adhuc duret eadem necessitas, vel utilitas, hujusmodi beneficia per aliud semestre commendare. Barb. *ibid.* citans Gl. *in c. nemo. de elect. in 6.* Gonz. *gl.* 588. *n.* 35. Azor. *ubi ante num.* 7. aitque id procedere, licèt hæc beneficia ad Papam devoluta essent; quia & hæc conferre potest. citat pro hoc Azor. *q.* 13. Rebuff. *in pr. tit. de commend. num.* 56.

2. Secundò, neque parochiale, neque aliud beneficium commendare potest in perpetuum, nisi hoc specialiter habeat in facultatibus; beneficia enim commendare ad vitam commendatarii, est solius Papæ. Barb. *loc. cit. num.* 59. citans Gamb. *l. 4. n.* 162. Garc. *p. 4. c. 4. num.* 23. Mandos. *reg. 32. q. 7. num.* 5. contra Zechum de benef. & pension. *c. 7. num.* 2.

3. Tertiò, neque potest Ecclesias Regulares commendare sæcularibus, aut è converso. Barb. *loc. cit. num.* 60. citans Azor. *q.* 9. Gamb. *nu.* 197. etsi dicat Azor. solere; tamen in facultatibus (intellige extraordinariè) concedi solitis Nuncio connoeti, ut possit commendare regularia sæcularibus, & contra.

Quæstio 659. In ordine ad praxin interpretandi facultates quoad collationem beneficiorum, dari quandoque solitas Nunciis aliis missis cum potestate Legati de latere; Quænam beneficia vi talis facultatis conferre adhuc nequeant, dum ea concederetur in illa forma, in qua concedi solere Nunciis Hispaniæ referunt Castrop. & Garc. nimirum ut quæcunque beneficia Eccles. simplicia in Hispania existentia extra Metropolitanas, Cathedrales & alias Collegiatas Ecclesias per obitum illorum ultimorum possessorum extra Curiam Romanam vacatura, modò illa aliâ quàm reservatione mensium reservata non fuerint, & cujuslibet earum fructus, reditus & proventus, etiam ratione personalis residentiæ percipi solitis, ac distributiones quotidianæ 24. ducatorum auri de camera secundum communiorem æstimationem valorem annuum non excedant, pro tempore vacantia personis idoneis providere possit; ita tamen, ut non prius provisionem hujusmodi facere debeant, quàm sibi fide dignorum testimonio constiterit, fructus prædictos ipsum valorem annuum non excedere, alioqui provisiones factæ nullius sint valoris &c. Ubi reipsa hanc eandem facultatem Barb. loc. cit. nu. 53. *citans pro hoc Cæsar. de Grassis,* decis. 7. & 9. de præb. *extendit ad omnes similes Nuncios, dum ait: Hodie Nunciis missis de latere conceditur facultas restricta ad beneficia Eccles. simplicia per obitum extra Curiam vacatura, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum, computatis distributionibus, extra tamen Metropolitanas, Cathedrales & Collegiatas; sed quidquid sit de hoc, num similis seu par facultas concedatur omnibus missis cum potestate Nuncii de latere?*

1. RESpondeo: si talem potestatem obtinuisset Nuncius aliquis simpliciter missus, vel etiam habeat Nuncius aliquis missus cum potestate Legati de latere, non poterit adhuc conferre: Primò Canonicatus Cathedralium, & Collegiatarum, licèt valorem 24. ducatorum Cameræ non excedant, multòque minus dignitates.

2. Secundò neque officia personatûs; quia facultas se extendit tantùm ad simplicia. Castrop. *loc. cit. num.* 4.

3. Tertiò neque curata, etsi ea per accidens actu curam non exerceant. v. g. quia ob inundationes fluminum, vel incursiones latronum, Ecclesia parochialis destituitur ad tempus parochianis, & spes est probabilis, Parochianos esse reversuros, ut est in dictis casibus; talia enim beneficia verè curata dici debent. Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 112. juxta plures Rotæ decisiones. Secus dicendum est, dum purè habitu curata sunt; nimirum ubi Ecclesia Parochialis amisit parochianos, & verisimiliter spes nulla est recuperandi Actum, præsertim si 40. anni lapsi sunt sine parochianis, censentur enim tunc absolutè in omnibus simplicia. Castrop. *l. cit.* Garc. *num.* 115. ex Felin. Gabriel. Rota &c. Sic etiam adhuc conferre poterit ea, quæ parochialem annexam habent secundariò, [illegible]ccessoriè tantùm, si simul cum accessorio non excedant valorem facultatis illius; secus si annexio facta esset æquè principaliter. Garc. *num.* 124. citans se ipsum *p. ult. c.* 2. *num.* 37. Item conferre adhuc poterit ea, quæ ea constitutione seu consuetudine Ecclesiæ habent onus gerendi vices Curati Sede illius vacante; quia ob solum exercitium curæ accidentale ille vices gerens non dicitur habere beneficium curatum, ut Old. Felin. Sarnens. Garc. *num.* 125. Non tamen videtur posse conferre ea, quæ habent onus perpetuum administrandi Sacramenta, & adjuvandi rectorem; eò quòd hæc, juxta declar. S. Congregationis, requirant personalem residentiam, ac verè curata essent, ac proinde curata censeantur. Garc. *nu.* 127. Item conferre poterit Archipresbyteratus rurales, eò quòd hi veniant hodiedum nomine simplicis beneficii; dum ea hodiedum nullam jurisdictionem fori externi annexam habent, sicut habuêre antiquitus; sed solùm digniorem locum in conventu Sacerdotum, intersint computibus, rationes ab Ecclesiarum œconomis recipiant, à ratione dignitatis exciderunt. Castrop. *num.* 5. Garc. *à num.* 94. juxta plures Rotæ decisiones, quas recitat.

4. Quartò, non poterit conferre vacantia per resignationem, assecutionem alterius beneficii, per initum matrimonium, aut statum religiosum, per privationem, vel alium modum distinctum ab obitu. Garc. *num.* 87. & 88. Subjungens, sufficere tamen ad hunc effectum, ut conferri possit à Nuncio, quod vacet de facto per obitum illud possidentis, etsi aliàs aliter vacaret de jure, citat pro hoc Mandos. *ad reg.* 3. *q.* 13. & *ad reg.* 6. *q.* 5.

5. Quintò, non poterit conferre litigiosa, ut dictum supra, etiam de Legato à latere. Garc. *nu.* 130. nec obstat, quòd Nuncius in sua facultate habeat clausulam, ex qua potest in suis provisionibus apponere derogationes, & clausulas necessarias & opportunas, & in literis Apostolicis concedi & extendi solitas; atque ita apponere possit clausulam, quæ in literis Apostolicis solet apponi: *Et super eo lis pendeat indecisa* &c. ista namque clausula facultatis Nuncii non est intelligenda de clausulis in literis Apostolicis apponi solitis, quæ sumuntur ea supplicatione, in qua specialiter sunt concessæ, qualis est illa: *Et super eo lis aliqua* &c. sed de clausulis in literis Apostolicis concedi & extendi solitis absque speciali expressione in supplicatione facta; atque ita illa clausula de lite non solet apponi in provisionibus Nuncii. Adde quòd clausula illa facultatis Nuncii ita intelligenda non sit, ut possit derogare dispositioni juris communis. ita Garc. *num.* 131.

6. Sextò, non poterit conferre beneficia istiusmodi simplicia in mensibus Ordinarii gaudentis alternativâ; tam enim hæc gratia alternativa, utpote in favorem residentiæ concessa, excellens est, tum propter decretum irritans contentum in gratia alternativa annullans quamcunque provisionem à quocunque etiam à Sede Apostolica factam: tum quia ad sui derogationem requirat fieri illius mentionem expressam, ut meritò præsumatur, facultatem Nuncii (tametsi in se contineat clausulam memoratam paulò ante, vi cujus aliàs apponere possit in provisionibus clausulam &c. quâ derogetur contrariæ dispositioni) ad ejusdem derogationem se non extendere, ita probabilius Castrop. *loc. cit. n.* 17. contra Garc. *à num.* 134. censentem, id posse Nuncium, etiam præ Legato à latere ob dictam clausulam, apponendi clausulas necessarias specialiter in ejus facultate contentam; de cætero poterit conferre vacantia in mensibus 4. Ordinarii, nimirum non gaudentis alternativâ, & ita cum istis ordinariis concurrere, quia ejus facultas

non

non apparet in hac parte limitata, Garc. *num.* 152. Castrop. *loc. cit.* citantes Rotam *in una Compostell.* ut per Crescent. *decis.* 8. Germon. *de indulto Card.* §. *ac irritum, num.* 42. contra Gonz. §. 2. *proœm. nu.* 55. quatenus dicit, hodiedum, ut à peritis Nunciis se audivisse testatur, facultatem hanc iis limitatam, ut cum Ordinariis in eorum mensibus concurrere nequeant; quod ipsum, cùm non appareat in prædicta facultate concessa Nuncio Hispaniæ, ait Garc. dici sine fundamento. Nihilominùs ait Garc. quòd etsi id Nuncii possent, non tamen soleant cum Ordinariis concurrere.

7. Septimò, non poterit conferre vacantia, Sede Episcopali vacante; sunt enim reservata ex regula cancell. reservatione distinctâ à reservatione ratione mensium Apostolicorum, & Nuncius providere nequit beneficia aliter, seu reservatione aliâ, quàm ratione mensium reservata, Castrop. *n.* 26. Garc. *n.* 139. citans Ferret. *cons.* 17. *n.* 2. Cassad. *decis.* 9. *de præb.* ac præcipuè Caputaq. *decis.* 85. *p.* 2. & Mandos. *de sign. gratia, tit. de indulto conferendi reservata*, & *reg.* 32. *q.* 14. quamvis addat Garc. *n.* 142. se vidisse in Episcopatu suo, Nuncium eâ Sede vacante conferre. Porrò opus esse, ut exprimatur mensis in provisionibus Nuncii, ait Garc. *n.* 134. citans Mandos. *reg.* 34. *num.* 50. Crescent. *decis.* 10. *de rescript.* Rotam *decis.* 206. *p.* 1. *divers.* eò quòd regula octava præcipiens hanc expressionem in provisione Apostolica procedat etiam in provisione facta à Nuncio propter rationis paritatem, quæ est, ne præjudicetur Ordinario. Negat è contra Castrop. *loc cit. num.* 18. eò quòd hoc onus in facultate Nuncii non impositum, etsi impositum sit in provisione Apostolica, extendi non debeat ad provisionem Nuncii; cùm lex, irritatoria præcipuè, extendi non debeat ad casum non comprehensum ob similitudinem rationis, quæ tamen etiam hic non est; cùm Papa possit præjudicare Ordinariis gaudentibus alternativâ. Item Nuncius in provincia sua meliùs cognoscat, quo mense vacârit beneficium, quàm Papa; cùm habeatur Nuncius tanquam Ordinarius.

8. Octavò, non poterit conferre, quorum valor etiam in modico v. g. sexta parte excedit 24. ducatos, (qui modicus excessus aliàs admitti solet ad excusandam malam valoris expressionem, ut Mand. *de signat. gratia, tit. de provis.*) eò quòd facultas Nuncii restricta sit ad non excedentia dictum valorem, Garc. *num.* 182. juxta expressam Rotæ decis. in *Calagur. Archipresbyteratus*, 13 *April.* & 20 *Maji*, 1587. quam verbotenus refert; sed & *num.* 184. ait: Id procedere, etiamsi excessus non esset nisi unius Julii. Poterit nihilominùs conferre beneficia simplicia seu præstimonia invicem unita, quorum in simul fructus excedunt dictum valorem 24. ducatorum, dum unio facta est æquè principaliter, si singulorum seorsim fructus non excedunt dictum valorem; non secùs ac conferre potest duo beneficia separata, quorum singula non excedunt dictum valorem, quamvis ambo simul excedant illum, Garc. *num.* 145. Ea tamen conferre non poterit, si unum alteri unitum est accessoriè per viam incorporationis; eò quòd dicta unio operetur extinctionem tituli, & nominis beneficii uniti, & judicatur prædium illius, cui fit unio, & sic unum tantùm est & efficitur beneficium, cujus fructus excedunt 24. ducatos; cùm & fructus beneficii uniti sint fructus beneficii principalis, & in impetratione non est opus exprimere unitum, Garc. *n.* 143. & 134.

9. Denique conferre poterit beneficia jurisp. Eccl. non laicalis aut mixti, juxta ea quæ dicta sunt de Legato à latere, modò non excedant dictum valorem, Garc. *à num.* 243. similiter conferre poterit exempta, ut dictum de Legato à latere, Garc. *num.* 251.

Quæstio 660. Qualiter computandus ille valor 24. ducatorum Auri de camera, & quænam computanda in fructibus, ut valor ille excedatur?

1. RESpondeo ad primum: de valore ducati Auri de camera dictum est aliàs, nempe quòd sit scutum aureum, & unus Argenteus, seu Julius; circa quod notandum, quòd aliàs in reservationibus valor ducatorum, dum non additur *de camera*, attendendus sit ille valor eorum currens in loco beneficii. Garc. *cit. p.* 5. *c.* 3. *nu.* 151. citans Gigas *cons.* 58. *aliàs responso* 49. *de pens.* Belenzin. *de subsidio charitativo. q.* 89.

2. Respondeo ad secundum primò: non esse computanda emolumenta incerta, v. g. funeralium, & anniversariorum, quæ dotata non sunt, sed voluntaria, eleemosynásque incertas. Castrop. *loc. cit. num.* 6. Garc. *num.* 155. Secus est de anniversariis fixis testamento vel donatione relictis stabiliter, seu fundatis, & oblationibus consuetis; nam ea emolumenta computantur in valore beneficii. Castrop. *ibid.* Garc. *loc. cit.* citans Wames. *cons.* 227. & Suar. *tom.* 5. *d.* 2. *S.* 1. *num.* 30. Secus etiam est de illis incertis, si solita sint locari singulis annis pro certa quantitate, aut aliter communiter redigantur, seu redigi possint ad certam summam; per hoc enim incerta ista redduntur certa, & sic computari debent, saltem ut fructus seu distributiones ratione personalis residentiæ percipi soliti. Garc. *cit. n.* 155. citans Felin. *in c. ad aures. nu.* 14. Selv. *p.* 3. *q.* 9. *n.* 12. Cæsar de Grassis. *decis.* 117. *n.* 12. & Rotam. *in Majoricens. Capellæ.* 15. *Junij* 1592.

3. Secundò non sunt computanda in valore beneficii emolumenta competentia ratione Capituli beneficiatorum, (qualia capitula clericorum dari solent quandoque, quibus similia funeralium emolumenta, & plures missarum eleemosynæ inter tales clericos capitulares dividendæ, si divinis assistant; & in quæ capitula intrandi jus habet quilibet talis, v. g. urbis propriè beneficiatus, per se deserviens suo beneficio, ut Garc. *nu.* 158.) ista namque non computantur, nec conceduntur ratione & jure beneficii, sed capituli, & servitii illius, quod est distinctum à beneficio, licèt ratione beneficii habeat quivis jus intrandi tale capitulum, si velit, & ex admissione seu ingressu in illud capax fiat dictorum emolumentorum, dum personaliter præsentes sunt; eo ipso namque patet, beneficium non concedere illis jus ad dicta emolumenta, sed solùm afferre aptitudinem ad illa percipienda, secùs ac aliàs contingit in distributionibus quotidianis inter canonicos dividendis; hæ enim, quia ex canonicatibus extractæ sunt, sunt fructus beneficiorum, & residentiam seu interessentiam tanquam conditionem requirunt, ut percipiantur. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 160.

4. Tertiò, probabiliter computanda non sunt, sed deducenda stipendia missarum, ad quas per se dicendas obligatus non est beneficiatus, sed potest curari legi per alterum; sicut enim illa stipendia obtinere possit legendo missas, quia tamen non est obligatus illas dicere per se, non debent tanquam proventus beneficii, sed potius tanquam fructus residentiæ & personalis laboris computari, adeóque excessum valoris beneficii constituere non possunt; cùm non sint excessus per se annexus beneficio, sed solùm ea voluntate & labore beneficiati. Castrop. *n.* 9. citans pro hoc Guttier. *qq. can. l.* 1. *c.* 39. *n.* 68. Cæsar de Grass. *decis.* 18. & 20. & Garc. *n.* 166. qui tamen ibi solùm astruit in ordine ad effectum regulæ de valore in ordine ad quem computatur solùm, quod beneficium valet importare liberè, & in absentia ab Ecclesia, citátque pro hoc quamplurimos. Econtra computanda esse hæc stipenda missarum, ubi beneficiatus obligatus est eas legere per se ipsum; quia v. g. Capellania est sacerdotalis, & residentiam personalem requirens; tunc enim stipendia correspondentia illis Missis sunt verè proventus beneficii, competentes beneficiato ob hoc ipsum beneficii servitium. Castrop. *loc. cit.* citans Cassad. *decis.* 19. *de prabend.* Garc. *num.* 169. id intelligens, etiam in ordine ad effectum regulæ de valore.

5. Quartò: In valore beneficii in ordine, ut illud conferre possit Nuncius, deducenda est pensio, quâ gravatum est beneficium, si ea perpetuò sit imposita beneficio, hoc est, néque cum vita pensionarii, néque cum vita beneficiari exspirans, ita ut is illud conferre non possit, si deductâ dictâ pensione adhuc valor fructuum excedat dictos 24. ducatos, Castrop. *loc. cit. num.* 11. Garc. *nu.* 173. idem tanquam probabilius tenet Castrop. citans pro hoc Gigas *de pens. q.* 89. *n.* 1. (contrarium sentientibus Garc. *n.* 171. Belenz. *de subsid. charit. q.* 37. Puteo *l.* 3. *decis.* 202. & Rota *decis.* 184. *l.* 3. *q.* 3. *divers.* apud Castrop.) nimirùm pensionem hanc reputandam adhuc onus perpetuum, ac proinde ex valore beneficii deducendum esse, ita ut, si illo deducto non maneat valor 24. ducatorum, cadat sub collatione Nuncii, dum imposita est ad vitam beneficiati, vel etiam pensionarii; eò quòd satis perpetuum sit, quod non habet terminum alium à vita, juxta *l. jurisperitos, ff. de excusat. Tutor.* & *l. sufficit, ff. de condict. indeb.* & Tiraq. *de retract. conventionis*, §. 2. *gl.* 1. *num.* 39. & quòd valor beneficii desumendus comparatione beneficiarii, ita ut tantum censeatur valere beneficium, quantum remanat beneficiario detractis oneribus; & licèt pensionarius mori possit ante beneficiatum, ac ita remanere beneficiaro fructus integri excedentes 24. ducatos; quia tamen etiam contrarium evenita potest, ut beneficiatus moriatur priùs, ratione hujus dubii censendum non sit, beneficium valere, nisi quod valet deducta pensione. Idem pari modo procedere tenet Castrop. tam in ordine ad regulam de valore exprimendo, quàm in ordine ad collationem à Nuncio faciendam de subsidio, quod ex privilegio Papæ ex quolibet beneficio extrahitur in gratism Regis ad quinquennium; eò quòd, spectato stylo & communi cursu rerum, hoc onus est perpetuum, dum dictæ concessiones in quinquennium solent continuari in perpetuum, & unâ finitâ succedere altera, nec sit spes cessationis, contrarium sentientibus Put. & Belenz. *ubi ante.* Gomes. *in reg. de exprimendo valore, q.* 1. & 3. *n.* 169. Gamb. *de off. leg. l.* 6. *nu.* 169. apud Castrop. in quorum sententiam inclinat in tantum Garc. *n.* 178. quatenus dicit, id in ordine ad effectum expressionis valoris probabile sibi videri; admittere se tamen id non audere in ordine ad effectum facultatis Nuncii, quæ est restricta & limitata.

Quæstio 661. Undenam constare possit, num valor beneficii excedat 24. ducatos in ordine ad hoc, ut Nuncius providere possit; siquidem singulis annis est fructuum varietas, & beneficium, quod uno anno longè superat valorem 24. ducatorum, alio anno illum non attingit?

1. Respondeo primò: minùs rectè hujus argumentum sumi ex tribus, aut etiam quinque annis præcedentibus; quia id spatium nimis limitatum videtur, ut inde valor ille colligi possit; cùm sæpè contingat in tam brevi spatio fieri considerabilem mutationem in fructibus, Castrop. *n.* 13. Garc. *n.* 219. contra Mandos. *in reg.* 22. *q.* 5. *n.* 2. & Mascard. *de prob. concl.* 1403. *n.* 48. qui 5. annos statuunt.

2. Resp. secundò: neque argumentum hujus valoris sumi posse ex quinque annis ante, & quinque annis post provisionem beneficii; Sic enim validitas gratiæ Nuncii erit in pendente, seu pendebit ex futuro eventu, (nisi fortè beneficium vacâsset per quinquenniem post priorem de eo factam provisionem) quia sic, dum confert beneficium, constare ei non poterit de valore, sed exspectandus erit lapsus quiquennii, AA. iidem contra Gotrier. *l.* 1. *qq. can. c.* 39. *nu.* 68. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 2. *n.* 55. Lenn. *in Thes. fori Eccles. c.* 22. Gomes. *in reg. de valore, q. ult.* quare

3. Respondeo tertiò: valorem beneficii ex decem annis proximis præcedentibus gratiam, computato sterili cum fertili, desumendum esse, Garc. *à num.* 229. variis id probans Rotæ decis. Castrop. *loc. cit.* testans, sic observatum ex stylo Curiæ legem hac in parte faciente.

Quæstio 662. Penes quem sit obligatio probandi beneficii valorem, an penes provisum à Nuncio, an penes provisum Apostolicum, dum unus adversus alterum litigat?

Respondeo: Esse penes provisum à Nuncio onus probandi, quòd beneficium sit infra valorem facultatis Nuncii, non obstante assertione Nuncii, & licèt ab eo provisus sit priùs provisus, & jam in possessione, Garc. *n.* 188. citans Felin. *in c. ad aures, de rescript. n.* 4. Gig. *cons.* 7. *num.* 5. Muhad. *decis.* 20. *n.* 1. *de preb.* &c. Castrop. *n.* 14. citans Germon. *de indult. Card.* §. *ac irritum, à n.* 27. eo ipso enim, quòd quis à Papa (utpote cui jure ordinario & reservationis omnes provisiones competunt) provisus sit, habeat intentionem suam fundatam, qualem non habet provisus à Nuncio; cùm is sit extraordinarius, & delegatus collator: debet proinde fundare intentionem suam in alio, quod aliter facere nequit, quàm probando beneficium contineri sub facultate Nuncii, adeóque probando non excedere valorem illum 24. ducatorum, aliàs succumbet, & deponetur. Adde, quòd provisus à Nuncio, dum gratiam impetrat, narrare necessariò debet, beneficium illum valorem non excedere, in qua narratione, cùm fundetur gratia à Nuncio facta, tenetur narrativam illam verificare, præsertim dum contradictorem habet, Castrop. *loc. cit.* Nec obstat, quòd Nuncius obligatus sit priùs valorem beneficii explorare, ut gratia facta teneat, adeóque dum is de valore beneficii testatur, ei sit credendum, quamdiu contrarium non probatur; utpote de quo præsumendum, quòd bene se desuper informâns. Nam licèt exindè provisus à Nuncio habeat intentionem suam formatam, dum non excipitur: attamen, cùm à proviso Apostolico, vel Ordinario contradicitur, hac exceptione stante, eget novo fundamento; eò quòd concurrat cum istu proviso Apostolico, vel Ordinario habente fundamentum firmius, utpote à jure communi inductum, & sic prævalens contra fondamentum, quod habet provisus à Nuncio, Castrop. *loc. cit.* Verumtamen etiam, cùm provisus Apostolicus teneatur exprimere valorem beneficii, quia est fundamentum gratiæ suæ; adeóque ut gratia justificetur, hic valor probandus sit, dum nimirùm in supplica narravit, beneficium excedere 24. ducatos, & ob hanc causam petiit sibi illud concedi, provisus à Nuncio interea removeri non poterit, non obligabitur probare beneficium dictum valorem non excedere, Castrop. *loc. cit.* ex Garc. *n.* 196.

Quæstio 663. Cùm in facultate illa Nuncii habeatur, quòd, ut ejus provisio valeat, ante provisionem certus esse debeat, beneficium illud non excedere dictum valorem, undè dicta certitudo petenda?

Respondeo: Non sufficere solam relationem impetrantis, cùm hic ob utilitatem propriam præsumitur decipere; sufficit autem eam fieri à voce publica, & fama duplici teste probata, vel probari dictum valorem unico teste de certa scientia; licèt enim hæc constituant probationem tantùm semiplenam, sufficit tamen ea, ut quis in usu suæ facultatis, dum non contradicitur, securè procedat, & prudenter operetur; secùs dum contradicitur; opus enim erit plenâ probatione, Castrop. *loc. cit.* *num.* 12.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

De poteſtate Epiſcopi circa collationem beneficiorum.

Quæſtio 664. Quis ſit, & dicatur Collator ordinarius?

1. Reſpondeo: Illum, qui jure proprio beneficia confert, tametſi juriſdictionem nullam habeat, & ſive hanc poteſtatem conferendi habeat à jure, ſive ex præſcriptione, conſuetudine, privilegio, Argumento *c. Ordinarii, de off. Ordinar. in 6. & c. ſi ſolì, de præb. in 6.* Caſtrop. *tract. 13. d. 2. p. 27. n. 1.* & ſic in ſpecie Capitulum, dum legitimè juſtificavit conſuetudinem conferendi privativè ad Epiſcopum, venire ſub nomine ordinarii collatoris, ait Card. de Luc. *de benef. d. 31. n. 15.*

Quæſtio 665. An, & qualiter poteſtas conferendi beneficia competat Epiſcopo?

Reſpondeo: Epiſcopus inter collatores ordinarios primum locum habet, utpote cui ex jure communi, & ratione Epiſcopatûs conceſſa eſt hæc poteſtas conferendi beneficia ſuæ diœceſis, Caſtrop. *loc. cit.* Gonz. *§. 1. proœm. num. 21. & 22.* juxta *cap. omnes baſilicæ. & c. nullus omninò, 16. q. 7. c. conquerente, de off. Ord. c. ex frequentibus, de inſtitut.* cùm interim collatoribus aliis, quales ſunt Abbates, Priores, Collegia Canonicorum, &c. ea poteſtas potiùs ex præſcriptione, conſuetudine, privilegio, quàm de jure competat, Caſtrop. *loc. cit.* ex Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. q. 8.* ac proinde ceſſantibus reſervationibus (quibus poteſtas illa ordinaria valde eſt limitata) omnium beneficiorum in diœceſi exiſtentium, collatio de jure communi ſpectat ad Epiſcopum, isque de iis conferendis de jure communi fundatam intentionem habet, (ſub limitatione tamen, & exceptione, danda inferius circa beneficia Eccleſiæ Cathedralis) Tond. *in qq. benef. p. 2. c. 3. §. 7. n. 1.* Garc. *p. 5. c. 1. n. 52.* citans Felin. *in c. venientibus, n. 32. de except.* Coraſ. *p. 2. c. 4. n. 6. in fine.* Patiſ. *de reſig. l. 1. q. 10. à n. 49.* Mandoſ. & plures alios, Lott. *l. 1. q. 2. n. 2. & q. 21. n. 77.* ubi etiam, quòd ob hanc juris aſſiſtentiam ex collatione unius cenſeatur ei acquiſita quaſi poſſeſſio conferendi cætera; cùm tunc magis attendatur cauſa actus, quàm actus ipſe; citat pro hoc Abb. *in c. 1. de religioſ. domib. n. 3.* Tiraq. *de retract. Conſan. §. 36. gl. 3. n. 12.* Rotam *deciſ. 222. p. 1. diverſar.* Idque non ſolùm ratione beneficiorum tunc exiſtentium, ſed & impoſterum erigendorum, ut Rota *deciſ. 17. p. 2. diverſ.* Neque ſolùm reſpectu ſæcularium, ſed & regularium beneficiorum hoc jus commune ei aſſiſtit, Lott. *cit. q. 2. num. 137.* citans Abb. *in c. Abbate, de verb. ſignif. n. 3.* Gonz. *gl. 23. n. 21. &c.* Hoc ipſum tamen, quòd Epiſcopus fundet intentionem ſuam de jure communi, etiam in proviſionibus Regularium, reſpectu inſtitutionis, & confirmationis, intelligitur non de exemptis, Lott. *l. 2. q. 24. n. 80.* citans Eraſm. Chokier. *de juriſd. Ord. in exemp. p. 4. c. 30. n. 11.* Item ubi proceditur per præſentationem, & electionem, Epiſcopus quoque intentionem ſuam fundatam habet in jure communi pro jure inſtituendi, & confirmandi, Lott. *n. 138.* citans Abb. *in c. cùm veniſſent. de inſtit. n. 9.* Unde jam etiam, qui Ordinarius non eſt diœceſis alicujus, cùm ſecundùm juris communis diſpoſitionem intentionem ſuam fundatam non habeat in collatione beneficiorum, ſi prætendat in ea ſibi competere jus conferendi beneficia, debet ſuam intentionem probare; quia habet contra ſe juris præſumptionem. Quod tamen intelligendum, dum cum tali non ordinario concurrit Ordinarius ipſe diœceſis, ſive dum proviſus à tali non ordinario contendit cum proviſo ab Ordinario diœceſis; nimirùm ut tunc jus conferendi plenè probandum ſit ab iſto non Ordinario, ſeu à proviſo ab illo; Secùs autem ſit, ſi concurrant proviſus ab alio quàm Ordinario diœceſis ex una parte, & ex altera parte proviſus Apoſtolicus; Sufficiunt enim hoc ſecundo caſu leviores & minùs plenæ probationes; non quòd Epiſcopi auctoritas major ſit, aut favorabilior auctoritate Papæ; ſed quia Pontificia poteſtas alterius cujuslibet collatoris ordinarii concurſum admittit; poteſtas verò Ordinarii nullum admittere ſolet, niſi ſummum Pontificem tanquam Ordinarium ordinariorum, ita ferè Tond. *loc. cit. n. 1. & 2.* Porrò plura de ea poteſtate Epiſcopi circa conferenda beneficia in ordine ad Capitulum, vide *§. poſt hunc ſecundo.*

Quæſtio 666. Unde hoc jus conferendi origine tur in Epiſcopo?

Reſpondeo: tametſi benè dicatur originari in Epiſcopo à jure communi, Lott. *l. 2. q. 2. n. 3.* citans Ugolin. *de off. Epiſcopi, c. 50. §. 2. n. 1.* Patiſ. Card. non tamen originari in Epiſcopis immediatè, ſed defluxivè; nimirùm deflaere à Papa in eos, utpote in quo ſola hujus poteſtatis plenitudo reſidet, cui omnes alii Epiſcopi ſubſunt, tanquam membra, & vocati in partem ſollicitudinis, ait Lott. *l. 2. q. 22. n. 24. & 25.* citans Petr. de Peruſio, *tr. de reſervat. in princip. n. 2.* Cenedo *qq. can. q. 22. n. 3.* eadem Lott. *l. 2. q. 26. n. 14.* habet.

Quæſtio 667. An hæc poteſtas Epiſcopi circa conferenda beneficia ſpectet ad ejuſdem juriſdictionem?

1. Reſpondeo: Nullatenus, ſaltem propriè, ad poteſtatem juriſdictionis ſpectat, ſeu competit ei ratione Magiſtratûs, Lott. *l. 2. q. 2. nu. 5.* Non enim omnia, quæ Magiſtratui alicui competunt, competunt ei jure Magiſtratûs; ſed aliqua competere poſſunt à lege citra imperium, & omnem juriſdictionem, Lott. *ibid. num. 11.* ubi & *l. 1. q. 21. ex num. 24.* Unde etiam exiſtens extra propriam diœceſin beneficia conferre poteſt; rejectâ etiam, quam aliàs plures adducere ſolent in ordine ad effectum exercitii extra territorium, diſtinctione inter juriſdictionem voluntariam, & contentioſam, Lott. *ibid. num. 6.* Multóque minùs hæc poteſtas eſt poteſtas Ordinis Epiſcopalis, cùm, ut dicitur *c. noſti, de elect.* conferre poſſit ſtatim, ac electio ejus confirmata, etſi nondum ſit conſecratus, Lott. *cit. q. 2. n. 10.*

2. Sed eſt accidentalis cujusdam poteſtatis, eodem nihilominùs tempore impreſſæ, quo imprimuntur juriſdictionalia, nimirùm ex ſpeciali conceſſione legis, nempè *c. omnes baſilicæ.* Lott. *num. 12.* citans ſeipſum *l. 1. q. 21. num. 34.*

Quæſtio 668. Quandonam Epiſcopus conferre poſſit?

1. Reſpondeo primò: conferre poteſt ante conſecrationem, quia collatio hæc non ſpectat ad poteſtatem Ordinis, ut dictum paulò antè, Laym. *c. cum ex illo, de transl. Epiſcopi, n. 5.*

2. Reſpondeo ſecundò: antequam electio illius confirmata ſit, conferre non debet, juxta *c. Noſti, de elect.* ubi Papa mandat alicui à ſe delegato Epiſcopo, ut Lincolnienſi electo Apoſtolicâ Auctoritate jubeat, ut ſi quam ejusmodi conceſſionem vel collationem fecit, revocare ſtudeat, Laym. *ibid. in paraphraſi, n. 1.*

3. Reſpondeo tertiò, quantùm eſt de jure communi, Epiſcopus electus & confirmatus, vel etiam cui collatus Epiſcopatus citra electionem à Papa, poteſt conferre beneficia (uti & adminiſtrare & exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis) ante inſtallationem vel inductionem in poſſeſſionem. Idem eſt de Prælatis aliis electis, vel proviſis à Papa, Argumento *c. noſti, c. transmiſſum, c. qualiter, c. nihil, de electione*, utpote quæ jura videntur exigere ſolam confirmationem ad

administrandum, Garc. *p.* 5. *c.* 4. *nn.* 243. & 250. citans pro hoc Suar. *Tom. 4. de pœnitentia, d. 55. l.* 3. *num.* 19. Germon. *de indult. Card.* §. *nec non quamcunque.* Covar. *l.* 3. *Variar. c.* 16. *nn.* 6. Selv. *p.* 2. *q.* 15. Lamb. *p.* 3. *l.* 2. *q.* 11. *a.* 6. & 7. Butri. Card. Abb. *in c. transmissum,* &c. contra Felin. *cons.* 40. *n.* 5. Imol. Lap. Anch. &c. apud Garc. *n.* 246. facit pro hoc decis. Rotæ *in una Burgensi canonic.* 28 *Jan.* 1583. quæ est 182. *p.* 2. *divers.* quam refert, & cui insistit Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 23. *à num.* 46. apud Garc. *n.* 245. in qua resolutum, vacationem Ecclesiæ solùm durare usque ad confirmationem seu provisionem de Prælato factam, & sic stante dictâ provisione, & literis expeditis, etiam ante captam possessionem per Prælatum, Capitulum non posse conferre, nec jurisdictionem exercere, uti Sede vacante. Proceditque idipsum, quò ad alios Prælatos, sive collatio spectet ad Ordinarium loci, sive ad alium, sive installatio spectet ad confirmatorem, sive ad alium, Garc. *loc. cit. num.* 249. addit tamen Garc. *num.* 251. & idem tenet Castrop. *cit. p.* 27. *num.* 4. hodiedum ob *Extrav. injuncta. de Elect. inter commun.* Episcopum aliósque Prælatos in Curia promotos non posse conferre beneficia, nec administrare ante illarum literarum ostensionem, & præsentationem factam Capitulo, etiamsi aliàs, attento jure communi, statim post dictas literas expeditas acquisivisset jurisdictionem, & potuisset etiam conferre beneficia; cùm Sedes Episcopalis non dicatur ampliùs vacare, &c. ut dicitur expressè in *decis. Rota*, quam fusè refert Garc. *l. c.* & Gonz. *gl.* 15. §. 2. *à n.* 80. dicens illam postmodum sæpè fuisse à Rota canonizatam. Quin etiam seclusâ illâ *Extrav.* æquum videri, non posse Episcopum ingerere se administrationi, & jurisdictionis exercitio, nisi literis dictis præsentatis Capitulo, de cujus præjudicio agitur & de tollenda ei administratione, & jurisdictione habita ab eo Sede vacante, à qua priùs desistere non tenetur, Garc. *n.* 254. & 255. Vide de hoc plura supra, ubi de potestate electi administrandi ante confirmationem.

4. Respondeo quartò, quòd si tamen consuetudo sit contraria, ut Episcopus vel Prælatus non administret, & beneficia conferat ante captam possessionem, hæc servanda est, juxta *c. in his, dist.* 11. Garc. *num.* 157. citans Gl. *in cit. Extrav. injuncta, v. non præsumant.* Abb. *in c.. transmissum.* Cuchum. Rebuff. &c. subdénsque *num.* 258. negari non posse, hanc consuetudinem non solùm in Hispania, sed etiam in aliis partibus reverà esse, dum Episcopi nunquam antè captam possessionem administrant, nec beneficia conferunt, sed Capitula, uti Sede vacante, & Sedis vacationem ad istum effectum perguot administrare, & jurisdictionem exercere administrationis durare usque ad captam dictam possessionem ab Episcopo, ut Rebuff. *de devol. n.* 72. Hostien. *in c. olim, de restit. spol.* Felin. *cons.* 40. *n.* 4. Quin & absolutè & simpliciter tradit Tond. *l.* 2. *c.* 3. §. 7. *nn.* 6. non posse Episcopum ante captam possessionem conferre, & provisionem ante captam possessionem esse ipso jure nullam.

Quæstio 669. An, & qualiter Episcopus degens in Curia Romana conferre possit beneficia?

1. Respondeo primò: posse Episcopum degentem in curia conferre beneficia vacantia suæ diœcesis, (etiam dum vacant per resignationem factam coram ipso extra Curiam) Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 14. *num.* 26. referens sic resolutum à Rota coram Poteo, teste eodem *decis.* 167. *l.* 1. Quin & potest illa conferre in ipsa Curia Rom. etiam concedendo instrumentum seu literas in forma investituræ; cùm sicut jus conferendi non spectat ad potestatem jurisdictionis Episcopalis, ita collatio non est exercitium jurisdictionis, Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 52. Contrarium tamen sentit Pirh. *de præb. num.* 87. nimirùm Episcopum debere exire ex Curia, ut validè ea possit conferre, prout testatur praxis, ut refert Covarr. *l.* 3. *resolut. c.* 20. *nn.* 9. Supponit autem collationem esse actum jurisdictionis voluntariæ, quæ, ut ait, licèt exerceri possit extra territorium proprium, exerceri tamen non potest in urbe.

2. Respondeo secundò: non tamen potest ea conferre intra urbis Romanæ mœnia, sed extra conferre debet in reverentiam Papæ, Lott. *loc. cit.* testans sic habere stylum, pro quo citat Hieron. Paul. *in pract. cancell. Apost.*

3. Respondeo tertiò: sed neque potest ea conferre, dum coram ipso existente in Curia facta fuit resignatio, (uti id fieri potest, Paris. *loc. cit. n.* 23. Gabr. *cons.* 187. *num.* 4. *l.* 1. & Rota *decis.* 23. *in nov. quæst.* 1. *de rerum permut.*) nam eo ipso, quòd resignentur beneficia coram proprio Episcopo in Curia degente, dicuntur illa vacare in Curia per resignationem, Paris. *ibid. n.* 24. dicens: Esse communiorem, adeóque collatio spectat ad Papam, utpote cui specialiter reservata sunt beneficia vacantia in Curia, Paris. *ibid.* vel ad Cardinalem habentem indultum, in quo solet dari facultas conferendi omnia beneficia vacantia, præterquam per resignationem in Curia coram Papa; sed talia resignata coram Episcopo existente in Curia non sunt vacantia in Curia per resignationem coram Papa, Paris. *loc. cit.* ex eodem Gabriel *loc. cit.*

Quæstio 670. An, & qualem potestatem habeat Episcopus conferendi beneficia Ecclesiæ Cathedralis?

1. Respondeo primò: Episcopus non habet intentionem suam fundatam in jure communi quoad collationem Canonicatuum & præbendarum Ecclesiæ Cathedralis, sicut illam fundatam habet in jure respectu aliorum diœcesios suæ beneficiorum, Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 81. citans Felin. *in c. auditis, de præscript. n.* 10. & Rot. *in Calliensi juris conferendi,* 6 *Martii,* 1617. Sed potiùs, si jus commune spectetur, secundùm communiorem pertinet dicta collatio ad Episcopum, & Capitulum simul, ita ut Episcopus æqualem vocem cum Capitulo habeat, Lott. *loc. cit.* Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 26. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 17. dicens: hanc esse communiorem & securiorem, præcipuè quia est approbata toties à Rota, cujus decis. quamplurimas refert *nn.* 14. citans insuper *nn.* 15. pro ea Mand. *ad reg.* 18. *q.* 14. *ex n.* 2. Rebuff. *de nominatione, q.* 8. *n.* 3. & *cons.* 60. *&c.* Castrop. *cit. p.* 27. *n.* 2. citans *c. cùm Ecclesia Vulterana, de elect. c. postulastis, de concess. præb. c.* 1. *ne Sede vacant. in* 6. & insuper Gonz. *gl.* 45. *num.* 36. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25 *q.* 9. contra Selv. *p.* 2. *q.* 22. *à n.* 12. Bursat. *cons.* 126. *l.* 2. *n.* 45. Quintadv. &c. apud Garc. *n.* 11. tenentes, spectare ad Episcopum privativè cum consensu tamen Capituli. Item contra Hostiens. *in c. cùm Ecclesia Vulteran.* Corras. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Zechum apud eundem Garc. *n.* 12. tenentes, spectare ad Episcopum cum consilio Capituli. Addit Castrop. id maximè procedere, dum dicti Canonicatus, & præbendæ erectæ sunt ex bonis communibus, uti id præsumitur in dubio; si enim constaret contrarium, nimirùm quòd Canonicatus erecti fuissent de beneficiis aliàs liberæ collationis ipsius Episcopi, spectaret eorum provisio privativè & totaliter ad Episcopum; cùm per novam hujusmodi erectionem non alteretur jus Episcopo quæsitum, Card. de Luca *de benef. d.* 17. *n.* 6. & 9.

2. Respondeo secundò: idem dicendum de dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis; quòd de jure communi non sint electivæ, seu spectent ad electionem Capituli, & earum confirmatio ad Episcopum, etiamsi majores sint post pontificalem; sed solùm de consuetudine, tradit Garc. *loc. cit. n.* 24. & 25. & 26. ne plùs juris in iis haberet Capitulum, quàm in præbendis; cùm tamen deberet habere minùs. Sed quantùm est de jure communi spectent ad collationem simultaneam Episcopi, & Capituli, ut Garc. *n.* 20. & 21. juxta decis. Rotæ *in Tarronens. Sacristia,* 9 *Junii* 1600. & Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulterana de elect.*

3.

3. Respondeo tertiò: de cetero, si præscindatur à jure communi, spectetúrque consuetudo, & præscriptio (cui deferendum est, ut ex ipso textu *c. cùm Eccles. Vulterana.* probant Fagn. *ibid. n.* 25. & DD. communiter. ut Card. de Luc. *cit. d.* 1. *n.* 27.) contrarium sæpe accidit, dum Capitulum sine Episcopo præbendas conferre consuevit, & ècontra aliquando Episcopus sine Capitulo, ut de multis Hispaniæ Ecclesiis, & nominatim de Abulensi quoad collationem dignitatum competentem privativè Episcopo, testatur Garc. *loc. cit. n.* 27. Sic quoque cætera seu minora beneficia consistentia in Cathedralibus, ut portiones, Capellaniæ &c. Si sint de gremio Capituli, ex aliqua consuetudine, vel jure speciali spectare ad simultaneam Episcopi & Capituli collationem, tradit Castrop. *l. cit. n.* 2. citans Gonz. & Azor. *ubi supra.* Porrò qualiter, dum simultanea collatio spectat ad Episcopum & Capitulum, spectentur suffragia vel concordia, dicetur paulò post, ubi de Capitulo. Vide tantisper Garc. *loc. cit. n.* 28.

Quæstio 671. An, & quomodo, supposito jure simultaneo conferendi, Episcopus convocare possit Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem?

1. RESpondeo primò: posse Episcopum convocare Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 52. ex Mohed. *decis.* 1. *de privileg.* quamvis enim non possit convocare Capitulum, si de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, ut Trid. *sess.* 25. *c.* 6. hoc tamen decretum intelligendum, ut S. Congregatio *in una Segunt.* 3. *Sept.* 1587. quando agitur de eo, quod privatim interest Episcopi, etiamsi spectet ad ipsum tanquam ad Episcopum. Secùs si de re spectante ad ipsius Episcopi jurisdictionem, officium, dignitatem, administrationem, & regimen; jam verò in collationibus cessat peculiaris consideratio, interesse Episcopi; cùm illæ ad eum, non ratione privati nominis, sed dignitatis Episcopalis pertineant. Garc. *n.* 53. & 54. juxta Rot. *in Hispal. juris votandi* 26. *Junii* 1591.

2. Respondeo secundò: non potest tamen Episcopus restringere, & abbreviare tempus semestre Capitulo, quod habet ad providendum de jure. Garc. *n.* 55. citans Baysium *in direct. Electionum. p.* 3. *c.* 4. Cuchum *in instit. major. l.* 4. *tit.* 1. *n.* 179. Nec potest cogere Capitulum ad providendum. Quin & congregato per Episcopum, vel aliàs Capitulo ad providendum, posset major pars, si vellet provisionem differre. Garc. *n.* 56. citans Lamb. *de jurep. p.* 2. *l.* 2. *q.* 2. *a.* 19. *num.* 10. Abb. Sicut èecontra neque Capitulum Episcopo restringere & abbreviare terminum 6. mensium, & requirere ac vocare Episcopum, ut intersit provisioni intra certum tempus. Garc. *n.* 57. citans Rebuff. &c.

Quæstio 672. Quid Episcopus juris habeat circa conferenda beneficia Ecclesiarum Collegiatarum?

1. RESpondeo primò: cùm in Ecclesiis cesset ratio, cur in Cathedralibus simultaneam habeat cum Capitulo, nimirum erectio Canonicatuum ex bonis communibus Episcopi & Capituli, neque etiam tanta sit communio Episcopi cum tali Capitulo, quanta est in Cathedralibus, inspectâ juris communis dispositione, Episcopus simultaneam cum Capitulo earum Ecclesiarum prætendere non potest. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 135. multóque minùs, ut tenent Joan. Imol. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. n.* 5. & alii quidam solidam collationem. Lott. *ibid.* etiam adhibito duntaxat consilio Capituli, ut Federic. de Senis, *cons.* 34. *n.* 5. Sed

2. Respondeo secundò, præscindendo à consuetudine, secundùm juris communis dispositionem, jus præsentandi seu eligendi ad Canonicatus præbendásque Collegiatarum competit earum Capitulo, ejúsque Prælato immediato, si habeat; jus autem instituendi vel confirmandi spectat ad Episcopum. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Gonz. *gl.* 45. *n.* 47. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *num.* 64. Lott. *loc. cit.* citans Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. n.* 8. & Jo. de Lignano, atque Rotam huic sententiæ crebriùs & tenaciùs adhæsisse ab anno 1520. nihilominùs Jo. And. *in c. significatum. de præb. n.* 1. Put. *decis.* 130. *l.* 1. Lap. *alleg.* 31. *n.* 1. Decian. *cons.* 6. *n.* 11. *l.* 1. & Rota aliquando apud Lott. *loc. cit.* sentiunt, solidam illorum beneficiorum provisionem spectare ad Capitulum & ejus Prælatum, sine aliqua Episcopi participatione, quibus consentire videtur Card. de Luc. *de benef. d.* 12. *n.* 13. dum ait: in Collegiatis collatio Canonicatuum, aliorúmque beneficiorum fit nomine ipsius Ecclesiæ ab ipso Collegio, quamvis *d.* 17. *n.* 6. & 9. accedere videatur ad communionem, dum ait: horum beneficiorum collationem seu nominationem, provisionem vel electionem spectare ad Capitulum. Porrò dicta juris communis dispositio innititur rationi: quòd beneficia ista erecta sint de bonis & juribus ipsiusmet Ecclesiæ, cujus nomine Capitulum confert, seu providet, ut id præsumitur, juxta *dictam q. ante hanc penult.*

Quæstio 673. An, & qualiter Episcopus conferre possit alterius diœcesis beneficia unita beneficiis suæ diœcesis?

RESpondeo: beneficium accessoriè unitum beneficio alterius diœcesis debet conferri per Episcopum illius diœcesis, in quo est beneficium, cui unitur; quia sic Ecclesia unita evadit inferior, altera superior, & Prælatus superioris fit Prælatus utriusque. Frances *de Ecclesiis Cathed. c.* 8. *n.* 108. citans Gonz. *gl.* 5. §. 7. *n.* 24. & Per. de Perus. *tr. de unione. c.* 1. *n.* 1. Si autem æquè principaliter facta est unio, per utrumque Episcopum provideri debet. Frances *loc. cit.* citans Gonz. ubi ante. *n.* 57.

Quæstio 674. Quid possit Episcopus circa conferenda beneficia Ecclesiarum exemptarum?

1. RESpondeo primò: exemptâ Ecclesiâ, beneficia regularia in ea existentia non spectant ad collationem Episcopi. Frances *loc. cit. c.* 30. *n.* 155. citans Gonz. *gl.* 23. *n.* 22. & Rotam. Sed ad Prælatum, & Conventum simul, si sunt conventualia; si verò non sunt conventualia, ad Prælatum solùm; quamvis in his multum deferatur consuetudini. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *num.* 539. citans Selv. *p.* 2. *q.* 22. *n.* 45. & 51. Gonz. *gl.* 23. *n.* 20. &c. Secùs est de sæcularibus: talia enim adesse possunt in Ecclesia exempta, & spectare ad provisionem Episcopi. Frances *loc. cit.* citans Abb. & Lamb. apud Duran. *decis.* 92. *n.* 17. Siquidem ex exemptione Ecclesiæ non deducitur, quòd beneficium sit exemptum, cùm aliud sit Ecclesia, aliud beneficium in Ecclesia; quia beneficium & Ecclesia constituunt duo corpora distincta, ut Abb. *in cap. fin. de præb.* Frances *n.* 156. & 157.

2. Respondeo secundò: dum Papa mandat Episcopo, ut beneficium in sua diœcesi proximè vacaturum conferat Titio, potest eidem conferre beneficium aliàs ab Episcopo exemptum: ex illa enim commissione patet, Papam non excitare officium ordinarium, sed quòd faciat illum delegatum suum, adeóque sicut alius quilibet vi talis mandati Apostolici quodlibet beneficium in sua diœcesi situm conferre posset, ita & Ordinarius seu Episcopus; cùm officium ordinarium conferendi se tunc per accidens habeat. Laym. *ad c. grave. de off. jud. Ord. num.* 2. citans Jo. And. *in c. Abbatem. de rescript. in* 6. & Gl. *in Clem. unic. de excess. Prælat. v. primo anno.*

3. Respondeo tertiò: dum exempti, v. g. Abbates, habent Ecclesias pleno jure sibi subjectas (quod habere pleno jure subjectas aliud nihil importat signanter, quàm institutionem, destitutionem, visitationem, correctionem. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 15. *n.* 15.

n. 15. citans Paris. Cardinalem *conf.* 22. *n.* 14. *volum.* 4.) in illis Episcopus se non potest intromittere. Paris. *ibid. n.* 14. Sed de his alibi; vide Laym. *in cap. sicut. de suppl. negl. Pral. à n.* 7. & Lott. *l.* 1. *q.* 25. *n.* 57.

Quæstio 675. Quid Episcopus potestatis habeat circa beneficia conferenda in Ecclesiis regularibus non exemptis?

RESpondeo: Episcopum fundare intentionem suam super libera potestate conferendi in illis beneficia; dum enim ei assistit jus commune, quà latè patet ejus diœcesis, non solùm procedit respectu sæcularium, sed etiam regularium, ut dictum supra. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *num.* 137. & ubi in iis procedit per præsentationem vel electionem, Episcopus pariter fundatam habet intentionem pro jure instituendi, & confirmandi. Lott. *l. cit. n.* 138.

Quæstio 676. Quid possit Episcopus circa beneficia conferenda suis consanguineis?

1. RESpondeo primò: non impeditur Episcopus (idem est de collatore alio) quominùs beneficia vacantia per obitum consanguineo suo conferat, dummodò dignus sit, non obstante Bullâ Pii V. Tond. *qq. benef. l.* 1. *c.* 33. *n.* 4. cum communi. Addens *n.* 5. posse similiter Episcopum in favorem sui nepotis reservare pensionem: citat pro hoc Paris. *de confident. q.* 1. *num.* 20. Gratian. *discep. forens. c.* 617. *n.* 8.

2. Respondeo secundò: Episcopus resignata coram se purè & simpliciter conferre nequit consanguineis, affinibus & familiaribus propriis, (quod tamen intelligendum de familiaribus, qui actu deserviunt Episcopo, & continuam exercent commensalitatem in domo, ait Tond. *l.* 2. *c.* 3. §. 7. *n.* 3. citans Paris. *de resign. l.* 5. *q.* 6. *nu.* 91. Fusc. *de visit. l.* 2. *c.* 20. *n.* 23. Marium Antonin. *l.* 1. *resol. casu* 34.) uti nec ipsius resignantis, etiamsi id fieret multiplicatis per circuitum resignationibus, uti id expresè statutum per Bullam Pii V. *constit.* 58. ubi & gravissimæ pœnæ adversus contravenientes statutæ. Tond. *loc. cit. nu.* 8. Paris. *de resign. l.* 5. *q.* 7. *n.* 188. Non tamen prohibetur beneficia resignata conferre consanguineis suis, seu resignantis, ubi ea sunt jurisp. hæc enim non comprehendi istâ Pianâ constitutione, declaravit S. Congregatio teste Quaranta *in sum. bullar. v. beneficiorum resignatio.* Tond. *loc. cit. n.* 9. intelligitque hoc ipsum de jurep. laicali. Riccius *in decis. Curia Neapolit. l.* 3. *decis.* 81. licèt Quarant. *loc. cit.* loquatur in genere de benef. jurisp. cui adhærere videtur Tond. *l.* 2. *c.* 3. §. 7. *n.* 3.

3. Respondeo tertiò: poterit tamen etiam Episcopus dictis personis conferre beneficia, quæ vacant per dimissionem Clericatûs factam ab eo, qui illa possederat; cùm hæc non sit vacatio per resignationem, de qua loquitur Bulla Piana. Tond. *loc. cit. n.* 4. citans Riccium *ubi ante, p.* 3. *alleg.* 307. ubi etiam addit, posse Episcopum liberè conferre consanguineo beneficium ob alterius incompatibilis consecutionem resignatum, quod tamen meritò displicet Tondnto; eò quòd ob incompatibilis consecutionem beneficium præhabitum non possit resignari, sed debeat simpliciter dimitti, ut Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 58. & talis dimissio ex constitutione Clement. VIII. non possit fieri coram Ordinario, sed illa beneficia sint reservata Papæ; quod tamen credo intelligendum, si secundum incompatibile quis obtinuit à Papa.

Quæstio 677. Quid possit Episcopus circa beneficia litigiosa conferenda?

1. RESpondeo primò: dum pendente lite super beneficio unus ex collitigantibus moritur naturaliter vel civiliter, Ordinarius sive Episcopus (vel etiam alter inferior collator) non potest manus apponere, seu providere de illo beneficio, etsi aliàs ejusdem beneficii collatio ad eum spectaret; quia ipsa lis affectionem causat. Card. de Luca. *de benef. d.* 92. *n.* 18. juxta *c.* 1. & 2. *ut lite pendente. in* 6. proceditque id ipsum non solùm in beneficiis liberæ collationis, sed etiam in electivis, utpote de quibus propriè loquitur textus *cit. c.* 1. Card. de Luc. *n.* 19. Item ex communi sensu Beneficialistarum, ut ait Card. de Luca. *n.* 20. passim per Rotam canonizato de beneficiis jurisp. Laicorum (circa quæ passim & frequentiores oriri solent lites, quàm circa ea, quæ sunt liberæ collationis) etiam ex fundatione vel dotatione. Idem Card. *ibid.* & *n.* 21.

2. Respondeo secundò: sed neque videtur posse Episcopus (idem est de alio inferiore collatore) collitigantem superstitem providere de beneficio; eò quòd illud sit de reservatis Papæ per regulam *de subrogandis.* Card. de Luc. *loc. cit. n.* 35. dicens hanc opinionem videri receptam in praxi. Alii tamen tenent contrarium, nimirum non minùs posse à Collatore, quàm à præsentatore fieri dictam subrogationem; eò quòd par sit ratio in utrisque, nimirum cessatio rationis *c.* 2. *ut lite pendente.* quæ erat, ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat, pro hac sententia est Garc. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 221. citantúrque ab eo Lancellot. *de attentatis. c.* 3. *n.* 128. Paris. *cons.* 30. *n.* 4. *l.* 4. Roch. Covar. &c.

Quæstio 678. Quæ sit potestas Episcopi circa conferenda beneficia Sede papali vacante, vacantia, aut etiam Sede papali adhuc plena vacantia, sed de quibus Papa in vivis necdum disposuit?

RESpondeo: de his satis dictum supra; videri etiam potest Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 56. Card. de Luca. *de benef. d.* 16. *num.* 8. *d.* 31. *num.* 4. *d.* 93. *n.* 21. *d.* 24. *n.* 3.

Quæstio 679. Num Episcopus habens Coadjutorem conferre possit beneficia?

1. RESpondeo primò: dum ei datus Coadjutor ob amentiam, Coadjutor habet potestatem conferendi beneficia; cùm ei concedatur administratio Episcopalis ab Episcopo independens, & Episcopus eâ caret; quia non est compos sui. Castrop. *cit. p.* 27. *num.* 5. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 270. citans Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *à num.* 25. Quintadv. *l.* 1. *Ecclesiastic. cap.* 5. *num.* 5.

2. Respondeo secundò: dum datus est Coadjutor Episcopo sanæ mentis ob senectutem vel infirmitatem, ad Episcopum, & non ad Coadjutorem spectat conferre beneficia. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu.* 265. citans Pavin. *de potest. Cap. sede vac. p.* 2. *q.* 1. *n.* 8. Selv. *p.* 2. *q.* 4. Coras. *p.* 2. *c.* 4. *à num.* 9. Rebuff. *de nominat. q.* 8. *n.* 44. &c. contra Campeg. *de Coadjut. Episcopi. n.* 10. & Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 4. Navar. *cons.* 3. *de Cleric. agrot.* apud Garc. *num.* 269. & 275. dum sentire videntur posse Coadjutorem conferre beneficia, Episcopo tali coadjuto non prohibente, seu non contradicente; per dationem enim Coadjutoris Episcopus non amittit dictam potestatem. Castrop. *loc. cit.* juxta regulam juris: id, quod nostrum est, sine facto & consensu nostro tacito vel expresso aufferri non debet. Sed & Papa dat Coadjutori solùm potestatem exercendi jura spiritualia, & temporalia, quæ jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium: inter ea autem non sunt, quæ principalis rectè potest, & agere vult per seipsum. Garc. *n.* 274.

3. Respondeo tertiò: sed neque talis Episcopus tenetur conferre beneficia cum consilio, aut auxilio Coadjutoris; quia nec ad hoc datur Episcopo Coadjutor. Garc. *loc. cit.* quòd si tamen Episcopo sanæ mentis daretur Coadjutor ob dilapidationem, seu

malam

malam beneficiorum administrationem, non posset Episcopus sine consensu, & consilio Coadjutoris conferre beneficia. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 273. citans Oldr. *in c. venerabilis. de off. Deleg. n.* 2.

Quæstio 680. Num Episcopus possit alteri concedere facultatem conferendi beneficia?

RESpondet ad hoc Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 119. non posse id alteri concedere, quàm Vicario suo Generali, citátque pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de voce Episcopi. n.* 55. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 8. Quintadv. *l.* 1. *Eccles. c.* 5. *num.* 7. Sbrotium *de potest. Vicar. l.* 1. *q.* 52. vide de hoc dicenda §. *seq.*

PARAGRAPHUS IV.

De potestate Vicarii Episcopi, quoad conferenda beneficia.

Quæstio 681. Quotuplex sit Vicarius Episcopi, & qualem jurisdictionem habeat?

1. REspondeo ad primum: est triplex: natus, foraneus, à lege constitutus; Vicarius natus Episcopi est, qui cum officio, & dignitate nascitur independenter ab Episcopi denominatione, quales sunt Archidiaconi. *c.* 1. *de off. Archid. c. ut singuli. de off. Archipresb.* Sed horum jurisdictio hodiedum ferè extincta est. Castrop. *loc. cit. p.* 30. *n.* 1. Vicarius foraneus dicitur, vel quia extra fores seu civitatem, in qua Episcopus residet, constituitur; vel potiùs, quia forum, & judicium non generale, sed speciale tenet; v.g. constitutus pro oppido, vel oppidis aliquibus. Castrop. *loc. cit.* Vicarius à lege constitutus seu generalis, qui pro tota diœcesi ab Episcopo nominatur. Castrop.

3. Respondeo ad secundum: jurisdictio Vicarii foranei est delegata. Argumento. *c. super quæstionum. de off. Deleg.* Castrop. *loc. cit.* dicens sic ferè omnes sentire. Jurisdictio autem Vicarii generalis juxta communiorem est ordinaria; tum quia tribunal idem est Episcopi & Vicarii hujus, & non datur à Vicario generali ad Episcopum appellatio; tum quia factâ Episcopi nominatione, jurisdictio ab ipsa lege conceditur. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *per tot.* Barb. *de potest. Episcopi. alleg.* 54. *à n.* 5. Molin. *tr.* 5. *de just. d.* 20. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. hæc breviter in ordine ad *seq. qq.* alibi ex professo. Vide tantisper Garc. *p.* 5. *c.* 8.

Quæstio 682. An Vicarius generalis ratione hujus sui Vicariatûs habeat potestatem conferendi beneficia?

1. REspondeo negativè; sed eget ad hoc speciali concessione: illi enim ex concessione Vicariatûs concessa solùm est Episcopatûs administratio, in his, quæ necessitatis sunt & utilitatis. Unde & instituere & confirmare potest præsentatos & electos ex generali mandato; quia hæc sunt justitiæ & necessitatis, juxta dicta aliàs: non autem conferre; quia beneficiorum collatio est quædam donatio libera, & cui concessa est bonorum administratio, etiam libera, non est concessa per hoc bonorum donatio. *c. ult. de off. Vicar. in* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 118. *n.* 5. Paris. *de resign. l.* 9. *q.* 7. *n.* 32. Pirh. *de off. Vicar. n.* 49. cum communi. Proceditque idipsum, etiamsi ad solum Episcopum pertineat, consensum præstare in collatione alicujus beneficii, ita ut non possit à Vicario, non habente ad hoc speciale mandatum, suppleri. Castrop. *ibid. n.* 3. citans Rebuff. *in pr. de Vicar. Episcopi. n.* 9. Barb. *ubi ante. n.* 61. Gratian. *discept. for. c.* 303. *n.* 1.

2. Sed neque ex hoc generali mandato, & concessione Vicariatûs potest præsentare ad beneficia, quorum præsentatio ad Episcopum spectat; quia & hæc est liberalis gratia, & veluti quædam donatio. Pirh. *loc. cit. n.* 52. citans Sbrotium *l.* 2. *q.* 109. *n.* 2. *& seq.* Item nequit eligere, dum electio spectat ad Episcopum. Pirh *ibid.* Sbrot. *loc. cit. q.* 30. *n.* 5. Neque etiam potest recipere, etiam liberas, resignationes beneficiorum; multóque minùs ex causa permutationis. Castrop. *cit. n.* 3. citans Rebuff. *ubi ante. num.* 104. Riccium *in pr. resol.* 471. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 4. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 14. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 24. *n.* 3. sed de hoc alibi.

3. De cetero posse Vicarium Generalem ratione Vicariatûs sibi concessi sine speciali mandato, interim, dum beneficium vacat, & non providetur de Rectore, vel Rector impeditus est, constituere Vicarium, qui beneficium regat, & animarum curæ prospiciat; quia hæc designatio rectæ Episcopatûs administrationi necessaria est, & non est collatio, cum communi & alibi dictis tradit Castrop. *loc. cit. n.* 4. ubi tamen addit, si ob imperitiam, & à fortiori ob depravatos mores Rectoris constituendus esset Vicarius, id Vicarium generalem non posse ex generali mandato; cùm ex generali mandato non possit beneficiatos privare exercitio sui muneris, & alios in eo subrogare, citat pro hoc Covarr. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 7. Barb. *de potest. Episcopi. l.* 3. *alleg.* 54. *n.* 73. Sbrot. *de Vicar. Episcopi. q.* 112. *à n.* 2. Pitt. *decis.* 239. *n.* 2. Argumento *c. licet. de off. Vic. in* 6.

4. Porrò quod dictum de Vicario Episcopi, eum non posse sine speciali mandato conferre beneficia, idem dicendum de Vicario constituto in Urbe à Papa, censet Garc. *cit. c.* 8. *n.* 182. citans Pavin. *p.* 2. *q.* 10. *n.* 19. Rebuff. *tit. de forma Vicar. n.* 16. Gamb. *de off. Leg. l.* 3. *num.* 708. *& c.* contra Coral. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 17. atque Garc. *n.* 183. id procedere, etiamsi dictus Vicarius esset Cardinalis, citátque pro hoc Rebuff. *ubi ante. n.* 64. *&* 70. Gamb. *loc. cit.* Baldum. *in l. aliquando. ff. de off. procons.* subdit etiam Garc *n.* 186. Cardinalem tamen factum Legatum Urbis, Papâ ab ea recedente, posse conferre beneficia intra limites legationis consistentia, etiam Urbis, nisi obstet reservatio; & sic contrarium esse in Cardinale Legato Urbis, quàm in Cardinale Vicario Urbis; citat pro hoc Bald. Rebuff. contra Gamb. supra *n.* 702. qui nequidem hanc potestatem conferendi Cardinali Legato concedit sine speciali mandato.

Quæstio 683. An Vicario, & quali specialiter concedi possit, & soleat collatio beneficiorum?

1. REspondeo primò: Vicario foraneo non solere; sed nec posse id concedi ab Episcopo, communis habet sententia, pro qua à Castrop. *n.* 5. citantur Gl. *ult. in c. statutum. de præb. in* 6. & *in c. deliberatione. de off. Deleg. in* 6. Rebuff. *loc. cit. ex n.* 15. & plures alii apud Covar. *l.* 3. *variar. c.* 20. *n.* 6. & sic expressè docet Pirh. *de off. Vicar. n.* 50. Item Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. n.* 3. ubi datâ operâ loquor de Vicario generali; nam alteri neque in specie, neque in genere vacatura beneficia conferendi potestatem Episcopus aliúsque Ordinarius præter Papam committere potest: citátque pro hoc Abb. *in cap. consituens. de concess. præb.* Sbrot. *l.* 1. *q.* 52. *n.* 2. Hoc tamen ipsum intelligendum, ait Castrop. de potestate conferendi beneficia totius diœcesis; de potestate namque conferendi beneficia alicujus loci, non videri sibi, cur committi nequeat Vicario foraneo Episcopi, tametsi generalis non sit, citátque pro hoc Sbrotium *l.* 1. *q.* 53. *n.* 5. & Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 125. ubi ait: Vicario generali certi loci posse potestatem concedi conferendi beneficia illius loci, licèt aliàs non sit Vicarius Generalis.

2. Respondeo secundò: posse Vicario Generali concedi hanc facultatem conferendi beneficia, habet communis, Castrop. *cit. n.* 3. Garc. *n.* 119. id omnino supponens. Quin & Castrop. *ibid.* ait, ferè semper solere illi concedi hanc facultatem. Porrò ad hoc, ut Vicario committatur hæc potestas, non requiritur, ut sit quoque Vicarius in temporalibus, ut vo-

ut volunt Pavin. *de potest. Capit. Sede vac. q.* 10. *num.* 31. Rebuff. *l. c. num.* 8. Sbrot. *l* 2. *q.* 90. Azot. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. apud Castrop. Sed sufficit esse Vicarium Generalem in spiritualibus, juxta subjectam materiam collationis beneficiorum, quæ spiritualis est. Garc. *num.* 122. Castrop. *num* 6. citans Barb. *ubi ante. n.* 57. eò quòd Vicarius pro spiritualibus tantùm constitutus, absolutè Vicarius Generalis nuncupetur, ut constat ex Bullis Apostolicis teste Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 7. *n.* 187. & ex Trid. *sess.* 13. *c.* 2. & *ex c. cùm nullus. de temp. ord.* & tradunt Sbrot. *l.* 1. *q.* 25. *n.* 4. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *n.* 11.

Quæstio 684. *Unde dictum mandatum dicatur Speciale, & in quo sensu dicatur Generale?*

1. RESpondeo ad primum: dici ex eo speciale, quòd ad hoc, ut Vicario concessa censeatur facultas conferendi beneficia, specialiter debeat exprimi, quòd facultas ei detur conferendi beneficia; non verò, quòd detur ad conferenda certa beneficia vacatura, vel ad conferendum certis personis; id enim non valeret. Garc. *cit. c.* 8. *n.* 113. citans Sbrot. *l.* 1. *q.* 53. Pavin. Rebuff. Cuchum. &c.

2. Respondeo ad secundum: dici tamen potest ex eo generale mandatum, seu facultas generalis, si detur ad conferenda beneficia certi loci, seu partis diœcesis, modò ibi sint plura beneficia. Garc. *n.* 114. citans Rebuff. *de Vic. Ep. n.* 23. aut ad conferendum in certis mensibus. Garc. *loc. cit.* citans Cuchum; aut ad conferendum simplicia tantùm; aut curata tantùm, aut certi valoris, aut vacatura per mortem. Garc. *ibid.* ex Rebuff.

Quæstio 685. *An hæc potestas conferendi beneficia censeatur collata, seu satis expressa per clausulam generalem, quâ Vicario concedit Episcopus facultatem administrandi omnia, sicut ipse habet?*

RESpondeo negativè. Garc. *n.* 118. Castrop. *loc. cit. num.* 8. citans Paris. *de resign. l.* 9. *q.* 7. *n.* 34. nam ex tali clausula cum libera & plena potestate administrandi solùm infertur, posse Vicarium ea præstare, quæ ad tectam Episcopatûs administrationem spectant, non verò posse eum exercere etiam, quæ sunt meræ gratiæ & donationis; non enim in concessione administrationis, etiam liberæ, conceditur potestas donandi. Castrop. juxta c. *fin. de off. Vic. in* 6.

Quæstio 686. *An hæc potestas collata censeatur per clausulam generalem, quâ Episcopus concederet Vicario, ut omnia loco sui præstare possit, tametsi ea sint, quæ speciale mandatum requirant?*

1. RESpondeo primò negativè, dum nihil eorum, quæ speciale mandatum requirunt, exprimitur; tunc enim illa verba: *licèt ea sint, quæ speciale mandatum requirunt*: habentur pro non adjectis. Castrop. *cit. n.* 8. citans *c. qui ad agendum. de procurat. in* 6. & Molinam *tr.* 5. *de just. d.* 10. *n.* 9. Econtrà tamen, si aliquid speciale mandatum exigens exprimeretur, & simul adderetur: *& alia omnia speciale mandatum requirentia*; eo ipso ad omnia illa (modò tamen illa omnia generaliter expressa graviora vel majora non contineant, quàm sit illud specialiter expressum) mandatum illud conceditur; adeóque etiam ad collationem beneficiorum. Castrop. *ibid.* citans Molin. *ubi ante.* Covat. *l.* 3. *variar.* Abb. *n.* 3. Sbrot. *l.* 1. *q.* 65. *n.* 5. *&* 7. Garciam *cit. c.* 8. *n.* 68. *&* 69.

2. Respondeo secundò: sed neque adhuc censetur collata dicta facultas, dum dicta clausula generalis talis est, ut Episcopus concedat Vicario, ut omnia loco sui facere possit, etsi, speciale mandatum requirant, exceptâ suppressione beneficiorum, unione illorum, aut præsentatione; nam ex vi hujus adjectæ exceptuationis non conceditur potestas efficiendi quicquam speciale mandatum requirens; si enim per dictam clausulam generalem, seclusâ illâ exceptione aliquorum, non censetur concedi, quod speciale mandatum requirit, nisi idipsum in particulari exprimatur jure sic disponente, jam etiam per adjectam illam exceptionem id non conceditur; cùm illa exceptio non tam ad ampliandam concessionem, quàm ad illius restrictionem apponatur, juxta *l.* 1. *ff. de reg. juris.* Castrop. *loc. cit. n.* 9. ex Covar. *l.* 2 *var. c.* 5. *n.* 4. *& maximè n.* 8. *&* 9. & Molin. *ubi ante. d.* 10. *n.* 9. Nec obstat illud: exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, modò tamen hi casus non excepti comprehendantur sub concessione, adeóque in præsente, cùm jure sic disponente, nullus casus speciale mandatum requirens sub illa concessione comprehendatur, nullus casus speciale mandatum requirens non exceptus expressè firmabitur per talem exceptionem. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 687. *An, & qualiter hæc potestas conferendi beneficia arguatur concessa ex data Vicario facultate admittendi resignationes?*

1. RESpondeo primò: ex data facultate admittendi resignationes absolutè & simpliciter factas, non infertur data facultas beneficia taliter resignata conferendi. Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vic. in* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 11. citans Barb. *ubi supra alleg.* 54. *num.* 68. Rebuff. *in addit. ad reg.* 13. *cancell.* quia plus est conferre beneficia, quàm resignationes recipere; patétque ex eo, quòd Capitulum Sede vacante possit resignationes recipere; non tamen beneficia conferre, quæ liberæ sunt collationis ad Episcopum spectantia; ergo multò minùs Vicarius Episcopi; cùm Capitulum Sede vacante majorem illo habeat potestatem absque specialibus illi commissis. Laym. *loc. cit.* ex Paris. & quia collatio est actus omnino separatus, & cum resignatione non connexus. Castrop. *l. cit.*

2. Respondeo secundò: ex facultate data admittendi resignationes ex causa permutationis censetur quoque data facultas beneficia sic resignata conferendi; eò quòd licèt conferre beneficia permutantibus distinguatur à receptione, & approbatione permutationis, seu resignationis facta permutationis gratiâ, est tamen ita ei connexum, ut recipiens tales resignationes, seu approbans permutationem obligetur permutantibus ea conferre; adeóque collatio tunc non est voluntatis, sed necessitatis: & sic habet stylus communiter observatus, ut eodem tempore & contextu, quo admittuntur resignationes permutationis gratiâ, ipsa beneficia resignata permutantibus conferantur. Unde verisimile est, Episcopum dando potestatem recipiendi resignationes permutationis gratiâ factas, voluisse simul dare potestatem faciendi collationem, quæ necessariò illis fieri debet. Laym. *loc. cit. n.* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 13. citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 44. *q.* 6. Et Dominic. *in c. fin. de off. Vic. in* 6. Garc. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 104. *&* 108. citans insuper Coras. *de benef. p.* 2. *c.* 8. *n.* 2. Zechom *de benef. & pens. c.* 2. contra Rebuff. *in pr. tit. de forma Vicariı. n.* 104. *&* 106. Staphilcum *de lit. gratia. tit. de var. mod. vacat. §. resignationes. n.* 23. Barb. *ubi supra n.* 68. Felin. *in c. audītis. de præscript. n.* 3. apud Castrop. De cætero ex data Vicario facultate admittendi resignationes, non addito: etiam ex causa permutationis: non potest Vicarius admittere resignationes ex causa permutationis factas; quia aliud est admittere resignationes, aliud dare auctoritatem permutare volentibus, ut fit in admissione resignationis permutationis gratiâ Castrop. *n.* 12. Garc. *n.* 110. citantes Rebuff. *ubi ante.* contra Pet. de Perus. *de permut. benef. p.* 2. *q.* 6. *n.* 23.

Quæ-

Quæstio 688. An ex eo, quòd Vicario data sit potestas destituendi, arguatur, ei concessam potestatem conferendi?

RESpondeo negativè: sicut nec vice versâ concessâ potestate conferendi venit potestas destituendi; tametsi enim hæc fermè conjuncta sint in potestate ordinaria, non tamen in delegata seu commissa; cùm hæc dependeat à voluntate committentis. Laym. *loc. cit. n.* 7. Pith. *de off. Vic. n.* 53. Nec obstat, quòd qui potest destituere, potest etiam instituere, & beneficia conferre; nam etsi id verum in habente potestatem ordinariam, non tamen in eo, qui habet destituere specialiter ex delegatione, vel commissione. Pith. *ibid.* citans Patis.

Quæstio 689. An postquam Episcopus specialiter commisit Vicario suo collationem beneficiorum, ademerit sibi potestatem, sive ligaverit sibi manus ad conferendum?

RESpondeo nequaqoam, qnin potiùs Episcopus tunc concurrit cum suo Vicario. Imò, si noo constet, uter prius contulerit, præferenda est collatio facta ab Episcopo tanquam habente ampliorem potestatem, sicut simili ratione dicitur de Papa respectu aliorum collatorum. Laym. *ad cap. cùm in generali. n. 2.* citaos Sbrot. *l. 2. q. 93.* Pith. *de prab. n. 80. & de off. Vic. n. 55.*

Quæstio 690. Dum data Vicario facultas generalis conferendi omnia beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, ad quæ beneficia se illa facultas extendat?

1. RESpondeo primò: pro fundamento sequentium, cùm talis facultas data Vicario sit favor & beneficium cedens in detrimentum solius concedentis, latè, quàm fieri potest, ast imerpretanda. Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 46. q. 1.* Sbronium *de potest. Vic. l. 1. q. 70.* Barb. *ubi supra n. 56.* Hinc

2. Respondeo secundò: extendit se ad sequentia: primò ad beneficia curata & dignitates Ecclesiasum Cathedralium; quia hæc sub nomine beneficii veniunt in materia favorabili. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *ubi ante. c. 44. n. 7.* Barb. *n. 63.* Pith. *de off. Vic. num. 50.* citans Fagn. *in c. ult. de Simon. num. 36.*

3. Secundò: ad beneficia post commissionem seu facultatem illam datam Vicario priùs erecta; quia, ut dictum, facultas hæc utpote non odiosa & pœnalis latè explicanda, adeóqne dicendom, quòd se extendat tam ad erecta quàm erigenda; etsi ea tempore datæ Vicario potestatis necdum essent in rerum natura. Castrop. *loc. cit.* contra Pith. *de off. Vic. num. 54.* Barbosam & Azor. *ll. cit.* insistentes *Clem. literar. de rescript.* Verùm illud mandatum, de quo ibi conferendi beneficium certum certæ personæ odiosum, & strictè interpretandum.

4. Tertiò ad beneficia spectantia jure devoluto ad Episcopum; quia ea beneficia confert Episcopus jure ordinario & communi ob negligentiam Collatorum. Laym. *ad cap. cùm in generali. de off. Vic. n. 7.* citans Patis. Castrop. *loc. cit. n. 14.* citans Azor. *cit. c. 44. q. 2.* Barb. *n. 63.* secùs tamen dicendum, ubi beneficia essent devoluta ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum; v. g. ob negligentiam Prælatorum Regularium; quia tunc Episcopo ea conferendi potestas non competit jure ordinario, sed delegato. Pith. *loc. cit. n. 54.* Castrop. Azor. Barb. *ll. cit.*

5. Quartò: facultatem illam generalem conferendi beneficia extendere se quoque ad præsentationes competentes Episcopo, contra Garciam *loc. cit. n. 83.* Laym. *loc. cit.* Roch. *de jurep. v. honorificum. n. 25.* Pith. *de off. Vic. n. 52. &c.* tenet Castrop. *n. 55.* citans Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. q. 4. a. 4.* & Azor. *ubi ante. q. 10.* eò quòd nomine conferendi in materia favorabili, & in mandatis & facultatibus ordinariis comprehendantur omnes modi providendi; etsi in mandatis odiosis sit contrarium; nimirum valde distinguantur collatio, præsentatio, institutio, electio, AA. iidem; unde

6. Quintò: extendit se ad beneficia commendanda, ita ut beneficia commendare possit Vicarius in iis casibus, in quibus conceditur Episcopo; quia commendatio beneficii vel est propria beneficii collatio, vel quid minus illâ. Castrop. Azor. *ll. cit.* Barb. *num. 64.* Subditque Castrop. ex Gonz. *gl.* 17. hæc à fortiori procedere, dum dicta facultas data esset Vicario sub verbo *providendi*; quia illud significationem latiorem habet, omnésque modos provisionis propriissimè comprehendit.

7. Sextò: dicta facultas sub dictis terminis generalibus data se non extendit ad beneficia, quorum collatio competit Episcopo jure speciali vel privilegio; quia hæc potestas Episcopi aliis communicari nequit. Castrop. *loc. cit. num. 14.* Laym. *in cap. cùm in generali. de off. Vic. num.* 7. citans Patis. *l. 1. q. 24. n. 64.*

8. Denique facultatem conferendi beneficia, quomodocunque vacârint, extendere se quoque ad admittendas resignationes beneficiorum, resignatáque beneficia conferenda, probabile censet Castrop. *num. 10.* Cùm resignatio solùm postulet fieri coram Superiore potente beneficium resignatum conferre, ut Gloss. *in clem. unic. de renunc. v. manibus.* adeòque cùm Vicarius sit Superior, & possit resignata conferre, poterit & resignationem admittere. Verùm de hoc alibi.

Quæstio 691. An Episcopus Vicario committere possit potestatem conferendi certum beneficium, antequam vacet?

RESpondeo negativè; sed solùm generalem facultatem conferendi ei concedere potest. Pith. *de off. vic.* Laym. *in c. cùm in generali. n. 3.* citans gl. communiter receptam *in c. de liberatione. §. prohibemus. v. cujuscúnque. de off. leg. in 6.* & DD. communiter *in c. consistentus. de concess. prab.* & specialiter Rebuff. *tit. de vic. Episcop. n. 15.* ubi quòd Episcopus non possit Vicario committere collationem, sive respectu certi beneficii, sive respectu certæ personæ. v. g. dicendo: *Titio conferas beneficium in hac Ecclesia vacaturum, sive per mortem, sive per resignationem.* Tum quia talibus commissionibus præbetur occasio modis illicitis aperiendi viam beneficiis vacaturis, éstque periculum, ne mortis machinatione, aut resignaturi circumventione vacatio beneficii procuretur; tum quia per hujusmodi commissiones determinatas inducuntur beneficiorum reservationes, vel exspectativæ, quæ odiosæ sunt, & Episcopis non concessæ, juxta gl. *in c. cum dilectus. v. quempiam. de jurep.* & Trid. *sess. 24. c. 19.* Laym. *loc. cit.* potest nihilominus committere potestatem confereodi beneficia restricta ad certum locum diœcesis, modò ibi sint plura. Laym. *loc. cit.* ex Sbrot. *l. 1. q. 53. n. 5.* Item, dum debitum alicui est beneficium io Ecclesia quadam, quia v. g. Canoniam sine præbenda consecutus fuit, potest mandare Vicario, ut proximè vacaturam eidem conferat; quód enim de jure faciendum est, ut fiat, maodari seu committi potest. Pith. *n. 51.* Laym. *loc. cit. n. 6.* citans seipsum *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 2.* Item potest committere ei facultatem recipiendi resignationem determinati beneficii, eáque admissâ eidem committere facultatem conferendi, quia sic non committit collationem beneficii vacaturi, sed vacantis. Laym. *loc. cit.* Pith. *de off. vic. n. 51.* quamvis de cetero simul ac conjunctim potestatem certi beneficii resignationem recipiendi, & illud conferendi committere illi non possit, ut Sbrotius *l. 1. q. 52. n. 25.* & plerique alii. Laym. *loc. cit. n. 4.* Pith. *loc. c.*

Quæ-

Quæstio 692. An Vicarius concessam sibi facultatem conferendi beneficia exercere possit, & conferre constitutus extra diœcesin, uti id posse Episcopum, dictum est supra?

RESpondeo affirmativè. Castrop. *loc. cit. n.* 16. citans Azor. *cit. c.* 44. *q.* 9. Barb. *n.* 64. Gonz. *gl.* 62. *n.* 3. Garcias *cit. c.* 8. *n.* 126. citans Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 28. Menoch. *de arb. l.* 1. *q.* 43. *n.* 19. Parif. *de resign. l.* 7. *q.* 24. *n.* 32. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 34. *n.* 2. Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 2. *a.* 6. *n.* 3. Coraf. *de benef. c.* 8. *n.* 3. *&c.* contra Bald. *in l.* 2. *ff. de off. proconf. n.* 1. Barbat. *in c. novit. de off. leg.* Germon. *de indult. Card.* §. *tibi quoad. n.* 87. licèt is dicat contrarium esse æquum. Non enim magis præjudicium, aut injuria irrogatur Episcopo per exercitam in ejus diœcesi hanc jurisdictionem voluntariam ab Episcopo extraneo, quàm ab hujus Vicario; cùm absque strepitu, & figura judicii exerceatur, esto jurisdictio Vicarii in hoc, nimirum quoad conferenda beneficia sit delegata & non ordinaria, sicut est Episcopi, (ut Garc. *n.* 129. contra Coraf. Boërium, Sbrotium) nam etiam delegata jurisdictio voluntaria seu concessa ab inferiore à Principe rectè exercetur extra territorium ob rationem datam. Garc. *cit. n.* 129. ex Sanch. *supra.* Neque his obstat *cit. l.* 2. *de off. proconf.* in qua se fundant adversarii; nam (quod solùm dicitur in *cit. lege*) licèt legatus proconsulis à puncto, quo proconsul urbem egressus fuit, non habeat jurisdictionem, neque intra, neque extra provinciam; quia hanc dare non potest proconsul legato suo, quousque provinciam fuit ingressus, per hoc tamen non negatur, quòd proconsule ingresso in provinciam, legatus ejus, sicut & ipse proconsul, non possit exercere jurisdictionem voluntariam extra diœcesim. Garc. *n.* 130. Castrop. *loc. cit. n.* 5. Porrò quod dictum hoc in puncto de collatione rigorosè tali facienda à Vicario, idem dicendum de institutione & confirmatione; licèt enim necessarium sit priùs à Vicario cognosci aptitudinem præsentati & electi, potest tamen hæc cognitio esse extrajudicialis, & sic unà cum institutione ab eo fieri extra diœcesim. Garcias *n.* 138. *juncto n.* 142. Castrop. *loc. cit. n.* 17.

Quæstio 693. An Vicarius habens ab Episcopo facultatem conferendi beneficia, possit ipsi illi Episcopo suo, dum is aliàs habilis est, conferre beneficium?

RESpondeo negativè; quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio; jam verò Episcopus, ejúsque vicarius unum tribunal, unámque personam & corpus constituunt, uti & id ex eo patet, quòd à Vicario conferente beneficium inhabili non fiat devolutio ad Episcopum, juxta *c.* 2. *de consuetud. in* 6. *& c. Romana. de appellat. in* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 19. citans Azor. *cit. c.* 44. *q.* 13. Garc. *loc. cit. n.* 143. citans Rebuff. *in pr. tit. de forma vicariatûs. n.* 82. Coraf. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 6. Quintadv. *l.* 1. *Eccl. c.* 5. *n.* 7. Sbrotium *l.* 2. *q.* 91. *n.* 92. ait tamen Garc. *n.* 144. hoc videri intelligendum, quando vicarius conferret ut ordinarius; quia nimirum simul cum jurisdictione generali, & ordinaria potestate data ei esset potestas conferendi; supponit siquidem, & fusè tradit Garc. *à n.* 41. quòd, dum illa, quæ speciale mandatum requirunt, committuntur simul cum designatione Vicariatûs, seu jurisdictione generali & ordinaria potestate, (aut etiam dum ea separatim, & postea committuntur ab Episcopo, non solùm faciente mentionem Vicariatûs, salutando illum & compellando Vicarium suum, ut Jo. And. sed dicendo, quòd commissionem aliàs datam extendat, ut Garc. *n.* 44.) tunc Vicarium in omnibus esse ordinarium, juxta *c. translato. de constitut.* unde fiat, ut nunquam appelletur à Vicario generali ad Episcopum, etiam in requirentibus speciale mandatum; quia solent simul cum potestate ordinaria committi; citátque pro hac doctrina Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *n.* 8. Felin. *in l. in corrigend. de off. ordinar. n.* 1. Sbrotium. *l.* 1. *q.* 67. *n.* 3. Jo. And. &c. Crescent. Ac proinde, ait Garc. *n.* 144. secus esse, seu Vicarium posse Episcopo conferre beneficium, si conferat ut delegatus. Cujus tamen contrarium tenet Castrop. *cit. n.* 19. eò quòd dum hæc delegata potestas ab Episcopo proveniat, si Episcopus vi illius posset beneficium acquirere, ipse sibi censeretur beneficium providere, quod alienum est ab usu Ecclesiæ; cùm provisio beneficii à beneficiario ortum habere non possit, ne detur locus ambitioni.

Quæstio 694. An Substitutus à Vicario, possit Vicario conferre beneficium?

1. RESpondeo primò, supponendo primò, tametsi Vicarius alium Vicarium designare nequeat, ne procedatur sine termino, juxta *c. clericos. de off. Vic.* posse tamen ad breve tempus ex causa justa, v. g. infirmitatis, absentiæ, alteriusve impedimenti vices suas in totum alteri committere, jure, & consuetudine sic disponente, & hos Vicarios substitutos ex eodem tribunali cum substituente judicare, & eodem modo esse judices ordinarios. Castrop. *n.* 18. citans gl. *in clem.* 1. *de regular. v. locum aliorum.* Marantam *de ord. judiciorum p.* 4. *dist.* 5. *n.* 22. Molin. *tr.* 5. *de just. d.* 10. *n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *q.* 3. Garc. *cit. c.* 8. *n.* 150. Secundò posse illum partem jurisdictionis committere alteri, tum quia delegatus ad universitatem causarum unam vel alteram alteri subdelegare potest, ut Castrop. ex Sanch. *loc. cit.* §. 31. *n.* 2. & Basil. Pont. *de matrim. l.* 5. *d.* 26. *n.* 21. tum quia Vicarius non tam est delegatus Episcopi, quàm ordinarius ipsius, unam cum eo personam repræsentans. Castrop. *ibidem.* Tertiò inter causas, quas Vicarius alteri delegare potest, videri esse collationem beneficiorum, dum ea in eo, cui committitur, non requirit necessariò Vicariatum generalem; adeóque sicut Episcopus Vicario foraneo committere potest collationem beneficiorum, sic Vicarium generalem eidem committere posse facultatem conferendi beneficia istius loci seu partis diœcesis, in qua est judex; cùm ipse possit Vicarium illum constituere. Castrop. *loc. cit. n.* 18. Vide de his omnibus fusè Garc. *cit. c.* 8. *à n.* 148. His suppositis,

2. Respondeo secundò, ad quæst. Quòd, si Episcopus designaret Vicarium generalem cum potestate substituendi alium Vicarium, cum clausula: *Quem nos Vicarium nunc prout ex tunc cum eadem potestate substituimus:* videtur posse talis substitutus Vicarius, non Episcopo, sed Vicario substituenti conferre beneficium; eò quòd is non à primo Vicario, sed ab ipso Episcopo acceperit potestatem conferendi; adeóque sicut ipse Vicarius provideri potest de beneficio, ita etiam à tali Vicario substituto. Castrop. *n.* 19. citans Garciam. *cit. c.* 8. *n.* 145. De cætero dum is substitutus Vicarius constitutus est à Vicario Generali, in casibus nempe, in quibus is independenter ab Episcopo alium designare potest, non potest Vicario, à quo substitutus, conferre beneficium; quia jam militat eadem ratio, quare ipse Vicarius generalis Episcopo, à quo constitutus, conferre nequeat beneficium. Castrop. *n.* 19.

Quæstio 695. An & qualiter valeat collatio facta à Vicario post ejus revocationem?

1. RESpondeo primò: quòd, si Vicarius habens potestatem conferendi revocatus, seu amotus fuerit ab officio per Episcopum, valet adhuc collatio facta ab eo revocationem ignorante. Garc. *n.* 174. citans Sanch. *l.* 3. *de matrimon. d.* 30. *n.* 11. Sbrot. *l.* 3. *q.* 36. Parif. *de resig. l.* 7. *q.* 24. *n.* 41. Lancell. *de attent. p.* 3. *c.* 10. *n.* 23. Coraf. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 8. Rebuff. Boërium Selvam &c. In revocatione namque facta per Episcopum requiritur intimatio per ipsum Episcopum, aut de ejus ordinatione facta,

aliàs

aliàs valebunt gesta per Vicarium, etiamsi habeat notitiam revocationis, quin &, etiamsi hæc publicè sit nota. Garc. *n.* 176. citans Sanch. *ubi ante.* Boëtium *decis.* 347. Rebuff. *in pr. tit. de forma Vicar. n.* 210. Cuchum *l.* 3. *tit.* 8. *n.* 148. Coras. Sbrot. Quin & Episcopus, licèt revocârit Vicarium, non censetur tamen voluisse hanc revocationem effectum habere, antequam sit ei pro ejus parte intimata, non secus ac etiam in constitutione Vicarii. Garc. *n.* 177.

2. Respondeo secundò: Collatio facta à Vicario revocato per mortem, aut translationem Episcopi, aliámve vacationem Episcopatûs valet, Vicario hanc vacationem ignorante. Garc. *n.* 175. citans Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 19. *&* §. 5. *proœm. n.* 103. Lancell. *ubi supra n.* 24. Paris. &c. testansque sic decisum à Rota *in Janensi Canonicatûs. anno* 1546. tametsi enim revocatio, seu potiùs exspiratio Vicariatûs habeat suum effectum, etiam non intimatâ morte Episcopi, aliáve vacatione Episcopatûs; eò quòd fit à jure ipso facta, ut Sanch. *loc. cit. n.* 4. Felin. *in c. ex parte decan. de rescrip. n.* 8. Paris. apud Garc. *n.* 178. Valent tamen gesta per eum, quando communiter ignoratur mors, quamvis ipse Vicarius conscius sit illius; uti etiam quando esset communis error, & ignorantia revocationis, etiam ipsi intimatæ; non autem quando communiter scitur mors, licèt Vicarius eam ignoret. Garc. *n.* 179. ex Sanch. *loc. cit. n.* 4. *&* 11. *& d.* 22. *n.* 59.

PARAGRAPHUS V.

De potestate Capituli tam sede plenâ, quam sede vacante, ejúsque Vicario ad conferenda beneficia?

Quæstio 696. In genere an & qualiter beneficiorum, tam existentium in ipsa Cathedrali, quàm extra illam, collatio competere possit, & de facto competat capitulo cathedrali sede Episcopali plenâ?

1. RESpondeo primò: capitulum, non secus ac privatus alius, habere potest jus conferendi beneficia extranea, hoc est, constituta extra ipsam cathedralem privativè ad Episcopum, & absque ejus consensu. Castrop. *Tr.* 13. *d.* 2. *p.* 27. *n.* 2. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. Gonz. *gl.* 45. *n.* 38. cum communi.

2. Respondeo secundò, etiam quoad præbendas & canonicatus ipsius cathedralis ex consuetudine seu præscriptione habere potest, & ordinariè habere solet jus conferendi illos sine Episcopo, seu privativè ad Episcopum. Castrop. *loc. cit. n.* 3. citans c. *ex parte, de concess. præbenda.* Hanc tamen consuetudinem debere esse immemorialem, ob vehementem juris resistentiam, ait Card. de Luca *de benef. d.* 31. *n.* 14. de quo erit specialis quæstio infra.

3. Respondeo tertiò: alia quóque beneficia inferiora existentia in cathedralibus ex consuetudine quandoque privativè spectant ad Capituli, aut alicujus illius Prælati, putà, Decani, Præpositi, collationem, tametsi aliàs jure speciali sint simultaneæ collationis Episcopi & Capituli, ut dictum supra. Porrò Capitulum, dum ex legitima consuetudine nomine Ordinarii Collatoris venit, confert privativè ad Episcopum, Sede papali vacante, in mensibus aliàs reservatis Papæ. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 15. citans *decis.* Rotæ 980. *n.* 5. apud Seraphin.

4. Respondeo quartò: præscindendo à consuetudine & ordinatione contraria fundatoris, communior sententia habet, collationem in Cathedralibus de jure communi esse simultaneam Capituli & Episcopi, juxta dicta superiùs. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 8. citans Gl. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. de elect.* & *in c. ult. de suppl. negl. Prælat.* & *in c. irrefragabiles. de off.* Ordin. quas Glossas communiter receptas testatur Bellamer. Item Mantic. *decis.* 56. qui testatur hanc sententiam probatam fuisse S. Congregationi Trid. Item Gonz. *gl.* 45. *num.* 39. Mand. *ad reg.* 17. *q.* 14. *n.* 2. *&c.* Observandum tamen ex eodem Lott. quod ait *n.* 9. quòd, dum dicitur, sic jure communi esse cautum, ut in cathedralibus collatio sit simultanea, hoc non ita accipiendum, quasi lex aliqua, vel canon idipsum expressè disponat, (textus enim *cit. c. cùm Ecclesia Vulterana. & c. postulastis. de concess. præb.* qui pro hac sententia allegari solent, non satis id probant) sed quòd ita sit inductum per interpretationem doctrinalem, quæ ubi ratione constat, & per Glossas & DD. communiter est recepta, facit jus, venítque appellatione *juris communis*, ut Bero. *cons.* 91. *n.* 1. *l.* 1.

5. Porrò ratio hujus simultaneæ non tam constituenda est in summa connexione, quam Episcopus habet cum Capitulo, ita ut unum cum eo Episcopus efficiat; natura autem ita comparatum sit, ut nulla actio, prout actio est motus, attribuatur capiti sine corpore, (petitur námque in hac ratione principium, seu quod est in quæstione, utrùm nimirum in potestate conferendi canones ita connectant Episcopum & Capitulum, cùm textus ille *c. novit. de his, quæ fiunt à Præl.* connexionem hanc non faciat respectu potestatis conferendi, sed tantùm respectu participationis, consilii, supposito, quòd bona & administratio eorum sit inter Episcopum & Capitulum discreta) quàm in eo, quòd præbendæ in Ecclesia cathedrali præsumantur institutæ de bonis communibus Episcopi & Capituli. Unde sive de hoc expressè liqueat, sive præsumatur, videtur æquale jus utrique competere. Lott. *loc. cit. à n.* 11. & hanc rationem ponit Abbas *in c. cùm Ecclesia Vulter.* quam probavit Præpos. & Rota apud Lott. *n.* 17. Atque ex dicta ratione jam patet, maximum quoad hanc simultaneam collationem esse faciendum discrimen inter præbendalia beneficia ipsius Cathedralis, (quo nomine non tantùm reputantur Canonicatus, utpote necessariò habentes præbendam vel actu, vel in exspectatione, sed etiam dignitates & personatus. Lott. *l. cit. n.* 18. ex Cujacio *rubr. de præb.*) & non præbendalia; ita ut non tantùm Canonicatus & præbendæ illius, sed & dictæ dignitates spectent ad simultaneam illam collationem. Lott. *ibid. n.* 19. citans Gl. *in c.* 1. *d.* 21. *v. disponit.* & Rotam *in Barbastrensi Archipresb.* 18. *Junii* 1615. Non verò beneficia inferiora. Lott. *n.* 20. ex Abb. *ubi supra. n.* 8. Item quòd portiones & dimidiæ portiones in Cathedrali, etsi propriè præbendæ non sint; cùm præbenda duntaxat dicatur, quæ est Canonicatui vel Dignitati connexa; quia tamen & hæ portiones constituuntur ex communibus reditibus Ecclesiæ Cathedral. spectant ad dictam simultaneam collationem. Lott. *num.* 22. *&* 23. citans eandem Rotæ *decis.* in qua plures aliæ ejusdem Rotæ decisiones allegantur.

Quæstio 697. An, & qualiter, supposito & illæso hoc jure simultaneæ collationis, ea fieri possit, nihilominus per unum, putà, per solum Episcopum, vel solum Capitulum?

1. RESpondeo primò: hoc fieri posse dividendo exercitium istius potestatis, seu juris conferendi simultanei, vel per turnum, vel per beneficiorum genera, ita ut Episcopus conferat unius, Capitulum alterius generis beneficia. Lott. *n.* 29. & sic praxis frequentius induxit turnariam divisionem per menses, vel hebdomadas aliáve tempora, ut unus uno, alter alio tempore in solidum ac pleno jure conferat; quod ipsum etiam discordiarum vitandarum gratiâ inductum est in ipsismet Capitulis inter Canonicos, dum collatio privativè spectat ad Capitulum. Card. de Luca. *de benef. d.* 1. *nu* 31. *&* 32. *& d.* 32. Habebuntúrque in hoc casu omnes provisiones illæ tanquam simultaneæ, & conjunctim factæ; quia licèt exercitium sit dividuum,

non tamen est dividuum jus illud potestatis, sed in solidum cuilibet eorum competit, & ipsa ejus substantia penes omnes individua manet, diviso solùm exercitio. Corr. *pr. benef. l. 3. c. 6. n.* 72. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 33. Lott. *loc. cit. n.* 30. adjecto simili de pluribus fratribus dividentibus inter se Comitatum; qui etsi separatim exerceant jurisdictionem in portione sibi competente, non tamen intelliguntur disjunctim quidquam agere respectu ipsius jurisdictionis. Atque ita dum per unum fit collatio, tunc per omnes fieri dicitur, eorúmque Mandatarius seu Vicarius dicitur ille, qui tunc exercitium habet. Card. de Luca. *cit. n.* 33.

2. Respondeo secundò: adhuc locum esse juri isti conferendi simultaneè, dum unus eorum confert, altero non contradicente, (intellige, ut Garcias, intra semestre) quamvis enim actus sit simultaneus, est tamen in solidum penes utrumque, & sic dividuus respectu exercitii, proinde nihil est, quò minùs fieri possit separatim. Garc. *p. 5. cap. 4. nu.* 42. citans Mandos. *in reg. 17. quæst. 14.* & plures Rotæ *decis.* Lott. *loc. cit. num.* 22. citans Gonz. *gl. 45. n.* 52. Achill. *decis. 4. de præb.* & approbatam dicens hanc sententiam per Rotam *in Tarracon. Sacristia 19. Martii* 1602. Unde eâ collatione factâ ab Episcopo vel Capitulo, altero non probante, nec contradicente, dicitur interim jus considerabile quæsitum taliter proviso, ita ut non valet provisio Papæ alteri postea facta, non factâ de eo mentione, & sit locus regulæ *de non tollendo jure quæsito.* Garc. *n.* 44. citans Mandos. *ad reg. 17. q.* 14. Achill. *decis. 267. n.* 11. Quòd si tamen fieret collatio per unum, tanquam de beneficio spectante ad suam collationem privativè ad alterum, actus foret nullus defectu potestatis. Lott. *n.* 31. De cætero, dum de hoc manifestè non constat, collationem taliter factam ab uno, id præsumendum non est; eò quòd ubicunque capi potest interpretatio mentis conservandi simultaneam; ea omnino capienda est, ut actus valeat: unde dum Episcopus conferret solus, non statim interpretabimur, eum voluisse facere collationem privativè ad Capitulum, sed potius eidem Capitulo præservare jus suum veluti implicitum actui traditionis possessionis, dum nimirum scit, actum hunc ad Capitulum de jure pertinere, neque aliter traditam possessionem cuiquam suffragari; & ex altera parte non ignorat, actum illum traditionis possessionis in eo, qui potest conferre, habere vim collationis, de quo infra. Garc. *n.* 47. Lott. *à nu.* 33. citans *c. si capitulo. de concess. præb. in* 6. Cassador. *decis. 8. de causa poss. & prob.* Ferret. *cons. 220. num.* 13. & plures Rotæ *decis.* Nisi fortè Capitulum dedisset possessionem, dicens, se velle obedire mandatis. Quamvis & in hoc casu verius censeat Garc. *n.* 48. traditionem possessionis habere vim collationis. Subdit nihilominus Lott. *n.* 36. quòd, licèt, ut dictum, ea mens conservandi simultaneam semper salvari possit in Episcopo, è converso tamen difficile esse, eam salvare in Capitulo, dum hoc solùm conferret, nisi dicitur causa aliqua non exspectandi, ut Episcopus simul conferat, veluti dum abesset, non tam citò reversurus, ut in terminis Episcopi absentis, & degentis in Curia censerit Rota *in Placentina Canonicatûs. 26. Febr.* 1596.

Quæstio 698. *Quantum valeat suffragium Episcopi & Capituli, dum supposito jure simultaneè conferendi ex statuto, aut jure alio singulari providendum est conjunctim?*

RESpondeo: tantum valere suffragium Episcopi, quantum totius Capituli, perinde, ut ait Card. de Luc. *de benef. d. 1. nu.* 29. ac si essent duæ personæ, quarum una repræsentetur ab Episcopo, altera à Capitulo, quarum utraque collationis actum in tempore ac loco diverso explicare potest, sive, ut Paris. *l. 7. q. 23. n.* 39. ac si essent duo corpora. Garc. *p. 5. c. 4. n.* 28. citans Mohed. *decis. 1. de privil.* Gonz. *gl. 45. n. 51. &c.* Lott. *cit. q. 21. n.* 36. citans Fedet. de Senis *cons. 232. n. 1.* & Rotam *in Placentina Voti. 2. Maji. & 7. Junii* 1583. Unde si Episcopus & Capitulum contulerint in discordia, ita ut Capitulum, seu major ejus pars conferat uni, & Episcopus alteri, neutra collatio valeat. Card. de Luca *de benef. d. 28. n.* 16. Idque, etiamsi Episcopo accesserint aliquot Canonici. Garc. *loc. cit. num.* 29. citans Abb. *in c. cùm in Ecclesia Vulter. n.* 11. Mandos. *ad reg.* 18. *q. 14. n.* 2. Pavin. *de off. & potest. Capituli Sede vac. prælud. 5. n.* 3. Selv. *p. 2. q. 17. num.* 4. Navar. *cons. 1. de his, quæ fiunt à maj. part. cap. num.* 3. Rebuff. &c. Lott. *loc. cit. n.* 4. contra Hostiens. *in c. postulâstis. de concess. præb.* tenentem, valere in eo casu collationem Episcopi factam etiam cum uno Canonico. Ac proinde, si interim Papa ac ejus Legatus jure concursûs provideat, etiam sequente die, ejus provisio valeat. Garc. *n.* 33. Lott. *num.* 41. citantes Prob. *ad Jo. Monach. in rub. de jurep. num.* 8. Attamen dum Episcopus & Capitulum contulerunt in discordia, ac ita neutra collatio valuit, poterunt intra semestre datum ad conferendum concordare in unum ex provisis in discordia, vel in alium, nisi interim Papa providisset alicui. Garc. *p. 5. c. 4. n.* 35. Alias si intra semestre non concordârint, nec Papa providerit, collatio devolvetur ad Superiorem. Garc. *ibid.* citans Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. num. 12. &c.* Porrò sufficere semiplenam probationem hujus discordiæ, dum quis impetrat præbendam à Papa, narrando fuisse discordiam in illius provisione inter Episcopum & Capitulum, tradit Garc. *à num.* 36. juxta decis. Rotæ *in Hispal. portionis 14. April.* 1595. quam recitat *num.* 38. etsi Rota aliàs contrarium tenuerit *in ead. Hispal. 2. Junii Anno* 1594.

Quæstio 699. *Dum controvertitur, seu agitur de acquirendo jure conferendi ipsi Capitulo privativè ad Episcopum, vel ècontra, cui standum?*

1. RESpondeo primò: dum non constat, quid à principio, & in fundatione Ecclesiæ constitutum, & Capitulum, v. g. alleget solam consuetudinem, Episcopo ècontra nihil aliud allegante, quàm juris communis dispositionem, Capitulum intentionem suam sufficienter fundatam habet in sola & simplice consuetudine; cùm idem jus deferat consuetudini. Lott. *nu.* 23. & 24. citans Rotam *in Faventina juris conferendi. 4. Julii* 1584. & dicens, sic censere communiùs Glossas & DD.

2. Respondeo secundò: si verò constat ita ab initio statutum, ut collatio sit simultanea, non sufficit allegatio simplicis consuetudinis; sed erit justificanda præscriptio, sive dictam consuetudinem alleget Capitulum contra Episcopum, ut Abb. *in c. cùm Eccles. Vulter. n.* 6. sive Episcopus contra Capitulum, juxta *c. non est. de consuetud. in 6. junctâ* Gl. & Gemin. *ibid.* Lott. *num.* 45. dum enim agitur de auferendo uni, quod applicetur alteri, præscriptio est, non autem consuetudo, quæ non aufert id, quod applicat. Lott. *n.* 46. citans Abb. & Butrio *in cap. ult. de consuetud.* cum communi DD. *ibidem.* Sufficere autem præscriptionem quadragenariam sine titulo, juxta decis. Rotæ *in Placent. Voti. de 20. Novemb.* 1602. ait Lott. *nu.* 47. eò quòd cùm jus in hoc puncto deferat consuetudini, cesset jam illius resistentia ab initio, quæ sola operatur, ut exigatur titulus, juxta *c. 1. de præscript. in* 6. Sed neque resistere intelligitur, dum leviter improbat, seu non justificat possessionem præscribentis; sed eatenus solùm dicitur resistere jus, quatenus vehementer possessionem improbat, ac vetat. Lott. *num.* 48. & 49. citans Decium. *cons. 134. sub n.* 4. Covar. *variar. l. 1. c. 17. n.* 7.

3. Advertendum tamen monet Lott. *num.* 50. aliud esse, dum Capitulum simpliciter prætendit jus conferendi privativè ad Episcopum, prout Episcopus est Prælatus; aliud dum id prætendit privativè

ad

ad illum, prout est membrum ipsius Capituli. In primo enim casu non agitur de eo excludendo in totum, & ideo jus non resistit: in secundo autem cùm agatur de eo penitùs excludendo, jus vehementer resistit, ac proinde non sufficit simplex præscriptio, nisi concurrat titulus; Licèt enim patientia illius, contra quem præscribitur, sufficiat ad inducendum consensum in participatione, non tamen sufficit in eradicatione proprii juris, quòd ex præsumpto consensu hujusmodi justificetur præsumptio; ut Felin. *in c. si diligenti. de præscript. n. 7.*

Quæstio 700. An, & qualiter dum ab initio de jure communi fuit simultanea collatio Episcopi, & Capituli, potestas conferendi postmodum in alterutro eorum solidari possit?

RESpondeo: id fieri posse per concordiam seu pactum, ita ut v. g. Episcopo cedatur jus solidatum conferendi, v. dignitatem aliquam, aut certos Canonicatus. Lott. *loc. cit. à num.* 53. in quo casu jam Episcopo potestas conferendi non competit de jure communi, sed ex dicta concordia; cùm enim jus commune, ut dictum, adversetur, consequens est, ut illa potestas juri singulari duntaxat innitatur. Lott. *cit. n.* 53. citans Rot. *in Tarrac. Sacristia.* 19. *Martii* 1601.

Quæstio 701. An, si sub certa lege inita hæc concordia, v. g. ut Episcopus certo generi personarum, putà, quæ sunt de gremio talis Ecclesiæ Cathedralis, provideat, hæc lex necessariò servanda sit, ita ut si conferat alteri personæ, collatio sit nulla?

RESpondeo affirmativè; ex quo enim recipit potestatem ex concordia, quam de jure communi, vel alio priùs non habebat, nisi servet formam sibi præscriptam, & hanc qualitatem, actus corruit ex potestatis defectu. Lott. *n.* 54. *&* 55. citans Feder. de Senis *cons. 69. n. 1.* Gl. *in clem. 1. v. inhibentes.* Felin. *in c. ex parte. de rescript. n. 1. &c.* Proceditque idipsum, etiamsi concordia non habeat Decretum annullativum propter implicitam prohibitionem, ne actus aliter fiat. Lott. *num.* 56. imò necesse non est, ut concordia illa concepta sit verbis expressè prohibitivis. Lott. *n.* 57. Vide eundem de his fusè *num. seq.*

Quæstio 702. An, dum Capitulum talem collationem factam ab Episcopo contra legem seu pactum non impugnat, ea fit & remaneat in statu validitatis, exemplo provisionis factæ de beneficio jurisp. spreto patrono, quam supra diximus valere, dum patronus sciens non contradicit?

RESpondeo negativè. Lott. *cit. q.* 21. *num.* 70. juxta *decis. Rota supra cit. in Tarracon. Sacristia.* potestas enim illius, qui tenetur conferre præsentatis aut nominatis, movetur in seipsa & jure proprio, ut Lott. *loc. cit.* hoc est, providet adhuc jure proprio; in præsenti verò casu talis Episcopus non, nisi jure præscripto & ex pacto; dùmque modus ille, sub quo facta est concessio illa Episcopo, respicit utilitatem Capituli concedentis, reputatur causa finalis, & non impulsiva, ut Lott. *n.* 71. citans Angel. *cons.* 124. *n.* 4. Surd. 487. *n.* 24. Adeòque attingit seu concernit ipsam radicem potestatis; quia modo illo non impleto, Capitulo non censetur à se potestatem suam abdicâsse; cùm tunc cesset causa istius concessionis, & per consequens ipsa concessio. Lott. *n.* 72. citans Abb. & Tiraq. Neque tamen ultra provisionis illius nullitatem in dicto casu proceditur; non enim per hoc ex toto resolvitur concessio illa facta Episcopo, ita ut is privatus sit jure conferendi, etiam pro illa vice, sive quò minùs ad eandem illam vacationem possit de novo providere personæ habenti requisitas qualitates, modò res sit integra, hoc est, nisi aut ex temporis lapsu, aut ex appellatione interposita sit potestas devoluta, vel aliàs, putà, ex provisione Apostolica sit intercisa. Lott. *n.* 73. citans Castrensem *cons.* 365. *n.* 2. *l.* 1.

Quæstio 703. An ergo etiam, supposito ab initio simultanea collatio facta in vim talis concordiæ ab Episcopo non adhibito consilio Capituli sit nulla, dum supponitur Episcopum ante concordiam fuisse quidem in usu conferendi privativè ad Capitulum, non tamen nisi adhibito ejusdem Capituli consilio?

RESpondeo affirmativè; est enim ratio eadem; in hac enim necessitate requirendi consilium fovetur illius naturalis causa, præsumptæ nimirum erectionis ex bonis Capituli, aut saltem communibus; & hinc, si Episcopus non servet modum sibi præscriptum, seu illam requisitionem, quæ videtur esse de forma actûs, omittat, actus remanet nullus; omissio siquidem talis semper vitiat actum, ubicunque à lege vel ab homine trahitur à principio potestas cum limitatione seu qualificatione dictæ requisitionis. Lott. *à num.* 74. citans Felin. *in cap. ex parte. de constitut. n.* 2. & Rotam.

Quæstio 704. Dum Episcopus & Capitulum se invicem circa collationem protrudunt, singuli prætendendo liberam collationem, & neuter simultaneam, & quæstio vertitur super manutentione, quid considerandum?

1. RESpondeo, nihil aliud, quàm ipsa possessio de facto conferendi, quæ tunc justificatur, si collatio effectuata appareat, sicuti supra dictum de quasi possessione præsentandi, quæ tunc censetur acquisita, si bonâ fide facta sit, & accesserit institutio, & sic præsentatus & institutus possessionem ceperit, sciente & patiente illo, in cujus præjudicium vergere poterat. Lott. *loc. cit. n.* 82. *&* 83. Porrò circa collationem factam à Capitulo scientia Episcopi ex solo lapsu temporis præsumitur. Lott. *n.* 84. citans Seraph. *decis.* 293. *num.* 4. Circa collationem verò factam ab Episcopo, dum Capitulum non prætendit simultaneam, dicta scientia & patientia optimè constituitur ex actu traditionis, possessionis, & installationis; scientia enim hæc & patientia Capituli non videtur posse separari ab eo actu traditæ possessionis, facto in executionem collationis Episcopi. Lott. *à n.* 85. citans Rot. *in Alexandrina Archipresb.* 28. *Jun.* 1627.

2. Et hæc quidem procedunt, dum ex tenore collationis factæ per Episcopum constat, eum voluisse conferre jure proprio & privativè ad omnes alios, nimirum enunciando, quòd collatio ad ipsum spectabat, quæ enunciatio excludit simultaneam, præsertim si additum fuisset *omnimodè.* Lott. *à num.* 91.

3. De cætero in prædicto casu contendentiæ nihil potius est ad alterutrius intentionem fundandam, quàm docere, præbendam, de cujus collatione contenditur, dotatam fuisse de propriis redditibus, aut pro illius erectione suppressa & applicata fuisse beneficia, quæ priùs erant ad propriam privativè electionem. Lott. *n.* 95. quia in actu erectionis, aut applicationis hujusmodi, quemadmodum patrono præservatur jusp. ut Abb. *in c. suggestum. de jurep. n.* 3. Roch. *de jurep. v. honorificum. n.* 8. ita & collatori præservatur jus conferendi; cùm militer eadem ratio non præjudicandi, quam non sub-

subvertit mutatio tituli, veluti facta per modum subrogationis. Lott. *n* 96 *&* 97. Proceditque idipsum, etiamsi Episcopus adhibuisset consensum Capituli; cùm enim hic consensus necessarius sit, non tantùm in erectione novi Canonicatûs aut Dignitatis, ut Felin. *in cap. cùm accessissent. de constit. num. 15.* sed etiam in unione & applicatione alterius beneficii pro ejus dote. *Clem. 1. de rebus Eccl. non alien.* & *ibi* Gl. & DD. & Ubald. Senior *in tr. de unione Eccl. c. 5. q. 6. num. 15.* actus ille adhibitionis consensus referendus est ad hujusmodi causam necessariam, non ad quamcunque aliam voluntariam; ac proinde capienda inde non est ea conjectura, quasi voluerit Episcopus per ejusmodi adhibitionem consensûs remittere jus suum conferendi, sed potiùs totum illud promovere, prout sibi magis erat utile. Lott. *à num.* 99. citans Aymon. *cons.* 106. *num.* 8.

Quæstio 705. Quid potestatis habeat Capitulum circa conferendos Canonicatus Doctorales vel Magistrales, quibus annexum est onus Lectionis vel aliud?

1. RESpondeo primò: supponi debere, decretum in Concil. Lateran. sub Innoc. III. ut qualibet Cathedralis Magistro, qui ejusdem Ecclesiæ Clericos aliósque scholares pauperes gratis instituerет, aliquod competens beneficium provideret. Item quoque decretum, ut in aliis Ecclesiis Collegiatis constitueretur Magister idoneus à Prælato cum Capitulo eligendus, qui Clericos earum aliósque instrueret in Grammatica. Item, ut quælibet Metropolitana præterea Theologum constitueret, qui Sacerdotes illios aliósque doceret sacras literas, & ea præsertim, quæ ad curam animarum spectant. Insuper statutum in dicto Concilio, ut cuilibet istorum Magistrorum à Capitulo unius præbendæ proventus assignentur, & tantundem Theologo à Metropolitana (per quod tamen Theologus ille, uti & cæteri illi Magistri non efficiuntur Canonici, sed tamdiu reditus percipiunt, quamdiu perstiterint in docendo) & si fortè Metropolitana nimium gravetur, providendo nimirum Theologo & Grammatico, permittitur ei, ut Grammatico in alia suæ diœcesis aut civitatis Ecclesia, quæ sufficere valeat, provideri faciat. Lott. *cit. q. 21. num.* 127. Unde jam interim, dum exspectatur vacatio præbendæ pro tali Magistro vel Theologo, singulos Canonicos teneri in causam ejus mercedis contribuere de singulis suis præbendis, si reditus supersint, ait Lott. *num.* 130. ex Hostiens. *in c. quia nonnullis. de Magistris. num.* 10. Jo. And. *ibid. n.* 11. Anchar. *n.* 5. quamvis *num.* 131. subdat, id intelligendum potiùs de honestate, quàm ex dispositione *cit. can. quia nonnullis*, si neque ante vacationem nolint, hujusmodi Magistrum habere; citat pro hoc Abb. Jo. de Anania *in cit. cap.* Unde jam Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. mandat illi Magistro Grammatices, aut assignari beneficium, aut persolvi mercedem, vel ex capitulari vel Episcopali mensa condignam, vel aliàs per Episcopum rationem aliquam iniri. Lott. *num.* 131. Quapropter factum, ut munia hæc consueverint demandari ipsismet Capitularibus, unde prodierunt Scholasteriæ, Canonicatus Doctorales, & Theologales, & ex dispositione Trid. *sess.* 24. *c.* 3. Canonicatus pœnitentiarii. Vide de his fusiùs agentem Garc. *p. 5. c. 4. à n.* 100. His suppositis,

2. Respondeo secundò: hi Canonicatus Doctorales, Theologales, lectorales, pœnitentiarii, præscindendo à consuetudine, aut singulari jure, non providentur simultaneè per Episcopum & Capitulum, sed Episcopus eligit personam, præbenda autem confertur per eum vel eos, per quem vel per quos ea antea conferebatur. Lott. *num.* 132. Garc. *p. 5. c. 4. à nn.* 137. *&* 145. Neque tam illud onus docendi, legendi, pœnitentiarii &c. ab Episcopo demandatur personæ, quàm annectitur eidem præbendæ. Lott. *num.* 133. ex Host. nihilominus esse locum simultaneæ collationi respectu Scholastici, seu Magistri Grammatices, juxta textum *cit. c. quia nonnullis.* ex Buttio *ibid. n.* 4. & Jo. Andr. *num.* 5. ait Lott. *num.* 34.

Quæstio 706. An, supposito jure simultaneè conferendi, Capitulum conferre possit in absentia Episcopi, illo non exspectato?

RESpondere videtur affirmativè (nempe dum Episcopus absens non tam citò reversurus est) Lott. *l. 2. q. 21. n.* 37. citans *c. unico. ne Sede vac. in 6.* & Rot. *in Placent. Canon. 26. Febr.* 1596. in terminis Episcopi absentis, & degentis in Curia Romana. Contrarium tamen tenet Garc. *p. 5. cap. 4. num.* 49. vultque textum illum *cit. c. unici.* intelligendum non quando collatio spectat ad Episcopum, & Capitulum, vel quando quis habet conferre cum consensu Episcopi; sed quando quis habet conferre cum consilio tantùm Episcopi.

Quæstio 707. Cùm frequenter, ut dictum sæpè in antecedentibus, ex consuetudine collatio Præbendarum ac Dignitatum Ecclesiæ Cathedr. & Collegiatarum spectet ad solum Episcopum, vel ad solum Capitulum, qualis debeat esse ea consuetudo?

1. RESpondeo primò: non videri hanc esse propriè consuetudinem, nisi largè, & abusivè solùm; sed potiùs dicendam esse præscriptionem, cùm uni detrahat, & alteri acquirat; tunc autem propriè dicendam consuetudinem, si ita generaliter & universaliter servaretur in aliqua provincia, ita ut faceret jus commune respectu talis provinciæ. Garc. *p. 5. c. 4. n.* 73. *&* 24. citans Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulter. num.* 6. Jo. Andr. & alios *ibid.* Aymon. *de antiq. temporis. p. 4. differ. 7. à num.* 21. Corneum *cons.* 268. *lib.* 4. Put. *decis.* 387. *lib. 2. à num.* 4. *&c.*

2. Respondeo secundò: cùm circa provisionem dictarum Præbendarum & Dignitatum variæ sint sententiæ DD. adeòque non sit jus expressum, sufficit hanc consuetudinem seu præscriptionem esse quadragenariam sine titulo; nam licèt sit contra communem opinionem, non est tamen adhuc contra jus; ut enim consuetudo sit contra jus, ut dicitur *in Hispal. juris nominandi.* 10. *Octobr. &* 7. *Novembr.* 1583. necesse est, ostendere legem claram, vel rationem expressam in lege, ex qua ita sit decidendum. Garc. *num.* 57. citans Put. *decis.* 241. *l.* 3. *num.* 4. Achill. *decis.* 140. & Rotam. Item non est adhuc contra jus ex eo, quòd sit contra plures Rotæ decisiones; hæ enim non faciunt jus. Garc. *n.* 77. citans quamplurimos, uti nec ex eo adhuc absolutè dici debet esse contra jus, quòd frequenter juxta dictas Rotæ decisiones sit judicatum, ita ut sit introductus stylus Rotæ. Garc. *nu.* 78. citans Pavinum *in prælud. Extravag.* Mascard. *de prob. concl.* 485. & Rotam. Licèt autem ex eo, quòd opiniones sint diversæ, & non sit jus expressum, consuetudo & observantia approbans & recipiens aliquam ex dictis opinionibus sit interpretativa, (quæ aliàs non requirit aliquam temporis præscriptionem, etsi sit contra communem, & veriorem opinionem, ut Abb. *in c. cum dilectus. de consuetud. n.* 7. Roch. *de consuetud. sect. 5. n.* 5. Mantic. *de conject. l. 8. tit. 18. n.* 34. *&c.* apud Garc. *n.* 80. vel quæ saltem non requirit ultra decennium, ut Gutt. *pract. qq. l. 3. q. 62. n.* 26. Molin. *de primogen. l. 2. c. 6. num.* 57. apud eundem Garc. *n.* 81.) quia tamen agitur de auferendo jure communi, quod habet quis juxta communem & veriorem, & dando illud alteri, requiritur præscriptio 40. annorum. Garc. *n.* 84. citans Socin. *cons.* 260. *n.* 19. *l.* 2. Cæs. de Grass. *decis.* 10. *n.* 6. Put. *decis.* 15. *l.* 3. &c.

Quòd

Quòd si tamen jus ita est obscurum, & dubinm, ut non constet de jure alterius; cùm tunc non agatur de auferendo jure uni, & dando alteri, non requiritur præscriptio; sed sola consuetudo & observantia absque præscriptione temporis sufficit. Garc. n. 85. De cætero quod dicebatur paulò ante in illa parenthesi, quòd consuetudinis interpretatio absque præscriptione temporis est oecessaria, etiamsi de jure non subsistat, procedit in consuetudine propria, quæ non inducit jus privatum, sed publicum & promiscuum quoad omnes in communi, in qua, cùm non agatur de auferendo jure, & dando alteri in particulari, non requiritur aliqoa præscriptio temporis. Garc. n. 86.

3. Respondeo tertiò: cùm in præsenti casu non sit materia consuetudinis, sed præscriptionis, si Capitulum prætendens providere Dignitates & Præbendas allegaret consuetudinem, ea deberet esse immemorialis, aut 40. annorum cum titulo. Garc. n. 99. juxta *c. cùm Eccles. Vulter.* & Abb. *ibi, n. 6.* & juxta *c. 1. de præscriptione. in 6.* sicut etiam ad hoc, ut inferior acquirat jus conferendi contra Ordinarium habentem fundatam intentionem de jure communi, requiritur præscriptio immemorialis, aut 40. annorum cum titulo & bona fide. Garc. *num.* 91. citans Prob. *ad Monach. in c. cùm in illis. de præb. in 6. n.* 11. Rosiniac. & Rotam.

4. Respondeo quartò: pari modo, dum Capitulum prætenderet in collatione Præbendarum, & Dignitatum non habera nisi unam vocem, ut habent singuli Canonici, & non tantam, quantam totum Capitulum, non obstante statuto talis Ecclesiæ de voto Episcopi, & Capituli, & ad id allegaret consuetudinem 40. annorum, Rota *in Placentin. Voti. Maji* 1586. respondit, quòd consuetudo contraria 40. annorum sine titulo non sufficiat, eò quòd statutum, loquens de voto Episcopi & Capituli, recipit à jure certam interpretationem, quòd votum Episcopi sit pro dimidia parte; sed requiritur immemorialis. Garc. *n.* 96. citaos plures insuper decis. Rotæ; quæ tamen decisiones pariuntur difficultatem, si solum statutum attendatur, etsi illud expressè diceret, quòd Votum Episcopi esset pro dimidia parte; cùm in præscriptione contra statuta non videtur requiri titulus, seu tempus immemoriale, quod solùm requiritur, ubi jus commune, seu juris communis præsumptio est in contrarium. Garc. *n.* 101. justa *c. 1. de præscript. in 6.* Proinde dicendum, quòd sicut est contra jus, excludere Episcopum à provisione præbendarum, ita etiam fit contra jus commune, non habere illum æquale suffragium cum toto Capitulo, & ideo non sufficeta consuetudioem 40. annorum sine titulo. Garc. *n.* 105.

Quæstio 708. Quam potestatem habeat Capitulum, Sede vacante, in collatione beneficiorum?

1. RÉspondeo primò: quoad conferenda beneficia, quæ sunt de collatione Episcopi, Capitulum, Sede vacante, nullam habet potestatem, sive non succedit Episcopo in collatione horum beneficiorum. Garc. *p. 5. c. 7. n. 51.* Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 29. n. 8.* Fermosin. *tr. de Capit. Sede vac. q. 23. à n. 2.* Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 32. à n. 109.* citans quamplur. cum communi, juxta *c. 2. ne Sede vac. c. cùm olim. de major. & obed.* & *cap. 1. de instit. in 6. &c.* Licèt enim Capitulum succedat in iis, quæ Episcopo jure ordinario competunt, juxta *c. cùm olim. de maj. & obed.* & *cap. unic. tit. eod. in 6.* attamen collatio beneficiorum casus unus est, isque præcipuus, ab ista regula exceptus, per *c. 2. ne Sede vacant.* & *c. unic. tit. eod. in 6.* Castrop. Garc. *ll. cit.* Abbas *in c. 2.* & *in c. cùm olim.* cum communi DD. *ibid.* Ratio verò hujus exceptionis, seu prohibitionis est, tum, quòd collatio sit fructus Dignitatis Episcopalis. Lott. *l. 2. q. 2. num.* 16. Castrop. Barbos. Abb. *ll. cit.* juxta Gl. *in c. cùm olim;* fructus autem reservenrur successuri. AA. iidem, juxta *cap. quia sæpe. de Elect. in 6. cap. cùm vos. de off. Ordinar. c. fin. eod. tit. in 6.* quos textus citat Barb. Quin & non sit fructus tantùm simplex, sed fructus cum honorificentia, qui propterea avelli non potest à persona. Lott. *loc. cit. num.* 17. Fermos. *loc. cit. n.* 4. ex Abb. *loc. cit.* & Felin. *in cit. c. cùm olim. n. 3.* Tum quia insuper collatio beneficiorum continet meram gratiam, in quo transcendit jus instituendi & confirmandi, quæ potiùs sunt de mera justitia. Lott. *cit. nu.* 16. citans Bellamer. *cons.* 20. *n.* 13. & Abb. *in c. 2. ne Sede vacante. in 6.* seu quia est libera donatio, juxta *c. fin. de off. Vicar. in 6. c. si tibi absenti. de præb. in 6.* Barb. *loc. cit.* Castrop. *cit. num.* 8. Donare autem prohibetur is, cui libera bonorum administratio non conceditur, juxta *l. contra. ff. de pactis.* & *l. filius. ff. de donat.* Adeòque, cùm Capitulum Sede vacante alienare aut donare nequeat, conferre non poterit illa beneficia. Barb. *loc. cit.* Fermos. *loc. cit. n.* 18. Atque ita, quemadmodum ratio necessitatis, (institutio námque & confirmatio non est tam donatio beneficiorum, quàm donationis factæ confirmatio, & approbatio necessaria & obligatoria, etiam dum, quia plures præsentati æquè idonei, locus est gratificationi; tametsi tunc libera sit quòad personam electam. Castrop. *loc. cit.* citans Pavin. *p. 2. q. 4. in fine. & q. 5. n. 2.* Garc. *p. 5. c. 7. num. 75.*) juncta cum cessatione præjudicii Episcopi, suadet, ut confirmatio & institutio Sede vacante transeat in Capitulum. Cardin. *in c. cùm olim.* Abb. *l. ult. cit.* Pavin. *de pot. Capit. Sede vac. p. 2. q. 5. n. 2. & 3.* apud Lott. *n.* 21. ita è contrario ratio liberæ donationis, & meræ gratiæ, quam continet collatio, & in qua gratia exercenda lex plus confidit Episcopo, quàm Capitulo, suadet illam non transire in Capitulum. Lott. *l. c. n.* 22. citans Butrio *in c. 2. ne Sede vac.* Unde jam etiam Lott. *n. 13. & 17.* quem sequi videtur Fermos. *loc. cit. n.* 4. suis inhærens principiis, & juxta dicta à nobis supra hanc ultimam conficit rationem, quare hæc potestas conferendi impediatur transire in Capitulum Sede vac. quòd nimirum, etsi ea obveniat Episcopo eodem tempore cum jurisdictionalibus, non tamen ei competat jure Magistratûs, ita ut ad jurisdictionem spectet, aut sit illius fructus: Quemadmodum quia jus confirmandi & instituendi, seu facultates aliæ inferiores à potestate conferendi ei competunt jure Magistratûs, & inter jurisdictionalia, seu fructus jurisdictionis reputantur. Bellam. *loc. cit.* Gamb. *de off. Leg. l. 3. n. 222.* non impediuntur transire in Capitulum.

2. Hoc tamen non placet, quod addit Lott. *n. 14. & 15.* nimirum jus eligendi & præsentandi competens Episcopo pari modo spectare ad jurisdictionalia, ac proinde pari modo sicut confirmatio & institutio non impediri transire ad Capitulum. Contrarium namque tutiùs tenent Castrop. *cit. n.* 8. & quos citat, Pavin. *loc. cit. q. 5. n. 3. & 4.* Lamb. *de jurep. l. 2. q. 2. a. 4.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. q. 10.* Garc. *p. 5. c. 7. n.* 52. idémque tenere videtur Fermos. *loc. cit. n. 16.* & expressè tenet, *q. 24. n. 9.* citans Dian. *p. 8. n. 4. resol.* 29. Meroll. *tom. 2. d. 7. c. 7. d. 11. n.* 135. Barb. *cit. n.* 109. nimirum ea, quæ de collatione constituuntur quoad hoc punctum, intelligenda quoque esse de præsentatione & electione competentibus Episcopo; eò quòd prohibitio generalis sit, & hæc non minùs quàm collatio sint solùm fructus Dignitatis Episcopalis, etsi longè quid minus quàm collatio. Adde, quòd præsentare & eligere non tam jure communi sicut collatio, quàm frequentiùs jure speciali, & per accidens competant Episcopo.

3. Porrò procedit responsio, esto beneficium, vivente Episcopo, in ipsius mense vacârit, neque ab illo fuerit provisum. Castrop. *loc. cit.* citans Molin. *de just. tr. 5. d. 11. n.* 11. Fermos. *loc. cit. num.* 18. citans Dian. *p. 8. num. 4. resol. 25. &c.* Item etiamsi collatio spectaret ad Episcopum cum consensu vel consilio Capituli; cùm enim ille consensus, & consilium

oon efficiant provisionem beneficii communem Capitulo cum Episcopo, provisio adhuc non poterit pertinere ad Capitulum Sede vacante. Barb. *l. cit. n.* 110. citans Pavin. *p.* 2. *q.* 1. Navar. *conf.* 20. *n. ult. de preb.* Molin. *tr.* 5. *d.* 11. *num.* 9. *&* 13. Argumento *c. unic. ne Sede vac. in* 6.

4. Quemadmodum aliàs, dum beneficia sunt simultaneæ collationis Episcopi cùm Capitulo, eorom collatio, mortuo Episcopo, aut etiam omnino impedito, ratione hujus communionis tota transit ad Capitulum, & illud tunc oritur jure suo. Castrop. *loc. cit.* citans *c. unic. ne Sede vac. in* 6. Abb. *in c. illa. tit. eod.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 13. Molin. *cit. d.* 11. *n.* 13. Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 71. Fermos. *loc. cit. q.* 14. *n.* 5. citans Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 25. *&c.* Barbos. *n.* 110. Atque ita, dum in aliquibus Ecclesiis Canonicatus Magistrales & Doctorales per concursum providentur suffragiis Episcopi & Capituli, Capitulum Sede vacante confert illos, & similia beneficia. Barb. *ibid.* citans Navarr. *conf.* 20. *de preb.* Molin. *ubi ante. &c.* Neque enim beneficia simultaneæ collationis, dum vacant, Sede Episcopali vacante, in mense ordinario, reservantur Papæ per *reg.* 2. *cancell.* loquitur enim illa de collatione libera, quæ à solo Episcopo ad illius præcisam & totalem voluntatem fieri potest, satisque ostendit Papa per ea verba regulæ: *Non tamen ad collationem cum alio, vel alios spectantia*: se nolle Capitulo præjudicare in sua collatione Sede Episcopali vacaote. Corrad. *loc. cit. n.* 71. *&* 74.

Quæstio 709. An ergo beneficiorum, Sede Episcopali vacante, vacantium, & pertinentium aliàs ad liberam Episcopi collationem, collatio reservetur successori in Episcopatu?

REspondeO negativè, sed reservari ea omnia tunc vacantia, & ad Episcoporum collationem vel etiam electionem, præsentationem, vel qnamvis aliam dispositionem spectantia Pontifici, per constitut. Pii V. incipientem: *Sanctissimus in Christo Pater.* Quæ constitutio etsi exspirasse unà cum suo Cooditore dicatur à Gate. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 234. Idem tamen hodie dispooitur per *reg.* 2. *cancell.* Barb. *cit. n.* 109. & ex illo Fermos. *loc. cit. n.* 16. & fusè Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *à n.* 50. obi etiam *n.* 51. recitat desuper declarationem Sac. Congregat. & *n.* 55. ad beneficia parochialia, & *n.* 55. ad beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum cum consensu Capituli: & ad ea, quæ jure devoluto spectant ad Episcopum, extendit. Verùm, ut dictum *ad reg.* 2. *cancell.* hæc responsio locum noo habet in Germania, ubi Sede Episcopali vacante vacantia in mensibus ordinariis non sunt reservata Pontifici, sed ab Episcopo successore conferuotur.

Quæstio 710. Num ex eo, quòd facultas instituendi & confirmandi, quia sunt jurisdictionis necessariæ, transeunt ad Capitulum, similiter etiam transeant ad Capitulum provisiones omnes necessariæ; ac imprimis collatio beneficiorum, quæ fieri debet certi generis personis, v.g. graduatis, nominatis, primogenitis?

1. REspondeo ad primum negativè. Castrop. *loc. cit. n.* 13. loqueos in genere de beneficiis patrimonialibus, debitis conferri certo generi personarum, & citáns pro hoc Gonz. *gl.* 8. §. 1. *nu.* 7. & *gl.* 45. *n.* 20. Lott. *cit. q.* 2. *num.* 30. loquens io specie de beneficiis conferri debitis Graduatis, vel nominatis. Fermos. *l. c. n.* 14. loquens in specie de beneficiis debitis ex fundatione conferri consanguineis fundatoris, seu filiis-familias, vel etiam uni ex personis da certo Collegio, (etsi de cætero permittat transire ad Capitulum eas collationes, quæ necessariò ex fundatione faciendæ certæ & determinatæ personæ, putà primogenito, seniori familiæ: vel quando ratione optationis debetur beneficium antiquiori optanti) citans pro hoc Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 26. & Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *c.* 7. *dub.* 1. contra Rebuff. *in pr. tit. de devol. nu.* 85. & *tr. de nominat. q.* 8. *n.* 49. obi: quòd ne diutorna vacatio contingat, posse Capitulum constituere administratorem, qui provideat de beneficiis, quorum collatio est necessaria; & contra Garc. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 90. rationem responsionis hanc dat Castrop. *n.* 13. *&* 14. quòd beneficia esse debita certo generi persooarum, vel etiam certæ & determinatæ in individuo personæ, putà, propinquiori fuodatoris, aut aliàs digniori, non constituat collationem necessariam, sed liberam & voluntariam relinquat, dum nemo cogere possit Episcopum ad faciendam talem collationem, & ea debita non ast fieri per Episcopum; sed is possit permittere elabi totum semestra datum ad providendum, & ita devolvi collationem ad alium. Secùs ac contingit io beneficiis, quæ præmissâ electione & præsentatione conferuntur, utpote in quibus compelli potest Ordinarius, tam à Patrono, & Electore, quàm ab Electo & præsentato, ut electum confirmet, & præsentatum instituat: Neque is se defendere potest ex semestri coocesso ad conferendom; cùm pro institutione & confirmatione non sit hoc semestre concessum; Nequa ob illius omissionem institutio & coofirmatio ad Superiorem devolvetur, dum in his non datur devolutio; sed potiùs cogatur institutor & confirmator à Superiore facere institutionem, & confirmationem. Atque ita hæc ratio procedit etiam contra Fermos. Rationem aliam meliorem dat Lott. *cit. num.* 30. quòd talis collatio non pertineat adhuc ad legem jurisdictionis, utpote ad quam ex dicta necessitata faciendæ collationis non coocluditur, & in materia provisionis, qoò minùs facultas aliqua transeat in Capitulum Sede vacante, sufficiat, hooc ipsum casom non esse expressum io jure, juxta Præpos. *in c. presbyteri. n.* 24. Corras. *de benef. p.* 2. *c.* 7. *n.* 4. Feder. de Sen. *conf.* 30. *n.* 3. & Rotam. *in Aubulens. parochialis* 1. *Febr.* 1593. tum etiam (quâ tamen ratione non eliditur, quòd collatio debita fieri determinatæ in individuo personæ, non transeat in Capitulum) dom Episcopus, cui vult ex pluribus graduatis aut nominatis (quòd secundùm intelligendum de nominatione non habente rationem præsentationis, sed relinquente liberum, ut nominatus præteriri possit; aliàs enim illius provisio non erit collatio, sed institutio, vel confirmatio, ut bene monet Fermos. *loc. cit. n.* 20.) providet, exercet actum gratiæ, seu qui propriè est gratificationis. Quin etiam ad hoc electa à lege est personæ Episcopi industria, dum ejus judicio remittitur prælectio unius ex pluribus, juxta text. *c. cùm autem.* in quibus autem electa est industria Episcopi, ea minimè traoseunt in Capitulum. Lott. *loc. cit. num.* 31. *&* 32.

Quæstio 711. Quid sit circa collationem parochialium beneficiorum, seclusâ reservatione, quâ ea aliàs non minùs, ut cætera beneficia reservata sunt Papæ, dum vacant Sede Episcopali vacante?

1. REspondeo: neque eorum collatio, dum ea competit Episcopo, transit ad Capitulum Sede vacaote, tametsi conferenda sint per concursom, & aliis conferri nequeant, quàm magis dignis in concursu approbatis ex dispositione Trident. *sess.* 24 *c.* 18. & *constit. Pii V.* & iis debeantur, itaut non solùm dignior à mala electione appellare possit, sed etiam factâ declaratione majoris dignitatis ei sit jus quæsitum, adeóque à retardata collatione jostè queri & appellare possit, (quin etiam ut Castrop. *loc. cit. n.* 12. Molin. *de just. tr.* 5. *d.* 11. *n.* 11. apud Barb. *loc. cit. n.* 94.

n. 94. Capitulum Sede vacante, Ecclesiâ parochiali, sive in mense papali, sive ordinatio vacante, apponere potest edicta, ad concursum vocare, concurrentes eaaminare, & ex approbatis digniorem eligere, sive possit omnia à Trident. *seff.* 24. *c.* 18. præscripta peragere usque ad electionem dignioris inclusivè, non secùs ac illa perageret Episcopus) Fermos. *loc. cit. n.* 8. testans *in Salmantina parochialis.* 1. *Decemb.* 1578. quæ est 442. *p.* 1. *divers. n.* 4. decisum, quòd parochialis vacantis in mense Ordinarii collatio jure reservetur futuro Episcopo. Castrop. *loc. cit. n.* 12. dicens esse omnino certum, & citans Gonz. *gl.* 9. §. 1. *n.* 76. Molin. *tr.* 5. *d.* 11. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 86. & 90. Lott. *cit. q.* 2. *n.* 27. Barb. *cit. n.* 109. juxta expressam, quam citant, Rotæ. *decis. in Abulensi parochialis.* 1. *Febr.* 1593. Rationi generali à se datæ inhæret Castrop. *n.* 14. & eandem affert Garc. *l. cit. n.* 83. quòd, esto, detur jus aliquod considerabile esse quæsitum tali aliquo declarato digniori, Ordinarius tamen non tenetur hoc jus exequi, neque ad id compelli potest, sed potest abstinere à collatione, & permittere, ut per lapsum temporis jus devolvatur ad Superiorem, quamvis jam factus sit concursus; item ex approbatis magis idoneus electus. De cætero electum ex approbatis magis idoneum non habere jus ad parochialem, nec esse ei debitam absolutè, ut vel sic collatio ejus dici possit necessaria, sed solùm Episcopum, si velit conferre, debere conferre huic, atque ita collatio comparatione Ordinarii adhuc sit libera. Addit & alteram *num.* 12. quòd omnis collatio beneficiorum prohibita sit Capitulo exceptis casibus à jure eaceptis, adeóque, cùm sola Institutio & confirmatio excipiatur, provisio parochialium alia prohibita erit Capitolo.

2. Porrò posse tamen Capitulum Sede vacante, ne diutiùs vacent Ecclesiæ parochiales, easdem commendare, etiam ultra 6. menses, hoc est, constituere Vicarium, qui Ecclesiæ deserviat, & Sacramenta administret, donec fuerit provisum de Pastore, tradit Barb. *loc. cit. num.* 110. ex Azevedo *conf.* 9. *à n.* 15. Fermos. *q.* 25. *n.* 10. citans Azor. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 33. *q.* 8. Rebuff. Abb. Innoc. & plures alios, ac dicens esse praain communem omnium Episcopatuum, & multò magis id procedere in beneficiis coratis, quàm simplicibus, contra quod sentire, ait Garciam *p.* 5. *c.* 7. *nu.* 2. Quin & generaliter posse Capitulum Sede vacante beneficia, etiam quæ conferre attinebat ad Episcopum, commendare & providendo de idoneo Vicario & œconomo, qui illa administret, dato ei congruo stipendio, donec beneficia ab eo conferantur, ad quem eorum collatio spectat; qoia id ad rectam diœcesis administrationem pertinet, ex Molin. *loc. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 8. Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 77. & 80. ait Castrop. *cit. p.* 29. *n.* 21. Barb. *loc. cit. n.* 94. & tenet Laym. *ad c. cùm vos. de off. Ord. n.* 3. citans Abb. *in c. cùm vos. num.* 2. & fusè Fermos. *q.* 25. *à n.* 12.

3. Admittit hæc ipsa Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 40. & ait procedere cessantibus reservationibus, & in hoc supposito intelligendos citatos AA. & sub hac limitatione, quam ea Abbate affert Lott. *ibid. n.* 25. modò negeat necessitas; quia nimirum beneficium habet onus annexum, & patitur defectum ministrorum. Dum verò hodiedum per *reg.* 2. *cancell.* omnia beneficia spectantia ad collationem Episcopi Sede Episcopali vacante vacantia reservantur Papæ, non posse Capitulum in parochialibus aliisve benaficiis apponere Oeconomum, aut ea temporaliter commendare; eò quòd ex eo, quòd Papa habeat providere, & collatio non pertineat ad successorem in Episcopatu, soli Papæ seu ministris ejus competat illud jus custodiæ, aut deputatio Oeconomi, aut temporaria commenda. Lott. *ibid. nu.* 36. ex Abb. *in c. bona memoria. n.* 12. & 13. *de appellat.* & *in c. cùm nobis. num.* 6. *de elect.* & juxta *cit.* Rotæ *decis. in Abulensi paroch.* 1. *Febr.* 1539. De cætero dum sermo est de propria commendatione, etiam seclusâ reservatione, nequaquam Capitulum commendare potest beneficia, quia commendatio propriè talis seu perpetua æquivalet collationi, quæ Capitulo est interdicta. Adde, quòd omnis commendatio (intellige propriè talis) parochialium à Trid. Episcopis, & à fortiori Capitulo sit interdicta. *seff.* 24. *c.* 18. Castrop. *loc. cit. n.* 21.

Quæstio 712. Quid sit circa collationem devolutorum beneficiorum jure devoluto ob negligentiam vel culpam inferiorum collatorum non conferentium, vel malè conferentium spectantium ad Episcopum?

1. RESpondeo: collationem transire in Capitulum Sede vacante, tenent Jo. Andr. *in cap. quanquam. de elect. in* 6. Zechus *de benef.* & *pens. c.* 5. *n.* 5. Zerola *in pr. Episcopals. p.* 1. *v. capitulum.* §. 5. Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 3. *q.* 3. *a.* 8. *n.* 6. Molin. *de justit. tr.* 5. *d.* 11. *n.* 12. Zipæ. *de jure pontif. l.* 3. *tit. ne Sede vac. n.* 6. Vallens. *l.* 3. *tit.* 9. *n.* 4. *&c.* apud Barb. *loc. cit. n.* 110. & Fermos. *q.* 24. *n.* 3. & 4. eò quòd, ut Molina, providere beneficium sit actus jurisdictionis Episcopalis omnino necessarius ad rectam diœcesis administrationem; in jurisdictione autem necessaria Episcopi succedat Capitulum Sede vac. juxta Gl. communiter receptam *in Clem.* 1. *de hæreticis.* §. 1. *v. capiendis.* Quorum sententiam probabilem reputat Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 27. Contrarium tamen probabiliùs tenent Castrop. *loc. cit. n.* 10. citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 6. & *l.* 6. *c.* 26. *q.* 9. Barbos. *cit. n.* 110. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 53. citans Rebuff. Coras. Felin. &c. Fermos. *cit. q.* 24. *n.* 4. eò quòd Episcopus non arctetur speciali aliquo titulo providere beneficia devoluta, quo non arctetur conferre ea, quorum collatio jure ordinario ad eum spectat. Item quòd beneficia devoluta Episcopus conferat jure delegationis; Capitulum autem non succedat in iis, quæ competunt Episcopo jure delegationis, etiam à jure communi indoctæ, juxta tradita & pluribus firmata per Abb. *in cit. c. cùm olim. q.* 5. Garc. *loc. cit. n.* 42. Sanch. *l.* 8. *d.* 2. *num.* 10. apud Castrop. Ac denique, quia Capitulo interdicta beneficiorum provisio, Episcopo competens, exceptis casibus in jure expressis, inter quos non est beneficiorum devolutorum provisio. Castrop. *loc. cit.*

2. Porrò observandum hanc secundam sententiam non procedere, dum beneficia devoluta ad Episcopum sunt collationis necessariæ in sensu, *q. praced. explicato*, nimirum si institutio & confirmatio spectans ad inferiores, ob eorum in instituendo, vel confirmando negligentiam devolveretur ad Episcopum. Fermos. *loc. cit.* hac ratione conciliare volens utramque sententiam inter se, & dicens de hac collatione necessaria loqui AA. plures ex AA. sententiæ primæ. Barb. *loc. cit.*

Quæstio 713. Quid sit circa beneficia resignata permutationis gratia, dum ea aliàs spectant ad collationem solius Episcopi?

RESpondeo: capitulum Sede vac. etsi auctoritatem præstare possit permutationibus, seu recipere resignationes beneficiorum factas permutationis gratiâ, dum ea aliàs spectant ad collationem Capituli, vel etiam ad collationem Episcopi & Capituli simul; qoia admissio permutationis est actus jurisdictionis Episcopalis, ad rectam diœcesis administrationem spectans, adeóque transit in Capitulum; cùm non inveniatur in jure eacepta. Barb. *loc. cit. n.* 97. citans Gl. *in Clem.* 1. *de rerum permutat. v. conferantur.* Garc. *p.* 11. *cap.* 4. *à num.* 75. Bonac. *de simon. q.* 4. §. 12. *n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 4. *&c.* cum communi. Quò etiam facit, quòd permutantes compellere possint Superiorem admittentem permutationem, ut sibi beneficia permutata conferat; quia

designandum Vicarium, residet penes totum Capitulum. Barb. *loc. cit. nu.* 29. citans præter declarationem expressam S. Congregat. *de* 19. *Sept.* 1620. Zerolam *in pr. Episc. p.* 1. *v. Capitulum.* §. 3. Quarant. *in summ. bullar. v. Capitulum Sede vac.* Riccium *in pr. for. Eccl. post resol.* 505. *in notab. de materia Vicarii Capit. &c.* Sed neque posse modò post Trident. juxta declarat. S. Congreg. Capitulum Sede vacante se intromittere circa administrationem jurisdictionis reservando sibi aliquid; sed debere totam hanc administrationem liberè Vicario relinquere, ait Garc. *loc. cit. n.* 25. Quamvis addat, id non servari in aliquibus Capitulis, quæ solent aliqua sibi reservare, & negare Vicario. Et *n.* 30. quòd si tamen de facto Capitulum det Vicario à se constituto limitatum mandatum, reservando sibi aliqua, non posse ea à Vicario exerceri.

3. Respondeo tertiò: quoad collationes liberas, quæ aliàs competunt Capitulo, etiam Sede plenâ, non poterit se magis immiscere Vicarius ille, quàm Vicarius Episcopi in collationes pertinentes ad eum; adeòque ad ea conferenda ad minimum egebit speciali mandato Capituli. Neque enim Vicarius Capituli ex sola designatione habet ulteriorem jurisdictionem, quàm Vicarius Episcopi; adeoque non accipit eo ipso potestatem ad ea, quæ in Vicario Episcopi requirunt speciale mandatum; cùm etiam Concilium statuens eligendum Vicarium, non statuit, quòd is omnem Capituli jurisdictionem aut potestatem habere debeat, ut Castrop. *loc. cit.* citans Quarant. *ubi ante, q.* 2. Pavin. *de potest. Capit. p.* 2. *q.* 10. *n.* 17. Barb. *cit. alleg.* 54. *n.* 158. Garc. *à num.* 29. contra Anton. Genuens. & Gutt. apud Garc. *n.* 28. Neque etiam dicta collatio beneficiorum libera competens Capitulo ullatenus spectat ad jurisdictionem, ut dictum supra. Plura de constitutione & potestate Vicarii Capituli alibi; vide tantisper Castrop. *cit. p.* 29. Garc. *cit. c.* 7. *à n.* 6. Barb. *jure Eccl. l.* 1. *c.* 32. *à n.* 28.

Quæstio 716. An, & qualiter, dum provisio libera beneficiorum spectat ad Capitulum privativè, sive Sede plenâ, sive Sede vacante, vocandi sint Capitulares etiam absentes ad faciendam collationem præbendarum, seu beneficiorum?

1. RESpondeo primò: sunt vocandi, si id commodè fieri potest, v. g. quia non sunt valdè remoti, & commodè accedere possunt; nisi fortè consuetudo habeat aliud, nimirum quòd ad talia vocandi non sint absentes. Pith. *ad tit. de præb. n.* 71. juxta *c. cùm in Ecclesia. tit. eod. in* 6.

2. Respondeo secundò: ubi dicta consuetudo non est, si non vocentur absentes, etsi valida sit collatio, modò duæ partes Capitularium ex iis, qui præsentes esse voluerunt, & potuerunt, actu interfuerint, & major pars præsentium consenserit. Pith. *loc. cit. n.* 72. citans Franc. *in cit. c. n.* 2. Absentes tamen illi non vocati agere possunt de contemptu, & ad illorum petitionem collatio sine illis facta irritanda est, quamvis etiam ii, si velint, collationem ratificare possint. Licèt enim jus eligendi vel conferendi spectet ad canonicos tanquam ad collegium, & non ad illos ut singulos; cùm jura Collegii seu universorum non sint singulorum, actus tamen ipse, scilicet eligere, conferre, sunt singularum personarum, & exercentur à singulis jure suo singulari, ut sunt pars collegii. Secùs est, si actus aliquis pertinet ad plures, ut ad Collegium, sive est communis, non ut singulis, sed universis; tunc enim non potest unus solus illum rescindere. Pith. *loc. cit. n.* 72. citans Franc. Jo. And. Jo. Monach. & Anchar. *in cit. c. cùm in Ecclesia.*

3. Respondeo tertiò: quòd si collatio beneficii non sit libera, sed necessaria, quia mandata est fieri certæ personæ à Superiore, etsi tunc Capitulares non vocati agere non possint de contemptu, possunt tamen agere contra rescriptum beneficiale impetratum, aut contra formam processûs, vel contra collatarium, ne per subreptionem vel indignus quia promoveatur ad beneficium; cùm ex eadem ratione alios actus Capitulares, quòd ipsis absentibus illegitimè facti sint, impugnare possint; quippe cùm ipsorum tanquam membrorum Capituli intersit. Pith. *loc. cit. n.* 73.

4. Respondeo denique: dum Superior mandat Capitulo aliquid, quod juris est, v. g. ut alicui Canonicatum conferat, fieri id debet à majori parte Capituli congregati, quia collegialiter perfici debet; si verò mandet, quòd solum est facti, v. g. personam, cui contulit, installet seu mittat in possessionem, singuli Capitulares mandatum hoc seu gratiam jam factam, etiam aliis nolentibus, exequi possunt, etiam extra Capitulum. Pith. *cit. n.* 73.

PARAGRAPHUS VI.

De collatoribus cæteris inferioribus, putà Collegiis, Monasteriis, Universitatibus, Prælatis, Regibus, aliisque Laicis; de existentibus in possessione conferendi, ubi de sequestro, conductore, excommunicato.

Quæstio 717. An, & qualiter competat Ecclesiis Collegiatis jus conferendi beneficia earundem?

RESpondeo: de hoc actum sufficienter supra, ubi de potestate Episcopi conferendi beneficia in Collegiatis. vide Garc. *p.* 5. *c.* 4. *à num.* 58. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 35. quid verò sit circa beneficia alia extranea eis unita seu incorporata, dicetur *quæst. seq.*

Quæstio 718. An, & qualiter Ecclesiis Regularibus & Monasteriis (idem tamen etiam est quòad alia Collegia, seu corpora Ecclesiastica) competat jus conferendi beneficia, præsertim Ecclesiarum sibi unitarum?

1. RESpondeo primò: præter ea, quæ dicta sunt supra, ubi de constituendis Vicariis in parochialibus, item ubi de potestate Episcopi conferendi beneficia in Ecclesiis regularibus exemptis; vel non exemptis, potest Monasterio non solùm competere jusp. ad Ecclesias sæculares, seu beneficia sæcularia, nimirum vel ex donatione Laici patroni, vel ex proprio facto fundationis. Lott. *l.* 2. *q.* 12. *n.* 2. Laym. *in c. sicut. de suppl. neg. Prælat. n.* 7. in quo casu Monasterium nullos ex parochia reditus accipere potest, neque jus ullum sibi in presbyterum illius usurpare. Laym. *ibid.* juxta *cit. c. sicut.* & *c. in Lateranensi. de præb.* & *c. unic. de Capellis. in* 6. & *c. sane* 16. *q.* 2. Verùm etiam, quamvis jus commune refragari videatur, ex jure aliquo speciali nancisci potest Monasterium jus liberè conferendi istiusmodi beneficia; cùm hoc jus conferendi neque sit jurisdictionis, neque Ordinis Episcopalis. Lott. *loc. cit. num.* 5. juxta *Clem. unic. de suppl. neg. Prælator.*

2. Quinimò ex consensu ipsius Episcopi, vel Papæ acquiri potest Monasterio institutio non solùm illa, quæ dicitur collativa tituli, cujus subjectum est beneficium; sed & illa, quæ dicitur auctorizabilis, & est concessio auctoritatis exercendi curam animarum, cujus subjectum est cura animarum, tametsi aliàs supra utraque Episcopus fundet intentionem suam de jure communi per regulam generalem. *c. omnes Basilicæ.* Lott. *loc. cit. n.* 6. 7. 8. citans Abb. *in c. de Monach. de præb. nu.* 7. Et dum conceditur Monasterio Ecclesia sæcularis sine populo in usus pro-

prios

prius, (subsistente causâ, v. g. ut subveniatur egestati Religiosorum, juxta *c. Diaconi. d. 93.*) poterit Monasterium, nisi Ecclesia concessa fuerit collegiata, inde extrudere omne servitium sæcularium. Lott. *loc. cit. n. 9.* citans Anchar. *in cit. c. de Monach.* dum verò Ecclesia cum populo conceditur Monasterio in ejus usus, teneatúrque tunc Monasterium habere Rectorem seu Vicarium perpetuum; quia tamen cura populi seu animarum semper radicatur in Episcopo, Monasterium habebit quidem jus conferendi Ecclesiam illam, illiúsque regimen; sed non regimen seu curam animarum, utpote inabdicabilem ab Episcopo Lott. *num.* 10. citans Gemin. *in c. 1. & 2. de Capell. Monach.* ne tamen illa regimina ita quodammodo annexa per diversos ministros præstentur, inductum est, ut Rector præsentetur per Monasterium, & instituatur per Episcopum, non quidem institutione collativâ, (utpote quæ spectabat ad ipsum Monasterium, & per quam Lott. videtur intelligere ipsam collationem tituli seu beneficii) sed auctorizabili. Lott. *n. 11.* de qua institutione auctorizabili ejúsque effectu vide Eund. *l. 1. q. 35. ex n. 12. & q. 33. ex num. 99.* Idem videtur velle Laym. *in c. sicut. de suppl. neg. Prel. n. 7.* dum ait, quòd si Ecclesia quò ad temporalia & spiritualia (quod ipse vocat pleno jure) concessa est ab Episcopo, ita nimirum, ut ratione populi non sit exempta à jurisdictione Episcopi, præsentandum esse Vicarium ab Episcopo examinandum & instituendum, idque, sive de cætero monasterium ipsum sit exemptum secundùm se, sive non; dum per *Tò præsentandum* videtur intelligere providendum collativè, & per *Tò instituendum* subintelligere, *auctorizabiliter.* Quòd si etiam hujusmodi concessio fiat per Episcopum pleno jure respectu spiritualium, (quidquid sit respectu visitationis, & eorum, quæ sunt Ordinis, hæc enim non veniunt sub concessione facta, pleno jure. Lott. *n. 14.* ex Imol. & Butrio *in c. de Monach.*) institutio utraque & collativa & auctorizabilis erit penes monasterium; non quidem jure proprio, quasi ab Episcopo avulsa, & in monasterium translata, quod ut dictum, est impossibile; sed jure & vice illius, adeo ut monasterium in hoc dicatur Vicarius Episcopi. Lott. *n. 13.* ex Jo. And. *in cit. c. de Monach. n. 10.*

3. An verò in hoc casu examen quoque ipsum faciendum sit à Monasterio, seu ejus Prælato vice Episcopi, an adhoc ab ipso Episcopo, non dicit Lott. Quòd si tamen etiam Ecclesia parochialis ita quòad temporalia & spiritualia monasterio (idem est de alio collegio, etiam sæculari) concessa foret, nimirum à Papa, ut ratione quoque populi exempta sit, seu subducta jurisdictioni spirituali, (quod Layman vocat jure plenissimo concessam) adeóque Monasterium seu ejus Prælatus haberet jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut sine dependentia ab Episcopo diœcesis instituere, & destituere posset, ut Rodriq. *Tom. 1. reg. qq. q. 36. a. 1.* examen indubitatò non ab Episcopo, sed à Prælato monasterii habendum, eidémque competeret institutio auctorizabilis etiam ut videtur non vice seu jure Episcopi, sed jure proprio à Papa ei concesso, quod videtur velle Lott. *loc. cit. n. 32.*

4. Idem etiam simpliciter, absque eo, quòd faciat mentionem exemptionis ratione populi, tradit Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 5. n. 12.* his ferè verbis: dum loquimur de unione facta pleno jure, verba illa habere possunt duplicem sensum. Primò quòad spiritualitatem & temporalitatem, non tamen quòad potestatem auctorizandi pro administratione curæ animarum, & tunc debet à monasterio deputari Vicarius temporalis ad nutum amovibilis; sed quiscúnque Vicarius instituatur, debet approbari ab Episcopo, ut videat, num capax sit exercendi curam animarum, citat pro hoc declarat. S. Cong. apud Barb. Episcopus tamen hunc Vicarium amovere non posset, nisi ex causa, propter quam beneficio privandus esset, si esset perpetuus; sed ejus revocatio & destitutio ad nutum monasterii seu Abbatis spectat. Secundò dicta verba *pleno jure* intelligi possunt, quòd plenum jus consistat in potestate temporalia administrandi, nec non spiritualia, etiam quòad potestatem permittendi administrationem curæ animarum non auctorizabilem ulteriùs ab Episcopo. Et in hoc casu ne quidem ad effectum, ut nominatus declaretur capax curam & Sacramenta administrandi, ad Episcopum recurrendum est. Sed solum monasterium seu illius rector vel Abbas nominabit, removebit & declarabit aptum ad curam animarum Vicarium illum temporalem, citat pro hoc Riccium *in pr. aurea variar. resol. c. 293. concl. 6.* subdit idem Tond. *n. 13.* diligenter notandum, quòd ista omnia videantur correcta per Trid. *sess. 7. c. 7.* ita ut per illud permissum sit Episcopis apponere Vicarios in beneficiis unitis Monasterio, capitulo, dignitati; idque non obstante ullâ consuetudine & exemptione, nisi tamen hæc concessa fuisset post Trid. etiam absque ejus derogatione, citat pro hoc Barb. *in c. exstirpanda. de preb. §. qui vero.* Garc. *p. 11. c. 2. n. 5.* ita tamen ut arbitrium illud Episcopi debeat esse regulatum, & cum justa & rationabili causa, ex Garc. *loc. cit. n. 8.* & partibus citatis & auditis. Sed de hoc vide dicta *ad initium prima part.*

5. Quòd si etiam concessio facta ab Episcopo vel Papa pleno jure respectu temporalium tantùm, seu conceditur Monasterio Ecclesia, ita ut inde possit percipere omnes reditus illius, eósque in suos usus & utilitatem convertere, & sic beneficium effectum sit de mensa Monasterii, omne jus Episcopale præservatur Episcopo: proinde cùm ibi statuendus sit Rector, qui præsit Ecclesiæ eodem modo, quo priùs, quia Ecclesia debet conservari in pristino statu, in quo nimirum quòad hoc erat ante istam incorporationem seu unionem quòad temporalia tantùm. Lott. *n. 15.* Tond. *loc. cit. n. 6.* potest quidem monasterium ibidem deputare rectorem, etiam amovibilem, modò consuetum servitium Ecclesiæ non fraudetur, ut Lott. *cit. n. 15.* citans Jo. And. *in cit. c. de Monach. n. 9.* (quod tamen negare videtur Tond. dum ait: Monasterium non posse in hoc casu deputare Vicarium; cùm penes illud nullum jus spirituale remaneat, sed unio seu incorporatio tantùm facta fuit de rebus temporalibus, pro quibus Monasterium non eget Vicario; nec quamvis eo maximè egeret, is curam animarum exercere posset) debet tamen persona rectoris præsentari Episcopo, qui habet illam instituere. Lott. *loc. cit. n. 16.* citans Abb. *in c. de Monach. n. 2. & 8.* Et sic monasterium in hoc casu non habebit nisi præsentationem rectoris, Episcopus verò institutionem, ad quam tamen institutionem Episcopus non procedit, nisi prævià assignatione congruæ. Lott. *n. 19.* de quo aliàs. Quin etiam ex eo, quòd Ecclesia v. g. parochialis sit incorporata seu unita, vel potiùs donata quoad temporalia tantùm, nimirum ut relictâ congruâ portione presbytero reliqui proventus cedant Monasterio, præsentationem presbyteri non spectare ad monasterium, nisi etiam simul donatum sit jus præsentandi rectorem, tradit Layman. *loc. c.*

Quæstio 719. An, & quid speciale sit hac in parte circa monasteria monialium?

Respondeo eadem, quæ dicta sunt *quæst. præced.* procedere quóque respectu monasteriorum monialium, modò respectu exercitii ipsius curæ accedat auctorizabilis institutio Episcopi. Lott. *l. 2. q. 12. n. 33.* citans Felin. *in c. cum venerabilis. de excep. n. 36.* & Rot. *decis. 24. n. 4. de preb. in antiquior.* licèt enim moniales non sint capaces curæ, vel ejus exercitii actualis, sunt tamen capaces juris deputandi personam capacem ejus potestatis. Lott. *loc. cit. n. 34.*

Quæstio 720. Quid possint Abbates & Prælati inferiores circa beneficiorum provisiones?

1. Respondeo regulariter non habent jus conferendi beneficia, sed jus illud, ut dictum, pro-

priè

priè ad Episcopos spectat. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 9. n. 1.* citans Gonz. *ad reg. 8. §. 1. proœm. n. 21.* Possunt tamen jus instituendi & conferendi beneficia acquirere ex privilegio, consuetudine vel præscriptione immemoriali. Tond. *ibid. n. 3.* citans Lamb. *de jurep. l. 2. p. 3. q. 1. a. 10.* cum communi. Etsi enim ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, præscribi nequeant, ea tamen, quæ sunt jurisdictionis vel simplicis dignitatis Episcopalis, præscribi possunt per Abbatem aliumque Prælatum inferiorem. Tond. *ibid. n. 9.* citans *c. accedentibus.* & Abb. *ibid.* Sed & per simplicem clericum, utpote qui est persona habilis, seu potens acquirere ejusmodi jura particularia. Tond. *ibid. n. 10.* ex Lamb. *l. 1. p. 1. q. 9. a. 3. n. 18. & seq.* Hinc jam etiam Abbas seu Prælatus regularis præscribere potest adversus Episcopum non solùm jus conferendi beneficia, sed etiam instituendi in illis per institutionem auctorizabilem. Tond. *n. 11.* Et sicut Abbas præscribere potest adversus Episcopum jus conferendi & approbandi ad curam animarum, ita etiam acquirere sibi potest præscriptione, privilegio, consuetudine, jus habendi territorium separatum cum jurisdictione Episcopi. Tond. *loc. cit. n. 12.* & fusius *l. 1. c. 60.* & in hoc casu acquisiti juris territorii separati, habet jus conferendi beneficia etiam curata istius districtûs, & curatos approbandi. Tond. *n. 13.* Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 17. n. 96. & 102.* citans Reginald. *in p. 2. fori pœnit. l. 1. n. 182.* Tamb. *to. 2. d. 10. q. 11.* Pasif. *l. 4. q. 35. n. 8. & 9.* Item Instituendi concursum, modò tamen habeat jus congregandi synodum, & eligendi Examinatores, Tondut. *cit. c. 3. n. 14.* Barb. *loc. cit. n. 103.* citans Riccium *in pr. fori Eccl. resol.* 361. Massob. *in pr. habendi concurs. requisito 1. du. 8. n. 21.* Vide Garc. *p. 9. c. 2. n. 131.* quia in isto casu est Ordinarius, & potestatem quasi Episcopalem habet, adeóque quoad hæc & similia jurisdictionalia potest omnia regulariter, quæ Episcopus in sua diœcesi. Tond. *loc. cit. n. 23.* Barb. *n. 94.* juxta gl. *in clem. 1. de reb. Eccl. non alien. v. propriis. &* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 2. n. 12.* & *in decalog. Tom. 1. l. 2. c. 13. n. 4.* Sigism. *de Bonon. de elect. du. 51. n. 3.* Tamb. *to. 1. d. 1. q. 3. &c.* quos citat. Poterit autem congregare & celebrare synodum, & synodales constitutiones facere, si habuerit provinciam. Barb. *loc. cit. n. 104.* citans Balb. *in tr. de præscrip. p. 5. principalis. part. 1. q. 11.* Bottæum. *de Synodo. p. 2. à n. 40.* & declar. S. Congreg. *de 17. Aug.* 1616. de cætero dum Prælatus inferior Episcopo, qui legitimè præscripsit jus conferendi, non habet jurisdictionem & territorium separatum, verum ac proprium cum clero & populo, ita ut taliter sit in eo, tanquam in propria diœcesi à quacunque alia independente, & stante de per se, tanquam Ordinarius & quasi Episcopus; sed solùm est Prælatus inferior intra diœcesin, & sub Episcopo seu diœcesano, implicat dari omnimodam præscriptionem juris conferendi privativè ad Episcopum seu Ordinarium tam in jure actuali quàm habituali; quia esset dari monstrum duorum capitum in uno corpore, ideóque necessariò in tali inferiore Prælato datur solùm jus actuale, & in solo exercitio, tanquam sub Episcopo, ejus quodammodò vicarias partes agendi cum jure devolutionis ad Ordinarium, seu potiùs reassumptionis ejus primævæ potestatis. Card. de Luca *de benef. d. 1. n. 10. & 11.* citans Abb. *in c. cùm contingat. de foro compet. n. 16.* Fagn. in c. *cùm te. à n. 3. ad 7. de ætat. & qual.* Lott. *l. 2. q. 12. n. 13.* ubi dicit, quòd inferior conferat jure vicario Episcopi, qui tamen ibi solùm loquitur, non de collatione seu Institutione collativa tituli, sed de institutione auctorizabili, quam dicit fieri à monasterio seu ejus Prælato vice Episcopi, & jure Vicario.

2. Respondeo secundò: in Cathedralibus, etiam regularibus, non competit Abbati jus conferendi canonicatus aut dignitates; hinc etiamsi Episcopus in tali Ecclesia Cathedrali regulari sit simul Abbas, vel loco Abbatis, conferendo tamen illius beneficia, non confert illa tanquam Abbas, sed tanquam Episcopus; adeóque dum exercet actum collationis, non exercet illum tanquam in obedientiarium suum. Corrad. *in pr. benef. l. 2. c. 9. n. 18.* Lott. *l. 1. q. 33. à n. 116.*

3. Respondeo tertiò: dum agitur de beneficiis unitis monasteriis, & domibus regularibus, & ab illis dependentibus, collatio spectat ad Abbatem & simul ad conventum; vel fieri debet per Abbatem cum conventûs consensu. Tond. *loc. cit. n. 25.* citans Francisc. Marc. *q. 1235. n. 2.* juxta c. *ea noscuntur. de his quæ fiunt à Prælato*; intelligendo hoc, non solùm de beneficiis electivis, in quibus nullum est dubium, quin electio debeat fieri congregato Capitulo; sed etiam de iis, quæ sine electione conferri consueverunt. Tond. *loc. cit. n. 26.* citans Sanch. *in decalog. l. 7. c. 9. n. 108.* Sic etiam *eodem cap.* cavetur, ne clerici in Ecclesiis, in quibus jusp. habent, præsententur per Abbates sine consensu capituli. Barb. *loc. cit. n. 87.* Limitanda tamen hæc responsio: nisi adsit consuetudo vel privilegium in contrarium. Tond. *n. 27.* citans Abb. *in cit. c. ea noscuntur.* & Lezana *in sum. regular. l. 2. c. 18. n. 7.* Limitare quóque videtur Tond. *n. 28.* responsionem ad beneficia conventualia monasteriorum exemptorum; dicens, non conventualium collationem spectare ad Abbates, Priores, aliósve Prælatos regulares, qui hoc jus acquisiverunt contra Episcopum, citat Selv. *p. 2. q. 22. n. 45.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 23. n. 20. & 21.*

4. De cætero simultanea Abbatis cum conventu collatio excluditur, si constet de ultima collatione per possessionem subsequentem effectuata, factâ per solum Abbatem cum expressa narrativa, quòd omnimodo dispositio dicti beneficii ad Abbatem ipsum pleno jure spectat; per quæ verba excluditur simultanea conventûs collatio. Tond. *loc. cit. n. 31.* citans gl. *in c. cùm in illis, v. cum alio. de præb. in 6. & in clem. 1. v. omnimodam. de foro competente. &* Rotam *decis. 30. n. 4. n. 3. recent.* Subditque Tond. *n. 32.* multò magis excludi simultaneam, si agatur de beneficiis inferioribus, quæ conferri possunt per Prælatum sine consilio & consensu capituli. Ac denique si beneficium sit membrum seu grangia Abbatiæ, institutionem pertinere ad Abbatem, per Tex. c. *Lateranensi. de præb.* ait Tond. *n. 33.*

5. Porrò observandum, quod tradit idem Tond. *loc. cit. n. 17.* citans pro hoc Marschot. *l. 1. var. resol. c. 11. n. 44.* Ludovis. *decis.* 370. dandam esse Abbati adversus Episcopum manutentionem in quasi possessione deputandi capellanum amovibilem in Ecclesia monasterio unita, licèt præsumptio juris sit Ecclesias esse liberas. Item quod tradit *n. 18.* probatâ quasi possessione, liberè conferendi per concursum, nullâ exspectatâ nominatione, Vicariam perpetuam capitulo unitam cum facultate nominandi Vicarium, manutenendum non esse Episcopum ob constitutionem Pii V. 47. in qua §. 4. *volumus.* mandatur Vicarios eligi & deputari perpetuos ad electionem & nominationem illorum, quorum Ecclesiis factæ sunt uniones, cum approbatione tamen Ordinarii, & prævio examine. Observandum etiam ex eodem, quod tradit *n. 19.* quòd dum Ecclesia pleno jure unita est monasterio, censeatur eo ipso jus concessum Abbati seu prælato istius monasterii, conferendi ipsam & rectorem instituendi statim quoad auctorizabilem institutionem ad curam animarum exercendam, ita tamen, ut hæc faciant tanquam vicem Episcopi gerentes, juxta dicta supra ex Lott.

Quæstio 721. Quid possint Abbatissæ & Priorissæ?

RESpondeo: sunt capaces conferendi beneficia Ecclesiastica, etiam curata, potéstque illis ex privilegio competere jus conferendi. Tond. *cit. c. 3. §. 9. n. 41.* citans Marc. Anton. *l. 1. resol. 63.* Ricc. *collectan. 2678.* Corrad. *l. 1. c. 4. n. 96.* citans Rebuff. *super concord. rubric. de collatione. §. præfatique.* Gonz. *gl. 22. n. 13. & seq.* (uti etiam quòd Abbatissa habere possit curam animarum, licèt eam exercere debeat per Vicarium) Boërium *decis. 32. n. 10.* juxta

c. di-

c. dilecto. de testibus. c. *fin. de concess. preb. c. dilecta. de preb. c. cui. de preb. in 6.* & ibi passim AA. Potest enim in genere fœmina ex privilegio apostolico nancisci hoc jus conferendi, idque ei competere ratione dignitatis, quam ipsam habere contingit, ut est textus expressus *in c. dilecta. de maj. & obed.* Ubi etiam Honorius III. Abbatissæ mandat, ut canonicas suas & clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientiam officio beneficióque suspendat. Corrad. *in pr. benef. loc. cit.* citans Selv. *p. 2. q. 5. n. 1. &c.* & patet id manifestè ex *reg. 8. cancellariæ.* seu reservatoria mensium, in qua reservat sibi Papa beneficia spectantia ad collationem, provisionem, præsentationem &c. quorumvis collatorum ac collatricum, sæcularium & regularium spectantia; ergo fœmina potest esse collatrix. Corr. *l. c. n. 98.* Gonz. *loc. c. n. 6.* Atque ita Abbatissa potest habere jurisdictionem in clericos & Laicos certi territorii, & beneficia illius conferre. Corrad. *n. 99.* ex Lamb. *de jurep. p. 2. l. 2. a. 4. q. 1. n. 3.* Et licèt Abbatissæ, Priorissæ &c. fortè sint incapaces jurisdictionis spiritualis, ejus saltem ac præcipuè, quæ est clavis Ecclesiasticæ ad solvendum & ligandum; quam ob rem nullam propriè censuram ferre possint; habent tamen ex commissione Prælatorum usum quendam seu exercitium spiritualis jurisdictionis, adeo ut clericos ad parochias, aliáque beneficia pleno jure sibi subjecta instituant, & alia præstent. Laym. *in c. dilecta. de maj. & obed. n. 2.* citans seipsum *Th. mor. l. 1. tr. 5. p. 1. a. 3. n. 3. & 4.* Sylvest. *v. Abbatissa.* Azor. *p. 1. l. 13. c. 10. q. 6.*

Quæstio 722. Quid sit hac in parte circa canonissas, hoc est, Virgines, quæ sub nomine Canonicarum in quibusdam Ecclesiis sæcularibus constituunt collegium seu capitulum, & religiosæ non sunt, sed omnino sæculares, retinentes proprium, exire possunt, & contrahere matrimonium, licèt interim degant sub regimine Abbatissæ, cui tenentur obedire; de quibus exstant in jure textus in c. cum dilecta. de maj. & obed. c. indemnitatibus. de elect. in 6. *Tond.* loc. cit. n. 45. & 48. *Lott.* l. 1. q. 19. n. 15. *cit. Azor.* p. 1. l. 13. c. 9. q. 5. *Gregor. Tholos.* Synt. juris. l. 15. c. 19. n. 9. *& alii apud Rotam* in Tullens. jurisdictionis. 27. Nov. 1624.

1. Respondeo: posse similes canonissas habere collationem beneficiorum & officiorum in simul cum Abbatissa. Tond. *loc. cit. n. 46.* citans Buratt. *decis. 821. n. 6.* sequitur ex respons. *ad quæst. præs.*

2. Illud hîc incidenter observandum, ipsas præbendas dictarum canonissarum nullatenus venire nomine beneficiorum; cùm usque adeo sint merè temporales, nihil spiritualitatis habentes, adeòque ut supra talibus præbendis non possit committi simonia, juxta Tond. *loc. cit.* idem tradit Corrad. *in pr. benef. l. 1. c. 5. n. 143.* ubi, quòd tales Canonissæ habent quandóque tres præbendas temporales, quæ cùm annectantur in sæculari, sæculares etiam præbendæ dicuntur, illarúmque fructus tanquam commoditas tantùm considerantur, quæ ex ipsis præbendis percipitur, citans pro hoc Caputaquens. *decis. 336. p. 2. per totum,* ubi etiam, quòd si istæ præbendæ vendantur, non committitur simonia, ac proinde prædictæ Canonissæ de illis ad suum libitum disponunt, eásque vendunt absque dispensatione & voluntate Superioris, sine vitio simoniæ. Lott. *l. 1. q. 19. n. 15.* citantes Buratt. *decis. 356. n. 6. p. 2.* Ita hi AA. Quamvis de hoc dubitari meritò possit, num subsistat, ubi dictæ præbendæ primitus ortum habuerunt ex fundationibus religiosis, seu factis pro monialibus seu cœnobiis religiosorum, quæ dein successu temporis conversa in istiusmodi canonissarum seu domicellarum capitula absque eo, quòd sæcularizatio authoritate aut præscriptione legitimâ inducta intercesserint.

3. Quibus adde, quæ habet Thomasin. *de veteri & nova Eccl. disciplina. p. 1. l. 3. c. 63. n. 10.* ex Jacob. de Vitriaco, scribente ad annum Christi 1220. *Histor. occid. c. 31.* ubi is, quòd floruerint illo tempore in Germania, Brabantia & Hannonia canonicæ sæculares, quæ domicellæ nuncupabantur, & moniales appellari nolebant, & non nisi nobilium filias in suo collegio recipi volebant, quæ solitæ resignare præbendas suas cùm nupturiebant, &c. Ex quibus tria deducit Thomas. *loc. cit.* primum: quòd si in Ecclesia minores clerici beneficia obtinuerunt & conjugii libertate frustrati non sunt, mirandum non sit, canonicas illas sæculares tamdiu cùm nubere possent, præbendis suis potitas. Alterum; posse verissimo aliquo sensu præbendas harum canonicarum beneficiis annumerari, cùm præbendæ sint & potuerint resignari, & hinc existeret obligatio diurni pensi horarum canonicarum; quamvis alii magis esse voluerint præstimonia, cùm beneficia magis propria sint clericorum, quæ est controversia magis de nomine quàm de re: nec has præbendas injustè reponi in censu beneficiorum Ecclesiasticorum: cùm proventuum Ecclesiasticorum portio ea sit, quâ qui gaudet, officiis vicissim & ministeriis tenetur Ecclesiasticis. Concilium insuper Colon. ad annum 1549. declaret, non posse uni Abbatissæ subesse duo collegia canonicarum; eò quòd vetent Ecclesiæ canones plura ab eodem retineri beneficia. Tertium: non minùs has canonicas quàm canonicos teneri lege officii divini recitandi vel decantandi; cùm fundationis seu præbendarum, seu distributionum, quibus præbendæ successerunt, ea fuerit conditio, ea statim natura, id onus indeclinabile, ut divina officia ritè persolverentur. Ac denique non otiosis dispensetur patrimonium Christi, sed actuosis, & divinas laudes jugiter persolventibus.

4. Porrò harum canonicarum patrimonii sui compotum, nullamque edentium professionem, & altam non ducentium vitam, quàm canonici sæculares in cathedralibus & collegiatis, mentionem facit Bonifac. VIII. *c. indemnitatibus. de elect. in 6.* Ubi etiam jubet, ut earum Abbatissa sit annorum saltem 30. & eligatur eodem more, quo Abbatissæ regulares. Quamvis addat idem Pontifex, se per hoc earum statum seu ordinem nolle, nec intendere approbare. Uti nec Clem. V. dum eas Ordinarii visitationi subjicit, si exemptæ non sint, & Legati Apost. si sint exemptæ, testatur Clem. *attendentes, de statu canonicorum regul.* a. se hoc ipso earum institutum non approbare. Thomas. *loc. cit. n. 3.* qui tamen addit, verisimile esse hæc pontificum decreta habuisse se instar approbationis tacitæ, & tolerantiæ publicæ. De cetero dum Honorius III. *in c. cum dilecta. de majorit. & obed.* mandat Abbati cuidam, ut compellat canonicas & clericos Abbatissæ jurisdictioni obnoxios eidem obedire, etsi ea eos non excommunicare, sed solùm ab officio & beneficio suspendere posset, ex eo inquam non satis constat, num loquatur de canonicarum regularium, an verò sæcularium collegio. Thomasin. *cit. n. 3.*

Quæstio 723. Quid potestatis habeat Archidiaconus circa conferenda beneficia?

1. Respondeo primò: etsi jure communi seu regulariter Archidiacono quà tali non competat jus conferendi beneficia, potest tamen ei jure quodam speciali competere, sicut dictum paulò ante de aliis Prælatis inferioribus.

2. Respondeo secundò: in beneficiis, etiam curam animarum habentibus de auctoritate tantùm & mandato Episcopi. Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 24. n. 30.* citans *c. ad hæc. de off. ordina.* & c. *si in plebibus. 63. dist. c. nullus 16. q. 7.* vel sine tali mandato, nomine tamen & vice Episcopi, si hoc habeat ex præscriptione, seu consuetudne legitimè præscripta, solúmque per tex. *c. cùm satis. de off. ordinar.* prohibetur consuetu-

suetudo seu magis præscriptio, per quam Archidiaconus intendit instituere in beneficiis nomine proprio. Barb. *ibid.* citans seipsum *de off. & pot. Episcop. p. 3. alleg. 72. n. 185.*

3. Respondeo tertiò: sed neque vi sui muneris potest Archidiaconus committere curam animarum, per text. *cit. c. cum fatt.* Barb. *loc. cit. n.* 31. citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 2.* neque ullâ consuetudine instituere seo providere potest curatos sine consensu & approbatione Episcopi; consuetudo enim utpote Ecclesiis summè perniciosa, prævalere nequit, ut ministri curati in Ecclesiis Episcopo subjectis instituantur absque supremi in diœcesi Pastoris, nimirum Episcopi, cognitione & consensu; Etsi de cætero inferiores Prælati per consuetudinem acquirere possint jus instituendi, etiam ad curata, non tamen sine examine & approbatione Episcopi, ut constat ex *cit. c. ad hæc. de off. Archid.* Pirh. *ad tit. de off. Archid. n.* 13. Laym. *ad c. cùm satis. de off. Archid.* citans Azor. *p. 1. l. 5. c. 19.* juxta Trid. *sess 7. c. 13.* Nec denique Archidiaconus habens jus conferendi curata potest facere examen per concursum, aut etiam proponere edicta. Paris. *de resig. l. 8. q. 9. n. 99.* juxta declat. S. Congreg. Porrò quid possit Archidiaconus circa dandam possessionem, dicetur infra. Vide Barb. *loc. cit. n.* 32. Paris. *loc. cit. n.* 57.

Quæstio 724. Qualiter jus conferendi, competens corpori universali, aliis impeditis, seu gerentibus se invalidè, exerceri possit per non impeditos?

RESpondeò: cùm jus conferendi sicut jus præsentandi, seu simile dicatur individuum, habitualiter competens omnibus & singulis, inter quos solum divisum est exercitium, hinc impeditis v.g. per censuras, captivitatem, aliave impedimenta aliquibus, totum jus tanquam per non jus decrescendi devolvetur ad superstites, seu vet iùs in iis consolidatur, adeò ut totum Capitulum vel aliud corpus politicum seu intellectuale, constitutum ex multis personis, sit præsentabile per paucos, imò, etiam per unum; sic si constitueretur v.g. ex 30. Canonicis, & casu 20. ex illis deficerent v.g. ob mortem civilem, vel impedirentur per censuras, adhuc idem est corpus politicum, & censetur non infectum infectione & abscissione aliquorum membrorum, quorum infectio non præjudicat integritati & unitati corporis; secùs tamen tameo foret, ubi totum corpus infectum foret, v.g. totum Capitulum in concreto subjectum interdicto; tunc enim talis infectio influis in omnia membra, quæ licèt comparativè ad alia membra non patiantur illam infectionem, quam patiuntur alia, non tamen per hoc apta sunt constituere vel repræsentare corpus validum, seu non infectum, si illud in suo genere infectum est; unde proprerea & ipsa membra ita comparativè, & ad alios effectus valida, adhuc infecta dicuntur, non obstaote ionorentiâ. Ita ferè Card. de Luca *de benef. d. 23. n. 10. & 11.*

Quæstio 725. An, & qualiter Prælatus putativus, seu reputatus à populo pro vero, qui tamen verus non est, habeat potestatem beneficia conferendi?

1. REspondeo affirmativè: hæc enim potestas non est à jure divino, sed ex jure positivo ortum habet; ergo potest jus inhabilitatem conferentis supplere, concedendo in casu erroris communis ob utilitatem publicam hanc ei potestatem, qui verè à parte rei illam non habet, & ita collationem ab eo factam reddere firmam, ne gravissima aliàs sequantur incommoda. Garc. *p. 5. c. 4. n. 277.* citans Mascard. *de prob. conclus. 649. n. 23.* Selv. *p. 2. q. 12. n. 2.* Abb. *in c. nihil. de Elect. n. 12.* Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p.* 27. *n.* 6. citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 22. n. 1.* Less. *de just. l.* 2. *c.* 29. *du.* 8. *à n.* 65. Basil. Pont. de matrim. *l.* 5. *c.* 19. *n.* 3. qui auctores omnes docent non solùm in genere, nimirum in casu erroris communis populi à jure concedi jurisdictionem seu potestatem, juxta *l. Barbarius. ff. de off. prætor. & l. 2. de sententiis & interlocutionibus. & c. infamis.* 3. *q.* 7. Sed specialiter etiam de collatione loquuntur. Castrop. *loc. cit.*

2. Limitanda autem hæc responsio primò, ut non procedat, dum est error privatus, nimirum solius conferentis, aut cujusvis alterius singularis; talis enim error insufficiens est, ut jurisdictio similisve potestas à jure concedatur non habenti; cessat namque tunc ratio, ob quam ea conceditur, nimirum utilitas publica, nempe, ne populus errans patiatur damna ex anomalis & invalidè gestis à suo prælato; unde bene addebatur in ipsa quæstione, reputatus à populo. Castrop. *loc. cit.* citans Sanch. *ubi ante, n. 6. & 7.* Pontium *n.* 4. ac dicens sic colligi ex textibus citatis.

3. Secundò limitanda est juxta Garc. *loc. cit. n.* 314. qui pro hoc citat Innoc. *in c. dilectus. de consuetudin. & in c. consultationibus. de jurep.* Abb. *ibid. n* 6. Felin. *in c. Rodulphus.* Baysium *in directorio Electionum. c. 9. p. 5. n. 4.* Covar. *in c. alma mater. 1. p. §. 7. n. 9.* Mascard. & plures alios, ut non procedat in collatione, electione & aliis, quæ geruntur jure privato, seu ratione privati officii, v.g. dum collatio spectaret ad privatum canonicum, vel etiam ad Capitulum, (licèt enim id ipsum ad Capitulum spectet ratione publici officii, pertinet tamen ad singulos canonicos ratione canonicatûs & officii privati) eò quòd cesset ratio utilitatis publicæ, quæ est in iis, quibus ratione officii competit conferre beneficia; verùm hanc limitationem improbat Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans pro hoc Sanch. *ubi ante, n.* 16. Pontium *de matrim. d. 5. c. 11. n.* 11. loquentes generaliter, eò quòd licèt conferens sit persona privata, ut ex speciali delegatione conferat, conferat tamen nomine Ecclesiæ, & in favorem publicum, (publicus namque favor cernitur in eo, quòd beneficii collatio firma persistat) adeóque conferat, non ut privatus,* sed gerat se ut publicus Ecclesiæ minister.

4. Tertiò, ut non procedat, sive ut non valeat collatio, aliáque gesta per eum, qui se gerit pro Prælato, seu est in possessione, & communi existimatione alicujus officii, nisi accedat auctoritas legitimi Superioris, sive nisi sit ei collatus titulus à legitimo Superiore, hoc est, habente aliàs potestatem titulum conferendi, (nihil namque hîc facit bona fides habentis titulum à non legitimo Superiore, qoia non agitur de acquisitione fructuum. Garc. *n.* 285. contra Pacian. *de probat. l. 2. c. 31. à n. 81.*) esto titulus invalidus sit ob occultum impedimentum; sic enim hunc titulum necessarium esse indicant textus citati. *l. Barbarius. c. infamis &c.* Ita contra Morla. *in Emporio juris tit.* 11. *q.* 2. Basil. Pontium *de matrim. l. 5. c. 20. n.* 2. & alios apud Tiraquel. *post leges connubiales. gl.* 8. *n.* 553. & Sanch. Garc. *loc. cit. n.* 281. citans præter quamplurimos alios Suar. *to. 5. de cens. d. 2. s. 4. n. 2. & d. 13. s. 1. n. 31.* Azor. *l. 5. c. 8. q. 2.* Ugol. *de cens. tab. 1. c. 2. §. 22.* Nav. *in cap.* Placuit. *de pænit. d. 6. n.* 177. Sanch. *de matrim. l. 3. d. 22. q. 5. n. 49.* Less. de just. *l. 2. c. 29. dub.* 8. *n.* 65. apud Castrop. *loc. cit. n.* 10. qoi tamen ipse sub distinctione respondet, admittendo limitationem de conferente beneficia ratione officii publici jurisdictionem habentia, vel de conferente beneficia ob aliquod speciale officium sibi competens; cùm de similibus loquantur citati textus, & de his, paucis exceptis, consentiant ferè Authores, seprobando verò limitationem de conferente ob aliquam specialem prærogativam fundationis, privilegi, præscriptionis, aut consuetudinis, utpote qui ad hanc potestatem non eget titulo, sed ex ea sola quasi possessiooe obtinetur. De cetero non facit contra hanc limitationem Primò, quòd præscriptione & consuetudine absque titulo, utpote quem non semper requirunt, acquiri possit jurisdictio. Nam ipsa consuetudo & præscriptio legitima est similis à jure approbatus; adeóque in hoc casu jurisdictio adhuc non acquiritur sine titulo.

Castrop. *cit. n.* 10. Nec secundò, quòd eadem ferè inconvenientia sequantur ex hoc, quòd quis carens titulo accepto à legitimo Superiore, jurisdictionem non habeat, stante communi errore, quæ sequuntur ex eo, si habens talem titulum, aliunde tamen patiens defectum occultum non habeat jurisdictionem stante communi errore; nimirum quòd eodem modo decipiatur populus. Nam in jure non invenitur fundamentum ad concedendam in casu erroris communis jurisdictionem carenti titulo, ac invenitur ad concedendam illam habenti titulum, etsi invalidum; quin & non sequuntur eadem inconvenientia, dum in habente titulum faciliùs possit populus decipi, quàm in carente illo. Castrop. *loc. cit.* Nec tertiò, quòd in Notario, sicut & in teste, sufficiat quasi possessio absque titolo; cùm Notarius sit testis à jure approbatus, ideóque in eo titulus alius non requiritur: unde ab eo argumentandum non est, ad alios judices & officiales habentes jurisdictionem. Castrop. *loc. cit.*

5. Quartò limitanda responsio juxta Garc. *loc. cit. n.* 278 qui pro hac citat Æn. de Falcon. *de reserv. q. 4. effect. 6.* Simonet. *eodem tract. q.* 44. & ibi Gran. & Rot. *decis.* 20. *de præb. in antiquis*, ut non procedat in collatore intruso in dignitate vel beneficio, hoc est, habente dignitatem vel beneficium reservatum, ratione cujus competit ei potestas conferendi beneficia; eò quòd, quia ob decretum irritans contentum in reservatione, utpote inficiens titulum & possessionem beneficii, & consequenter omnia, quæ ex iis consequuntur, caret titulo, facta ab eo collatio nulla est, etiam in tali errore communi. Hanc tamen limitationem non probat Castrop. & credit, tali, licèt à jure privatus per se sit titulo, adeóque collatione beneficiorum; concedi tamen ex æquitate ob utilitatem publicam in casu dicti erroris hanc potestatem, sicut conceditur ad omnes alios actus tam justitiæ quàm gratiæ, ut sine distinctione tradere, ait, reliquos auctores; & licèt taliter intruso negentur omnes fructus beneficii cedentes in utilitatem beneficiati, negari tamen non debeant fructus beneficii cedentes in utilitatem publicam, quales sunt collatio, electio, præsentatio ad beneficia.

6. Quintò limitanda est, ut non procedat in eo, qui jure ipso privatus est potestate conferendi, qualis est hæreticus & excommunicatus, aut suspensus; quod tamen intelligendum, quando sic declaratus est per sententiam, ante quam sententiam valent gesta per eum. Castrop. *loc. cit. n.* 12. contra Garc. *loc. cit. n.* 324. ubi tradit, collationem factam ab excommunicato occulto nullam esse, verùm de hoc paulò post.

7. Sextò limitanda est juxta Sanch. *cit. d.* 22. *n.* 53. & plures alios apud Garc. *loc. cit. n.* 286. ut non procedat in eo collatore, in cujus electione seu provisione substantialis error formæ commissus est; eò quòd tunc communis error nihil operetur, nec valeant gesta per talem; quia defectus est in radice, & deficiente formâ, quæ dat esse rei, deficit titulus; quod tamen Sanch. intelligit, ubi electioni seu provisioni, in qua est vitium formæ, non accadit legitimi Superioris confirmatio; ea enim aliàs titulum coloratum tribuit, dum electionis vitium communiter latet. Hæc tamen limitatio non probatur Garc. *à n.* 290. & Castrop. *loc. cit. n.* 13. affirmantibus, sufficere solum titulum coloratum, etsi de cetero in collatione vel electione substantialis error commissus sit contra formam electionis, aut etiam ob vitium personæ; eò quòd de cetero dorum videatur, quòd non valeant gesta, v. g. ab eo, qui auctoritate Superioris est in possessione parochialis, & pro parocho communiter reputatur, dum in ejus provisione, v. g. non fuit servata forma præscripta à Trid. & Pio V. etsi vel hoc ipso, quò ad ipsum provisum non præbeatur ei titulus, ne quidem coloratus, ut in ipsa constitutione Pii V. vel etiam (quod ipsum expressè negant *Suar. to. 4. de pœnit. d. 26. s. 6. n. 7.* Enriquez. Innoc. apud Garc. *n.* 292.) si non valerent gesta per provisum à Papa per subreptionem, vel per eum, qui simoniacè obtinuit beneficium: in quibus duobus est quasi defectus formæ. Ac denique, ut Garc. *n.* 291. quia non attinet ad subditos scire, an servata sit forma, vel non; imò in dubio præsumere debent pro Superiore; unde in hoc casu militat eadem ratio æquitatis, ac quando est defectus in persona. Vide Garc. de his per plures numeros, à *n.* 295. ubi etiam ex Baldo in *in margarita. V. Episcopus secundo*; quòd valeant gesta ab Episcopo confirmato, etsi non sit canonicè confirmatus. Quod ipsum post Bertachin. approbat Lamb. *de jurep. p. 3 l. 2. q. 2. a. 13. n. 4.* cum hac tamen limitatione, si confirmatio vel institutio facta esset ex errore ex persona confirmantis vel instituentis, vel aliter non canonicè, & error communis est pro legitima confirmatione; secùs si error de hoc non est communis. Et *n.* 298. & 299. declarat hanc limitationem, quòd ea non procedat, ubi se quis per decennium gerit pro habili, eò quòd tunc (quia ex decennali possessione præsumitur titulus, ut Felin. *in c. 2. de fide instrum. nu.* 18. Bald. *in l. 1. C. de fidei commiss. n.* 14. Mascard. &c. quos citat) non requiritur alius titulus; quod tamen *num.* 302. intelligendum ait, quando non constat de defectu tituli, nec jus resistit, & error est circa factum.

8. Denique limitanda est responsio juxta Garc. *num.* 310. ut non valeat collatio, nec alia gesta in favorem scientium impedimentum; citat pro hoc Felin. *in c. Rodulphus. de rescript. n.* 40. Paris. *de resign. l. 7. q. 24. n.* 48. Azor. Tiraq. &c. contra Sanch. *cit. d.* 22. *q.* 4. Abb. Butrio &c. *in c. ad probandum. de re judicata.* docentes, quòd valeat mero jure, retractanda tamen in odium illorum scientium impedimentum. Nihilominus & ipse Garcias *n.* 312. cum Sanch. *loc. cit. n.* 45. hanc suam limitationem intelligendam ait: dum scienti impedimentum imputari potest culpa in adeundo judicem seu Prælatum, quem scit non esse verè talem; secus dum non imputatur illi hoc pro culpa, v. g. quia aliàs fortè non posset consequi justitiam, vel id, ad quod habet jus; cùm tunc cesset odium illius.

Quæstio 726. An, & qualiter laicis (intellige merè talibus, quales non sunt personæ, etiam citra primam tonsuram religionem professæ, ac proinde de his non quæritur; cùm de iis constet contrarium. Laym. l. paulò post citando) *competere possit jus conferendi beneficia?*

1. Respondeo primò: laici de se incapaces sunt juris conferendi beneficia Ecclesiastica. *c. si quis deinceps. c. per laicos. c. laicis. 16. q. 7.* Lott. *loc. cit. n* 57. Laym. *ad c. quanto. de consuetud. n.* 2. Corrad. *in pr. benef. l. 1. c. 4. n.* 78. Garc. *p. 1. c. 2. n.* 36. cum communi. Hinc sicut laicis non potest ex pacto, fundatione, aut quavis donatione seu concessione (si factum à Papa excipias) competere potest jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum; quia laici jura Ecclesiastica tractare non possunt. *c. 3. de judiciis.* ita multò minùs eis competere potest jus conferendi beneficia, vel etiam instituandi in iis, utpote quod majus & potentius est, magisque spirituale, quàm jus eligendi, ut notant DD. *in c. si tibi absenti. de præb. in 6.* & singulariter Selva. Laym. *in c. nullus. de elect. n. 14. & 15. & 18.* ubi etiam ex hoc ipso ait, desumi differantiam, quòd Ecclesia, etiam per Episcopos, passim concedat laicis ex fundatione vel dotatione jus patronatûs, seu præsentandi, (dum præsentatio ad Superiorem dirigitur, à quo præsentatus omne jus spirituale per institutionem consequitur) & non concedat jus eligendi, & multò minùs conferendi.

2. Sed neque competere potest laico ullâ consuetudine immemoriali, aut præscriptione. Corrad. *l. 1. c. 4. n.* 80. Garc. *p. 1. c. 2. n. 36. & 37.* Lott. *l. 1. q. 4. n.* 39. citans Seraph. *decis.* 1382. *per tot.* & Surd. *cons.* 301. *n.* 59. citantem plures alios. Laym. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. 2. de præb. in 6.* Abb. *in c. quisquis. de elect. n.* 4. & *in c. novit. de judic. num.* 22. Felin.

in c.

in c. dilecto. de testibus. num. 1. Selv. p. 2. q. 23. n. 10. & 22. Sequitur ea antecedente; qui enim, ut dicitur reg. 3. de reg. juris in 6. incapax est possessionis rei, vel juris alicujus, incapax quoque est illud præscribere. Laym. loc. cit. Falsum etiam est, quòd, quæ possideri possunt ea privilegio, acquiri quoque possint per consuetudinem immemorialem; cùm in hoc potentius sit privilegium, quàm consuetudo immemorialis. Laym. loc. cit. citans Abb. in cit. c. novit. n. 22. & in c. quisquis. de elect. n. 4. Garc. p. 1. c. 2. n. n. 37. vide etiam Laym. in c. quanto. de consuet. n. 2. ubi pro hoc citat Suar. de ll. l. 8. cap 7. & seipsum in c. Ecclesia. de constitut. & Theol. mor. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 6.

3. Hoc verum, quòd si unà cum tempore immemoriali concurrat constans fama accepti privilegii à Sede Apostolica, laicus ob difficultatem exhibendi privilegii relinquendus est in exercitio juris eligendi aut conferendi propter præsumptionem, quæ in tali casu pro ipso est; (Idem etiam videtur, ut dictum alibi, etsi desit dicta fama, modò tempus fluxerit immemoriale, eò quòd tunc titulum optimum, adeò que privilegium concessum suis antecessoribus allegare possit) non tamen ideo præscripsit, aut titulo præscriptionis jus illud possidet, aut se tueri potest; si enim etiam post elapsum immemoriale tempus comperiatur reverà nullum tale privilegium concessum, auferendum est laico jus tale prætensum conferendi, & is illud dimittere tenetur, nec est ampliùs in conscientia tutus. Laym. loc. cit. citans Selv. ubi ante. n. 24. Felin. in c. causam. de præscript. n. 7. vide hac de re fusiùs dicta, ubi actum de acquirendo jure patronatûs, & potissimùm decimandi per præscriptionem. Atque ita semper requiritur privilegium (intellige, sive reverà concessum, sive præsumptum, aut legitimè allegatum) etiam dum Reges aliquando beneficia conferunt, nullâ ad hoc sufficiente consuetudine, etiamsi esset cum perpetua Papæ tolerantia. Lott. cit. q. 6. n 391. dum enim versamur in his, quæ non sunt quæstibilia sine Principis concessione, tolerantia de nihilo inservit; cùm non sit tolerantia, sed simplex connivenia, seu patientia, quæ nusquam inducit dispensationem in his, quæ sunt contra juris dispositionem, juxta text. in c. cùm jam dudum. ubi Gl. in v. patientia. de præb. ea enim connivenia est ad evitanda scandala, quæ possent committi auferendo hujusmodi abusus, ut DD. in c. 2. de præb. in 6. crimen quippe publicum dissimulare dupliciter contingit. Primò ipsum actum criminosum non prohibendo, cùm potest prohiberi, & hoc Ecclesia non sustinet, nec dissimulat, sed gravissimè prohibet in cit. textibus collationem fieri à laicis. Secundò, transgressorem talis prohibitionis non puniendo, & hoc modo Ecclesia dissimulat aliqua ob difficultatem correctionis, & sic multa tolerantur, quæ si in judicium deducerentur, exigente justitiâ, non tolerarentur, ut dicitur in cit. c. jam dudum. de præb. ita ferè Lott. loc. cit. n. 40. citans Nav. de Ecclesia reditibus, monit. 54 n. 2. Sanch. de matrim. l. 3. d. 38. n. 12. & sic in præsenti casu collationis beneficiorum factæ à laicis nullam prætendi posse excusationem ex tolerantia Papæ, docent apud Lott. n. 41. Jo. And. Anchar. Ju. Monach. in cit. c. 2. de præb. in 6. Card. cons. 56. n. 3. Selva. p. 2. q. 2. n. 23. referens plures alios. Neque his adversatur jus regaliæ, quo Reges Galliæ (quos etiam Corrad. l. 1. c. 4 n. 85. dici ait in regno suo collatores ordinarios) Sede Episcopali vacante in multis Ecclesiis conferunt beneficia, dum illud jus non fundatur in mero patronatu, (cùm virtute solius patronatûs nequeat oriri jus eligendi aut conferendi, sed solùm præsentandi, seu nominandi, ut DD. communiter in cit. c. 2. de præb. in 6. cum Joanne Monach. sub num. 4.) sed in virtute consensûs Papæ, ita ut ex toto pendeat à privilegio Sedis Apostolicæ, ut latè demonstrat Selv. cit. q. 23. n. 1. Lott. à num. 42.

4. Procedunt hæc ipsa quoque de jure conferendi beneficia manualia; cùm & hæc sint vera beneficia Ecclesiastica in jure spirituali, quod laici dare non possint, consistentia. Laym. loc. cit. n. 16. nihil tamen vetat, quò minùs laico jus competat citra omne privilegium simpliciter deputandi Clericum seu Sacerdotem, qui altari deserviat, dum ex hac deputatione nullum spiritualitatis jus resultat, nec talis deputatus dicatur nancisci titulum aut beneficium Ecclesiasticum. Lott. l. 1. q. 5. num. 38.

5. Porrò, qui beneficia à laicis jus collationis, electionis, vel institutionis citra concessionis privilegium prætendentibus obtinent, sunt excommunicati. cap. si quis Clericus. 16. q. 7. c. generali. de elect. in 6. Laym. cit. n. 16. Insuper talis provisio auctoritate laici facta pro irrita haberi debet. cap. quòd autem. de jurepatronatûs; ubi etiam ratio exprimitur: quia pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui non potest de jure donare. Et hinc provisus removeri debet ab Episcopo tanquam intrusus; & si intra semestre vel quadrimestre patronos (si quis est) Episcopo alterive Ordinario collatori Ecclesiastico neminem canonicè instituendum præsentârit, collator seu is, ad quem pertinet, liberè conferre potest. c. 2. de concess. præb. & si intrusus in beneficio persistere voluerit, à ministerio Ecclesiastico & Ordine deponendus est, ut habetur c. præterea. de jurepatronatûs. Et quæ hic dicta de laicis sibi arrogantibus jus instituendi & conferendi, idem dicendum de arrogantibus sibi jus destituendi, juxta cit. c. præterea; non minùs enim, sed fortè magis, juxta dicenda responsione sequente, destitutio, quàm institutio potestatis, & juris est Ecclesiastici, non cadentis in laicos.

6. Respondeo secundò: potest nihilominus à Papa (& quidem solo, cùm nemo præter illum possit laicum capacem reddere juris spiritualis. Corrad. l. 1. c. 4. n. 2. citans c. 2. de judice. Rot. apud Farinac. decis. 193. n. 8. p. 3. & Garc. in addit. p. 1. c. 2. n. 37.) ex plenitudine potestatis hoc jus spirituale eligendi & conferendi beneficia merè laicis & sæcularibus concedi seu committi. Laym. in c. nullus. de elect. n. 14. & 15. citans Gl. communiter receptam in c. 2. de præb. in 6. v. Ecclesias. & Jo. And. ibidem in fine. Quo privilegio interveniente etiam fœmina (intellige etiam non professa religionem, & sic merè laica) potest conferre. Corrad. loc. cit. n. 81. citans Selv. p. 1. c. 5. n. 1. Innoc. in c. quòd sicut. & ibi Gl. de elect. Jo. Andr. in speculator. tit. de Legato. & alios relatos per Felin. in c. si quis. de major. & obed. Garc. loc. cit. n 33. admodum autem rarò istiusmodi privilegium concedi laico ex eo liquet, quod ait Laym. in cit. c. nullus n. 15. quòd cùm in Germania nequidem Imperator, aut supremi Romani Imperii Principes talem beneficia conferendi potestatem ex Apostolicæ Sedis concessione sibi vindicent (etsi contrarium ex Achill. de Grassia decis. 9. de restitut. spol. dicat Corrad. loc. cit. num. 86. de Imperatore) multò minùs credibile sit, inferioribus Dominis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus talem unquam factam fuisse concessionem, cujus proinde nec ullum vestigium apparet, vel allegari potest; videri etiam potest Trid. sess. 25. c. 20. Quia & Papa, concedendo Imperatori preces primarias, non concedit privilegium conferendi ista beneficia, ad quæ dantur preces, sed tantùm faciendi recipi: neque enim oritur recepto titulus ex facto Imperatoris, sed ex facto Capituli aut Prælati Ecclesiastici recipientis mandato Papæ, Lott. l. 1. q. 6. num. 47. citans pro hoc Jo. And. ad speculat. tit. de præb. num. 7. & Præpos. in c. imperium. d. 10.

7. In casu autem obtenti istiusmodi privilegii conferendi non tam laicum ipsum dici conferre quàm Papam ministerio laici, ita ut collatio non tam reputetur regia aut alterius Principis, quàm merè Apostolica, ait Lott. loc. cit. num. 46. citans Rot. decis. 15. de præb. in antiquior. Card. de Luc. de benef. d. 9. n. 12. ubi, quòd propterea in collatione vel provisione beneficii, quam facit laicus ex concessione Papæ, laicus consideretur tanquam organum & instrumentum Papæ. Nihilominus laicus habens hanc à Papa potestatem rectè simpliciter in collatione à se

facta utitur his verbis: *Tenore præsentium conferimus cum omnibus juribus, redditibus, emolumentis &c.* & acquiritur per talem collationem beneficium absque eo, quòd requiratur alia aliqua institutio, aut confirmatio Episcopi, aut alterius Clerici. Corrad. *in pr. benef. loc. cit. n.* 89. *&* 90. citans Garc. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 34. ubi: quòd aliter non dicatur laicus habere privilegium.

8. Illud etiam hic observandum, quòd tametsi ex speciali privilegio institutio seu collatio laico (vel etiam alteri personæ Ecclesiasticæ) concessa esset, non debeat tamen ea extendi ad destituendum seu depositionem & remotionem. Laym. *in c. nullus. de Elect. nu.* 17. citans Abb. *in c. cùm ex injunct. de haret. n.* 3. *& seq.* Card. de Luca *de benef. d.* 65. *n.* 5. cùm enim longè aliud, & quid plus sit potestas destituendi quàm potestas instituendi, seu conferendi, ab una ad aliam inferri non potest. Card. de Luca *loc. cit.* citans Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 23. *n.* 1. *& seq. n.* 30. Gabriel. *conf.* 587. *l.* 1. cum communi DD. *in c. fin. de renunc.*

Quæstio 727. An Sequester & Conductor habeant potestatem conferendi?

Respondeo ad utramque affirmativè; verùm de hoc satis actum in *quæst.* num jus præsentandi sit penes Sequestrem & conductorem?

Quæstio 728. An, & qualiter excommunicatus possit conferre?

1. Respondeo primò: excommunicatus excommunicatione majore denunciatus, seu per sententiam declaratus, adeóque non toleratus, nullatenus conferre potest beneficia. Castrop. *loc. cit. p.* 27. *n.* 12. Lott. *l.* 2. *q.* 41. *n.* 15. *&* 22. juxta *c. unicum. ne Sede vac. in* 6. & DD. *ibidem* communiter. Destituitur enim hoc ipso omni potestate & jure conferendi, sicut & omni aliâ potestate & auctoritate in cæteris spiritualibus. Lott. *cit. n.* 22. citans præter S. Anton. Tabien. Ugolin. Henriq. Sayrum *tom.* 2. *de cens. l.* 1. *c.* 6. *nu.* 2. ubi latè hanc materiam exornans citat quamplurim. & parificatur Prælatus naturaliter mortuus, & taliter suspensus sive excommunicatus. Lott. *loc. cit. n.* 16. & Francus *in cit. cap. unicum. n.* 2. vide dicta de electione in *quæst.* num excommunicato non tolerato competat jus suffragii.

2. Respondeo secundò: si tamen denunciatus non est, adeóque toleratus, potest conferre (tametsi propter taliter etiam excommunicatum collatarium vel electum collatio & electio passiva sit irrita. Laym. *paulò post citand.* citans Suar. *de cens. d.* 13. *f.* 1. *n.* 26. vide dicta de eligendis) quia per talem facta valent; cùm non sit privatus nec potestate hac, nec ejus exercitio, priusquam sit declaratus, idque propter *Extrav. Martini V. ad evitanda.* Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 7. *n.* 17. Laym. *in c. dilectus. de consuetud.* Castrop. *loc. cit.* Passerin. *de elect. c.* 10. *n.* 640. juxta quamplurimas Rotæ *decis.* ab ipso citatas. Proceditque idipsum etiam respectu illorum collatariorum, quibus nota est excommunicatio collatoris, modò ea de cætero non sit denunciata seu notoria. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 313. Item procedit, etiamsi collator talis non denunciatus & notorius, de cætero sit excommunicatus publicus. Suar. *tom.* 5. *de cens. d.* 14. *f.* 2. *n.* 3. Sayr. *de cens. l.* 1. *c.* 6. *n.* 3. Gomes. *de expect. n.* 60. Ugolin. Covar. &c. apud Garc. *loc. cit. n.* 323. contra eundem Garc. hoc nixum fundamento; quòd licèt acta à judice excommunicato publico, non tamen denunciato aut notorio aut publico percussore Clerici ad instantiam seu petitionem partis sint valida, etiamsi pars sciat esse excommunicatum; cùm vi *Extrav. ad evitanda.* non teneamur vitare hujusmodi excommunicatum; facta tamen ex officio à tali excommunicato publico non valeant stante jure antiquo, in quo, quò ad hoc nihil innovat dicta *Extrav.* jam verò collatio sit quædam donatio, & conferens procedat ex officio, & non ad instantiam partis, ac proinde nulla ei gratia aut favor competat; quod fundamentum tamen falsum est, cùm licèt procedat ex officio, sit tamen obligatus ad hoc officium exercendum, dum persistit in possessione conferendi beneficia; & collatio non tam est favor conferentis, quàm illorum, quibus beneficia conferuntur: quibus proinde, dum excommunicati sunt vi *Extrav. ad evitanda*, nullus competit favor, adeóque facta excommunicatis collatio, non secùs ac facta de iis electio, est invalida.

3. Respondeo tertiò: idem, & multò magis dicendum de excommunicato occulto, nimirum ejus acta sustinenda. Zoësius *ad tit. de elect. n.* 11. citans plures. Castrop. *cit. n.* 12. Idem cum Castrop. (etsi excommunicatum toleratum cum occulto confundat) tradit Lott. *loc. cit. n.* 18. ubi ex Abb. *in c. si verè. de sent. excomm. n.* 9. & Socino *in c. sacris. tit. eod. n.* 88. excommunicatum toleratum dicit, qui occultus est, (qualiter tamen in ordine ad validam collationem occultus non censetur ex ignorantia solius collatarii, ut *ibidem n.* 19. Lott. ex Socino *loc. cit.*) & *num.* 24. ubi ex Bonacin. *tr. de cens. d.* 2. *q.* 4. *p.* 5. *propos.* 2. *n.* 6. & aliis excommunicatum toleratum seu occultum validè conferre, & hinc cavendum à Rota *decis.* 534. *n.* 2. *p.* 1. *in recent.* supponente collationem non valere, etsi communicatio collatoris esset occulta, nisi fortè intelligenda de occulta soli collatario; subdit tamen Lott. *n.* 25. si loquamur de collatione beneficii, quæ jure aliquo singulari spectat ad aliquem privatum, atque ita ratione publici officii, hoc casu nulla est differentia inter occultum & manifestum excommunicatum, vel inter ea, quæ tendunt ad ejus favorem, & ea, quæ ab ipso procedunt in favorem alterius. Citat pro hoc Abb. *in c. postulastis. de Clerico excommunicato.* Jo. And. Innoc. Cassad. &c. consentit quò ad hoc cum Lotterio Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 314. Et de tali excommunicato occulto intelligendus videtur Paris. *l.* 11. *q.* 1. *n.* 16. ubi: collatio facta ab excommunicato occulto non valet; citans pro hoc *c. cùm inter. de elect.* Archid. *in c. nullus. dist.* 60. & *n.* 17. ubi: idque etiam, si collator ignoraret se excommunicatum. Gl. *in c. penult. de Clerico excommunicato.* Abb. *in c. postulasti. de appell. &c.* Verùm hæc Lotterii doctrina non subsistit cum dictis *q. ante hanc tertiâ, limitatione tertiâ.* ex Castrop. Quin etiam, quòd idem dicendum sit, nimirum valere gesta per talem, adeóque & factam ab eo collationem, sic exigente necessitate & utilitate publicâ, qui est excommunicatus denunciatus & notorius quidem alibi, in loco tamen exercitii, & actûs habendi habetur pro non excommunicato, ex Abbate & Zoësio dictum fuit alibi, ubi actum, qualiter excommunicatus possit eligere, quæ revidenda; quia pleraque pari modo procedunt de collatore ex collatione; ubi etiam, qualiter suspensus aut interdictus eligere possit, quæ facilè ad collatores quòque applicari poterunt; vide etiam Card. de Luca *de benef. d.* 23. ubi: qualiter excommunicato toto aliquo Capitulo, vel aliquibus Capitularibus tantùm, competat conferre.

Quæstio 729. An, & qualiter potestas conferendi sit penes possessorem carentem proprietate juris conferendi, isque validè conferat?

1. Respondeo: præter dicta superiùs de eo, qui absque proprietate est in possessione præsentandi, posse illum, qui reipsa non habet proprietatem juris conferendi, est tamen in possessione bonæ fidei conferendi, licitè & validè conferre. *cap. cùm Ecclesia Sutrina. c. cùm olim. de causa possess. & propriet.* & Gl. *ibi.* cum communi DD. Castrop. *de benef. d.* 2. *p.* 28. *n.* 1. Garc. *p.* 5. *c.* 5. *à n.* 1. Tond. *in qq. benef. p.* 3. *c.* 116. *n.* 11. Lott. *l.* 2. *q.* 45. *n.* 2. ubi citans pro hoc plures, quòd dicta quasi possessio satis suffragetur proviso, etiamsi non doceatur de proprietate, eò quòd, ut ait *num.* 6. is, qui possidet, inspecto præsente statu, plenius jus habet, quàm considerari possit in quocunque alio, qui non possidet, præ-

tendit-

tenditque proprietatem. Et quando agitur de hac quasi possessione conferendi, & inde causato ultimo statu, non attenditur quivis anterior status contrarius, quò fit, ut manuteneri debeat, qui postremo loco possidet, etiamsi constaret non tantùm de anteriore possessione, sive quòd alius ante fuit in possessione conferendi, sed & de proprietate pertinente ad alium, satis sit, non detegi dolum seu malam fidem, ita ut in hoc casu sola opinio pertinentiæ præbeat titulum; unde etiam in reservationibus & mandatis Apostolicis, in quibus reservantur, vel mandantur provideri beneficia spectantia ad collationem, præsentationem, electionem aliquorum, non habetur in consideratione proprietas illorum jurium, sed simplex & nudum exercitium, atque ita simplex & nuda possessio. Lott. *l. 2. q. 34. n. 26. & 27.* citans Cassad. Simonet. Gregor. &c. liminat tamen hoc ipsum Lott. *cit. q. 45. nu. 13.* ubi: quòd existimet, hanc possessionem non prodesse, si lis esset inter ipsos collatores, & illico ostenderetur clandestina & precariò habita collatio. Etsi secùs sit, & neutra harum exceptionum admittatur, si lis est inter solos provisos, ita ut in hoc casu ea parte hujus possessionis probanda non sit scientia alterius.

2. Ampliatur autem responsio primò, ut procedat, dum quis tantùm est possessor bonæ fidei in consequentiam, & non principaliter, v. g. dum est in possessione bonæ fidei, etiam citra proprietatem, castri, villæ, majoratûs, dignitatis, beneficii, quibus annexum est (aut bonâ fide annexum esse creditur, nimirum probabilibus rationibus, & possessione nititur hæc anneitas) jus conferendi, eligendi, præsentandi, etiamsi nunquam adhuc contulerit, præsentârit &c. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. nu. 9. 15. 20.* citans Bellam. *cons. 700.* Lamb. *de jurep. p. 2. l. 1. q. 9. a. 3. n. 8.* Navar. *cons. 2 de jurep. &c.* modò tamen talis dignitas vel beneficium non sint reservata; tunc enim, quantumcunque bonâ fide possideantur dignitas vel beneficium, præsentatio, collatio erit nulla propter decretum irritans, quod inficit & annullat titulum & possessionem, & sic caret omni effectu & juris adminiculo. Garc. *n. 20. & 21.* citans Simonet. *de reserv. q. 44.* Gigas *de intruso. n. 97.* Gonz. *gl. 15. nu. 95. &c.* idque etiamsi possessor beneficii esset bonæ fidei, quia & ipse, & is, à quo illud accepit, reservationem ignorârunt: decretum siquidem irritans afficit etiam ignorantes, & acquisitionem fructuum impedit. Garc. *nu. 22. & 23.* contra Æn. de Falcon. *de reserv. q. 4. effectu 26.* Ægid. de[illegible] 66. Navar. *loc. cit.* & alios. Et contra intrusum in beneficio reservato, nisi titulum habeat à Papa, fit condemnatio fructuum à die intrusionis. Garc. *num. 24.* citans Pontan. *de spolio. l. 4. n. 24.* Mandos. *cons. 34. num. 10.* Bellam. *in c. gravis. de restit. spoliat.* Papanzon. Caputaq. &c. quamvis aliàs non fiat condemnatio fructuum, nisi à die motæ litis, id est, à tempore citationis legitimè executæ, etiam in spolio, nisi constet de mala fide. Garc. *n. 25.* citans Mandos. Bellam. &c. vide de his fusè Garciam *à n. 27.*

3. Ampliatur secundò, ut procedat, dum quis est hæres, vel etiam Successor defuncti, quem constat fuisse in possessione juris conferendi, ita ut quasi possessio defuncti seu antecessoris sufficiat. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu. 33. & 37.* citans Lamb. *p. 1. l. 2. q. 3. a. 22.* Gutt. *cons. 3. n. 2. &c.* contra Gabriel. & alios, volentes quasi possessionem jurisp. seu conferendi sine actu à successore in successorem non transire, nec acquiri à successore; jura enim & possessio jurium incorporalium defuncti transeunt in hæredem seu successorem, & continuatur possessio in successore sine nova apprehensione aut novo exercitio. Castrop. Garc. *ll. cit.* juxtam doctrinam Baldi *in l. in suis. ff. de libris & posthumis. oppositione 4.* & Rotæ *in una Benevent. censûs 15. Junii 1594.* quam refert Garc. *n. 44.* & Tiraquell. quem citat Garc. *n. 39.* adde, quòd possessio talis juris præsentandi vel conferendi retinetur per Ecclesiam seu dignitatem, etiam mortuo Prælato. Garc. *n. 38.* citans Felin. *in c. constitut. de rescrip. num. 19.* Lamb. *p. 3. l. 2. q. 11. a. 9.* Cassad. *decis. 7. n. 13. de causa poss. & propriet.* & Rotam.

4. Ampliatur tertiò, ut procedat, etiamsi ante præsentationem, electionem, collationem lis mota sit super proprietate juris præsentandi vel conferendi; quia possessor ob litem motam de proprietate non debet carere fructibus possessionis, juxta *c. 1. ut lite penden. in 6.* Castrop. *loc. cit. num. 3.* Garc. ab eo citatus *p. 5. c. 6. n. 22.* cum aliis ab eo relatis. Secùs tamen est, ubi lis movetur super possessione; tunc enim, cùm utrique litigantium sit æquale jus dubium, & uterque in solidum providere nequeat, exspectandus erit litis eventus. Auctores iidem.

5. Atque ex his jam sequitur, quòd provisus à possessore tali præferendus est proviso à proprietario, juxta *cit. c. cùm Ecclesia Sutrina.* & *c. cùm olim. de causa possess. & prop.* Tond. *p. 3. c. 166. n. 11.* Garc. *loc. cit. n. 4.* citans Abb. *in c. consultationibus. de jurep.* Staph. *de lit. gratia. tit. de modo & forma impet. §. 4. n. 7.* Covar. *qq. pract. c. 18. n. 2.* Paris. *de resign. l. 7. q. 23. n. 40.* qui dicat sic apud omnes esse receptum. Gutt. *cons. 4. n. 34.* & plures alios præter plures Rotæ *decis.* & hujus ratio data sub initium quæstionis ex Lotterio.

6. Verùm hæc illatio limitanda primò: ut non procedat, dum ante factam præsentationem, collationem &c. constitisset de proprietate, seu declaratum fuisset, proprietatem spectare ad alterum; jam enim sicut is, qui eo usque fuerat possessor bonæ fidei, præsentare vel conferre non potest, ita etiam, si factâ hac declaratione proprietatis post præsentationem vel electionem jam factam ante institutionem, tamen vel confirmationem ab eo præsentati vel electi, procedi non potest; quia proprietas absorbet possessionem. Castrop. *loc. cit. n. 2.* citans Lamb. *p. 1. l. 2. q. 2. a. 6.* Covar. *qq. pract. c. 14. n. 2.* Garc. *n. 45* citans insuper Menoch. Decium. Gutt. & plurimos alios, cum pluribus Rotæ decis. Si verò prius post factam à tali possessore collationem manifestetur seu declaretur proprietas spectare ad alium, collatarius, etiamsi nondum consecutus est possessionem, nequaquam removeri debet; sicut nec institutus aut confirmatus ante dictam declarationem; cùm per collationem, non secùs ac per confirmationem, & institutionem, etiam ante possessionem, acquiratur jus perpetuum in beneficio. Nec obstat, quòd proprietas absorbeat possessionem; quia id intelligitur respectu futurorum eventuum, nimirum collationum, institutionum, confirmationum deinceps faciendarum, non autem respectu præteritorum, ut patet ex *cap. cum Ecclesia Sutrina.* Garc. *n. 57. & 58.* Lott. *l. 1. q. 34. n. 32.* Castrop. *cit. n. 2.* contra Gabriel.

Quæstio 730. Quid si ergo proviso à tali possessore objiciatur resistentia juris, per quam ille redditus sit inhabilis istius possessionis conferendi?

1. RESpondeo primò: hac resistentiâ suppositâ, dubium non est, exigi titulum, ita ut non sufficiat sola possessionis probatio. Lott. *cit. q. 45. n. 17.* citans *c. si diligenti. de præscript. c. 1. eod. tit. in 6. c. 2. de restit. spoliat. in 6.* Beroium *in c. 1. de restit. spoliat.* & Verall. *decis. 296. n. 4. p. 1.* Observandum autem est, aliud esse jus resistere; aliud jus non assistere; tunc enim jus dicitur resistere, quando actus expressè improbatur à lege, vel à ratione in lege expressa, utpote quæ legi ipsi æquiparatur, ut Gl. *in c. ut litigantes. v. statuimus. de off. Ordinar. in 6.* Et hujus resistentiæ juris tota vis & effectus illuc vergit, ut reddat personam incapacem possessionis, ut Lott. *loc. cit. n. 27. & l. 2. q. 13. num. 38.* ex Covar. *var. resol. l. 1. c. 17. n. 7.* non assistere autem tunc dicitur jus non solùm, quando nihil disponit, sed etiam quando disponit, assistendo alteri, in quo casu quidem inducit juris præsumptionem pro eo, cui assistit, non tamen hinc resistit alteri, ac proinde actus ille, qui geritur, habet quidem præsumptionem juris contra se, non tamen resistentiam juris. Lott. *cit. q. 45. à num. 19.* citans Menoch. *de retinend. remed. c. 5. nu. 49.* & Covar. *ubi ante*, unde jam,

ut evitetur objectus hic resistentiæ juris, sufficit, negare, exstare legem, quæ actum expressè prohibeat. Lott. *loc. cit. num.* 22. citans Rotam apud Put. *decis.* 240. *in novis*, dicénsque ita receptum ex communi Doctorum interpretatione. Tunc verò in præsenti probata censebitur proviso resistentis juris in excipiente de quasi possessione providendi, si v. g. collator fuit laicus: secùs si in persona collatoris supponatur adhuc capacitas jurium spiritualium. Lott. *n.* 27.

Quæstio 731. Qualiter dicta possessio legitima conferendi acquiratur ?

REspondEo: acquiritur etiam per unicum actum, sive in ordine ad effectum acquisitæ possessionis attenditur ultimus actus immediatus collationis, electionis, præsentationis. Lott. *loc. cit. n.* 15. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu.* 59. & 63. citans Paris. *de resign. q.* 13. *n.* 41. Gutt. *cons.* 3. *num.* 1. Covar. *qq. pract. c.* 14. *n.* 2. Zecb. *de benef.* & *pens. c.* 12. *n.* 18. & plurimos alios cum pluribus Rotæ decis. Provisio tamen Apostolica non mutat statum, seu quasi possessionem jurispatronatûs seu conferendi. Garc. *n.* 118. citans Ægid. *decis.* 107. Achil. *decis.* 326. & plures Rotæ *decis.* licèt autem collatio Apostolica non mutet statum beneficii de patronato in liberum, nec privet patronum possessione præsentandi; non tamen etiam patronus præscribit jus præsentandi durante illâ possessione provisi Apostolici; sed ea præscriptio toto illo tempore dormit. Garc. *n.* 119. ex Guidobono.

Quæstio 732. Quid requiratur, ut per talem unicum actum acquiratur ista possessio in ordine ad effectum validæ collationis, præsentationis, &c.

1. REspondeo: requiruntur tria: nimirum bona fides, etiamsi hæc aliàs non requiratur ad effectum acquisitionis possessionis absolutè, & possessoriu retinendi aut recuperandi. Garc. *num.* 69. citans Innoc. Abb. *in c. cùm Ecclesia Sutrina.* Coras. Mohed. &c. Scientia & patientia illius, in cujus præjudicium talis possessio acquiritur. Effectuatio illius actus, sive ut hic ad effectum perductus, nempe ut vi illius electus fuerit confirmatus, præsentatus, institutus; is, cui collatum beneficium, possessionem illius acceperit, & fructus percipiat. Garc. *n.* 66. & 67. citans pro hoc Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 3. *à.* 10. Coras. *de benef. p.* 2. *c.* 5. *à nu.* 3. Covar. Gutt. Zech. *ubi ante.* Roch. Rebuff. &c.

2. Observandum tamen circa primum requisitum: Primò, quòd tametsi bona fides sit omnino necessaria; cùm possessor malæ fidei non faciat fructus suos. Garc. *n.* 71. citans Abb. Bellam. Bero. *in cap. gravis. de restit. spol.* Menoch Joannem Garc. &c. Et hinc facta collatio, præsentatio malâ fide non valeat, sitque propterea etiam institutus, & is, cui facta collatio, removendus, (si non ad petitionem veri patroni seu proprietarii, dum nimirum is non appellavit à tali institutione vel collatione, aut non comparuit posito edicto publico, utpote in quo casu removendum non esse præsentatum, idem est de collatario, à possessore malæ fidei, postquam constat de mala fide, eò quòd tunc institutio transeat in rem judicatam, & habeat vim definitivæ, quæ retractari non potest, censent Roch. Lamb. Menoch. &c. apud Garc. *n.* 79. (saltem citra eam petitionem ab ipso Superiore, utpote respectu cujus non valet, nec transit in rem judicatam, etsi valere dicatur, & transire in rem judicatam respectu adversarii non appellantis contra illam. Garc. *num.* 80.) ubi constiterit de mala fide. Garc. *n.* 73. citans Navar. *cons.* 2. *n.* 1. *de jurepatronatûs.* & *in c. Cumana. de elect.* Collatio tamen etiam seu præsentatio & electio facta à proprietario, qui non est in possessione, non valebit, quia non licet propriâ auctoritate resumere possessionem, & spoliare etiam invasorem. Garc. *n.* 75. ex sententia aliorum, quos citat, nempe Roch. *de jurepatronatûs. v. competens. n.* 46. Cuch. *l.* 4. *tit.* 1. *n.* 96. Duaren. *de benef. l.* 3. *c.* 9. Bertacbin. *in repertor. v. præsentatus à patrono.* Abb. & Innoc. *in cap. cùm Ecclesia Sutrina.* &c. contra Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 3. *a.* 7. & 19. Covar. *qq. pract. c.* 36. *n.* 6. Innoc. *in c. Cumana. n.* 6. Gabriel. *cons.* 185. *l.* 2. quamvis Garcias ipse *num.* 78. id ita distinguat, ut procedat in præsentatione, nimirum quòd ea facta à proprietario non valeat; quia in ea judex adiri debet, qui non debet esse auctor spolii; non verò procedat in collatione & electione similibúsque actibus, in quibus necesse non est adiri judicem, nec ejus auctoritas requiritur; sed valeat collatio & electio facta à proprietario non possidente, donec à Superiore infirmetur ad instantiam possessoris, petentis se defendi, seu redintegrari in sua possessione, & sic infirmari illum actum collationis.

3. Observandum circa idem requisitum primum, secundò, quòd licèt bona fides regulariter præsumatur, etiam sine titulo; cùm quilibet possessor esse præsumatur in bona fide, quamdiu non probatur esse in mala, ut Garc. *n.* 84. citatis plurimis; ubi tamen jus resistit, non præsumitur bona fides, sed mala. Garc. *num.* 85. citatis etiam plurimis; nisi simus in jure dubio & obscuro, cujus error est probabilis & justus, & æquiparatur errori facti. Garc. *num.* 88. citatis plurimis; aut nisi possessio fortè sit longi temporis, aut justo titulo, aut probabilibus rationibus acquisita. Garc. *n.* 87. citans Innoc. Abb. Lamb.

4. Circa tertium requisitum observandum est primò, quòd per actum effectuatum non acquiritur dicta possessio, dum effectuatio præsentationis, collationis non fuit absoluta, sed conditionata, & sine præjudicio partium, v. g. per institutionem factam cum protestatione Ordinarii, se nolle præjudicare præsentantibus aliis cum clausula præservativa, utpote quæ præservat jus, tam in petitorio, quàm possessorio. Garc. *loc. cit. n.* 65. juxta *decis. Rota in Majoricensi jurispatronatûs.* 4. *Octobris* 1585. Neque secundò per collationem, præsentationem effectuatam, sed factas contra decretum irritans positum in reservatione, vel alia dispositione seu indulto. Garc. *num.* 102. licèt de cætero ad acquirendam quasi possessionem sufficiat præsentationem fuisse admissam, & præsentatum institutum cum effectu, sive bene sive malè. Garc. *n.* 104. juxta Rotam *in Bracarensi. parochialis.* Tertiò neque per effectuationem, dum institutus vel collatarius mansit in possessione beneficii tantùm ex causa concordiæ subsecutæ inter ipsum & adversarium, qui prætendebat, præsentantem non esse patronum, aut conferentem non esse collatorem; nam cùm non constet de acquiescentia, imò de contrario ex illa provisione, non potest resultare contrarius usus. Garc. *num.* 108. citans *decis. Rota* 301. *p.* 2. *diversar.* Quartò, circa idem requisitum observandum, quòd effectuatio collationum, præsantationum probetur per subsequentes collationes seu præsentationes factas per vacationem ex persona illorum. Garc. *n.* 105. citans Oldrad. *cons.* 219 *n.* 3. Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 10. *a.* 7. *n.* 11. & aliquot Rotæ decis. Etiam dum illi resignârunt. Garc. *n.* 107.

5. Circa secundum requisitum, nimirum de scientia & patientia illius, contra quem acquiritur possessio, observandum primò, vel potiùs inserendum, ad hoc, ut contra Episcopum acquiratur possessio conferendi vel præsentandi, requiri ejus scientiam & patientiam; tùm eo ipso, quòd est in possessione Episcopatûs, sit in possessione juris liberè conferendi competentis ei tanquam Ordinario. Garc. *n.* 123. & 124. quem vide. Secundò ad effectum, ut possit dici quasi possessio liberæ collationis acquisita contra patronum, requiri, ut constet, collatorem seu eum, qui prætendit jus liberæ collationis, contulisse beneficium ut liberum, sciente & patiente patrono. De cætero namque per collationem factam de beneficio jurispatronatûs, absque illius (nimirum quòd liberè conferatur) mentione, non præjudicatur juri & possessioni patronorum; quia dum simpliter absque dicta mentione confertur benefi-

cium

cium patronatum, videtur collatio facta sub hac tacita conditione: si patrono placuerit. Garc. *num.* 111. & 112. citans præter *decis. Rota* 10. *de jurepatronatus in antiq.* Caldec. *cons.* 15. *de jurepatronatus.* Capitaq. *decis.* 134. *p.* 1. Decium &c. Nisi fortè Ordinarius ignoraret beneficium illud esse jurispatronatûs; tunc enim censetur illud conferre, ut liberum. Garc. *num.* 114. Tertiò, quòd si quis beneficium habitum ad præsentationem patroni, dein in manibus Ordinarii clam patrono renunciâsset, & acceptâ denuò ab eo collatione liberâ illud detineret, non ponit ordinarium in quasi possessione juris liberè conferendi, nisi id faciat cum scientia & patientia patroni. Garc. 110. ex Nav. *cons.* 5. *de jurepatronatus. n.* 5. & Decio *cons.* 126. Atque ita ultima resignatio sine consensu patroni non facit statum libertatis; quia possessio præsentandi non amittitur ex negligentia patroni non præsentantis unâ vice; sed requiritur, quòd non præsentet, quia non credit ad se pertinere jus præsentandi, vel quòd voluerit præsentare, & non sit admissa præsentatio. Garc. *n.* 113. ex Chisanensi *decis.* 72. & Roch. *v. competent. q.* 20. Quartò, quòd dicta scientia & patientia adhuc requiratur, etiamsi is, qui est in possessione præsentandi vel conferendi, nunquam adhuc præsentâsset aut contulisset. Garc. *n.* 127. Quòd si tamen ille, in cujus præjudicium dicta quasi possessio acquiritur, non est in possessione istorum jurium præsentandi, conferendi &c. non est necessaria illius scientia & patientia in acquisitione quasi possessionis illorum Garc. *num.* 121. citans Innoc. & Abb. *in c. in literis. de restit. spoliat.* Roch. *v. competent. num.* 38. Lamb. & Rotam *decis.* 229 *p.* 1. *divers.* Quintò, quòd ad dictum effectum acquirendæ possessionis sufficiat scientiam hanc præsumptam esse, eò quòd agatur solùm de acquirenda possessione, non verò de admittendo jure præsentandi, conferendi &c. de quo intelligendi Mobeda *decis.* 4. *de probat.* Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *in præfat. n.* 68. ubi, quod dum agitur de amissione & privatione juris quæsiti, non sufficit scientia præsumpta per conjecturas & famam. ita Garc. *n.* 134. & 135. Utrùm autem præsumatur scientia illius, de cujus præjudicio agitur, ad judicem spectat arbitrari ex multiplicatione actuum, & qualitate ipsorum, aliisque circumstantiis. Garc. *n.* 129. citans Innoc. & Abb. *in c. cùm Ecclesia Sutrina. n.* 25. Roch. *ubi ante n.* 37. *&c.* quamvis tamen etiam ea scientia præsumatur ex publicitate actûs. Garc. *num.* 131. citans Mascard. *de prob. conclus.* 1293. *nu.* 15. & Rotam *in Abulensi parochia.* & præsertim respectu Episcopi præsumitur illa scientia; cùm is quolibet anno per se, vel per alium teneatur visitare diœcesin. Garc. *n.* 132. Sextò, quòd sufficiat scientia officialium. Garc. *n.* 136. citans Tiraquel. *de nobilitate. c.* 14. *num.* 3. Covar. *in reg. possessor. p.* 2. *n.* 8. Bald. *de præscript. p.* 5. *q.* 3. *n.* 8. *&c.*

Quæstio 733. An dicta possessio acquisita per unicum actum respectu unius beneficii suffragetur etiam respectu cæterorum beneficiorum?

RESpondeo affirmativè; cùm magis attendatur universalis causa actûs, quàm ipse actus. Lott. *l.* 2. *q.* 45. *num.* 16. citans Felin. *in c. audit. de præscript. n.* 19. & Rotam *in Abulensi parochia* 28. *Junii* 1593. apud Garc. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 61. vide Lott. *l.* 2. *q.* 21. *num.* 77.

Quæstio 734. Num validè conferre possit (idem est de præsentare & eligere) proprietarius juris conferendi, qui non est in possessione, dum nemo alius est in possessione?

RESpondet affirmativè Garc. *loc. cit. n.* 81. citans Abb. *in c. Cumana. in c. cùm Ecclesia Sutrina. in c. consultation.* Roch. *v. competens. q.* 20. *n.* 47. Lamb. Cuch. &c. contra decis. Rot. *in Salmantina capellania.* 3. *Junii* 1595. quam citat *num.* 83. & ait clarè eam convinci. & *num.* 82. ubi ex Baldo *in l. fin. c. de edicto D. Adriani non tollendo. num.* 148. & Roch. *v. ipse, vel si. q.* 11. *n.* 24. Gregor. Lopez. &c. quòd hæres possit præsentare, etiam ante possessionem hæreditatis acquisitam.

Quæstio 735. Qualiter probetur pertinentia juris conferendi?

1. RESpondeo primò: pertinentia collationis, seu collationem pertinere ad inferiorem Episcopo, ad quem ea aliàs de jure communi non spectat, probari ad famam & communem reputationem. Lott. *l.* 2. *q.* 45. *n.* 41. Garc. *loc. cit. n.* 144. citans Rotam *decis.* 3. *de prob. in novis.* Mascard. *de prob. concl.* 173. & 313. *n.* 12. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 23. *n.* 42. qui dicat, esse communiorem. Et satis est per litteras vel instrumenta docere, beneficium consuevisse per talem conferri, & ad talem solere pertinere collationem & institutionem. Garc. *ibid.* citans Rotam *decis.* 7. *de prob. in novis.* & Mascard. *cit. conclus.* 313. *nu.* 23. & sic dicitur *in una Tullensi parochiali.* 22. *Junii* 1558. apud Garc. *n.* 147. collationis pertinentiam ad inferiorem probari per testes deponentes de publica voce & fama; cùm agitur contra provisionem Legati factam auctoritate Apostolicâ; maximè, si is Legatus esset aliàs Ordinarius, & non contulit jure ordinario. Et licèt testes fuerint repetiti, parte non citatâ. Quæ tamen intelliguntur, quando super pertinentia collationis directè non agitur, & cùm Ordinarius non est in causa, vel provisus ab eo, sed alius habens à Papa vel Legato, vel aliunde provisionem, ut etiam patet ex *cit. Rota decis.* Garc. *n.* 145. citans Gabriel. & Rotam; nam contra Ordinarium non sufficeret talis probatio, nisi cum fama esset conjuncta alia species probationis. Garc. *n.* 146. juxta *decis. Rota in una Parmensi. parochialis. de anno* 1520. in qua agebatur inter provisum ab uno canonico, & provisum ab administratore Ecclesiæ seu Episcopatûs Parmensis, & Cassiod. *decis.* 1. *de prob.* Licèt etiam, cùm agitur contra Ordinarium vel provisum ab eo, non probetur pertinentia juris conferendi ad inferiorem sine quasi possessione; sed tunc solùm, si cum fama concurrat longissima possessio conferendi, & conferatur de jure conferendi antiquo. Garc. *num.* 151. De cætero nihilominùs sufficere videtur dicta fama & communis reputatio, etiam sine possessione, nisi ex adverso constaret de statu & possessione contraria. Garc. *n.* 152.

2. Probatur etiam jus conferendi ex statuto, seu concessione Episcopi confirmato auctoritate Apostolicâ, etiamsi non constet de quasi possessione & usu statuti, cujus observatoria præsumitur ex ipsius publicatione. Garc. *num.* 153. & 154. Ut verò, dum alius est in possessione juris conferendi, doceatur de mala fide illius, vel etiam illa super inducatur ex manifestatione veritatis, antequam actus consumantur, v. g. præsentatio per institutionem, ac ita maneat elisa possessio, & absorpta per proprietatem, debet de proprietate constare notoriè, id est, vel per confessionem, vel per rem judicatam. Lott. *l.* 1. *q.* 34. *n.* 28. citans Seraph. *decis.* 555. *n.* 8. vel per publicum instrumentum (nam & hoc quoque dicitur evidens probatio, & facere rem notoriam, juxta *c. cùm dilecti. de donat.* ubi Abb. & Barth. *in l.* 1. *de novi operis nunciat.* Decium *cons.* 423. *n.* 9. *&c.* & non secùs ac judicatum habet vim definitionis causæ, juxta Bald. *cons.* 333. *num.* 1. *volum.* 1.) Lott. *nu.* 29. & 30. citans Rotam *in Lucana jurispat.* 23. *Januarii* 1612. & *in Papiensi juspat.* 8. *Maii* 1613. *&c.* quod tamen intelligendum, ait Lott. *num.* 31. modò non solùm instrumentum sit in authentica forma, verùm etiam si contra illud nihil (saltem coloratè) relevans opponatur; citat pro hoc Socin. sen. *cons.* 266. *n.* 4. Bursat. *cons.* 305. *n.* 3.

Quæstio 736. An, & qualiter collatori præservetur jus conferendi, dum bene-

ficium spectans ad ejus collationem applicatur erectioni, seu in dotationem alterius beneficii?

1. Respondeo: in actu erectionis seu applicationis hujusmodi, quemadmodum præservatur patrono juspatronatûs, ut Abb. *in cap. suggestum. de jurepatronatûs. n.* 3. Roch. *de jurepat. v. honorificum. n.* 8. ita collatori præservatur jus conferendi pristinum, non solùm in proprietate; sed etiam in possessione. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 96. *& seq.* citans Rot. *decis.* 17. *n.* 5. *p.* 2. *divers.* & maximè, *in Callensi juris conferendi* 14. *Maji* 1621. ratio est non præjudicandi, quam non subvertit mutatio tituli, veluti facta per modum subrogationis; uti id probat Lott. *n.* 98. exemplo militis habentis castrum, quod custodire tenebantur quidam rustici, qui si castrum illud per bellum totaliter destructum reædificet, quamvis non eodem loco, sed ibi propè, censetur tamen illud reædificâsse cum retentione ejusdem juris circa custodiam sibi exhibendam per eosdem rusticos.

2. Porrò procedit responsio, etiamsi Episcopus adhibuisset consensum collatoris; & is eum præstitisset. Lott. *n.* 99. cùm enim hic consensus sit necessarius in unione seu applicatione talis beneficii pro dote alterius, actus ille adhibitionis & dationis consensûs referendus est ad hujusmodi causam necessariam, non ad quamcunque aliam voluntariam, inde capienda non est conjectura, ut voluerit Episcopus per hujusmodi actum requisitionis consensûs remitti à collatore, aut etiam is per præstationem illius consensûs remittere jus conferendi, sed potiùs illud promovere, prout sibi magis erat utile. Lott. *à num.* 100.

PARAGRAPHUS VII.

De collatoribus, ad quos jure devoluto spectat collatio, sive de devolutione beneficiorum.

Quæstio 737. Quid sit devolutio?

Respondeo: est juris conferendi in alium transitus, seu translatio ob culpam & negligentiam primi collatoris in providendo. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 34. *nu.* 1. Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 4. *n.* 1. Bassæ. *tom.* 2. *v. beneficium.* §. 4. *n.* 10. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 5. unde patet per devolutionem conferendi potestatem pro illa vice revera removeri ab uno, nimirum à collatore ordinario negligente (quia is revera pro illa vice privatus existit) & conferri alteri, nempe Superiori. Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Gl. *in c.* 2. *de concess. præb.* & Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 16.

Quæstio 738. Cur inducta devolutio?

Respondeo: ob utilitatem publicam, nimirum ne Ecclesiæ diu manerent in suspenso; cùm enim hunc in finem collatoribus omnibus præfixum sit tempus, intra quod de beneficiis providere debeant, ipsique in executione hujus decreti negligentes forent, Pontifex volens huic malo occurrere, statuit, ut elapso dicto termino potestas conferendi devolvatur ad Superiorem, qui negligentiam inferioris suppleret. *cap.* 2. *de concess. præb. c. licèt. de suppl. negl. præl.* Castrop. *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 2. ac proinde licèt aliàs regulariter cuilibet à jure concessum, moram purgare. *cap. potuit. de locato.* & *l. si quis post tres. ff. si quis cautionibus.* hæc tamen moræ purgatio, in præsente impeditur per ipsam legem, privantem eo ipso negligentem collatorem potestate conferendi. Castrop. *cit. n.* 4. citans Azor. *ubi ante. q.* 16. Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 73. *num.* 169.

Quæstio 739. Ob quid contingat devolutio?

Respondeo primò: ob negligentiam seu omissionem provisionis intra tempus concessum ad providendum. *cit. c.* 2. *de concess. præb.* ubi Auctores. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 1. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 7. *n.* 8. Secundò ob provisum scienter indignum, seu inhabilem; cùm idem sit (quin & gravius delictum) inhabilem promovere, & neminem providere. Laym. *in cap. cùm in cunctis. de elect.* §. *Clerici sanè. num.* 9. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Garc. *loc. cit. num.* 2. citans Zech. *de benef. c.* 5. *n.* 5. Coras. & Rotam *in Toletana portionis.* 9. *Decembr.* 1591. Tertiò: quòd & qualiter ob appellationem fiat devolutio, dictum est supra, ubi de devolutione institutionis.

Quæstio 740. An, & qualiter dicta negligentia sit probanda?

1. Respondeo: hæc negligentia omnino probanda est, justificando nimirum, collatorem illum potuisse, & nihilominus noluisse conferre. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *à num.* 6. citans Mascard. *de prob. conclus.* 1093. *n.* 5. quamvis autem ex suppositione potestatis facilè sit inferre nolitionem conferendi, illud ipsum tamen suppositum potestatis est difficilis probationis; cùm hæc supponat vacationem & scientiam vacationis in collatore. Lott. *à n.* 9. ac proinde ante omnia probanda est non tantùm vacatio de jure, sed de jure simul & de facto; quamdiu enim beneficium plenum est, regulariter non currit tempus collatori. Lott. *n.* 11. qualiter autem probetur vacatio per obitum, vide Lott. *l.* 3. *q.* 10. *per tot.* Insuper probanda hujus vacationis scientia in collatore *c.* 3. *de suppl. negl. præl. c. quia diversitatem. de concess. præb.* Tond. *loc. cit. n.* 9. Lott. *num.* 12. & quidem certa, non autem interpretativa. Lott. *num.* 13. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 166. Tond. *loc. cit. n.* 10. quod tamen ita intelligendum censet Lott. *n.* 14. ut certitudo illa referenda sit ad factum, ex quo scientia deducitur; cùm scientia regulariter conjecturis & præsumptionibus justificetur. Lott. *n.* 14. citans pro hoc Menoch. *cons.* 89. *n.* 17. Paris. *cons.* 100. *n.* 88. *volum.* 1. Surdum *decis.* 221. *n.* 10. *&c.* etiam ad effectum incurrendi pœnam, non tamen corporalem. Lott. *n.* 15. ex Beroio. *cons.* 183. *n.* 10. *vol.* 3. & aliis relatis à Surdo *loc. cit.* subditque Lott. *n.* 16. hinc tenere Rotam, in hac materia sufficere scientiam verisimilem, & tempus currere non tantùm ex die, quo probatur, collatorem verè & certò scivisse, sed etiam ex die, quo potuit id verisimiliter scire; citat pro hoc Bisignet, *decis.* 7. *num.* 3. *&* 4. *de præb.* Adeòque semper expendendum, an collator habuerit justam causam ignorandi vel dubitandi; dum enim pendet illa probabilis hæsitatio, ut in casu famæ minus constantis, non potest de negligentia notari. Lott. *n.* 17. citans Verall. *decis.* 241. *p.* 2. Papazon. Ait nihilominus Tond. *loc. cit. n.* 10. placere sibi magis sententiam, quæ tenet, quòd scientia debet probari certa, & per probationes concludentes; eò quòd agatur de auferendo jure collatoribus ordinariis competente; per quod tamen ait, se nolle excludere probationes præsumptivas, quæ tales esse possunt, ut vim concludentis probationis haberent, & pro talibus apud judicem, apud quem probationes sunt arbitrariæ, illas habendas esse, pro sua religione judicaret: v. g. si ageretur de beneficio vacante per obitum alicujus personæ notabilis, cujus ignorantia in collatore ordinario probabilis non esset. Datâ jam scientiâ vix erit, ut excusari possit à negligentia ob impedimentum aliquod incidens. Lott. *num.* 18. Sed de hoc paulò post.

2. Quod autem attinet ad alterum, nempe defectum voluntatis, seu omissionis providendi probandum, cùm non agatur de negligentia facti, nimirum factæ collationis purè & simpliciter, sed de circumscripta ex tempore dato ad conferendum, hæc negligentia probanda est per ipsum impetrantem: neque sufficiet simplex ejus deductio per Gl. communiter receptam *in c. bona memoria. extra. de elect.* ita ut, quando alia desunt, recurrendum sit ad diligentiam in regestis, in quibus consueverunt registrari hujusmodi collationes factæ. Lott. *num.* 28. *&* 29.

qui

qui tamen subdit *n.* 30. videri sibi hoc intelligendum, dum nullus exstaret possessor tempore impetrationis; eò quòd putet, in hoc casu impetrantem, etiamsi superveniret ex post contradictor aliquis, habere intentionem fundatam in negativa factæ collationis propter concursum præsumptionis; cùm non sit verisimile, quòd, si beneficium collatum fuisset, non etiam fuisset ejus possessio apprehensa, vel saltem titulus ostensus: eò quòd in concursu præsumptionis relevetur quis ab onere probandi negativam, ubi aliàs ea probari deberet, dixisse Rotam *decis.* 15. *de prob. in novis.*

Quæstio 741. Qualiter impediatur devolutio, stante scientiâ vacationis, & impedimentum probandum?

1. RΕspondeo primò: impedimentum, sive facti, sive juris, etiam causatum ex propria culpa, excusar à negligentia, ut in terminis devolutionis est textus *in cap. quia diversitatem. de concess. prab.* & tradit Rebuff. Et in specie de impedimento proveniente ab excommunicatione, lite, aut aliunde. Gutt. *qq. can. l.* 1. *c.* 28. *n.* 1. & 13. apud Lott. *cit. q.* 24. *num.* 18. & 19. quod tamen sic limitandum: nisi vel culpa sit ordinata ad ipsum impedimentum; vel nisi impedimentum sit procuratum, vel nisi sit impedimentum, quod facilè tolli potuisset. Lott. *num.* 20. & 21. Unde qui ad excusandam negligentiam, & evitandam pœnam devolutionis prætendit impedimentum, debet illud probare; cùm aliàs non præsumatur. Lott. *num.* 22. citans Aymon. *cons.* 270. *n.* 2. debet item justificare, quòd impedimentum non fuerit de facili removibile ex quantacunque sua diligentia. Dato enim, esse ex natura rei removibile, tenetur probare se adhibuisse omnem diligentiam, faciendo, quod in se fuit pro illo removendo, nec id assequi potuisse. Lott. *n.* 23. citans Gloss. *in cap. quia diversitatem. v. suspensious.* Surdum *cons.* 369. *n.* 42. Seraph. &c. nisi fortè notorium esset omnem diligentiam fuisse inanem & frustra. Lott. *num.* 24. citans Felin. *in c. ex transmissa. n.* 6. *de prascript.* Hinc pro cautela protestabitur talis impeditus, quod tamen non semper ad solam cautelam & simplex consilium, sed ad necessitatem multoties est referendum. Lott. *n.* 26. ex Felin. *ubi ante n.* 6. & 7.

Quæstio 742. A quo tempore fiat devolutio?

RΕspondeo: evoluto Semestri dato ad conferendum, vel ad præsentandum patrono Ecclesiastico, vel quadrimestri dato ad præsentandum patrono laico. Bassæ. *tom.* 2. *v. beneficium.* §. 4. *n.* 10. computando, non à die vacationis, sed à die scientiæ; cùm nulla ei imputari possit negligentia, antequam scivit, beneficium esse vacans. Tond. *loc. cit. n.* 9. citans Mantic. *decis.* 260. *n.* 2. & 3. Butat. *decis.* 18. *n.* 12. juxta *c.* 3. *de suppl. negl. Pral.* ubi id expressè dicitur. Qualis autem sufficiat scientia, verisimilis, an verò certa requiratur, dictum paulò ante & aliàs. Tradit tamen etiam Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 2. *n.* 6. quòd hi, in quorum manibus extra Curiam resignantur beneficia, debeant admittere vel rejicere resignationes infra mensem, & intra eundem mensem illa conferre, quod nisi fecerint, privati sint illâ vice facultate disponendi de iis, eorum provisione devolutâ ad Papam ob contemptum Constitutionis Gregor. XIII. 87. id præcipientis.

Quæstio 743. An devolutio immutet naturam, seu statum beneficii?

RΕspondeo negativè; fit enim cum onere & qualitatibus beneficii annexis in ejus institutione, & cum quibus conferendum in prima provisione; quia est prioris provisionis omissæ surrogatio, & consequenter illius conditionem subire debet: neque censetur mutata prima, sed ea semper durat, perque ipsam devolutionem conservatur, ut Rota *decis.* 774. *p.* 3. *divers.* Lott. *cit. q.* 24. *n.* 63. Castrop. *loc. cit. num.* 3. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 8. Gonz. *gl.* 46. *n.* 33. Barb. *p.* 3. *de pot. Ep. alleg.* 58. *n.* 11. Gutt. *cons.* 1. *num.* 42. Lamb. *p.* 3. *l.* 2. *q.* 7. Selv. *p.* 3. *q.* 49. &c. Hinc sequitur, Superiorem, ad quem fit devolutio, teneri illud conferre eisdem personis, quibus ex fundationis lege vel alio jure speciali tenebatur conferre is, à quo facta devolutio. Lott. *n.* 62. Pith. *ad tit. de concess. prab. n.* 39. citans *Clem.* 1. *de suppl. neg. Pral.* & Gl. *ibi. v. monasterium.* & Abb. *in c. ne pro defectu. de elect. n.* 3. proceditque idipsum in provisionibus Apostolicis, quæ fiunt tanquam de devolutis; eo ipso enim, quòd Papa confert jure devoluto, censetur restringere provisionem suam ad ejus normam, nec velle uti plenitudine potestatis. Lott. *nu.* 64. citans Archid. & Jo-And. *in c. cùm in tua. de consuetud. in* 6. Corrad. *pr. benef. l.* 2. *c.* 12. *n.* 39. & 43. adeo ut subintret in hoc casu provisus à Papa in locum providendi ab inferiore, ita ut quemadmodum providendus de beneficio resignato in manibus Ordinarii tenetur intra 6. menses publicare, juxta Constitut. Gregor. XIII. ita etiam tenetur provisus ex ea vacatione ad Papam devoluta. Lott. *n.* 65. Et hinc jam in impetratione beneficiorum ad Papam devolutorum qualitates in institutione & fundatione beneficii appositæ Pontifici sunt exprimendæ, ut is, si ita sibi visum, valeat iis derogare; nam aliàs, tametsi non exprimatur in supplicatione conditio ac qualitas in beneficii fundatione ei adjecta, Papa nihilominùs intendat providere juxta dictas beneficii qualitates, licèt illæ in precibus non fuerint expressæ. Corrad. *loc. cit. n.* 46. & *n.* 47. subdens id non solùm intelligendum de qualitatibus in fundatione seu testamento, sed etiam quovis alio jure speciali adjectis. Quin etsi fundatio continet plures qualitates, omnes sunt Papæ aperiendæ. Corrad. *n.* 48. neque etiam in hujusmodi casu admitti solet à Papa generalis petitio derogationis plurium qualitatum in genere narratarum, v. g. si ipsa derogatio peteretur, quoad omnes partes non expressas, aut in literis exprimendas; cùm nunquam visum fuerit in Dataria Apostolica, hanc genericam derogationem admitti, eò quòd tales esse possint qualitates in fundatione adjectæ, quæ non immeritò Pontificis animum ab hujusmodi derogatione retraherent. Corrad. *n.* 50. ex Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 44. quamvis aliàs, ut testatur idem Rebuffus, Curia Rom. in his devolutis soleat derogare fundationibus continentibus plura, v. g. ut beneficium obtinens resideat, intra annum fiat Sacerdos, non possit cum illo beneficio obtinere aliud, &c. hæc tamen omnia speciatim in supplicatione narranda sint, & nisi fiat, nihil prosit. Vide de his pluribus Corrad. Hinc etiam, licèt in his, quæ spectant ad Prælatum jure devoluto, non teneatur requirere consilium Capituli sui, ut Abb. per text. & gl. *in c. ne pro defectu. de elect. num.* 6. & Imol. *ibid. n.* 2. si tamen beneficium, v. g. ex mente fundatoris erat ab inferiore conferendum cum consilio talis Capituli, tenebitur is, ad quem devoluta collatio, non aliter illud conferre.

Quæstio 744. Quis sit effectus devolutionis?

RΕspondeo: esse triplicem; primus (de quo jam immediatè dictum) quòd præservet naturam & qualitates beneficii immutatas. Lott. *l.* 2. *q.* 24. Secundus effectus illius consistit in eo, quòd secum trahat executionem legis auctoritate, nimirum ipsam ablationem juris conferendi à collatore negligente, ita ut nulla admittatur moræ purgatio. Lott. *n.* 55. & 54. citans Abb. *in c. cùm in cunctis. de elect. n.* 6. & *in c. literis. de suppl. negl.* Rebuff. *in pr. de devolut. n.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 15. &c. adeo ut ipso jure sit irrita provisio facta à collatore negligente, cœptâ jam devolutione, nisi de patientia toleretur. Lott. *n.* 55. sed de hoc infra, ubi de tempore, juxta quod facienda collatio. Tertius effectus devolutionis est, quòd ea non solùm inferiores collatores negligentes afficiat, sed omnes, etiam alios, ad quos ea gradatum

tum

rim fit excepto Papâ, cui nonquam negligentia imputatur. Lott. *nu.* 66.

Quæstio 745. Ad quos, & qualiter fiat devolutio?

1. RESpondeo primò: devolutio fieri nequit ad parem aut inferiorem; sed semper fit ab inferiore ad Superiorem, ut inferioris negligentiam suppleat. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Lott. *cit. q.* 24. *n.* 33. unde si ad Papam propter affectionem & reservationem aliquam spectet provisio, impossibile est, ut ex quacumque procrastinatione ad alium fiat devolutio. Lott. *num.* 34 citans Cassad. *decis.* 8. *de præb. n.* 3. & Rotam *in Aquensi Archipresbyt.* 11. *Martii* 1602. Hinc ab Episcopo negligente conferre aut delinquente in collatione non fit devolutio propria ad Capitulum. Et licèt jure antiquo, nimirum juxta *c.* 2. *de concess. præb.* & *c. cùm in cunctis. de elect.* propter magnam communicationem Episcopi cum Capitulo, ab Episcopo ad Capitulum, &ècontra à Capitulo ad Episcopum fiebat devolutio; jam tamen consuetudine inductum, ut à Capitulo fiat devolutio ad Episcopum, & nonècontra. Castrop. *l. cit.* contrarium tamen tradit Pirh. *de concess. præb. n.* 34. citans pro hoc Rebuff. Azor. Abbat. &c. nimirum quòd ab Episcopo vice versâ fiat devolutio ad Capitulum, jure sic specialiter disponente propter dictam communicationem, quæ est inter Episcopum & Capitulum, tanquam inter caput & membra, ut meritò unius defectus ab altero suppleatur. Intelligendum autem id de beneficiis spectantibus ad solam Episcopi collationem, & quidem jure proprio, quatenus est illius Ecclesiæ Episcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo communicat; non autem spectantibus ad illum jure devoluto; eò quòd quò ad beneficia devoluta non sit tanta communicatio inter Episcopum & Capitulum, dum ea non confert tanquam Episcopus Ecclesiæ suæ, sed merè per accidens, quatenus nimirum est Superior ordinarii collatoris negligentia conferre. Proceditque idipsum, ubi Episcopus scienter indigno contulit, confirmavit, instituit, ut Pirh. *n.* 35. Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect.* §. *Clerici sanè. n.* 7. Lott. *num.* 40. dicens, hunc esse casum specialem ratione dictæ communionis; ubi hanc hujus mutuæ devolutionis causam agnoscunt omnes *in cit. c.* 2. *de concess. præb.* & subdit *n.* 42. tunc Capitulum auctoritate canonis in ea parte effici superius ipso Episcopo, & quocunque alio, juxta *c. sanè.* 2. *de offic. Deleg.* & *c. ult.* 93. *distinct.* ac ita non recedi à regula data: quòd devolutio nunquam fiat ad inferiorem. Restringi verò hanc devolutionem ad beneficia, quæ Episcopus confert jure proprio, & non extendi ad ea, quæ confert jure devoluto, ait Lott. *n.* 4. citans Abb. post Innoc. *in c. cùm in cunctis. n.* 7. Bellam. & Compostellan. *ibid.* Hinc, etiam si Episcopus & Capitulum inter se provisionem beneficiorum, quæ ad ipsos etiam simul pertinebant, per turnos diviserunt, & Capitulum negligens fuit in provisione, vel scienter indignum providerit in suo turno, devolutio nequaquam fit ad Episcopum, sed ad Episcopi & Capituli Superiorem. Idem est, dum absque divisione in turnos simultaneè conferunt Episcopus & Capitulum, & propter æqualitatem vocum neutra collatio concludit. Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 31. ubi ait, quòd tunc devolutio fiat ad Papam. Item dum aliàs Capitulum & Episcopus simultaneè habent conferre, & absque eo, quòd divisio facta sit per turnos, neglexerunt conferre, devolutio neque fit ad Episcopum, neque ad Capitulum, sed ad Superiorem illorum. *c.* 2. *de concess. præb.* quia cùm tam Episcopus, quàm Capitulum sit in culpa seu negligentia, ut supponitur, neutra pars inde commodum referre debet; & si in tali casu devolutio fieret ad Episcopum tanquam caput, videretur fieri devolutio ab eodem ad eundem, & ipsemet supplere negligentiam propriam. Idem est, si tunc devolutio fieret ad Capitulum. Pirh. *loc. cit. n.* 39. Ratio horum est, quòd in tali provisione Episcopus non est Capitulo Superior, sed æqualis, & devolutio, ut dictum, nunquam fit ad parem, sed ad Superiorem. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 35. Idem est, quando per canonicum, cui in turno Capituli ex commissione seu ordine ipsius competit, non providetur intra tempus. Garc. *n.* 36. Quòd si tamen Episcopus ex consuetudine vel concessione speciali simul etiam sit Canonicus capitularis suæ Ecclesiæ Cathedralis, & sic valens duplicem repræsentare personam, interessendo actibus capitularibus veluti Episcopus seu Prælatus, vel ut Canonicus interfuerit collationi beneficii, devolutio ob negligentiam fit ad Eundem ut Episcopum, sive ut caput Capituli; quia tunc non supplet negligentiam propriam, sed Capituli; cùm interessendo collationi beneficii non ut prælatus, sed ut Canonicus, ut prælatus non fuerit negligens, sed ut singularis canonicus unà cum cæteris Capitularibus, quemadmodum, ut habetur *in c. penult. de apell. in* 6. si contingat appellari à provisione Capituli, potest appellari ad Episcopum, si ipse interfuerit ut Canonicus; secus si ut Episcopus. Ita ferè Pirh. *de concess. præb. n.* 29. juxta c. 2. *cit. eod.* Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 31. & *d.* 30. *n.* 19. nisi tamen ipse in hoc casu dolosè impedierit, ne collatio fieret intra tempus datum ad conferendum; tunc enim devolutio non fiet ad ipsum, etiamsi collationi in Capitulo interfuerit non tanquam Episcopus, sed ut Canonicus; sed ad Metropolitanum, (nisi dolus ille Episcopi probabiliter excuset Capitulum à negligentia, in quo casu Capitulum restituetur in integrum) quia dolus non debet patrocinari. Pirh. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: hæc devolutio fit gradatim, & non per saltus; ita ut, si alius inferior Episcopo collator negligat conferre, non illico devolutio fiat ad Papam, (excepto tamen illo casu, de quo paulò antè ex Parisio de negligente conferre resignata in manibus suis, ubi devolutio fit immediatè ab illo ad Papam) sed ad immediatum Superiorem, nempe Episcopum. Lott. *cit. q.* 24. *n.* 42. citans Abb. *in c.* 2. *de concess. præb. n.* 7. Cassad. *decis.* 8. *n.* 1. *de præb.* Rebuff. *in pr. tit. de devolut. num.* 17. *&c.* Hinc est, quòd, qui impetrat beneficium tanquam devolutum ad Papam, necesse habeat justificare, omnium inferiorum, seu intermediorum scientiam; in infimo seu primo collatore de vacatione, in cæteris de devolutione ad eos facta. Lott. *n.* 45. citans plures Rot. decis. intelligenda tamen hæc omnia, nisi versemur in exemptis, qui sunt immediatè subjecti Sedi Apostolicæ; tunc enim ad ipsam Sedem rectà, cùm alium non habeat Superiorem, fit devolutio. *c. cùm singula.* & *c. licet. de suppl. negl. Præl.* Lott. *num.* 47. Abb. Cassad. Rebuff. *ubi ante.* Idem est, dum ageretur de implicita devolutione per viam appellationis ad ipsam Sedem emissæ. Lott. *l.* 3. *q.* 57. *n.* 104.

3. Respondeo tertiò: fit igitur devolutio ab inferiore collatore ad Episcopum, seu Ordinarium loci, in quo sita sunt beneficia, ab Episcopo ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum, ab hoc ad Primatem, vel etiam Patriarcham, si illi subjectus est Metropolitanus. Castrop. *cit. n.* 2. Lott. *cit. n.* 43. (qui tamen *n.* 44. ex Rebuff. *in pr. tit. de devol. n.* 23. ait, illud de Patriarcha minùs receptum esse) Pirh. *de concess. præb. num.* 34. Eadem intelligenda, dum neglecta præsentatio, electio, nisi quòd dictum illud: devolvi provisionem ad proximum Superiorem in electione in Cathedralibus, intelligendum sit de eo Superiore proximo, ad quem spectat potestas confirmandi electum; ita ut is tunc unico actu exercere possit electionem jure devoluto, & simul confirmationem jure proprio tanquam Metropolitanus; adeòque talis provisio habeat vim electionis & confirmationis. Pirh. *l. cit. n.* 38. citans Abb. *in c. dilectus. de concess. præb. n.* 3. unde cùm jam hoc tempore promotio seu confirmatio Episcoporum, non ad Metropolitanum, sed ad Papam spectet, dum Capitulares neglexerunt eligere Episcopum, devolutio fit ad Papam, non ad Metropolitanum, etiam in Germania vi concordatorum. Pirh. *loc. cit. de elect. Prælat. n.* 98.

Quæ-

Quæstio 746. An igitur, si is, ad quem facta devolutio, hoc jure devoluto conferat indigno seu inhabili, devolvatur collatio ad ejus Superiorem; an verò revertatur ad primum collatorem?

REspondeo: si talis scienter conferat indigno, ita ut collatio ipso jure sit nulla, provisio devolvetur ad ejus Superiorem: si verò ignoranter contulit indigno, nulla fiet ab illo devolutio; si denique scienter contulit indigno, qui tamen ipso jure non erat indignus, sed postmodum per sententiam factus inhabilis, & ejus provisio irritatur, provisio revertitur ad primum collatorem; quia factâ provisione validâ, cessavit devolutio, & si postea ob vitium electi irritetur, denuò vacat beneficium, & tanquam denuo vacans provideri debet. Castrop. *loc. cit. n.* 7.

Quæstio 747. Quo jure ordinarius conferat beneficia ex negligentia inferioris collatoris ad eum devoluta?

REspondeo primò: jure proprio & veluti reassumptionis, quod declaratur, dum Prælatus inferior constitutus intra diœcesin, & sub Episcopo seu diœcesano de consuetudine legitimave præscriptione, aut jure alio speciali beneficia quædam conferre habet, ita ut solum collationis exercitium vel jus actuale penes illum resideat, ipso jure habituali conferendi, quâcunque possessione vel consuetudine non obstante inabdicabiliter & impræscriptibiliter penes Ordinarium seu Episcopum continuante, adeóque collator inferior non nisi tanquam sub Ordinario ejus veluti partes vicarias gerendo conferat, Ordinarius vi hujus juris sui habitualis, quoties inferior jus suum actuale exercere negligit, aut malè exercet, hinc conferendo ea Episcopus agit jure proprio & nativo, seu primævo semper retento in omnia diœcesis suæ beneficia, solùmque accidentaliter impedito ejus exercitio, quod ex consuetudine aliôve jure speciali translatum est in inferiorem collatorem, sub implicita tamen conditione illud rectè & diligenter exercendi. Et sic, dum contingit casus negligentiæ vel mali exercitii inferioris, Episcopus non confert jure novo ac dativo, tanquam mittens falcem in alienam messem, ita ut proprii messoris partes suppleat; sed jure suo, ac potiùs in ratione reassumptionis ac reversionis ad suam causam, tanquam ex cessante causa concessionis dicti exercitii seu juris actualis, quod remanet resolutum. Cujus contrarium est in Metropolitano, aut Patriarcha, dum negligente, aut indigno conferente Episcopo, ad eum devolvitur collatio; hic enim jus nullum habet proprium & ordinarium conferendi beneficia alienæ diœcesis, sed illud ita accidentaliter acquirit potiùs jure dativo, & quodam jure auxiliario, supplendo partes proprii pastoris negligentis, ut ita consultum sit Ecclesiis, ne diuturnam patiantur vacationem; cùm Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum, ob locorum distantiam & negotiorum multiplicitatem supplere commodè non possit has partes, quas juxta limites ab eo præscriptos Metropolitanis vel Patriarchis commisit, ita ferè Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 7. 9. 16. citans pro hoc Abb. *in c. cùm contingat. de foro compet. n.* 18. Barb. *de Episc. alleg.* 127. *n.* 19. & Rot. *decis.* 514. *n.* 1. *p.* 1. *divers.* Atque ita propter dictum jus illud habituale perseverans apud Episcopum, beneficium dicitur spectare ad dispositionem Ordinarii, quod is potest conferre tantùm in casu devolutionis. Card. de Luca *loc. cit. num.* 12.

2. Respondeo secundò: nihilominus in beneficiis exemptis Ordinarius non jure proprio & diœcesano, sed ex delegatione Sedis Apostolicæ supplet negligentiam collatoris. C. de Luc. *de benef. d.* 27. *n.* 10. citans Rotam *decis.* 635. *n.* 2. *p.* 3. & *decis.* 891. *n.* 3.

Quæstio 748. Num is, ad quem facta devolutio, possit etiam mittere in possessionem?

REspondeo affirmativè, vel saltem potest præcipere, ut provisus à se mittatur in possessionem ab iis, quibus ex cujusvis Ecclesiæ consuetudine id competit; inductio enim in possessionem accessione sequitur ad jus per legitimam collationem obtentum. Laym. *in c. ex parte. de concess. præb. num.* 1. Pich. *loc. cit. n.* 42.

Quæstio 749. In particulari, an si Cardinalis Episcopus collator ordinarius non contulit intra 6. menses beneficium, quod vacavit in mense aliàs Apostolico, ad quem fiat devolutio?

REspondeo ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum, juxta terminos *c.* 2. *de concess. præb.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 631. Gonz. *gl.* 24. *q.* 4. *ex n.* 78. quia tale beneficium nunquam fuit reservatum; cùm regula 8. Cardinales ordinarios collatores non comprehendat, sed eos excipiat; nec beneficium per devolutionem vacat de novo, sed semper durat prima vacatio, & sic, cùm à principio non fuerit reservatum, remanet tale, seu non reservatum in perpetuum. Sed neque Cardinalis Episcopus potest dici exemptus ab Archi Episcopo ad istum casum devolutionis, maximè, cùm beneficia ipsa nullo modo possint dici exempta ab Archi Episcopo. De cætero dum Cardinalis negligit vigore indulti conferre beneficium reservatum, devolvitur collatio ad solum Papam: quod longè quid diversum à præcedente puncto; cùm agatur de beneficio reservato conferendo vi indulti, quod semper remanet, & à principio fuit reservatum. Garc. *n.* 632. Gonz. *gl.* 53. *à num.* 37. contra Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 10. *n.* 6. ubi, dum dicit, beneficia, quæ vi indulti conferre potest, & negligit conferre, devolvi ad Archi Episcopum, & non ad Papam, videtur confundere beneficia, quæ vigore indulti confert Cardinalis cum iis, quæ confert vi exceptionis factæ in regula 8. Idem cum Chok. tenet Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 5. *n.* 20. dicens devolvi in eo casu collationem ad immediatum Superiorem, etiamsi vacatio contigisset in mense Apostolico, cujus rei ratio fundetur in ea generali regula, quòd Indultum Cardinalis tantùm removet obstacula & impedimenta regularum Cancellariæ, & provisi in consequentiam indultorum non dicuntur provisi Apostolici quò ad ea, quæ ipsi Cardinales tanquam Episcopi conferre possunt; imò censentur semper provisi auctoritate ordinariâ; quin etiam, si Cardinalis diceret, se providere vigore indulti, tamen provisus ab eo diceretur provisus ab Ordinario quò ad ea, quæ à potestate ordinaria dependent. Et hinc locus est dispositioni *c.* 2. *de præb.* ita ille; quamvis in sequentibus idem ferè iisdem verbis dicat, quod nos in anteriore parte responsionis.

Quæstio 750. Ad quem fiat devolutio à Legato de latere?

REspondeo: ab eo non fieri devolutionem, nisi ad solum Papam; cùm nulli alii subsit. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 22. Porrò cùm Legatus conferre possit beneficia devoluta, etiam ex propria culpa seu negligentia ad Papam (ut tenet Garc. *n.* 26. secutus Gamb. *de pot. Leg. l.* 3. *num.* 14. & 622. Selv. *p.* 2. *q.* 3. *n.* 42. Imol. Card. & alios, quos citat contra Lapum *in Clem. si de benefic. de præb.* dicentem, non posse Legatum, postquam negligens fuit in conferendo, ex post conferre illud, dum collatio devoluta ad Papam) non currit illi, sicut aliis Ordinariis, tempus sex mensium. Garc. *n.* 26. ex Gamb. *ubi ante*, adeóque minùs propriè dicetur devolvi ab eo collationem ad Papam; vide dicta de potestate Legati conferendi devoluta.

Qua-

Quæstio 751. Ad quem fiat devolutio, dum Capitulum & Episcopus circa simultaneæ collationis exercitium sunt discordes, & intra semestre non concordârunt?

RESpondeo: quia tunc neutra provisio concludit, dum utraque dicitur facta à medietate, ad instar præsentatorum à patronis cum medietate vocum, locus est devolutioni ad Superiorem, (intellige immediatum) C. de Luc. *de benef. d.* 28. *n.* 16. *&* 18. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 35. quod intelligendum, dum uterque, nimirum Capitulum & Episcopus, validè & legitimè suum jus exercet; nam ubi unus eorum negligit vel inutiliter agit, tunc totum jus devolvitur ad consortem, seu per jus non decrescendi in eo consolidatur, Card. de Luc. *cit. n.* 18.

Quæstio 752. Ad quem fiat devolutio, dum Episcopus conferre non potest ob suspensionem ab officio, vel excommunicationem?

RESpondeo: non fieri ad Capitulum, neque ad Metropolitanum, sed ad Papam, ad quem pertinet interim providere Ecclesiis, etiamsi in conferendo non fuerit negligens inferior collator. Argumento *c. quia diversitatem. de concess. præb.* ubi dicitur, non ad Capitulum, nec ad Metropolitanum, sed ad illum tempore durantis suspensionis præbendarum donatio pertinebit, qui etiam non existente desidiâ & negligentiâ poterat præbendas donare seu conferre &c. nempe Papa. Pirh. *de concess. præb. n.* 36. Quod tamen limitandum ad beneficia, quorum collatio spectat ad solum Episcopum; secùs si simul ad Capitulum & Episcopum; tum enim suspenso vel excommunicato Episcopo, ad Capitulum spectat collatio. *c. unico ne Sede vacante. in* 6. & *c.* 1. *de suppl. negl. prælat. in* 6. Pirh. *l. c.* quòd si tamen Episcopus suspensus vel excommunicatus esset negligens in petenda absolutione, devolutio fiet ad immediatum Superiorem, cui sex illi menses incipiunt currere à tempore negligentiæ. Gl. *in c.* 1. *de suppl. negl.* Pirh. *loc. cit.* alioqui verò, si Papa durante excommunicatione vel suspensione Episcopi, non provideat, Metropolitanus debet exspectare, donec Episcopus à censura absolvatur, & postquam absolutus, debet absolutus, adhuc habere integrum semestre ad conferendum, ita ut antequam illud sit elapsum, non fiat devolutio ad Capitulum vel Metropolitanum. Pirh. *loc. cit.* Porrò ad quem, censurato Capitulo, devolvatur collatio, vide apud Card. de Luc. *de benef. d.* 23. *n.* 24.

Quæstio 753. An, si Vicarius Episcopi beneficium contulit indigno, ideòque pro ea vice privatur potestate conferendi, & non potest Vicarius rescissâ priore collatione illud alteri conferre, juxta c. cùm in cunctis. de Elect. *fiat devolutio ad Metropolitanum?*

RESpondeo negativè, nisi fortè Episcopus mandârit tali conferre, aut collationem tali factam ratam habuit. De cætero enim cùm Episcopus committens Vicario facultatem conferendi, censeatur mandâsse, ut idoneæ personæ conferatur, adeòque Vicarius conferens indigno, transgressus est limites mandati, id Episcopo nocere non debet, quò minùs ad eum redeat potestas conferendi, seu is digno conferre possit; neque enim culpa officialis aut Vicarii Domino nocere debet, Laym. *in c. Romana. de off. Vic. in* 6. *n.* 9. citans Rebuff. *in pr. tit. de Vicariis. num.* 41. & *tit. de forma Vicariat. num.* 140. Et licèt Vicarius consideratus quà judex, & jurisdictionem ex eodem cum Episcopo tribunali exercens, censeatur eadem cum illa persona, non secùs ac ipse Episcopus Metropolitano subjecta, qui perinde Vicarium ratione officii malè administrati, aut injustè latæ sententiæ punire potest, (secùs si deliquerit ut persona privata) Laym. *ibid. n.* 8. citans *Pavin. de potest. cap. Sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 23. Sbroz. *de off. Vic. q.* 57. *n.* 6. potest tamen Episcopus de delicto aut negligentia Vicarii in suo officio commissa cognoscere, eùmque punire, si ipse sit extra culpam. Laym. *cit. num.* 9. citans Sbroz. *ubi ante, n.* 11. & Speculatorem *l.* 2. *p.* 1. *tit. de competentis jud. aditione. n.* 3. Siquidem Vicarius etiam ratione officii, quodammodo subjectus & subordinatus est Episcopo suo. Et licèt ejus potestas & jurisdictio sit eadem cum jurisdictione Episcopi, alio tamen modo in Vicario residet, & aliter in Episcopo; in illo videlicet cum dependentia à voluntate & imperio Episcopi; quamobrem Episcopus invigilare debet Vicario, & quæ malè ab eo acta sunt, rescindere. Laym. *cit. n.* 9. Adde, quòd potestas conferendi beneficia neque sit potestas jurisdictionis, neque competat Vicario, quà tali, nisi specialiter illi committatur.

Quæstio 754. In quibus beneficiis locum habeat devolutio?

1. RESpondeo primò: in beneficiis propter affectionem vel reservationem spectantibus ad Papam, quantumcunque is differat ea conferre, locum non habet devolutio, ut dictum supra.

2. Secundò: in beneficiis vacantibus in mensibus spectantibus ad Ordinarium vi alternativæ, dum is conferre differt, locum non habet devolutio illa, quæ fit ad immediatum Superiorem. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 36. contra Gonz. *gl.* 53. *ex n.* 27. cujus fundamentum est, quòd dicta gratia alternativæ perimat reservationem, propter quam aliàs devolvitur collatio immediatè ad Papam.

3. Tertiò: devolutio locum habet in manualibus; cum sua tamen causa, hoc est, cum dicta qualitate manualitatis. Argumento *clem. unic. de suppl. negl.* Lott. *loc. cit. n.* 5. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 46. *& seq.* citans pro hoc Gl. Card. & Bonifac. *in cit. Clem.* Addit tamen Garc. *n.* 47. quòd collator inferior, qui intra semestre neglexit conferre, eo elapso, re adhuc integrâ, possit purgare moram, & providere in beneficiis manualibus ex eo, quòd ad illius nutum sint amovibilia, quamvis in aliis beneficiis non sit locus purgationis moræ, nec valeat collatio post devolutionem, etiam re integrâ.

4. Quartò: locum habet in beneficiis regularium, hoc est, spectantibus ad collatores regulares; horum enim potestas conferendi ob negligentiam in conferendo devolvitur ad Episcopum seu Ordinarium loci, in quo sita beneficia, ita ut illa conferre possit tanquam Ordinarius, si illi collatores regulares sint Prælati non exempti, aliàs enim conferet tanquam Delegatus Apostolicæ Sedis, si illi sint Prælati exempti, & Papæ immediatè subjecti. Pirh. *ad tit. de concess. præb. n.* 34. citans *Clem. unic. de suppl. negl.* Barb. *jur. Eccles. l.* 3. *c.* 13. *n.* 109. Rebuff. *in pr. tit. de devol. n.* 37. *&* 39.

5. Quintò: locum habet in beneficiis regularibus, hoc est, Conventualibus. Lott. *cit. q.* 24. *n.* 3. juxta *cit. Clem. unicam*: quòd si tamen regulares essent exempti seu immediatè subjecti Pontifici, devolutio non fit ad Episcopum, sed immediatè ad Papam, v. g. si Capitulum negligeret eligere Abbatem vel Priorem claustralem, vel etiam in totum deficeret, mortuis omnibus, ea potestas conferendi Abbatiam vel Prioratum spectabit ad solum Papam. Lott. *n.* 47. *& seq.* quamvis enim Episcopus fundet intentionem suam de re jure communi, etiam in provisionibus regularium, respectu institutionis & confirmationis, ut Abb. *in c. venerabilis. de except. n.* 45. & Gl. *in c.* 1. 18. *q.* 2. id tamen intelligitur solùm de non exemptis. Lott. *num.* 50. citans Erasm. Chok. *tr. de jurisd. Ordin. in Exempt. p* 4. *c.* 30. *n.* 11. Et licèt jus supplendi ipsis quoque diœcesanis permissum sit vi *Clem. cit.* id tamen vi delegationis habent, & eatenus Ordinarii supplent negligentiam regularium, quatenus

id iis

id iis in spe indultum est. Lott. *n.* 51. & 52. citans Card. *in cit. Clem. unic. n.* 25.

6. Sextò: in beneficiis jurispatronatûs, etiam laicalis, dum nimirùm patronus intra terminum sibi concessum ad præsentandum neglexit præsentare. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 4. & *seq.* Idem est de beneficiis electivis, dum habentes eligere intra terminum sibi datum ad eligendum negligunt eligere. Pirh. *ad tit. de concess. prab. n.* 37. Addit tamen Lott. *cit. q.* 24. *n.* 4. citans pro hoc antiq. Glossat. *in reg.* 40. *Cancell. in principio.* quòd in beneficiis jurispatronatûs & electivis propriè loquendo non cadat devolutio, nisi priùs peremptâ atque exstinctâ facultate præsentandi vel eligendi, atque indè creato novo jure liberè conferendi in eo, qui alioquin non habebat, nisi jus instituendi vel confirmandi, qui si intra 6. menses illud non conferat, fit devolutio (intellige jam propriè talis) ad Superiorem. Idem habet Lott. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 60.

7. Septimò: locum non habet devolutio illa ad immediatum Superiorem in Episcopatibus & Archi-Episcopatibus, ita ut si Episcopatus non conferatur, vel ad eum non eligatur ab iis, ad quos id pertinet, intra statutum tempus, ejus collatio fiat ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum, sed solùm in dignitatibus personalibus aliisque beneficiis inferioribus. *c. dilectus. de concess. prab.* Pirh. *loc. cit.* qui etiam hanc hujus rei assignat rationem, quòd in materia odiosa sub generali nomine dignitatis non comprehendatur Episcopatus; cùm non sit simplex dignitas, sed dignitatum culmen. Citat Abb.

8. Denique devolutio etsi, ut dictum *num.* 1. nullatenùs locum habet in beneficiis reservatis; cùm in iis non detur negligentia Ordinarii. Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 64. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 18. citans Mand. *tit. de provis. vers. in beneficiis reservat.* Cassador. *decis.* 8. *de prab.* &c. In tantum tamen etiam devolutio locum habet in reservatis, quòd si collator vigore indulti, quod fortè habet, valens conferre reservata, ea non conferat intra statutum tempus, ea ampliùs conferre nequeat, sed ad Papam devolvatur collatio. Garc. *loc. cit. num.* 20.

Quæstio 755. Quando is, ad quem facta devolutio, conferre debeat?

1. Respondeo primò: collatio facta à secundo collatore, sive ab eo, ad quem devolvenda erat, v. g. ab Archi-Episcopo, ante factam devolutionem non valet; cùm is tunc necdum habeat facultatem conferendi, neque convalescat, etiamsi primus collator non conferat intra tempus ei datum ad conferendum, (adeóque, ut Pirh. *loco paulò pòst citando,* necessè est, ut, postquam ad ipsum jus conferendi beneficium devolutum est, illud denuò conferat; cùm pro non dato habeatur, quod datur ab illo, qui dare non potest) Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 31. citans Felin. *in c. cum ex officii. de præscript. n.* 37. Rebuff. *in pr. tit. de devol. num.* 32. Pirh. *ad tit. de concess. prab. n.* 34. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 6. Proceditque responsio, etiamsi collatio facta sit simpliciter, non dicendo: *Jure devoluto;* non obstante, quòd de cætero collatio facta ab Ordinario jure ordinario de beneficio jurispatronatûs valeat spreto patrono, hoc est, non præsentante nec contradicente patrono infra tempus datum ad præsentandum; eò quòd Ordinarius tunc conferat jure & potestate originali, & collatio ab eo facta spreto patrono solùm sit nulla in favorem patroni; atque adeò eo volente seu reclamante, & non aliàs, juxta dicta suprà. Garc. *loc. cit. n.* 32. Item procedit, etiamsi is, qui jure devoluto contulit, v. g. Episcopus, antequam ad eum jus illud devolveretur, haberet potestatem conferendi illud jure ordinario; quod enim is poterit, scilicet conferre jure ordinario, noluit; quia autem voluit, scilicet conferre jure devolutionis, id adimplere nequivit. Pirh. *loc. cit.* citans *c. cum super. de off. deleg.* Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 52. quamvis alii teneant contrarium apud Azor. *loc. cit. q.* 15.

2. Respondeo secundò: quilibet Superior, ad quem gradatim fit devolutio, habet semestre aliud ad conferendum. Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *nu.* 61. Garc. *loc. cit. n.* 9. Pirh. *ad tit. de concess. prab. num.* 35. Azor. *ubi antè. q.* 10. proceditque idipsum, etiamsi devolutio facta à patrono laico, qui tantùm habet quadrimestre. Garc. *loc. cit.* citans plures. Porrò computatur semestre singulorum, non à die, quo ad illos hoc ipsum jus conferendi devolutum est; sed à die, quo scivit illud ad se devolutum. Garc. Corrad. Pirh. Azor. *ll. cit.* atque ita contingere potest, ut Ecclesia vel beneficium vacet etiam ad duos annos. Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 756. Num is, ad quem facta devolutio, possit inferiori collatori concedere facultatem conferendi illud beneficium, etiam post sex menses elapsos?

Respondet affirmativè Pirh. *loc. cit.* citans Azor. *cit. q.* 12. & Rebuff. *ubi antè. n.* 30. atque ita facta in vim dictæ concessionis post elapsum semestre ab iis collatio, qui aliàs jure privati erant hâc potestate, non est invalida nec rescindenda. Pirh. *ad tit. de suppl. negl. n.* 5. quia in hoc casu tales non tam jure proprio, utpote quo ob negligentiam privati, quàm jure ad Superiorem devoluto conferant. Pirh. *ibid.* & *de concess. prab.* citans Azor. & Rebuff. Sic etiam, tametsi electio vel collatio facta post elapsum tempus statutum ad eligendum vel conferendum ab iis, ad quos aliàs pertinebat, sit nulla, & ipso jure invalida; quia tales electores vel collatores ob neglectam intra tempus illis datum electionem vel collationem ipso jure pro ea vice privati erant potestate eligendi vel conferendi, eáque ad Superiorem devoluta erat; valebit tamen, si per patientiam vel ex misericordia toleretur. Argumento *c. literas. de suppl. negl.* vel potiùs de novo convalescit; quia expressa tolerantia approbationis jus dat in beneficiis, præsertim si à Papa fiat, juxta Gl. *in c. literas. v. patientiam.* dicentem, quòd instituti à collatoribus, postquam jure conferendi ob negligentiam privati, habeant jus in beneficiis, non ex tunc, id est, non ex priore collatione, utpote quæ invalida fuit, adeóque ratificari non poterit; sed ex nunc, id est, ob tolerantiam Papæ ejúsve Legati, (vel etiam alterius Superioris, ad quem devoluta collatio) quippè quæ tolerantia vim novæ collationis habet. Pirh. *tit. de suppl. negl. n.* 4. & 5. ubi etiam ex Laym. *ad cit. c. literas. not.* 2. quòd, si tales ob negligentiam privati conferant nihilominùs post elapsum tempus, nemine se opponente, id à judice tolerari posse, modò provisus ab iis sit idoneus, & provisio facta de cætero absque Ecclesiæ bonive publici detrimento; si verò provisus inidoneus, aut provisio facta in dictum detrimentum, provisum non debere tolerari, sed ex officio à judice, etiam nemine petente, rescindendam, seu potiùs irritam declarandam, & provisum à beneficio removendum. Unde etiam cum Laym. *loc. cit. not.* 1. ait probabile esse, quod talis à talibus provisus interim, dum nemo se opponit, aut collatio à judice non declaratur irrita, possit tutâ conscientiâ retinere beneficium, eò quòd talis electio vel collatio jure naturali sit valida ante sententiam declaratoriam judicis. Plura de prolongatione temporis facienda inferiori à Superiore, ad quem aliàs facienda devolutio, vide, ubi actum de tempore faciendæ præsentationis.

Quæstio 757. An, dum Prælatus confert jure devoluto, necessè sit intervenire consensum vel consilium Capituli?

Respondeo negativè; In iis enim, quæ Prælatus, vel Episcopus, vel Archi-Episcopus agit jure ac potestate ad se devolutâ, non tenetur habere consensum Capituli, imò nec consilium ejus requirere ex necessitate; sed ad summum ex aliqua honestate aut æquitate. Laym. *in c. cum in cunctis. de elect. §. Clerici sanè. n.* 7. Idem habet *in c. ne pro defectu. de elect. n.* 7.

Quæstio 758. Qualiter beneficium devolutum impetretur, & provideatur à Papa?

1. RESpondeo primò: potest impetrari duobus modis, nimirum vel tanquam devolutum ad Papam: Et tunc, si devolutio facta gradatim, probanda est juxta dicta supra; vel tanquam devolutum ad inferiores ob negligentiam primi collatoris vel patroni; quia Papa potest concurrere cum Episcopo, Archi-Episcopo vel Capitulo, ad quos facta devolutio; cùm in his devolutionibus non ligaverit sibi manus, quò minùs ipse conferre possit: tum etiam, quia is est Ordinarius omnium. *c. cuncta per mundum. 9. q. 3.* & sic concurrere potest cum omni Prælato in potestate & jurisdictione. *c. si eo tempore. de Elect. in 6.* & nunc sufficit probari negligentiam, intellige, primi collatoris. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *num.* 30. Corrad. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 62.

2. Respondeo secundò: dum impetratur tanquam devolutum, debet orator seu impetrans devolutionem in supplicatione principaliter narratam, & sic in executione literarum principaliter exprimendam & expressam, probare, adeóque scientiam collatoris, præsertim, quia ponitur in calce supplicationis clausula: *Dispositivè detur devolutio*: ex insolito stylo, ut ait Lott. *l.* 2. *q.* 24. *num.* 37. apponi solita in supplicatione, post alias generales clausulas, ubi impetratur beneficium, ut devolutum, ne sub fucato devolutionis colore extorqueatur gratia de affecto vel reservato, (dispositivè autem dicitur aliquid exprimi & probari, quod expressè, limitatè, purè, verè, ac certò; non autem dubitativè vel conditionaliter affirmatur vel verificatur, ut Mandos. *in pr. signat. gratia. tit. certo modo. vers. in calce supplicationis.* apud Corrad. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 64.) non enim tunc intelligitur Papa intendisse aliàs seu alio modo conferre, quàm per devolutionem; dicta enim particula limitativa *dispositivè* restringit omnes alios modos vacationis antea expressos, & arctat impetrantem ad probandam devolutionem, ita ut si de ea doctum non fuerit, nullus alius modus veniret, quia limitata est provisio, adeóque limitatus debet esse effectus; atque ita, etiamsi probaretur beneficium esse reservatum, impetratio foret nulla. Corrad. *cit. num.* 64. & 65. Garc. *loc. cit. à num.* 16. Procedúntque hæc, etiamsi in supplicatione, in qua principaliter narratur devolutio, apponantur & aliæ clausulæ de stylo apponi consuetæ, nempe, *sive præmisso, sive alio quovis modo*: & alia subinde subsequatur clausula, nempe: *etiamsi affectum vel reservatum &c.* cùm literæ expediantur absolutè per devolutionem & per clausulam: *quòd detur devolutio dispositivè*, omnes alii modi sublati censentur & sicut accessoriè. Lott. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit.* citans Mandos. *ubi ante, vers. amplio etiam &c.* Garc. *loc. cit.* qui tamen addit *n.* 30. clausulam illam generalem apponi solitam: *etiamsi reservatum*, ne frustratoriè apposita videatur, operari, dum Ordinarius vigore indulti reservata conferre posset; tunc enim post negligentiam temporis à jure statuti ad conferendum ampliùs conferre nequit, & ad Sedem Apostolicam fit devolutio, ut Cassad. *decis.* 8. *de prab.* Quapropter jam executor istiusmodi literarum Apostolicarum debet omnino & exactè investigare in devolutionem; & si ex executioni mandentur absque eo, quòd procedatur ad probandam devolutionem, malè procedit, & contra formam istarum literarum; cùm semper in illis addit clausula: *Et dummodo collatio ad Sedem Apostolicam sit legitimè devoluta, ut præfertur.* Garc. *loc. cit. num.* 17. Corrad. *num.* 65. Porrò formulam concipiendæ supplicationis, dum principaliter petitur beneficium vacans per devolutionem ad Sedem Apostolicam, vide apud Corrad. *cit. n.* 65.

CAPUT TERTIUM.

De personis, quibus conferenda beneficia, ipsoque Collationis actu.

PARAGRAPHUS I.

De conferendis beneficiis personis designatis, habilibus, seu qualificatis in genere, & in specie de Episcopis.

Quæstio 759. An, & qualiter inhabilis possit petere & acceptare beneficium Ecclesiasticum, & an teneatur occultum defectum suum manifestare?

1. RESpondeo primò: ordinariè loquendo, qui est irregularis, v. g. aut aliter inhabilis ad beneficium, non potest illud petere aut acceptare, nisi priùs dispensationem super defectu, si dispensabilis, obtineat. Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. num.* 18. Argumento *c. innotuit. de elect. c. nisi de renunciat.*

2. Respondeo secundò: si eligendus aut electus, vel etiam aliter promovendus sciat se inhabilem ob defectum suum, cùm de eo fit inquisitio, (quam Superior, dum tantùm agitur, ne indignus promoveatur, etiam nullâ præcedente infamiâ aut querelâ, ex officio instituere debet, etsi secùs sit, dum agitur de punitione, Argumento *c. 1. de postul.* Laym. *loc. cit. n.* 2. citans Abb. Innoc. Butr. *in hoc c. 1.* Navar. *in rubr. de judiciis. num.* 92. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 14. *n.* 2.) manifestare tenetur, aut ab acceptanda electione aliàve promotione sui abstinere. Laym. *in c. cùm nobis de elect. n.* 1. sic etiam Sanch. *loc. cit.* ait de admittendis ad Ordines, quòd ipsi etiam ordinandi, si de indignitate, aut impedimento occulto interrogentur, teneantur illud confiteri, aut à petitione & susceptione Ordinum abstinere: videtúrque etiam ad faciendam ultroneè hanc manifestationem teneri, ut ex Sanch. *loc. cit.* indicat Laym. *ad cit. §. inferiora. num* 18. Neque enim, ut *ibidem* ait, in tali casu homini imposita est necessitas, seipsum infamandi; cùm possit ab Ordine suscipiendo abstinere, & beneficium non petere, aut non acceptare.

3. Respondeo tertiò: accidere tamen potest casus, ut quis beneficium sibi delatum non facilè, hoc est, sine infamatione sui recusare possit, adeóque in eo occultam irregularitatem, aliámve sui inhabilitatem cum dicta sua infamia manifestare non tenetur. Laym. *ad cit. §. inferiora. n.* 19. citans pro hoc Suar. *de cens. d.* 40. *s.* 2. *n.* 31. & 34. & Innoc. *in c. innotuit. de elect. n.* 2. Electio enim, collatio aut provisio beneficii facta personæ irregulari naturaliter & quasi fundamentaliter consistit. Laym. *ibid.* & collatio beneficii facta personæ incapaci, si bonâ fide facta sit, tenet mero jure. Lott. *l.* 2. *q.* 47. *num.* 91. ex Innoc. *in c. cum nostris. de concess. prab. n.* 3. tametsi autem à jure Ecclesiastico sit prohibita, imò etiam in Ordine ad forum externum irrita, tamen lex ista positiva, unde dimanat obligatio ista manifestandi inhabilitatem suam, non obligat in casu necessitatis. Laym. *cit. n.* 19. Sic etiam si irregularis tacuit defectum suum, & postea impetrat super eo dispensationem, electio vel collatio ante facta eo ipso censetur valida, quod falsum foret, si electio seu collatio talis secundùm fundamentum

&

& substantiam ante omnem judicis sententiam irrita esset; quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Laym. *ibid.* & illud subjungens, quòd licèt provisio beneficii omni jure sit penitùs irrita, posse tamen contingere casum, ut quis, quantùm in se est, sibi oblatum licitè acceptet ob gravem necessitatem, v. g. si Titius sciens simoniacam pactionem intercurrisse, vel conscius suæ occultæ excommunicationis, quam prodere non potest, nec absolutionem impetrare, à patre, gravibus intentatis minis, cogatur beneficium statim acceptare, posteà revalidationem tituli consecuturus, aut beneficio renunciaturus.

Quæstio 760. Qualiter, dum quis inhabilis, adeòque provisus invalidè, jus ejus convalescat post dispensationem?

Respondeo: si quis ob defectum nulliter provisus est, sublato per dispensationem defectu ab eo, qui dispensandi potestatem habet, jus provisi convalescit; dum enim defectus ex jure positivo est dispensabilis, provisio quodammodò nempè fundamentaliter, ut dictum *q. præcedente*, & jure naturali spectato, subsistit, ac ideò sublato defectu per legem positivam inducto, etiam civiliter seu in ordine ad forum externum perfici potest. Laym. *in c. innotuit. de elect. n. 9.* Idem quoque tradit Laym. *in c. nisi cum pridem. de renunciatione. n. 5.* ubi: si aliquis in excommunicatione, suspensione, irregularitate occulta institutus fuit, sublato impedimento per eum, qui potestate absolvendi aut dispensandi præditus est, eo ipso titulum validari, tanquam probabile docuit *Theol. mor. tr. c. 15. n. 3.* & *in c. super eo. de elect. n. 3. §. deinde.* modò tamen res in nullius præjudicium cedat. Sic v. g. si Capitulares ignoranter elegissent indignum, penes ipsos maneret jus aliam electionem faciendi; ideòque absque eorum consensu defectus ille in ordine ad jus electionis illius habitæ stabiliendum non posset tolli ab Ordinario; secùs si scienter; tunc enim non possent contradicere, juxta *c. nullo. de elect. in 6.* Laym. *cit. c. 9.* Sic etiam, si provisus ob crimen privationem ipso jure incurrisset, & provisio ad alium spectaret, non posset Ordinarius, in crimine dispensando, titulum ejus validare cum præjudicio collatoris non consentientis. Argumento *c. quamvis. de rescript. in 6.* Laym. *loc. cit.* ubi nec Episcopus, dum in beneficiatum tulit sententiam depositionis, non potest dein eum restituere sine patroni consensu, utpote cui per dictam depositionem jus novæ præsentationis faciendæ acquisitum. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 761. An igitur electus aliterve provisus tempore provisionis laborans defectu, quem sperat brevi post tempore se sublaturum, dum nemo se ei opponit, interim in foro conscientiæ tutus esse possit, ita ut tituli revalidatione aut dispensatione non egeat?

Respondet affirmativè Laym. *ad c. cum in cunctis. de elect. ad §. inferiora. n. 14.* adducit in specie exemplum laborantis tempore provisionis infamiâ facti seu commissi criminis, quod se per vitæ publicam emendationem brevi emendaturum sperat. Item constituti tempore provisionis in irregularitate, suspensione, excommunicatione minore, destituti legitimâ ætate, scientiâ requisitâ, dum sperat brevi se absolutionem à suspensione, dispensationem ab irregularitate, habiturum legitimam ætatem, & sufficientem scientiam acquisiturum, &c. citat pro his omnibus Innoc. *in c. quòd sicut. de elect.* & *c. cum nostris. de concess. præb.* Jo. Andr. *in c. Capitulum. de rescript.* Felin. *in c. inquisitionis. de accusat. n. 6.* Abb. *in c. 1. de in integr. restit. num. 19.* & *in c. quia plerique. de immunit. Eccles. nu. 31.* Idem habet Laym. *ad cap. grave. de præbendis & disp. de Prælatis. q. 53. & 59.* nimirùm electum aut provisum, si defectum scientiæ aut improbitatis tollere possit ac velit, ipsique lis nulla moveatur, in conscientia tutum esse, aitque Laym. *in c. cùm in cunctis. num. 15.* hanc ipsam doctrinam desumi ex generaliori principio seu regula, quam tradunt cit. AA. & insuper Nav. *de alienat. rerum Eccles. n. 17.* Sylv. *v. alienatio. q. 13.* Sa. *v. contractus.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 7. n. 12.* nimirùm, si in electione aut provisione beneficii, alienatione rei Ecclesiasticæ, similive actu desit solennitas aliúdve requisitum, licèt id secundùm jus positivum censeatur esse substantiale, si tamen observata sint ea, quæ spectato jure naturali necessaria sunt, electus, provisus, contrahens (modò nulla injuria intervenerit) tutus esse possit in conscientia, donec electio, collatio, alienatio, similísve actus ab eo, qui potestatem habet, rescindatur; quod ipsum jura non rarò significant, dum electionem v. g. quæ ipso jure infirma est, dicunt à judice irritandam; adeóque judicis sententiâ, saltem declaratoriâ, opus esse, ut electus vel provisus abscedere cogatur, juxta *c. cùm dilectus. de consuet. c. 1. de postul. c. scriptum. de elect. c. ult. de Clerico excommunicato.* subdit tamen Laym. *n. 16.* hanc doctrinam non ita accipiendam, ac si universalis sit, sive quòd Magistratui, cùm Ecclesiastico, tum sæculari desit potestas, latâ lege ob publicam utilitatem, electionem, collationem, contractum aliúmve actum, qui jure naturali præcisè spectato subsisteret, ita penitùs ab initio infirmandi, ut ne in conscientiæ quidem foro aliquis ex eo effectus sequatur; sed ita accipiendam dictam doctrinam, ut in dubio, & nisi lex aliud exprimat, vel ex natura contractus alteriúsve actûs necessariò aliud sequatur, præsumendum non sit, talem esse humanarum constitutionum rigorem, refertque seipsum *Theol. moral. l. 1. tr. 4. c. 16. n. 6. & 9.* Porro exempla aliqua sunt sequentia, in quibus lege Ecclesiasticâ ita infirmata est provisio beneficii, ut provisus nullum omninò jus in eo acquirat, ideóque illud retinere nequeat, sed dimittere obligatus sit in conscientia, nisi dispensationem titulíque revalidationem obtinuerit; quin &, si ita invalidè provisus in propria persona illud administret, incurrat vitium intrusionis, per quod de novo inhabilis redditur ad idem beneficium obtinendum, juxta ea, quæ dixerat *Theol. moral. loc. cit. c. 15. n. 3.* Primò, si quis provisus fuerit constitutus in excommunicatione majore. *c. postulâstis. de Cleric. excommunicato.* Suar. *de cens. d. 13. tota s. 1.* idque locum habere, etsi excommunicato occulta sit aut probabiliter ignota excommunicatio, ait Laym. citans Suar. *ubi antè, n. 3.* Abb. *in cap. postulâstis.* contra Felin. & Navar. Secundò, si provisus sit ab electoribus vel collatore suspensis, vel excommunicatis denunciatis, seu non toleratis. Tertiò, si postulatus, electus, confirmatus, provisus est, interveniente simoniâ, juxta *Extrav. 2. de simon. inter communes.* Quartò, si provisus infamis infamiâ juris. Vide de his dicta pluribus suis locis.

Quæstio 762. An, si beneficium conferatur aliis à designatis, teneat collatio?

Respondeo: si ob favorem ipsorum designatorum sit facta talis designatio, uti censetur facta, quoties consanguineis fundatoris vel oriundis ex certo loco beneficia designantur, tenet collatio, dum aliquis ex designatis non contradicit; non secùs ac collatio beneficii jurispatronatûs facta spreto patrono, dum patronus non contradicit; quia sicut rescinditur hæc collatio solùm ob præjudicium patroni, ita illa solùm ob præjudicium designatorum. Castrop. *de benef. d. 4. p. 9. n. 4.* citans Cenedo *ad decret. collect. 89.* Gutt. *l. 2. qq. can. c. 11. num. 37.* Garc. *p. 7. c. 11. à num. 1.* Si verò designatio facta non ob favorem designatorum, sed ob Ecclesiæ & beneficii respectum; dum nimirùm certo generi personarum, seu habentibus certas qualitates designantur beneficia, ut meliùs Ecclesiæ provideatur, & beneficii obligationibus satisfiat, præteritâ tali personâ, habente talem qualitatem, collatio facta alteri non habenti talem qualitatem est nulla, licèt nullus alius habens requisitam qualitatem

illud petat sibi conferri; quia Ecclesia, utpote in cujus favorem talis qualitas requisita, cùm sit semper invita, idcóque ad cujusvis, etiam non qualificati, petitionem collatio talis declarari potest nulla. Castrop. *ibid.* citans Garc. *ubi ante, à num.* 11. Intelligenda tamen hæc sunt, dum personæ sic qualificatæ reperiuntur, quæ ad talia beneficia aspirent; unde si contingat, nullum adesse taliter qualificatum, alteri, modò is aliàs sit habilis, potest de tali beneficio provideri. Corrad. *pr. benef. l. 2. c. 10. n. 67.* citans Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. a. 24. nu. 20.* Sic etiam, dum beneficium conferri debet certæ personæ, vel certo personarum generi, subintelligitur, si illa sit idonea, non aliàs. Corrad. *loc. cit. num.* 68. Item, siquidem adsint habentes requisitas qualitates, & non petant, vel renuant beneficium; dispositio enim illa intelligi debet, si adsit qualificatus, qui petat seu velit provideri. Corrad. *n.* 69. citans Rebuff. *super concord. rubr. de collatione. §. ult.*

Quæstio 763. An, si Episcopus contulit incapaci, possit iteratò conferre?

RESpondeo: quòd si Episcopus, in quo supposita ab initio simultanea cum Capitulo per concordiam seu pactum, aliàmve concessionem factam ei à Capitulo, solidatum est jus conferendi beneficium aliquod sub ea lege, ut certo generi personarum, seu habentibus certas qualitates, alteri personæ non habenti dictas qualitates illud contulit, adcóque nulliter, ultra nullitatem hujus actûs ex toto, non esse ademptam ei eam concessionem seu potestatem conferendi, quò minùs, etiam ad eandem illam vacationem, possit iterum providere de persona habente requisitas qualitates, modò res sit integra, id est, nisi aut ex temporis lapsu, aut ex appellatione interposita sit potestas devoluta, vel aliàs, putà, ex applicatione, provisione intercisa, ut dictum est suprà, ubi de potestate Capituli quòad conferenda beneficia. De cæterò collatorem, postquam semel indigno, præsertim scienter, contulit, non posse iteratò illud beneficium conferre alteri ad eandem vacationem, sed esse locum devolutioni, videtur sequi ex dictis de devolutione & præsentatione, ubi qualiter patronus variare possit.

Quæstio 764. Quænam sint pœnæ indignis conferentium?

RESpondeo: Prælatus indignis conferens beneficia, si post unam & alteram correptionem se non emendet, in Concilio provinciali à collatione beneficiorum suspendi debet. *cap. grave. de preb.* Laym. *ibid. n.* 4. hæc autem pœna longè diversa est ab ea, quæ decernitur *in c. cùm in cunctis. de elect.* ibi enim statuitur, ut eligens, (idem est de collatore) indignum pro ea tantùm vice, seu quòad ejus beneficii collationem privatus sit; hîc verò de cujuslibet beneficii provisionibus dicitur, si indignos promoveant, & moniti se non emendent, ut ab omni beneficiorum collatione suspendantur, suspensione Papæ vel proprio Patriarchæ reservatà, licèt aliter, etsi non rectè, ut inquit Laym. rem hanc explicet Gloss. *in cit. c. grave. v. persona.*

Quæstio 765. An Episcopo conferri possit beneficium?

1. RESpondeo primò: collatio dignitatum vel beneficiorum facta Episcopo est invalida, nisi fiat in dispensatione Papæ, aut ea justa & necessaria causa, v. g. quia Episcopus non erat in possessione Episcopatûs, sed exolabat; vel quia non habet fructus sufficientes ad se sustentandum, Garc. *p. 11. c. 6. n.* 44. citans Abb. *in c. cùm nostris. de concess. preb. num. 4. & 7. & 15.* Lamb. *p. 1. l. 2. q. 7. a. 16.* Rodr. *in sum. tom. 2. c. 10. n. 7.* Less. *de just. l. 2. c. 34. n. 139.*

2. Respondeo secundò: valet tamen collatio, præsertim beneficii simplicis facta Episcopo, qui renunciavit Episcopatui. Garc. *loc. cit. num.* 45. citans Navar. *cons. 14. & 15. de elect.* contra Cardin. *in c. ad supplicationem. de renunc. n.* 1. putantem etiam tali Episcopo non posse conferri beneficium sine dispensatione vel causa.

3. Respondeo tertiò: valet etiam facta Episcopo titulari, Garc. *ibidem.* & Nav. contra Bursatt. *cons. 351. l. 4. n. 23.* dicentem, quòd promotus ad Episcopatum titularem, per hoc reddatur inhabilis ad alia deinceps beneficia habenda sine indulto Papæ. Addit quoque Garc. *n.* 46. se respondisse, etiam pensionem reservatam Episcopo titulari sine dispensatione esse validam. Citat hanc in rem Sanch. *de matrim. l. 8. d. 4. à num.* 2. & Tusch. *lit. D. v. dispensatio.*

4. Respondeo quartò: valet collatio beneficii facta electo in Episcopum ante confirmationem; nam ante hanc est capax beneficii alterius, si sibi conferatur. Garc. *loc. cit. n.* 47.

Quæstio 766. An beneficium resignatum conferri possit consanguineis, affinibus, familiaribus collatorum & resignantium?

RESpondeo: de hoc dicendum infra de resignatione beneficiorum, ubi, quibus resignari possint beneficia. Cetera quæ hic examinari deberent, in specie de qualitatibus personarum, quibus conferenda beneficia, putà, de ætate, sanitate, scientia, moribus, legitimitate, carentia censurarum & infamiæ, bigamia, de semel facta earum rejectione, & similia omnia exactè tractata invenies tum *primâ part.* ubi de qualitatibus promovendorum ad beneficia, tum *sect. 2. hujus part.* ubi de eligendis.

PARAGRAPHUS II.

De collationis legitimæ conditionibus.

Quæstio 767. Quæ sit distinctio inter ea, quæ ut forma, & quæ ut conditiones requiruntur ad collationem?

RESpondeo: quæ ut forma requiruntur, ita servari debent, ut nec minimum omittatur, aliàs actus corruit; cùm forma det esse rei. Castrop. *de benef. in proœm. ad D. 3.* de quo vide plura apud Gonz. *gl. 4. num.* 137. Conditiones dicuntur, quæ non ita sunt ad actum requisitæ, ut ea illarum omissione actus corruat, quia actui adjacent. Castrop. *ibid.* Est autem hoc ipsum quandoque difficile discernere, num aliquid ut purè conditio, num ut quid formæ requiratur; illud tamen notandum, quòd, ut ait Castrop. regulariter loquendo, conditiones in beneficiorum provisione requisitæ hunc effectum præstent; nimirum quòd ex earum omissione actus sit nullus, ac ita naturam formæ induant.

Quæstio 768. Quot, vel quæ sint conditiones collationis legitimæ?

RESpondeo: sunt sequentes: quòd debeat esse pura, certa, facta in perpetuum, sine diminutione, & gratis.

Quæstio 769. An, & qualiter collatio fieri possit conditionatè, & quasi paciscendo?

1. RESpondeo primò: potest fieri sub conditione qualibet de præsente vel præterito, quæ beneficio de jure inest, aut ei annexa est, dicendo: v. g. confero tibi beneficium, si vacat, si ætatem ad illud requisitam habes. Garc. *p. 8. c. 2. num.* 4. citans quamplur. Castrop. *loc. cit. p. 1. n.* 4. citans Vasq. *de benef. c. 4. § 4. num.* 241. Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. q. 3.* Covar. *l. 3. var. c. 16. n.* 2. talis enim conditio, cùm cuilibet collationi sit annexa, ejus expressio collationem vitiare nequit. Castrop. *loc. cit.* & expressio conditionis, quæ de jure inest, nihil operatur, ut Bartol. *in l. 3. de Legatis.* quia, etsi non exprimeretur, debet tamen subintelligi. Laym. *in c. cùm dilecta. de rescript. n.* 6. Atque ita, cùm nihil operetur, non tam facit collationem condi-

dirio-

ditionatam, quàm abſolutam relinquit, & neqnaquam illam ſuſpendit. Laym. *in c. ſignificâſti. de elect. nu.* 1. Garc. *loc. cit. n.* 5. Caſtrop. *num.* 4. quin & licèt ſuapte naturâ inſit, ſeu annexa eſt, tamen expreſſa cautio obeſſe oon poteſt, & quandoque ad omnem dubitationem tollendam prodeſſe, juxta vulgatum illud: abundans cautela non nocet. Laym. *in c. ſi gratiosè. de reſcript. n.* 6. & ratum non eſt, ut quæ de jure inſunt eooditiones, exprimantur; quia expreſſa magis apprehendontur, qnàm ſubintellecta. Laym. *ad c. ſignificâſti. de off. & poteſt. jud. Deleg. n.* 1. Adeòque jam fieri poteſt collatio à collatore, etiamſi talis conditionis exiſtentiam ignoraret: v. g. vacationem beneficö, ætatem collatarii, ait Garc. *cit. n.* 4. Procedont hæc pariter de electione, Garc. *n.* 5. Caſtrop. *n.* 4. citantes Coraſ. *de benef. p.* 4. *c.* 3. *n.* 34. Lamb. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 3. *a.* 9. *n.* 2. contra Archid. Rebuff. Covar. &c. apud Garc. *n.* 7. cùm enim eligens eligendum tacitè oneret omnibus eonditionibus, quæ jure ipſi beneficio inſunt, quia has à beneficio ſeparare nequit, non poteſt hinc electio vitiari; cùmque adjecta talis conditio electionem non reddat conditionatam, aut obſcuram & incertam, obſtare non poteſt textus *c. in electionibus. de elect. in* 6. Moltóque magis procedunt de præſentatione, tam facta à patrono Eccleſiaſtico quàm laico, utpote quæ etiam eſſe poteſt ſub conditione de futuro incerto, dubio, modò intra tempus datum ad præſentandum purificetur talia conditio, tollatur dubium & obſcuritas; per illam enim ſublationem & purificationem præſentatio evadet abſoluta & certa. Caſtrop. *n.* 3. Garc. *n.* 3. ex Lamb. *loc. cit. a.* 5. *n.* 5.

2. Reſpondeo ſecundò: per adjectam conditionem de præterito vel præſenti, quæ beneficio de jure non ineſt, ſed eſt ab eo aliena, v. g. dum dicitur: confero Petro, ſi nobilis eſt (poſito nimirum hanc conditionem, neque ex ſpeciali jure, putà, ſtatuto vel diſpoſitione fundatoris ineſſe beneficio) vel: eligo Titium, ſi dives eſt, vel callet muſicam: reddi collationem & electionem illicitam & nullam, cenſet probabiliter Caſtrop. *loc. cit. n.* 7. eò quòd cùm tales conditiones beneficio & collationi extrinſecæ, non præſupponantur cognitæ collatori, (quod tamen ipſum ſæpè quoque evenit in condnionibus collationi & beneficio intrinſecis, v. g. dum ignoratur ætas, legitimitas &c.) collator videatur intendere, ut collatio & electio effectum habeant, ſi Petrus nobilis, dives &c. & id probatum fuerit, & non aliter; adeóque licèt videantur conditiones de præſenti, ob probationem tamen & verificationem illarum ſint de futuro. Contrarium tamen tenet Paſſer. *de Elect. c.* 18. *n.* 21. vide dicta *ſect. præced de elect.* Et in ſpecie, poſſe à Papa habente plenam in beneficiis poteſtatem fieri collationē ſub conditione, etiam de futuro, quæ non ineſt beneficio, ait Garc. *loc. cit. n.* 50. citato Felin. Selv. Coraſ.

3. Reſpondeo tertiò: per adjectam cooditionem de futuro contingente, etſi ea de juris oeceſſitate ſuppoſita ſit, v. g. dicendo: eligo Titium (idem eſt: confero Titio beneficium) ſi beneficium jam habitum, otpote incompatibile, priùs dimiſerit: ſi major pars Capituli conſentiet: ſi intra legitimum tempus ſe fecerit ordinari &c. vitiari abſolutè electionem (idem eſt de collatione) tradit Paſſer. *loc. cit. num.* 1. Verùm diſtinguunt id alii cum Garc. *à num.* 9. admittendo nimirum id, ſi tales cooditiones exprimantor eo modò, quo actui non inſunt, oempe ſuſpenſivè, (qualiter ſecundùm illos exprimuntur, dum dicitur v. g. confero Titio, ſi prius beneficium dimiſerit) negando verò, dum exprimuntur eo modo, quo actui inſunt, nimirum non ſuſpenſivè, qualiter eas exprimi cenſent hi Auctores, dum dicitur: ſi prius beneficium dimittat: ſi faciat ſe ordinari, &c.

4. Reſpondeo quartò: poſſunt onera & obligationes tacitè ſeu de jure, (intellige tam communi quàm ſpeciali) beneficio annexæ in ejuſdem collatione exprimi, eo modo, quo ſuâpte naturâ, ſeu ex neceſſitate inſunt, & collatio fieri ſub conditione, & veluti pactatione eas ſic expreſſas implendi, (v. g. ſi collator conferat curatum expreſſâ conditione, ut jam habitam parochialem reſignet, ut reſignans poſſit exigere fructus beneficii reſignati ante reſignationem decorſos & inexactos, &, ut Pariſ. *de confidentiis* 4. 45. & *de reſign. l.* 1. *q.* 12. apud Garc. ut reſignans poſſit exigere fructus uſque ad diem præſtiti conſensûs) abſque eo, quòd per hoc vitietur aut evadat ſimoniaca. Laym. *in c. ſignificaſti. de elect. n.* 1. Garc. *loc. cit. n.* 14. citans Suar. *de relig. tr.* 3. *l.* 4. *c.* 39. *num.* 9. & 16. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 27. *q.* 6. Ugol. *de ſimon. tab.* 1. *c.* 11. Pariſ. *de reſign. l.* 14. *q.* 6. *n.* 1. & *q.* 47. *n.* 22. Nav. *in man. c.* 23. *n.* 100. Selv. *p.* 2. *q.* 20. *n.* 2. juxta *cit. c. ſignificaſti.* & Gl. *ibi.* & Abb. & Decium.

5. Reſpondeo quintò: nequaquam citra ſimoniam exprimi poſſunt dicta onera, aot in pactum apponi alio modo, quàm quo de jure inſunt, ſeu annectuntur beneficio, ut ſi ſub novo & ſpeciali obligationis modo imponerentur, v. g. confero tibi beneficium, ſi juraveris, quòd velis reſidere, & ad Ordines promoveri, dum reſidentia & promotio ad Ordines aliàs ſimpliciter tantùm, & ex juris neceſſitate erant impoſita beneficio & beneficiato; jam verò inſuper novâ obligatione, nimirum religionis vi juramenti ad ea adigantur promotus. Item ut collatarius, qui de cetero ex gratitudine obligatus eſt collatori ſuo deferre honorem & obſequia, (adeòque de hac ipſa obligatione, ſicut hæc oaturaliter & neceſſariò ineſt, commoneri poteſt abſque ſimonia, dum confertur ei beneficium) promittat ſe eadem obſequia præſtiturum, ita ut jam inſuper ex fidelitate, aut etiam ex juſtitia ad ea teneatur, hæc nova obligatio, quæ ſuapte naturâ non inerat, inducitur ſimoniacè. Caſtrop. *loc. cit. n.* 6. citans ſeipſum *tr. de vitiis relig. oppoſ. d. ult. de ſimon. p.* 3. *n.* 2. Laym. *in cit. c. ſignificaſti. num.* 1. citans ſeipſum *Theol. mor. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 4. & remittens ad Abb. *in cit. c. ſignificaſti. num.* 6. Garc. *loc. cit. à num.* 16.

6. Reſpondeo ſextò: ſed neque citra ſimoniam exprimi, ſeu apponi poſſe conditionem, ſeu conferri beneficium ſub conditione, quæ beneficio non ineſt, etſi ea aliàs ſit opus pium, tradit Garc. *loc. cit. num.* 17. citans Put. Caputaq. &c.

Quæſtio 770. An igitur etiam illicitè aut invalidè à collatore in collatione beneficii à collatario exigatur juramentum, v. g. de reſidendo, de non renunciando beneficio in favorem tertii?

1. RESpondet primò Nav. apud Garc. *l. c. n.* 30. Item Ugolin. & Pariſ. apud eundem *n.* 31. affirmativè, eò quòd talis videatur conferre beneficium cum diminutione, & intervenire hìc conditio, modus vel pactum, quod jure non ineſt actui conferendi, vel recipiendi beneficium, quod redolet ſimoniam.

2. Reſpondet ſecundò Garc. *à n.* 32. & maximè 39. ſub diſtinctione, nimirum procedere hanc Nav. doctrinam *conſ.* 37. *de ſimon. n.* 1. ſi collatio fiat cum conditione, modo ſeu pacto præſtandi poſtea talis juramenti, citátque pro hoc *c. quam pio.* 1. *q.* 2. *c. Artaldus.* 1. *q.* 3. *c. fin. de pactis. c. tua nos. de ſimonia.* Non tamen procedere dictam doctrinam, ſed licitam eſſe & validam exactionem talis juramenti, ſi ante collationem exigatur tale juramentum, præſtandum ante eandem, v. g. dicendo, volo tibi conferre hoc beneficium, ſed præſta priùs juramentum de reſidendo &c. aliàs non collaturus tibi beneficium. Imprimis enim in hoc caſu non intrat regula de conferendo ſine diminutione, ut patebit ex dicendis infrà, Garc. *cit. n.* 23. neque exactio illa eſt illicita; quia juramentum illud non eſt de re illicita, aut contra bonos mores. Garc. *n.* 41. niſi fortè exigeretur ab habente jus ad beneficium, v. g. quia præſentatus; vel haberet literas in forma *dignum*, tunc enim videretur ei fieri injuria, exigendo ab illo juramentum, ad quod non tenetur. Garc. *cit. n.* 41. qui tamen *n.* 42. ſubdit, id locum non habere in eo, qui in concurſu pro parochiali eſt repertus dignior, ſed poſſe ab illo exigi dictum juramentum; eò quòd non videatur habere jus ad parochiam ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, quòd Ordinarius velit conferre ſeu eligere: nec tale juramentum eſt invalidum; cùm ſit de objecto licito & honeſto,

& ob bonum finem, nempe ob utilitatem Ecclesiæ. Garc. *n.* 43. Nec denique intervenit in tali collatione propriè conditio, modus aut pactum; multòque minùs ex tali juramento ante collationem præstito, quia aliàs collator non vult conferre, dici posse induci Simoniam; cùm juramentum illud non sit de faciendo aliquid in utilitatem ipsius collatoris vel alterius directè, (quo casu, ut Garc. foret simonia, juxta c. *talia.* 8. *q.* 3.) ait idem Garc. *n.* 34. & 40. citans pro hoc Sanc. *de matrim. l.* 1. *d.* 39. *n.* 4. Idem cum Garc. tenet Laym. *in c. significatum. de præb. n.* 5. dicens: si conditio honesta & requisitum sit tale, ad quod instituendus vel collatarius rationabiliter & cum Ecclesiæ utilitate obligari possit, & ita exigatur, ut exinde collator nullum directè vel indirectè commodum temporale percipiat, desuper exigere promissionem vel juramentum ante institutionem aut collationem non videtur illicitum; licèt enim talia, cùm novam obligationem afferant, ideòque pactationem contineant, in ipsa collatione exigi non posse videantur, non potest tamen damnari, si consuetudo aut statutum sit, (vel etiam tum primò fiat) ut recepturi beneficium ante collationem super tali requisito honesto juramentum edant. Citat Laym. pro hoc Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 5. *in fine.* & *p.* 2. *l.* 6. *c.* 9. 4. 2. rationem dat, quòd id non censeatur pactum, sed statutum, seu consuetudo, cui se conformare debent, qui beneficia consequi volunt.

Quæstio 771. An, & qualiter provisio pura exstinguat conditionatam?

RESpondeo: dum quis impetravit gratiam sub conditione, v. g. mandatum est provideri alicui sub conditione, & dein non exspectato eventu illius conditionis, seu ante purificationem illius alteri fit provisio absoluta seu pura, exstinguitur gratificatio illa conditionata priori facta, veluti jus debilius per jus fortius, Lott. *l.* 2. *q.* 51. *n.* 38. & 49. juxta *c. si pro te. de rescrip.* Laym. *in eodem c. n.* 1. hujus rei ratio dari debet, quòd conditio de futuro contingente suspendit quamlibet dispositionem & mandatum, ita ut ante non sortiatur effectum, quàm ea conditio evenit. Laym. *ibid.* Hinc etiamsi posterior vi gratificationis puræ impetravit canonicatum, antequam conditio, sub qua alteri facta gratia, impleatur, postmodum etiam in assecutione præbendæ tanquam potiore jure nixus, præferendus est priori impetranti gratiam sub conditione, & posteriùs recepto ad canonicatum. Laym. *loc. cit.* dicens, hunc esse casum *cit.* c. *si pro te.*

Quæstio 772. An, & qualiter provisio beneficii debeat esse certa, & non vaga aut dubia?

RESpondeo, debere esse certam & determinatam, hinc fieri non posse sub disjunctione, v. g. dicendo: *confero Titio aut Cajo*; dum enim voluntas conferentis, ex qua dependet, & vim habere debet collatio tanquam donatio, sit hac ratione indeterminata, nullus ex taliter disjunctivè nominatis provisus remanet. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 10. juxta gl. *in c.* 2. *de elect. in* 6. ubi: electio & postulatio sic facta, ut dubia & incerta reprobatur. Huc etiam reducitur, dum collatio fit conjunctim, hoc est, simul duobus confertur idem beneficium, & sic unicum jus, idémque titulus duobus accommodatur, quod fieri nequit, & graviter inhibetur *c. tua fraternitati. de præbend.* Castrop. & Azor. *ll. cit.* Laym. *in cit. c. tua. n.* 1.

Quæstio 773. An, & qualiter necesse sit, ut collatio beneficii fiat palam?

RESpondeo: tametsi collatio facta clandestinè & secretè suspicione fraudis non careat, Pirh. *ad tit.* 12. *l.* 3. *n.* 2. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Garc. *p.* 8. *c.* 4. *n.* 3. citans Abb. & gl. *in c. consuluit. de off. deleg. v. odit lucem*, dum actus clandestini sunt suspecti, juxta *cit. c. consuluit.* & contra clam dantes, vel benefacientes, vel judicantes jure est suspicio. *l. ita fidei. ff. de jure fisci. l. non existimo. de administ. tutel.* non tamen propterea collatio est nulla, sed valet; nec ideo est irritanda. *c. unico. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur.* Pirh. *loc. cit.* Azor. *loc. cit. q.* 4. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 4. citans Mascar. *de prob. concl.* 176. *n.* 7. Coras. *de benef. p.* 4. *c.* 1. *n.* 7. & 8. Selv. *p.* 3. *q.* 17. *n.* 4. &c. Nec obstat textus *c. quia propter. de elect.* quia speciale est electioni, quòd ea facta clandestinè non valeat. Garc. *n.* 5. de quo & quando electio dicatur clandestinè facta, vide dicta fusè de elect. Quin & electio, in qua servanda non est forma dicti *cap. quia propter.* occultè & clandestinè facta valet, non secùs ac collatio. Garc. *n.* 8. citans Selv. *ubi ante.* Nav. *consi.* 8. *de elect.* Baysium *in directorio Electionum. p.* 3. *c.* 37. *n.* 3. &c. Tametsi autem collatio secreta valeat, adeóque ad ejus valorem testes non requirantur; ut tamen ea probari possit, & fides de ea quoquomodo fieri, requiruntur testes, vel saltem instrumentum collationis, sive ut collator literas provisionis suo sigillo munitas concedat. Castrop. *cit. n.* 9. Garc. *n.* 10. citans Mascar. *concl.* 174. *n.* 6. quæ tamen literæ juxta stylum Curiæ Rom. factam collationem non probant contra provisos apostolicos, & in eorum præjudicium ad evitandas fraudes. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 11. citans Lamb. Coras. Rebuff. Mandos. &c. & dicens hoc velle Azor, dum ait, ex usu Curiæ Rom. receptum esse, ne collatio sine testibus facta sit rata & firma. Idque verum ex *decis.* Achil. 172. & *decis.* Chisanensis 81. ait Garc. *n.* 12. & 14. etiamsi in literis Ordinarii ejus sigillo sigillatis nominati essent testes, si testes hi non subscripserint, aut secretarius Ordinarii fuisset notarius; nisi fortè post dictas Ordinarii literas collationis provisus resignâsset, & de consensu resignationis constaret per duos testes, ut Garc. *n.* 13. vel in vigore talis collationis factæ ab Ordinario accepisset possessionem ante provisionem Apostolicam, & adesset instrumentum hujus possessionis. Garc. *n.* 14. & 15. juxta dictam *decis.* Chisan. & *resolut.* Rotæ *in una Auxitana castri Baldi.* & Mandosium *ad reg.* 8. *q.* 8. *n.* 4. quem citat. Ait etiam Garc. *à n.* 24. hæc non procedere, sed provisionem factam ab Ordinario probari per literas Ordinarii, etiam non subscriptas à notario contra provisum Apostolicum, dum non agitur de antidatione; sed provisus ab Ordinario fatetur provisionem esse anteriorem; dicit tamen, eam esse invalidam, eò quòd, cùm Papa Ordinario indultum concessserit, sibimet manus ligârit; tunc enim conferre beneficium spectet ad Ordinarium, & sic credatur ejus literis cum solo sigillo ipsius, citat pro hoc Nav. *consi.* 1. *de fide instrum.* Zerol. *in pr. p.* 2. *v. Bulla* §. 7. & Rot. *in Leodiensi. canc.* 18. *jan.* 1557. vide de his & affinibus Garc.

Quæstio 774. An, & qualiter collatio fieri possit pro determinato tempore?

1. RESpondeo primò, Papam posse beneficium de cetero non manuale, sed perpetuum, conferre ad determinatum tempus. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *n.* 7. citans gl. communiter receptam *in c.* 2. *de elect.* Rebuff. *in pr. tit. requisita ad bon. collationem. n.* 14. citans *c. si gratiosa. de rescrips. in* 6. licèt dicat, Papam id non solere facere, & vix hoc recipiendum in Francia.

2. Respondeo secundò; ab aliis collatoribus id fieri non posse, sed provisiones beneficiorum debere fieri necessariò in perpetuum. Azor. *ibid.* Castrop. *loc. cit. n.* 12. provisiones enim pro determinato tempore sunt contra beneficii naturam, quæ est jus perpetuum ad fructus. Castrop. *ibid.* Tametsi autem beneficia manualia sint ad nutum aufferibilia, nunquam tamen conferuntur pro certo & determinato tempore, sed pro indeterminato & incerto, ac proinde de se perpetuò, ut Castrop. dum tempus incertum pro perpetuo quodammodò habetur, ut Azor. *loc. cit.* porrò alii modi, de quibus Rebuff. *loc. cit.* 1. *n.* 16. putà commenda, quæ fit ab Ordinario ad 6. menses

de

de Eccleſia parochiali, datio coadjutoris durante morbo principalis, datio procuratoris Eccleſiæ vacanti, &c. ſimiléſve conceſſiones beneficii ad tempus non ſunt propriè collatio, quæ fit in titulum, ſeu quâ confertur beneficium in titulum.

Quæſtio 775. An, & qualiter collatio debeat fieri liberè?

1. RESpondeo primò, proviſio beneficii, cùm ſit liberalis donatio, debet eſſe libera à coactione, hoc eſt, non extorta per vim aut metum, aliàs erit nulla. Caſtrop. *cit. p.* 1. *n.* 8. Azor. *loc. cit. n.* 2. juxta *c.* 2. *de his, quæ vi metúſque cauſâ fiunt.* & *c. ad aures.* & *c. penult. tit. eod.* porrò collatio non deſinit eſſe libera, dum ex ſtatuto Eccleſiæ, aut jure aliquo ſpeciali tenetur collator, v. g. Epiſcopus conferre ſub teſtimonio duorum vel trium teſtium, dum teſtimonium hoc non habet vim conſilii & aſſensûs, & teſtes hi veriùs ſunt teſtes bonæ vel malæ collationis quàm participes. Lott. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 122. Nec ideo minùs dicitur libera collatio, quia jus conferendi ſpectat ad plures; conſideratur enim in collatoribus pluribus jus hoc tanquam individuum. Lott. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 29. quin & adhuc eſt libera, dum fieri debet certo generi perſonarum, & fieri non poteſt proviſio ad parochiam, niſi digniori judicato, de quo vide dicta alibi.

2. Verùm quidquid ſit de his & ſimilibus, obſervandum, hîc non quæri de ea libertate collationis, de qua in *reg.* 8. *cancell.* nimirum quâ libertate libera dicitur collatio, quæ expediri valet ad totalem conferentis voluntatem, ut Menoch. *de arb. l.* 1. *q.* 7. *n.* 34. Ruinus *conſ.* 18. *n.* 6. apud Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 46. *n.* 3. & ad quam non requiritur citatio, neque requiſitio, aut interventus alterius, ut Abb. *in c. licet Epiſcopus, de præb. in* 6. apud eundem Gonz. *loc. cit. n.* 4. quæque ab omni neceſſitatis obſervantia & ſolennitate eſt abſoluta, ut Tiraq. apud eund. *n.* 5. de quibus vide fusè & exactè agentem Gonz. *gl.* 46. 47. *& ſeq.* Verùm quæri hîc ſolùm de libertate, quæ excludit coactionem & ſubreptionem; qualiter autem collatio debeat eſſe libera, hoc eſt, immunis à ſubreptione, dicetur alibi, ubi de literis apoſtolicis proviſionalibus. Vide tantiſper Garc. *p.* 8. *c.* 3. *per tot.*

Quæſtio 776. An, & qualiter collatio beneficii (idem eſt de alia proviſione, putà, præſentatione, inſtitutione, confirmatione) fieri debeat ſine diminutione?

1. RESpondeo primò in genere: proviſio beneficii fieri debet abſque omni diminutione, ut habetur expreſsè *c. unico, ut Eccl. benef. ſine diminutione conferantur.* Porrò diminui dicitur beneficium 4. modis, nimirum per impoſitionem oneris, diviſionem, diſmembrationem, ſuppreſſionem. De tribus poſterioribus diminutionis ſpeciebus alibi; de prima, etiam quatenus comprehendit penſionis impoſitionem, ſive de penſionibus, quoque alibi. Illud tamen hîc obſervandum, diminutionem aliàs communiter idem ſonare quod diſmembratio, quando nimirum non tollitur unitas beneficii, ſed pars fructuum ei aufertur, & alteri beneficio applicatur, adeóque diſtinguitur à diviſione, qualis dicitur, dum ex uno beneficio fiunt duo. Laym. *ad c. majoribus. de præb.*

2. Reſpondeo ſecundò in ſpecie, non licere ulli collatori inferiori Papâ in ipſa proviſione beneficii onus ullum præter ea, quæ in ipſa beneficii erectione ſeu fundatione ei annexa ſunt, imponere, ſeu collatarium gravare ullo onere reali vel perſonali, v. g. reſervando ſibi vel alteri fructus, aut eorum partem, imponendo penſionem, aut impoſitam augendo &c. Quia ſic ſaltem periculum eſt pravitatis ſimoniacæ, præſertim dum oneris exſolutio cedit directè aut indirectè in collatoris commodum. Laym. *in c. cùm clerici, de pactis. n.* 2. Et ſi tale quid exigatur pro collatione, ſeu in collatione de eo paciſcatur, aut à collatario promittatur, eſt expreſſa Simonia. Pirh. *ad cit. c. unic. n.* 2. Engels. *ibid. n.* 2. Laym. *loc. cit. n.* 1. De cetero non prohibetur Epiſcopus, non quidem quà collator; ſed potiùs quà judex Eccleſiaſticus, ſeu quà Epiſcopus, ut Engels, non ex pacto, ſed per auctoritatem ſuam ordinariam, ut Pirh. *loc. cit.* quandoque ob rationabilem cauſam neceſſitatis hujuſmodi aliquid imponere beneficio, v. g. penſionem jam impoſitam augendo, præſertim, ubi majores nunc, quàm antè fructus ex beneficio proveniant. Laym. *loc. cit.* aut partem aliquam redituum beneficii vacantis ſubtrahere, & ad cauſam piam, v. g. fabricam Eccleſiæ applicare, ſibique ad tempus reſervare, etiamſi id in ipſius Epiſcopi conferentis commodum aliquo modo cedat, v. g. ad ſolvenda debita Epiſcopatûs contracta nomine Eccleſiæ, & non ſuo privato nomine, vel pro ſua ſuſtentatione, Pirh. Engels. *ll. cit.* Quin & in quibuſdam Germaniæ locis ſeu Eccleſiis vigere conſuetudinem, ut ex beneficiis, v. g. parochialibus loco primorum fructuum, ſeu nomine annalis dematur aliquid ad Epiſcopales proventus augendos, teſtatur Laym. *ad cit. c. unicum, ut Eccleſ. benef. &c.* Sic poteſt monaſterium, cui incorporata parochia, dum in ea inveſtiri facit vicarium, reſervatâ ſibi annuâ penſione juxta redituum facultatem, auctis dein reditibus parochialibus augere dictam penſionem, ex Abb. *in c. cùm clerici, de pactis*, ait Laym. *loc. cit.* Id tamen intelligendum aſſerens, ſi auctio redituum ſit notabilis, & non uno tantùm anno, ſed pluribus durans; & niſi hæc auctio redituum proveniat ex induſtria Vicarii, utpote cui diligentia ſua damnoſa eſſe non debet, ſic quoque tradit Laym. *ad c. ſignificatum, de præb. n.* 4. poſſe Epiſcopum ex rationabili cauſa beneficio, dum vacat, adjicere novum onus, v. g. ut beneficiatus deinceps habeat catechiſmum, ut capellania ex prima fundatione habens onus legendi hebdomatim unum tantùm vel duo ſacra, dein habeat onus legendi plura ſacra, ſi tamen reditus ſufficiant, & Eccleſia indigeat frequentiori ſacrificio: vide dicta ſub initium, ubi qualiter onera impoſita à fundatore poſſint mutari; verùm hæc impoſitio oneris, putà, dicta auctio vel reſervatio &c. ante collationem beneficii, ſeu antequam alicui conferatur, facienda. Laym. *ad cit. c. cùm clerici.* Sive pro cautela, ut evitetur pactio, ipſi rei ſeu beneficio onus eſt imponendum, ita ut ad quemcunque beneficium tranſeat, cum ſuo onere tranſeat. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 3. Laym. *in c. ſignificatum. de præb. n.* 4. ex Abb. *in idem c. n.* 7. minùs etiam rectè fieret poſt collationem ſine conſenſu beneficiati; quia in jure quæſito alicui præjudicari regulariter non poteſt. Engels *loc. cit.* citans Zoëſium *ad cit. c. unic. n.* 2. unde, ſi neceſſitas urgeat, nullumque beneficium vacet, aut vacantium beneficiorum reditus non ſint ſufficientes, potiùs ab omnibus ſibi ſubjectis clericis exigere aliquid poteſt Epiſcopus. Engels *ibid.* remittens ad *tit. de cenſibus.* & Barb. *de off. Epiſcopi alleg.* 87.

3. Nequaquam igitur poterit Epiſcopus, multóque minùs collator aliquis inferior fructus tempore beneficii vacantes obvenientis ſuis uſibus applicare, (ſed hi futuro ſucceſſori reſervari debent) niſi fortè ex ſpeciali privilegio, vel legitima & rationabili conſuetudine aliud introductum ſit. Engels *loc. cit. n.* 3. citans *c. cùm vos. de off. ordin. c. præſenti. tit. eod. in* 6. & *c.* 5. *de exceſſ. præl.* num autem ſpectato jure communi Epiſcopus ex juſta cauſa reſervare ſibi poſſit ad tempus integros reditus beneficii vacantis, non convenit inter Auctores; affirmant apud Pirh. *loc. cit. n.* 3. gl. *fin.* Innoc. *in cit. c. unic. ut Eccleſ. benef. ſine diminut.* Hoſt. *in ſum.* §. *quamvis*, eò quòd, cùm Epiſcopus ex juſta cauſa de conſenſu capituli beneficium poſſit exſtinguere, multò magis poſſit ad tempus reſervare ſibi illius reditus. Neque huic ſententiæ obſtare videre, quòd *c. penult. de verb. ſignif.* per privilegium Papæ conceſſum fuerit Epiſcopo, ut fructus beneficiorum in ſua diœceſi vacantium ad ſolvenda debita Eccleſiæ ſuæ ad biennium ſibi retinere poſſet, quo privilegio opus non fuiſſet, ſi id jure

communi Episcopis licitum esset. Nam dici posset, ut ait Pirh. *loc. cit. n.* 3. privilegium hoc in casu *cit. c. penult.* impetratum esse à Papa solùm ad majorem securitatem, aut quia Capitulum Episcopo contradicebat. Neque obstare quia videtur *clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* ubi permittitur Episcopo unire beneficia cum consensu capituli, ita tamen ut suæ, vel capituli mensæ non uniantur; nam ibi, ut ait Pirh. *loc. cit.* citans Barbos. *ad cit. c. unicum*, *n. ult.* sermo est de perpetuis unionibus beneficiorum, quod extendi non debet ad reservationes fructuum beneficiorum ad tempus. Contrarium, nimirum non licere Episcopis citra speciale privilegium & licentiam Papæ, & præscindendo à consuetudine legitima, de qua paulò supra ex Engels & Laym. tenent Laym. *ad cit. c. unic. n.* 3. Pirh. *ibid. n.* 4. citans Abb. *in idem c. n.* 20. idque argumento *cit. Clem. II.* prohibentis Episcopo unire beneficium mensæ suæ in perpetuum; utpote cujus ratio, nempe quòd Episcopus hac ratione auctoritatem præstaret in facto proprio, seu in proprium commodum, tam militat in tali unione seu reservatione fructuum pro mensa sua temporali, quàm perpetua; unde & tenent hi auctores & expressè Pirh. *loc. cit. n.* 4. citans Laym. & Jo. And. *in c. si propter. de rescrip. in* 6. quòd licèt urgente causâ, v. g. necessitate reparandæ Ecclesiæ citra tale privilegium Episcopus cum consensu capituli possit statuere, ut primi anni fructus ex beneficiis vacantibus in diœcesi applicentur ad fabricam Ecclesiæ suæ cathedralis, si urgeat necessitas ejus reparandæ, non tamen possit sic statuere in usum mensæ suæ. Et, quòd, quando dicitur in genere, quòd Episcopus possit fructus integros beneficii vacantis ad tempus ex justa & necessaria causa reservare, ait Pirh. non esse justam causam, ut retineat eos in propriam utilitatem.

Quæstio 777. An, & qualiter collatio fieri debeat gratìs?

RESpondeo, debet fieri gratis, hoc est, sine ullo pretio, præmio aut mercede, aliàs committitur Simonia. *c. si quis objecerit. c. salvator* 1. *q.* 3. *c. quam pro* 1. *q.* 2. Castrop. *loc. cit. n.* 1. Estque hoc ipsum de ratione beneficii, ut gratis conferatur. Unde jure merito provisiones beneficiorum Eccles. gratiæ appellantur, longéque magis urget ratio hujus denominationis gratiæ in provisionibus beneficiorum, maximè apostolicis, quàm in concessionibus feudalibus; cùm in his ferè semper quidpiam penditur vel rependitur concedenti. Lott. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 3. ex Suar. *de ll. l.* 8. *c.* 2. *n.* 9. Et sicut feudum non perdit nomen gratiæ ex obligatione feudatarii; cùm semper præponderet id, quod conceditur, ita multò minùs collatio ex eo, quòd provisus recipiat beneficium propter officium. Lott. *loc. cit. n.* 2. porrò de Simonia, quæ in provisione beneficiorum committitur, ex professo alibi.

PARAGRAPHUS III.

De modo, quo fieri debet collatio.

Quæstio 778. An, & qualiter necesse sit præmittere examen collationi beneficiorum simplicium: dico simplicium; qualiter enim præmittendum collationi parochiarum seu beneficiorum curatorum, aut etiam deputationi vicarii curati temporalis & perpetui, de eo satis accuratè actum, ubi de vicariis & parochiis; dico etiam collationi, hoc est, liberæ, quæ fit absque præsentatione; qualiter enim præmittendum examen institutioni, vel etiam præsentationi, dictum quoque est alibi.

1. RESpondeo primò: dum providetur beneficium per collationem, sive ab Episcopo, sive à Prælatis inferioribus, regulariter opus non est examine per concursum, aut faciendo per Examinatores synodales, non solùm spectato jure antiquo, (utpote vi cujus requiritur solùm idoneitas in promovendo juxta *c. constitutus. 2. de appellat.* & Abb. Franc. Decium &c. *ibidem*) sed etiam novo Trid. utpote quod pro solis curatis beneficiis præscripsit formam examinis per concursum, in aliis autem requisivit solùm habilitates de jure communi necessarias; quæ, cùm aliunde notæ esse possint conferenti, opus non est hoc examine. Gonz. *gl.* 6. *à n.* 242. citatis quamplurimis. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 3. *p.* 4. *n.* 1. Garc. *p.* 9. *c.* 3. *n.* 4. dixi regulariter; quia quandoque ex speciali privilegio Apostolico aut consuetudine, vel statuto quarundam Ecclesiarum beneficia quædam simplicia per concursum sunt providenda: qualiter ex *constitut.* Sixti IV. & Leon. X. conferendos esse canonicatus doctorales & magistrales cujuslibet Cathedralis in regnis Castellæ, testantur Castrop. *loc. cit. p.* 3. *n.* 1. Gonz. *loc. cit. n.* 246. Item sic beneficia patrimonialia filiis patrimonialibus in quibusdam Hispaniæ diœcesibus per concursum conferenda, testantur iidem.

2. Respondeo secundò: sed neque opus est ullo alio examine in isto casu notæ conferenti idoneitatis; quia nullibi in jure pro his beneficiis præscriptum examen pro forma. Castrop. *cit. p.* 4. *n.* 4. Gonz. *gl.* 5. *n.* 86. dicens examinari non debere in ordine ad hæc beneficia eos, qui notoriè literati sunt & habiles, citans pro hoc Felin. *in c. fin. de præsump. n.* 28. Mandos. *in reg.* 24. *q.* 3. *n.* 3. Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 1. *q. fin. a.* 3. *n.* 1. *&c.* Et specialim *n.* 87. ex Rebuff. *in pr. tit. de rescripto in forma pauperum pro graduatis*, idem dicens de graduatis, ne aliàs Universitatibus fiat injuria; eò quòd hi examinati jam sint & approbati in Universitatibus; Verùm & graduati per ipsum Trident. *sess.* 7. *c.* 13. excipiuntur ab examine, etiam dum ad præsentationem vel electionem ad istiusmodi simplicia promoventur: sed neque quicquam de aliis per collationem liberam promovendis ibidem aut alibi disponit Trid. cùm solùm loquatur de beneficiis jurispatronatûs & electivis, seu per institutionem & confirmationem acquirendis; seu nihil aliud vetat, quàm institutionem & confirmationem cujusvis beneficii Eccles. fieri sine prævio examine instituendi seu confirmandi facto per Ordinarium. Castrop. *cit. n.* 3. *&* 4.

3. Hinc etiam jam infertur, eo ipso, quòd quis admissus sit & initiatus sacris Ordinibus sive à collatore ipso Episcopo, sive ab alio, præsumatur habilis ad simplicia beneficia, ita ut novo examine opus non sit. *c. accepimus. de ætat. & qual.* & ibi Hostiens. *n.* 12. Rebuf. *in pr. tit. de rescripto in forma communi pauperum &c.* Castrop. *loc. cit. n.* 4. hanc dans rationem, quòd eædem qualitates ad Ordines & ad beneficium simplex requirantur.

4. Limitanda tamen hæc illatio: quòd semel in ordine ad ordines suscipiendos, vel aliter examinatus examinari ampliùs non debeat: Primò nisi examen ex statuto, aut speciali aliquo jure esset pro forma statutum; tunc enim etsi aliàs factum in ordine ad alium finem, necessariò repeti debet, aliàs actus corrueret, etsi constaret & notorium esset, promovendum esse valde literatum & idoneum. Gonz. *loc. cit. n.* 89. citans Lamb. *ubi ante. q.* 11. *a.* 3. *n.* 1. Paris. *cons.* 12. *n.* 47. Fusc. *de visit. l.* 2. *c.* 5. *n.* 10. Mandos. *ad reg.* 24. *q.* 3. *n.* 8. *&c.* Secundò nisi causa nova supervenisset, qualis esset, si per longum tempus studia intermissa, & hinc prudenter præsumi posset literaturæ necessariæ oblivium, Castrop. *loc. cit.* Gonz. *n.* 96. Tertiò nisi beneficium simplex sit qualificatum, veluti dignitas sine cura, vel canonicatus in cathedrali, (vel etiam, ut addit Gonz. collegiata) quia similia beneficia requirunt specialem industriam, & consilium, quæ sacri Ordines non requirunt. Castrop. *loc. cit.* Gonz. *n.* 102. citans Menoch. *de præsump. l.* 6. *præsump.* 91. *n.* 21. Quartò, nisi fortè beneficium

tale

tale simplex haberet adjunctum aliquam administrationem sacramentorum, vel curam aliquam exercendam animarum; tunc enim promovendus etsi sacerdos jam sit, deberet examinari, si aliunde, quàm ex ordinatione non constaret idoneum esse, argumento Trid. *sess.* 14. *n.* 3. Castrop. *loc. cit.* Gonz. *n.* 102.

Quæstio 779. An, & qualiter facienda collatio (vel etiam alius actus) cum consilio alterius?

1. RESpondeo primò, cùm collatio facienda cum consilio alterius (putà, ex mente fundatoris aut alio jure speciali) tenetur collator eum requirere pro consilio, aliàs collatio, & quilibet alius actus erit ipso jure nullus, ut in terminis collationis est textus expressus *in c. cùm in veteri. de elect.* & *ibi* gl. *v. exspectatum.* Butrio *n.* 1. Imol. *n.* 1. Abb. *n.* 3. *& seq.* Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 76. Gonz *gl.* 46. *n.* 5. citans textus quampl. & AA. in terminis aliorum actuum, putà sententiæ, aditionis hæreditatis, de procuratore, institutore &c. Siquidem resiquisitio consilii, ubi requiri mandatur, est de forma, adeóque debet præcedere consilium, & esse prius quam consiliatum; omissio autem formæ inducit nullitatem. Gonz. *loc. cit. n.* 15. ex Felin. *in c. ex parte. de constit. n.* 1. *& seq.* Sed neque huic responsioni obstat textus in *l. quidam. §. Papinianus. & l. Titium & Mavium. ff. de administratione tutorum.* ubi probatur, quòd si testator mandavit tutori filii sui, ut administret tutelam cum consilio matris vel fratris, qui contutor non erat, tutor talis non teneatur petere consilium de necessitate, sed tantùm de urbanitate, & gesta à dicto tutore illis inconsultis valeant; nam huic difficultati ad elucidationem quoque nostræ responsionis occurrit Bartol. *l.* 1. *ff. de exercit. actione. §. si plures.* apud Gonz. *loc. cit. à num.* 9. (qui etiam *n.* 14. ait, hanc Bartoli doctrinam & distinctionem esse communiter receptam ab AA. *in cit. § si plures.* & in specie ab Alberico *ibid. n.* 14. Paul. Castrens. *n.* 6. Abb. *in c. ex parte. de constit. n.* 4. Butr. *n.* 9. Imol. *n.* 4. Felin. *n.* 1.) distinguendo nimirum: vel enim assignatur consultor, qui non est, nec esse potest particeps officii, quod habet ille, cui onus petendi consilium imponitur, (qualis in illa *l. quidam.* erat mater, utpote quæ tutrix esse non poterat, ut Gl. *in cit. l.* 1. *de exercit. actione ad §. si plures. v. impetravit*) & tunc tenet actus non petito consilio: vel assignatur consultor, qui potest esse capax & particeps dicti officii, & in hoc casu jam subdistinguendum: vel hoc onus petendi consilium imponitur ab homine alicui habenti potestatem à lege, (qualis est tutor vel curator, qui licèt nominatus à testatore, habet tamen potestatem a lege *l.* 1. *ff. de tutelis. l.* 1. *c. de juram. calum*) & jam non tenetur de necessitate petere consilium à consultore, ne potestas legis pendeat ex arbitrio alieno; & hic erat casus, de quo *cit. l. Titium & Mavium.* vel imponitur dictum onus non ab homine, sed ab ipsa lege alicui habenti potestatem ab eadem lege, & tunc actus non tenet, nisi petito dicto consilio, juxta *Anthent. de non alien. reb. Eccl. l. impuberibus. ff. de suspect. tutor. c. novit. c. quanto. de his, quæ fiunt à Prel.* quos textus citat Gonz *num.* 13. Aut denique onus requirendi consilium imponitur ab homine alicui habenti potestatem non à lege, sed ab ipso homine, veluti si Dominus mandet suo procuratori vel institutori, ut nihil faciat sine consilio Titii, & tunc quoque actus nullus est, nisi consulto Titio, *l.* 2. *l. idemque. ff. mandati. l. sed & si pupillus. ff. de instit. actione. c. cum olim de arbitris. c. cùm in veteri. de elect. c.* 2. *de corpore vitiatis &c.* apud Gonz. *n.* 14.

2. Nihilominus multifariàm limitatur responsio nostra à Felin. apud Gonz. *à n.* 16. Primò, ut non procedat, quando periculum est in mora; quia consulendus erat absens. *c. unico. ne Sede vac. in* 6. & *ibi* Felin. *n.* 1. post Abb. *ibid. n.* 4. cujus limitationis declarationes & sublimitates quinque vide apud Franc. *in cit. c. unic. §. fin. n.* 3. Secundò, dum aliquid fieri cum consilio alterius mandatur habenti priùs potestatem expeditam id faciendi liberè sine tali consilio, v.g. si Papa mandaret ordinario collatori, ut provideat de prima vacatione cum consilio Caji, absque tamen appositione decreti, quòd aliter facta provisio sit irrita, valebit actus seu collatio ipso jure, licèt factus inconsulto Cajo, & faciens illum actum sit puniendus; quia tale mandatum censetur potiùs emanare ad excitandam quàm impediendam jurisdictionem, & videtur mandatarius ille potiùs actum facere ex jure suo & priore potestate, quam habebat, per textum *c. dilectus. de præb. c. licèt. de off. Ord. c. cùm aliquibus. de rescript. in* 6. Felin. *loc. cit.* citans Abb. *in c. ex parte. de constit. n.* 5. & Imol. *n.* 4. apud Gonz. *n.* 17. *&* 18. dicentem, pro hac limitatione esse pulchram glossam *in Clement. de jurepatronatûs. v. inhibentes.* quam Felin. *in c. ex parte n.* 2. extendet & 6. modis limitet. Tertiò, dum is, qui consulendus erat, non erat capax dandi consilium. Felin. *in cap. ex parte. sub num.* 7. apud Gonz. *num.* 19.

3. Respondeo secundò: petendum est consilium, dum res adhuc est integra, adeòque petitio consilii debet præcedere expeditionem actûs, v.g. collationis, ita ut si postmodum peteretur, actus sit invalidus. *c. cùm in veteri. de elect.* & *ibi* Hostiens. Butrio. Abb. &c. quos citat & sequitur Gonz. *loc. cit. n.* 38. Laym. *in c. cùm in veteri. n.* 6. Petendum etiam congruo & competente tempore, hoc est, ut tantum temporis spatium supersit, quo consultor deliberatum responsum dare queat. Laym. *loc. cit.* juxta *cit. c. cùm in veteri.* & Butr. *ibi n.* 5. *&* 6. ita ut si is, qui tenebatur requirere consilium, arctavit se ad extremitatem temporis, non valeat collatio, aliúsve actus sine consilio gestus, licèt propter extremitatem temporis non potuerit habere consilium; hoc enim imputandum est ei, qui in tantum se arctavit. Gonz. *loc. cit. nu.* 39. ex Abb. *in cit. c. cùm in veteri. n.* 7. *&* 9. Laym. *loc. cit.* hinc

4. Respondeo tertiò: ita requirendum consilium, ut consultor habeat tempus sufficiens ad deliberandum, priusquam respondeat, adeo, ut unus impedire possit, quo minùs responsum detur ante tempus competenti deliberationi sufficiens. Laym. *loc. cit.* quapropter post petitum consilium exspectandum est responsum debito & congruo tempore, hoc est, necessario ad hoc, ut consultor possit cuncta rimari & considerare, juxta *c. cùm in veteri.* & Innoc. Butr. Abb. & alios *ibi.* Gonz. *n.* 40. ne, si eo responso non exspectato intra tempus congruum progrediatur, actus sit nullus. Gonz. *loc. cit. n.* 5. & ne, si consultor repeorè consulat, consilium sit nullum, ut Butrio. *in c. si pro debilitate. n.* 13. *de off. Deleg.* Felin. *in c. Ecclesia S. Mariæ. n.* 12. *de constit.* & alii apud Gonz. *num.* 45. prout sententia est ipso jure nulla, si fuit lata intra tam breve tempus, ut acta verisimiliter non potuerint videri, ut Jason. *in l. judices. n.* 2. *c. de judiciis.* Fed. de Sen. *in tr. de sententia. n.* 3. & plures alii apud Gonz. *n.* 46. Quòd tamen consilium fuit requisitum opportunè, & exspectatum debito tempore & competente, si consultor differat plus debito respondere, vel non vult impendere consilium, potest procedi ad actum, non exspectato consilio, ut probatur à contrario sensu *c. cùm in veteri.* Gonz. *n.* 60. citans Abb. *in cit. c. num.* 8. & Butr. *n.* 7. Lamb. *de jurepat. l.* 2. *p.* 2. *q.* 4. *a.* 11. *num.* 2. *&c.*

5. Respondeo quartò: qui tenetur conferre, vel alium actum expedire cum consilio alterius, dum exquisivit illud, & exspectavit congruo tempore, non tenetur illud sequi. *c. cùm in veteri. c. cùm olim. de consuetud. c.* 1. *de Capell. monach.* Gonz. *loc. cit. n.* 61. cum communi, id speciatim probans, in variis exemplis *à num.* 62. de natura enim consilii est, & ex proprio significatu, quòd non obliget. *c. nullus ex consilio. de reg. juris in* 6. *c. denique. dist.* 4. Gonz. *n.* 75. citans insuper Abb. Felin. Decium *in c.* 1. *de constit.* & plenissimè Menoch. *de arb. l.* 2. *cas.* 38. & generatim loquendo, libertas esse debet petentis con-

consilium, ut examinare apud se possit, num consilium expediat. Laym. *loc. cit. n. 9.*

6. Limitanda tamen hæc responsio primò, nisi consilium detur non habenti plenum intellectum; tunc enim sequendum, aliter actus erit ipso jure nullus, juxta *l. impuberibus. ff. de suspect. tutor.* ubi, quòd impuberes possunt curatores suos de suspectis accusare, modò id faciant ex necessariorum consilio, quod sequi tenentur, ex quo sunt minores, & plenum intellectum non habent, ut Bartol. *in dict. l.* & AA. communiter. Gonz. *loc. cit. n. 77.* citans insuper Butr. *in c. cùm olim. de arb. n. 15.* & Abb. *ibid. num. 5.* Existimari siquidem in eo casu debet, mentem mandantis esse, ut sine illius consensu & approbatione nihil agatur; quia alioqui negotio non satis prospectum esset. Laym. *cit. n. 9.* Secundò, nisi consilium sit petendum ab eo, qui est particeps officii, juxta *l. Titium. ff. de administr. tutor.* ubi: quòd si quis nominatus tutor testamentarius, ita ut omnia gerat cum consilio fratris testatoris, & hic frater est particeps officii, seu contutor, nihil agatur, nisi tutor hujus contutoris consilium exquisierit, & secutus fuerit, ut *ibi* Bartol. Gonz. *n. 78.* citatis Abb. & Butr. *ubi ante.* Laym. *loc. cit.* obiter etiam quòd idem dicendum, si ejus, cujus consilium requirendum, aliâ ratione intersit, v. g. Capituli aut patroni, ne jura Ecclesiæ diminuantur; tum enim etiam consensus exspectandus est per se & ordinariè loquendo. Hinc limitanda est responsio Tertiò, nisi consilium ratione subjectæ materiæ sumatur pro consensu, prout contingit *in c. venerabilis. de off. Deleg.* juxta Gl. *ibid. v. consilio.* Gonz. *n. 80.* citans Abb. *in c. cum olim. de arb. n. 4.* Selv. *p. 1. q. 6. n. 22. &c.* Quartò, nisi ex mente proferentis vel qualitate negotii aliud colligatur. Gonz. *n. 88.* citans Imol. *in c. cum olim.* Franc. *in c. unic. ne Sede vac. in 6. &c.* Quintò, nisi ex vi specialis statuti, consuetudinis aut rescripti illiteratus judex teneatur sententiam dicere cum consilio Sapientis; tunc enim, si illud non fuerit secutus, sententia erit ipso jure nulla, juxta Castrens. *cons. 1. n. 2. l. 3.* Vantium *de nullitate ex defectu jurisdict. n. 152.* Lancellott. *de attent. p. 2. c. 9. n. 13.* Menoch. *de arb. l. 1. q. 23. n. ult. &c.* apud Gonz. *à num. 82.* Denique dum dicitur, ut procedatur de vel ex consilio, debere aliquem sequi hoc consilium; secùs, si dicatur *cum consilio*, tradunt Jo. And. *in c. nullus ex consilio. n. 10. de reg. juris in 6.* & Alberic. *in l. quidam decedens. ff. de administ. tutor.* apud Gonz. *n. 85.* qui tamen *num. 86.* ait, veriorem esse opinionem contrariam: eò quòd in jure non reperiatur fundata ista differentia, citat pro hoc Bartol. *in l. 1. §. si plures. de instit. actione.* Imol. *in c. cum olim. de arb. n. 8.* Gemin. *in c. 1. ne Sed. vac. §. fin. in 6.* Franc. *ibid. n. 5.* Ait tamen Gonz. *n. 87.* quòd si diceretur, ut procedatur secundùm vel juxta consilium, illud necessariò sequendum sit; eò quòd si mandetur pronunciari sententia juxta vel secundùm consilium, & pronuncietur contra vel præter illud, nemo ambigat violari formam traditam, & actum corruere, juxta *cap. cum dilecta. de rescript. c. cus. de non sacerdotali. de præb. in 6.* citat pro hoc Lap. *in reg. nullus ex consilio. n. 5. de reg. juris in 6.* Butr. *in c. cum olim. de arb. n. 19.* qui etiam dicat, non esse in hoc differentiam inter dicere: *De consilio;* & dicere: *Juxta vel secundùm consilium.* Plures alias limitationes erui posse ex dictis à Gemin. & Franc. *loc. ult. cit.* ait Gonz. *n. 88.*

7. Denique ad illud, quod hic quæri poterat, num, si lege, statuto aut ex commissione alicui facta ad actum aliquem, v. g. ad electionem expediendum, adhibendum sit consilium aliquorum, talis actus circa illam ipsam personam, cujus consilium exquirendum, exerceri valeat, v. g. ea eligi, vel ei conferri beneficium possit? Respondetur affirmativè. Argumento *c. cum in veteri.* Laym. *ibid. n. 4.* posse etiam tunc præteriri illam in petendo consilio, præsertim dum & alii præter illam denominati consultores, & ab iis solis peti consilium, tradit Laym. Argumento *cit. cap.* & juxta Gl. *ibid.* quam sequitur Butrio *ibid. n. 17.* contra Abb. & Jo. And. volentes, saltem tunc in genere ejus exquirendum consilium; eò quòd forma mandati exactè sit servanda; ad quod tamen respondet Laym. in mandato potiùs attendendum ad mentem, quàm verba mandantis, & in commissione aut mandato excipiendum esse casum specialem, quem ipsemet mandans specialiter exclusum seu non comprehensum voluit; talem autem esse casum petitionem consilii ab eo quoad faciendam electionem, quem Electores eligere decernunt.

Quæstio 780. An & qualiter collatio (idem est de quocunque alio actu) facienda cum alterius consensu?

1. Respondeo primò: si collatio fieri debet cum consensu alterius, facta sine illo est nulla. *c. 1. 29. q. 1.* Host. *in c. olim. num. 4. ibidem.* Jo. And. *n. 10.* Imol. *n. 7.* Butr. *n. 14.* Abb. *n. 4.* quos præter alios citat & sequitur Gonz. *gl. 47. n. 3.* consensus enim, quando requiritur, semper præsumitur esse de substantia actûs. Gonz. *ibid. n. 14.* citans Bald. *in l. fin. c. de bonis, quæ liberis. n. 16.* Menoch. *de præsumpt. l. 9. præsumpt. 34. n. 15. & 13.* quamvis autem, qui actui consentit, actum ipsum gerere videatur, juxta *l. sicut. ff. de arb. l. si fundus. ff. de pignoribus. l. si liqueat. c. de inoff. donat.* & Bald. *ibi, not. 2.* Tiraq. *de LL. connub. gl. 5. ex n. 145.* apud Gonz. *n. 16.* propriè tamen & strictè loquendo, aliud est conferre, aliud conferenti consentire. *c. unico. ne sed. vac. in 6. c. aliud est. ff. de reg. juris.* Gonz. *n. 18.* Sic quidem idem sunt eligere, & electioni consentire, quoad voluntatis approbationem; sed non ad alios effectus, dum eligens auget numerum suffragiorum, non autem consentiens electioni; sic aliud est vendere, aliud venditioni consentire. Laym. *in c. nulli. de elect. in 6. n. 2.* Quare distinguendum ita, ut consentiens propriè dicatur facere, si sit verus dominus, secùs si non sit dominus; cùm tunc non tam faciat, quàm quandam obstantiam de medio tollat, ut Bald. *in l. ut personis. c. de servo pignori dato. n. 1.* Gonz. *n. 19.*

2. Respondeo secundò: sicut, dum actus debet fieri de consilio & consensu alterius, sufficit solus consensus illius; cùm quilibet consensus habeat in se inclusum consilium eodem contextu. Oldrad. *cons. 44. n. 5.* Franc. *in c. 1. de Clerico ægrotante. in 6.* & *in c. unic. ne Sed. vac. in 6.* apud Gonz. *num. 10. & 11.* Ita etiam, dum actus debet geri de consensu alterius, sufficiet solum consilium; cùm satis dicatur consentire, qui consuluit. Franc. *loc. ult. cit.* apud Gonz. *n. 12.*

3. Respondeo tertiò: dum lex seu dispositio exprimit, seu declarat, quòd consensus ille debeat esse expressus, non sufficit tacitus. Gonz. *num. 20.* citans Jo. And. Franc. Gemin. & Gl. *in c. statutum. de rescript. in 6.* & Tiraq. *in LL. connub. gl. 7. n. 7.* Si enim in lege vel dispositione non fit mentio expressi consensûs, tunc, si consensus requiritur pro forma, non sufficit tacitus, sed opus est expresso. Gonz. *num. 12.* citans *c. cum ab uno. de re judic. in 6.* juxta Gl. *v. mandantibus.* & *ibid.* Gemin. *n. 2.* Abb. *in c. dilecti. de arb. num. 10.* Gomes. Mendos. &c. dicénsque id variis modis limitari à Granutio *l. 1, Theorem. 25. n. 18.* Dum verò consensus non requiritur pro forma, probabiliùs sufficiet regulariter consensus tacitus. Gonz. *num. 22.* citans Barth. & Jason. *in l. 1. §. voluntatem. ff. solut. matrim.* Roch. *de jurepatr. v. pro eo, quòd de diæcesani consensu.* Lamb. *l. 1. p. 1. q. 2. a. 6. n. 1. & 2.* Tiraq. *ubi ante, n. 6.* & plures alios. Consensus autem expressus dicitur, qui verbis exprimitur; tacitus, qui ex factis resultat. Gonz. *nu. 23.* juxta Gl. *in Clem. sæpè. de verb. signif. §. fin. v. non contradicentibus.* Consensus expressus multis modis dicitur, de quibus videndus Tiraq. *de LL. connub. gl. 7. à num. 86.* Paris. *de resign. l. 8. q. 10. & seq.* Tacitus verò quot modis indicatur, vide per gl. *in c. dilecti. de appellat. v. facto pro voluntate.* & *ibi* AA. communiter. Mascar. *de prob. conclus. 416. & 417.* Tiraq. *de jure constituti. p. 3. limitat. 40. n. 12.* Porrò præter alia signa, ex quibus cognoscitur consensum esse formalem auctorizabilem, seu pro forma & ad solemnitatem requisitum, illud ex omnium sententia ferè est potissimum,

ut

ut ait Gonz. *num.* 31. *&* 32. remittens ad Bartol. *in l.* 1. *ff. de Legat. n.* 2. *&* 3. Tiraq. *in LL. connub. gl.* 6. *n.* 5. *& seq.* Felin. *in c. edocuit. de rescript. n.* 7. dum consensus requiritur ob favorem publicum; secùs si requiratur ob favorem privatum illius, qui consensum præstare debet.

4. Respondeo quartò: regulariter loquendo, consensus potest sequi, ita ut actus sit validus, ac si intervenisset consensus à principio. Gonz. *num.* 33. citans Tiraq. *ubi antè, n.* 1. Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 10. *n.* 5. *& seq.* Lamb. *l.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *a.* 16. *n.* 1. Abb. *in c. novit. de judiciis. n.* 4. *&c.* Limitandum tamen hoc ipsum: nisi consensus requiratur formalis & auctorizabilis; quia tunc, si non concurrit in ipso actu, actus est à principio nullus, & licèt posteà consensus sequatur, actus non convalescit. Gonz. *n.* 34. præter jam cit. citans insuper Butrio *in c. cùm consuetudinis. de consuetud. n.* 20. & Imol. *ibid. n.* 5. Rebuff. *in comp. de reb. Eccl. n.* 15. Redoan. &c. ac dicens, alias limitationes videndas apud Jason. *in l. si quis mihi.* §. *jussum. num.* 43. *ff. de acquirenda hered.* Idem ferè tradit Laym. *ad c. prudentiam. de off. & potest. jud. Deleg. n.* 2. ubi etiam, quòd consensus sequens non sufficiat ad confirmandum seu ratificandum actum præcedentem, dum actus propter defectum consensûs omnimodè seu omni jure est irritus; (nisi fortè specialis fictio aut juris dispositio subveniat. V. g. si quis meo ignorantis nomine quid egit, possum dein ratum habere, ac si mandâssem, juxta *reg.* 10. *in* 6. ratihabitionem retrotrahi, & mandato, non est dubium, æquiparari) sic, dum non approbatus pœnitentes absolvit, non potest Episcopus aut Papa posteà, quod actum est, ratum habendo, absolutionibus valorem tribuere. Si verò actus aliquo modo, v. g. spectato jure naturali, est validus, licèt jure positivo sit irritus, tunc duo attendenda: Primum, num actus ob defectum præstiti consensûs jure positivo irritus subsit adhuc potestati & dispositioni illius, qui illum ratificare postmodum cupit, & valebit ratificatio. Sic Capitulum ratificare ex post potest, quæ non requisito consensu illius à Prælato acta sunt. Sic Episcopus ratificare contractus, quos Capitulum Sede vacante instituit, si Ecclesiæ utiles. Secùs si actus talis non subest ejus potestati. Alterum, quod attendendum, num consensus similisve forma requiratur ob favorem potissimùm privatorum, & tunc hi, quorum interest, possunt renunciare favori, adeò ut, si nihil contra actum opponatur, censeri debeat validus; secùs si consensus similisve conditio requiratur ob bonum publicum. Vide eund. Laym. *ad c. quotiens. de pactis.*

5. Respondeo quintò: consensus requisitus pro validitate collationis est præstandus de tempore vacationis beneficii, & non ante. Gonz. *num.* 35. ex Puteo *l.* 2. *decis.* 153. *n.* 1.

6. Respondeo sextò: consensus ille præstari potest per literas, nuncium aut procuratorem. Gl. *in l. si cùm dotem.* §. *si patri. ff. solut. matrim. v. oportet.* & ibi omnes. Gonz. *n.* 36. citans Paris. *n.* 8. *q.* 8. *per tot.* Tiraq. *de LL. connub. gl.* 6. *n.* 20. *& seq.* ubi id modis aliquot limitat.

7. Respondeo septimò: si is, qui consensum præstare debet, renuat consentire, potest compelli, ut consentiat, nimirùm per Superiorem, qui ei id mandet; aut si maneat in contumacia, hoc est, sine justa causa pergat recusare præstationem sui consensûs, Superior loco ejus consensum præstare potest, & is sufficiet, juxta *l. cùm non solùm.* §. *necessitatem. c. de bonis, quæ liberis.* & *c. nullus. de jurepatr.* & ibi Gl. & AA. communiter. Gonz. *n.* 37. citans Abb. *cons.* 65. *dub.* 5. *l.* 2. Felin. *in c. cùm venerabilis. n.* 33. *de except.* & potissimùm remittens ad Lamb. *de jurepatr. l.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 20. *per tot.* Dum autem adest justa aliqua causa negandi consensum, non potest quis cogi à Superiore ad illum præstandum. Gonz. *n.* 43. citans Abb. *in c. licet. de regularib. n.* 9. & Lamb. *ubi antè, n.* 13. ubi etiam, quòd si Superior compelleret ad consentiendum, in hoc casu locus esset appellationi ad Superiorem Superioris illius. Porrò dum actus, super quo fuit primò præstitus consensus, fuit nullus, tenetur de novo præstare consensum ille, qui ad præstandum fuit obligatus, ut actus validè fiat, cùm paria sint, non præstare consensum, & inutiliter præstare consensum. Gonz. *n.* 40. *&* 41. ex Puteo *l.* 3. *decis.* 258. *per tot.*

8. Respondeo octavò: num consensus præstandus per Capitulum collationi factæ per Episcopum debeat collegialiter præstari, vel sufficiat, quòd singulariter præstetur per Capitulares non congregatos capitulariter; latè videndum apud Felin. *in cap. cùm omnes. de constitut.* Denique observandum hic, consensum differre à licentia primò, quòd licentia semper & necessariò debeat præcedere; consensus autem regulariter, ut dictum, sequi possit. Gonz. *nu.* 45. *&* 46. citans *Authent. licentia. c. Episcopus & Clericus. c. licet. de regularibus.* Bartol. Castrens. Jason. *in l. si quis mihi bona.* §. *jussum. ff. de acquir. possess.* Secundò, quòd consensus sufficiat tacitus, dum non requiritur pro forma, licentia verò debeat esse regulariter expressa, (etsi quandoque, ut Gonz. *num.* 53. ad diversos effectus & ratione materiæ subjectæ sufficeret licentia tacita.) Gonz. *n.* 50. citans Gl. *in Clem.* 1. *de testam. v. obtenta.* & ibi AA. Corsettum *in suis singularibus. v. licentia.* Tiraq. *in ll. connub. gl.* 7. *n.* 8. *&c.* unde non sufficit tacitus consensus, ubi licentia requiritur. Gonz. *num.* 51. citans Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 16. *num.* 8. Lap. *alleg.* 86. *n.* 3. Roman. *in l.* 2. §. 1. *n.* 11. *ff. solut. matrimon.* Tertiò, quod consensus regulariter est sequendus; secùs de licentia. Gonz. *cit. num.* 53. *&* 54. remittens ad Bald. *in l. fin. c. ad Macedonian.* ubi alia plura de licentia. Differt etiam consensus à jussu, quòd jussus & mandatum debent præcedere, consensus potest præcedere & sequi, &c. Gonz. *n.* 55. citans plures.

Quæstio 781. Qualiter collatio facienda cum interventu aliorum?

1. Respondeo primò: dum in expeditione collationis seu alterius actûs requiritur interventus alicujus, si actus absque eo expediatur, ipso jure est nullus. *c. ob omnibus.* 63. *dist.* 2. *c. causam matrimonii. de off. Delegat.* Gonz. *gl.* 48. *n.* 2. citans insuper Gambar. *de permut. benef. n.* 120. & dicitur clandestinus & occultus, ut patet in matrimonio, quod, etsi contraheretur in præsentia parochi vel alterius Sacerdotis de parochi aut Ordinarii licentia, est clandestinum & nullum. Gonz. *num* 30. Neque dicta præsentia parochi, cùm pro forma requiritur, suppleri potest per ullum æquipollens, ut declaravit S. Congregatio. Gonz. *nu.* 31. Accipitur autem interventus propriè pro præsentia corporali, licèt lato quodam modo intervenire quoque dicatur ille, qui sine corporali sui vel procuratoris præsentia in actu exercendo concurrit consilio, consensu, vel auctoritate aut aliàs. Gonz. *n.* 18. *&* 19. juxta *l. sed etsi pupillus.* §. *conditio. ff. de instit. actione.* juxta Gl. & Albericum. *ibid. n.* 7.

2. Respondeo secundò: nequaquam præsentia seu interventus requisitus importat consensum, juxta dicta aliàs *ad reg.* 8. *Cancell.* sed sufficit præsentem esse quempiam, etsi contradicat, ut patet *ex l. coram Titio. ff. de verb. signif.* ubi dicitur: *Non etiam velle se debet; nam & invito eo rectè fit, quod jussum est.* & *l. diem proferre. ff. de arb.* Item ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. disponente; nullum esse matrimonium, nisi contrahatur in præsentia parochi & testium; & tamen, licèt parochus & testes inviti & per vim compulsi & contradicentes interveniant, valet matrimonium ex declaratione S. Congregationis. Gonz. *n.* 7. *&* 6. Felin. *in c. cum causam. de testibus. n.* 3. Neque importat consilium; cùm de natura consilii sit, quòd requiratur ante actum opportuno tempore, & exspectetur per debitum tempus; cùm in præsentia sufficiat, quòd in ipso actu interveniat. Gonz. *à num.* 11. Neque importat quidquam aliud fieri aut dici ab eo, cujus præsentia requiritur. Gonz. *n.* 9. citans Bartol. *in l. Modestinus. de donat. tomb. n.* 3. Bald. *in l. illud. c. de sacrosanctis Ecclesiis. n.* 4. Ad quid tamen requiratur & conducat

præ-

præsentia, si opus non sit, à præsente dari consensum, consilium aut quicquam aliud fieri, dictum est aliàs *ad reg. 8. Cancell.* Vide de hoc Gonz. *à num. 23.*

3. Respondeo tertiò: importat tamen præsentia scientiam & intelligentiam, & absque ea non dicetur præsens, etsi adsit de cætero corporaliter. *cit. l. coram Titio. de verb. signif.* Gonz. *num. 2.* citans Card. *in Clem. causam. de elect. in 6.* Masc. *de prob. concl. 9.* Menoch. *de præsumpt. l. 6. præsumpt. 21. n. 1.*

4. Respondeo quartò: dum interventus requiritur pro forma, non sufficit illum, cujus præsentia requiritur, casualiter actui supervenire, seu repentinè adesse, si ad illum actum adhibitus non est; dum, qui casualiter adest, adesse non videtur. Gonz. *num. 32.* citans *l. quæsitum. §. fin. ff. de Legat. l. generali. §. uxor. ff de usufructu.* Milium *in repertor. v. præsens censetur.* Mandos. *cons. 18. num. 13.* & seipsum *gl. 43.* Et sic testis repentini dictum nullum est; quia non præsumitur informatus sufficienter. Gonz *num. 33.* citans *cap. qui ambulat. 5. q. 5.* Barbatiam *in c. si pro debilitate. de off. Deleg. n. 43.* Gomes. *in c. 1. de judic. in 6. num. 86. &c.* Vide eundem Gonz. *n. 35.* ubi recitat hanc declarationem S. Congreg. *Parochus præsens matrimonio debet esse, ut appareat à contrahentibus adhibitum fuisse: secus si præsens casu fuisset.* Item aliam fusiorem ejusdem contenti; in cujus fine tamen dicitur, parochum adhuc esse & dici posse adhibitum, quamvis ex alia causa esset vocatus. Vide etiam eundem Gonz. *n. 22.* ubi dicit, non requiri citationem, ubi adest præsentia, quæ habetur pro citatione; citat pro hoc *l. de unoquoque. ff. de re judic.* Bald. *in c. plerumque. de rescript. n. 3.* Bartol. *in l. patre furioso. ff. de re judicata. n. 6.* Abb. *in c. tenor. de re judic. n. fin.* Vantium *de nullitatibus. c. fin. n. 15. &c.*

5. Respondeo quintò: dum requiritur præsentia alicujus, regulariter est necessaria præsentia corporalis, nec sufficit procurator, seu ratificatio; quia ille dicitur verè præsens, qui præbetur sensibus corporis, & personaliter ac corporaliter adest, ut Gl. *in Clem. dudum. §. denique. v. præsentari. de sepulturis.* Abb. Franc. Dec. *in cap. cum parati. de appellat.* qui dicunt id notandum de statutis & aliis dispositionibus, requirentibus præsentiam alicujus ad certum actum. Gonz. *n. 36.* Sic v. g. si statutum requirit præsentiam consanguineorum in contractu mulieris, debent hi intervenire præsentiâ corporali; quia statutum requirit præsentiam veram, & non fictam, & sic non possunt satisfacere per procuratorem. Gonz. *n. 37.* ex Bald. *in l. 1. n. 54. & fin. c. qui admitti ad bonorum possess.* & Tiraq. *in ll. connub. n. 31. ad finem.* Quæ tamen responsio limitanda primò: nisi requiratur præsentia alicujus Universitatis, vel Capituli, Collegii, &c. tunc enim potest Capitulum, Collegium, Universitas aliquos constituere, qui illorum nomine interveniant. Gonz. *n. 38.* citans Abb. *in c. non potest. de sententia & de re judic. nu. 12.* Felin. *in c. cum omnis. de constitut. num. 30.* Decium *in c. cùm parati. de appell. num. 4. &c.* Secundò: nisi justum impedimentum esset; quia tunc poterit actus expediri per procuratorem ejus personæ singularis, cujus præsentia requiritur. Gonz. *n. 39.* citans Decium *ubi antè.* Aretinum *in c. licet ex quadam. de testibus notab. 8. &c.* Tertiò, nisi materia subjecta sit talis, quæ ex natura sua non requirit præsentiam corporalem. Gonz. *num. 41.* citans Abb. *in c. cùm parati. n. 5.* Felin. *ubi ante. &c.*

6. Respondeo sextò: quòd si is, cujus præsentia requiritur, interesse noluit, recurrendum erit ad Superiorem, ut is ei mandet intervenire, eo nolente judex ipse vel alius ejus loco deputatus intersit; vel ut actus sine illius interventu expediri valeat. Gonz. *n. 42.* ex Tiraq. *de ll. connub. gl. 8. n. 20. & seq.* ubi etiam, quòd hoc postremum sit consultius remedium; vel etiam sine ulla additione Superioris, dum qui interesse debebat, requisitus debito & opportuno tempore, ut interveniat pro certo die, hora & loco assignato & opportuno, aliàs actum expediendum sine ipsius præsentia, non venerit, procedi potest ad actum, & is tunc tenebit gestus sine illius præsentia. Gonz. *num. 43. & 44.* citans Archid. *in c. Episcopus. 15. q. 7. n. 1.* Bald. *in l. 1. c. qui admitti ad bonor. possess. n. 51.* unde etiam si is, cujus præsentia requiritur, esset mortuus vel absens, ita ut esset periculum in mora, si exspectaretur, actus gestus sine tali præsentia erit validus. Gonz. *n. 45.* ex Tiraq. *ubi antè. num. 6. 13. & 16.*

7. Respondeo septimò: dum requiritur præsentia alicujus in actu, regulariter non præsumitur dictus actus gestus cum dicta præsentia, nisi probetur; quia præsentia est quid facti. Gonz. 60. citans *l. optimum. c. de contrahend. & com. stipul.* Jason. *in l. Titia. ff. de verb. obligat. num. 5.* Felin. *in c. tenor. de sentent. & re judic. num. 3.* Menoch. *de præsumpt. l. 9. præsumpt. 14. & 18.* qui duo postremi id variis modis limitant.

Quæstio 782. Qualiter collatio facienda de scientia vel conscientia alterius?

Respondeo: In hoc casu collatio fieri nequit, nisi collator priùs notificet Titio, vel illum certiorem faciat; nequaquam autem tunc requiritur consilium, consensus aut præsentia Titii, sed sufficit, quòd nudam habuerit scientiam. Gonz. *gl. 49. n. 8.* citans Bald. *in rubr. c. de exercitor. & institor. actione. num. 7.* Felin. *in c. ex parte. n. fin. de constitut.* Tiraq. *de ll. connub. gl. 7. n. 35.* qui tamen *n. 36.* tradit, quòd si ille, cujus scientia requiritur, est Superior, scientiam habere vim consensûs, & requiri illius consilium.

Quæstio 783. Qualiter collatio facienda ad supplicationem alterius?

Respondeo: dum id requiritur, collatio facta non tenet, nisi priùs alterius supplicatio præcedat; nam licèt preces supplicantis non obligent, (cùm supplicatio concernat gratiam & meram liberalitatem ejus, cui supplicatur. Lancell. *de attent. p. 2. c. 19. n. 25.* Maranta *de ordine judiciorum. p. 2. actu. 2. tit. de appell. n. 18*) negari tamen non potest, esse obligationem exspectandi talem supplicationem; & vel sic collatio non dicetur libera ad effectum, *reg. 8. cancell.* cùm restringatur mera & libera facultas conferendi, quomodocunque collatori placuerit. Gonz. *gl. 49. n. 10. & 11.*

Quæstio 784. An & qualiter, dum collatio spectat ad Capitulum & Episcopum simul, (idem videtur esse, dum spectat ad duos alios) fieri possit ab uno sine altero?

1. Respondeo primò: posse fieri ab eorum uno, & tenebit per unum illorum facta; eò quòd jus conferendi competit cuilibet in solidum, etsi unus non confert, censetur consentire collationi ab altero factæ, dum non contradicit, & sic veluti simul cum illo conferre. Lott. *l. 2. q. 21. n. 24.* Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 6. num. 61.* citans Mandos. *reg. 17. q. 14.* Gonz. *gl. 45. n. 69.* Garc. *p. 5. c. 4. n. 42.* atque ita factâ collatione per quemlibet eorum, statim jus acquiritur proviso, cùm sufficiat, alterum non contradicere; licèt enim actus sit simultaneus, est tamen in solidum penes utrumque, & sic dividuus respectu exercitii. Corrad. *ibid.* Lott. *loc. cit. n. 25.*

2. Respondeo secundò: quin, ut evitetur devolutio ad Metropolitanum, potest Capitulum instante termino temporis semestris monere Episcopum, eòque negligente solùm conferre sine Episcopo. Idem vice versâ potest Episcopus. Laym. *ad cap. dilecto. de suppl. negl. Præl.* de his sparsim alibi plura.

Quæstio 785. Utrùm collatio egeat certâ verborum formâ?

Respondeo: inspectâ juris communis dispositione, in collationibus beneficiorum non exigitur certa

aliqua

aliqua verborum forma, poteſtque fieri proviſio per quemcunque actum, ſive verbo, ſive nutu, modò voluntas exprimatur conferentis. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 15.* Lott. *l. 2. q. 1. n. 28. & l. 3. q. 19. n. 27.* citans Lamb. *de iurep. l. 2. p. 3. q. 11. a. 1. n. 9.* Selv. *p. 3. q. 10. n. 11.* & Rotam *in Calagurit. beneficii. 22. Junii* 1622.

Quæſtio 786. An collatio indigeat literis?

1. Reſpondeo primò: quod attinet proviſionem ſeu collationem Apoſtolicam, tametſi, ut Lott. *l. 3. q. 1. n. 4.* non deſint, qui ſolo verbo abſque ulla ſcriptura velint hunc actum collationis Apoſtolicæ confici. Argumento *Clem. dudum. de ſepult. §. nos etenim.* & Gl. *ibid. v. verbo.* dum totam Principis gratiam ſtare volunt in ejus lingua, (quod non ad omnem gratiam, ſed ad eam ſolùm, quæ ex natura nullam exigit ſcripturam, & quam Princeps vult ſine aliquo ſcripto, referendum declarat Suar. *de ll. l. 8. c. 2. n. 2. & 8.* citatus à Lott. *dictà q. 1. nu. 6.*) Verius tamen eſt, hunc actum ſcripturam exigere. Lott. *ibid. n. 7.* non enim minùs gratiæ iſtæ ſeu mandata Apoſtolica apud Canones vocantur affatus, ut legitur *in c. Auguſtino. 12. q. 2.* quàm apud leges gratiæ & mandata. *l. ſacri affatus. c. de diverſis reſcript. & l. 3. de Epiſcopali audient.* Lott. *n. 8.* De ratione autem affatûs Principis eſt, ut de ejus reſcripto propriâ manu confecto conſtet, juxta *cit. l. ſacri affatus.* Lott. *ibid.* atque ita conſtat Papæ reſcripto ſeu ſignaturâ confici gratiam, ac inde conſumi præcedentem vacationem beneficii. Lott. *nu. 15.* citans Caſſad. *deciſ. 4. n. 1. de cauſa poſſeſſ. & proprietatis.* & Rotam *deciſ* 418. *n. 3. p. 1. diverſ.* Et quidquid ſit de forma reſcripti, de qua *in cit. l. ſacri affatus*, (quam modò videri receſſiſſe ab uſu Curiæ tam apud Pontifices, quàm Cæſares, ait Lott. *num. 10.* ex Saliceto *ad cit. l. n. 1.*) etiam adhuc modò tenaciter obſervari, ne aliter gratiæ hujuſmodi per Papam concedantur, quàm per illius reſcriptum ſeu ſignaturam propriâ ejus manu firmatam, adjectâ primâ literâ proprii nominis, teſtatur Lott. *num. 11.* quamvis, ut addit *num. 12.* minimè negandum ſit, ſignaturam hanc ſive reſcriptum adjici manu alterius, de mandato tamen ipſius Papæ ſub hac forma: *Conceſſum in præſentia d. N. Papæ.* Ex his igitur ſatis tutò concludi poſſe, gratiam Apoſtolicam ad beneficium in tota ſubſtantia ſua radicari in ipſius Papæ reſcripto, id eſt, in ſignatura propriâ manu adjectâ ſupplicationi, unde ſortitum eſt nomen illud; quippè reſcriptum dicitur, quaſi reſponſum ſcriptum ad petitionem alterius, ait Lott. *n. 32.* Porrò hìc obſervandum diligenter, hanc ſcripturam ſeu ſignaturam, quâ Papa ſignat ſupplicationem, atque ita gratiam facit de beneficio, non confundendam cum ſcriptura ſeu literis, quas, ut ait Lott. *l. 3. q. 2. num. 1.* per ipſam illam ſignaturam, quam Papa tacitè mandare videtur, confici ſecundùm ipſam ſcripturam, ita ut, tametſi his literis expeditis videantur conjungi duo actus, reſcriptum ſcilicet ſeu ſignatura, & literæ vi illius confectæ, hi actus tamen conſiderantur tanquam inter ſe dividui & penitùs ſeparati. Lott. *cit. q. 2. n. 11.* ex Archid. *in proœm. 6. decretalium. n. 2.* Gemin. *§. univerſitatis. n. 3.* ac de his literis ſecùs dicendum; unde

2. Reſpondeo ſecundò: quidquid ſit de eo, num literæ hæ ſint de ſubſtantia, aliquibus dicta probatoria, ſecundùm Bald. *in l. humanum. c. de ll. n. 6.* & Gomeſ. *ad reg. de non judicando. q. 1.* quam alii volunt probatoriam ſolennitatem, ut Gemin. *conſ.* 209. *n. 6.* Lott. *n. 13.* hæ literæ non ſunt de forma ſeu ſubſtantia intrinſeca gratiæ ſeu proviſionis Apoſtolicæ, ſed ſpectant ad ſimplicem extrinſecum uſum & exequibilitatem gratiæ, ut Lott. *q. 2. n. 1. & 12.* citens Rotam *deciſ. 585. n. 2. p. 2. recent.* Declaratur nunc hoc ipſum; tametſi enim literæ hæ formam aliquam importent, ita ut ante harum literarum expeditionem gratia videatur informis & rudis, veluti egens expoſitione circa clauſulas & earum extenſiones per Officiales, qui ſoli eam poſſunt in mundum reducere & expolire, quin & literas denegare, aut de facili, ut Gonz. *gl. 15. §. 3. n. 33.* ſupplicationem ſignatam lacerare. Mandoſ. *ad reg. de non judicand. q. 3. n. 4.* Bellam. *deciſ. 110. n. 6. & 7.* Gonz. *loc. cit.* Ferret. *conſ. 127. n. 1* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 29. n. 2. &c.* apud Lott. *n. 3.* licèt etiam, ſi quis acceperit poſſeſſionem ante dictas literas expeditas, fructus beneficii non faciat ſuos; ſed teneatur in conſcientia eos reſtituere, etiam dum nemo ſe opponit, ut Felin. *in c. veniens. de accuſat. n. 3.* apud Lott. *n. 4.* eò quòd literæ iſtæ ſint loco tituli, ſine quo beneficium teneri nequit, ut Compoſtellan. *in c. ſuper literis. de reſcript. n. 9.* Bellam. *deciſ. 209. n. 9. &c.* apud Lott. *n. 7. & 6.* Nihilominus hæc & ſimilia referenda non ſunt ad ſubſtantiam intrinſecam gratiæ, ſed ad ejus uſum extrinſecum & exequibilitatem reſpectu perſonæ, cui providetur; reſpectu cujus uſûs & exequibilitatis ſine dictis literis gratia non poteſt dici perfecta, niſi eâ perfectione, quam habet potentia ad actum, ut ait Lott. *n. 9.* ac proinde uſus hic extrinſecus ſeu exequibilitas ſumit quidem initium & principium ſuum ex voluntate & reſcripto, ſeu dicta ſignatura Papæ, perfectionem tamen ſuam quaſi actualem non habet, niſi ex literis. Lott. *num. 10.* ex Socin. *conſ. 41. nu. 3. vol. 3.* Item gratia illa reſcripto contenta, & nondum literis explicata, æquiparatur homini adhuc clauſo in utero matris, qui, licèt quæ ejus favorem concernunt, inter humanas res reputetur, tamen ad alios effectus non prodeſt. *l. qui in utero. de ſtatu hominis.* Et hinc gratia, dum ex reſcripto ſeu ſignatura deducitur ad perfectionem illam, quam recipit ex literis, duci videtur ex quodam tenebricoſo utero in lucem iſtius mundi. Lott. *num. 19.* ex Gomeſ. *in reg. 27. Cancell. de non judic. q. 1. n. 2.* Unde etiam Rota & Mand. *ad eand. reg. q. 15. num 2* apud Lott. *cit. num. 9.* aptiſſimè gratiam ante expeditionem literarum vocant jus quoddam implicitum & minùs clarum. Atq; ita etiam ob neceſſitatem expediendi dictas literas emanârunt tres regulæ Cancell. Lott. *à num. 14.* nempè 27. *de non judicando juxta formam ſupplicationum, ſed literarum expeditarum*, quæ fundatur in eo, quòd judicium debeat fieri ſuper certo. Lott. *num. 37.* ex Menoch. *conſ. 711. nu. 6.* utcunque autem gratia ſit perfecta in ſui ſubſtantia ex ſolo reſcripto; ea tamen certitudo non porrigitur ad qualitates & contingentia, ſuper quibus eſt judicandum; quia hæc dependent ab extenſione vel reſtrictione clauſularum ſupplicationis, juxta ſtylum Cancell. & ſic à facto ipſorum expeditorum ſeu Officialium, quo fit, ut, donec literæ expeditæ ſint, & judici exhibeantur, impoſſibile ſit judicare ſuper gratia, quæ hâc ratione adhuc incerta eſt. Lott. *n. 18.* citans Natt. *conſ. 37. n. 23.* Sued. *conſ. 311. n. 18.* & Seipſum *l. 2. q. 13. n. 98* de qua regula fuſiùs *ibid.* Lott. *à n. 20. ad 49.* Item *regula 31.* ut non valeant commiſſiones cauſarum, niſi literis expeditis, ita ut proceſſus antè deſuper habiti nullius ſint roboris. Lott. *n. 15.* de qua item fusè Lott. *à n. 49. ad 59.* Item *regula 51.* ut nulla ſuffragetur diſpenſatio, niſi literis confectis. Lott. *n. 16.* circa quam regulam vide doctrinam Sanch. *de matrim. l. 8. d. 29. n. 5.* quam fusè & accuratè refutat Lott. *cit. q. 2. à num. 59.* plura de neceſſitate harum literarum in ordine ad capiendam poſſeſſionem inferiùs. Vide tantiſper Lott. *l. 3. q. 19.*

3. Reſpondeo tertiò: in collatione facta ab inferioribus Papâ opus non eſt iſtiuſmodi literis, aut etiam reſcripto ſimilive ſignaturâ. Lott. *l. 2. q. 46. n. 40.* Item *l. 3. q. 19. n. 26.* citans Bellam. *in c. illud. de præſumpt. n. 21.*

PARAGRAPHUS IV.

De tempore, quo facienda collatio.

Quæſtio 787. An & qualiter ante vacationem conferri poſſit beneficium?

1. Reſpondeo primò: beneficium, antequam vacet, nullatenùs provideri poteſt. Caſtrop. *tr. 13. d. 3. p. 5.* cum communi. Cùm enim titulus beneficii indiſſolubilis ſit. *c. Michael. de filiis presb.* iſque ſit penes

bene-

beneficiatum investitum, impossibile est, ut eo non remoto alteri beneficium conferatur in titulum; siquidem unius Ecclesiæ seu beneficii non possunt esse duo beneficiati, seu intitulati. *c. cùm non ignores. c. tua de præb.* & DD. communiter *in c. super eo. de præb. in 6.* Laym. *in c. consultationibus. de donat. n. 1.* Unde jam etiam ipse Papa non providet de vacaturo (intellige per modum naturalem vacandi, hoc est, per obitum seu mortem naturalem; de vacaturis enim aliter paulò post) sed de vacante, utpote qui tanquam Princeps optimus, uti ea suo rescripto conservari vult uniuscujusque jus suum integrum, ita etiam utcunque salvâ hujus juris integritate non intendit ansam ullam captandi mortem alterius cuipiam dare, tametsi non ignoret, si quando simpliciter faciat gratiam de vacaturo, id intelligi sub conditione, postquam vacaverit. Lott. *l. 3. q. 8. n. 2. & 3.* qui tamen *ibid. q. 9. n. 13.* ait illud, quòd Papa nusquam provideat de vacaturo, sed de vacante, restringendum ad modum naturalem vacandi, scilicet per obitum, & non extendendum ad alium modum civilem, ut patet in impetrationibus ad vacatura per sententiam, vel etiam ad vacantia ipso jure, (quæ tamen sententiam exspectant, ut inde dicatur, si non inducta, saltem detecta vacatio) Item in gratiis ad vacatura per matrimonium, per ingressum religionis, per promotionem vel assecutionem incompatibilis: quippe in his omnibus Papa providet non solùm de vacante, sed & de vacaturo, prout explicat Glossator antiq. *ad reg. 62.* & petenti provideri de vacaturo dantur literæ de vacante, prout expedierit impetranti. Suntque hæc adeo vera, ut vivente beneficiato nequidem promissio fieri possit de ejus beneficio vacaturo. *c. 2. de concess. præb* Laym. *loc. cit.* Lott. *l. 3. q. 8. n. 4.* Si enim pactum seu promissio facta de hæreditate viventis non valet, (intellige independenter ab ejus voluntate) tanquam quæ bonis moribus repugnat. *l. donari. §. donationem. ff. de donat.* & *l. ult. c. de pactis.* ubi dicitur, *quòd omnes hujusmodi pactiones odiosa esse videantur & plena tristissimi & periculosi eventus; quare enim quodam vivente & ignorante de rebus ejus quidam paciscentes conveniunt?* Si etiam, ut ait Lott. *loc. cit.* ex Petronio, hæredipetas & sordidos testamentorum captatores profanæ leges acriter adeò & seriò insectantur, ut vim cujusque promissionis enervent. *l. ult. de pactis.* neque credatur cujusvis juramenti vinculum veluti adjectum promissioni contra bonos mores factæ, etiam secundùm canonicas sanctiones obligare. *reg. non est obligatorium. de reg. juris in 6.* (pro quo vide citatos quàmplurimos apud Lott.) multò magis multóque acriùs id cavendum in hac materia beneficiali. Vide dicta de exspectativis.

2. Respondeo secundò: nihil tamen obstat, quò minùs beneficium nondum vacans, seu vivente adhuc beneficiato, in proprietatem conferatur, seu incorporetur monasterio, prælaturæ, seu dignitati; hæc enim incorporatio beneficii non necessariò secum fert titulum in actu, sed tantùm in habitu, cùm frequens sit, ut ad Prælatum monasterii, v. g. pertineat Ecclesia parochialis quòad habitum ratione incorporationis; ad alium autem, nempe ad intitulatum Vicarium, quòad curam & titulum actualem. Laym. *loc. loc.* citans seipsum *in disp. de Prælatis. q. 208.* Sed neque sic locus est pacto de successione in beneficio, quæ pacta à SS. Canonibus ad imitationem legum civilium gravissimè reprobantur, vel etiam ipsi successioni ex pacto mortuo beneficiato; quia in isto casu beneficium secundùm titulum principalem vacare non censetur, sed extinctum esse, ut ait Laym. *l. cit.* citans seipsum *Theol mor. l. 4. tr. 2. c. 9. n. 2. & & Clem. 2. de reb. Eccl. non alien.*

Quæstio 788. An saltem collator, v. g. Episcopus possit alicui, antequam vacet beneficium, delegare potestatem illud conferendi?

1. Respondeo primò: potest Episcopus Vicario suo generali committere generalem facultatem conferendi beneficia vacatura, sive per obitum, sive causâ resignationis, sive ex alia quacunque; tum quia Vicarius est persona qualificata; tum quia unum cum Episcopo tribunal constituit. Castrop. *loc. cit. num. 3.* Non tamen potest ei committere collationem beneficii certi, antequam vacet. Vide dicta superiùs, ubi de potestate Vicarii quòad conferenda beneficia.

2. Respondeo secundò: de cætero nulli alteri personæ singulari seu privatæ potest committere collationem beneficiorum vacaturorum, ne quidem in genere; tum ob textum *cap. deliberatione. §. prohibemus. de off. Legati in 6.* tum ob excellentiam potestatis, quæ alteri, quàm personæ qualificatæ, non videtur posse committi. Castrop. *loc. cit.* citans pro hoc Gl. *in c. deliberatione.* Paris. *de resign.* Garc. *p. 1. c. 1. n. 9.* Porrò qualiter cuicunque à patrono concedi possit in genere potestas nominandi seu præsentandi ad beneficia vacatura ejus jurispatronatui subjecta, vel etiam ad unicum, cujus solius existit patronus, dictum supra, ubi de potestate patroni & præsentatione. Vide Castrop. *loc. cit. num. 4.*

Quæstio 789. Intra quod tempus facienda collatio?

1. Respondeo: Ordinariis collatoribus concessum à jure communi semestre. *c. nulla Ecclesiastica. de concess. præb. c. licet. de suppl. Clement. 1. tit. eodem.* Castrop. *cit. p. 5. n. 5.* cum communi extenditur hoc ipsum ad collatores omnes (excepto Papâ & Legato ejus à latere & Nuncio: his enim non currit tempus ad conferendum juxta dicta aliàs; eò quòd possint conferre beneficia etiam devoluta ad Papam. Castrop. *loc. cit. n. 9.* Garc. *p. 5. c. 3. n. 20.*) tam Ordinarios, quàm quibus jure delegationis competit beneficia conferre. *cit. cap. nulla.* Hinc comprehenduntur etiam Cardinales respectu beneficiorum reservatorum, quorum conferendorum indultum habent; indultum enim conferendi reservata non impedit devolutionem, sicut eam impedit indultum conferendi devoluta ad Papam. Castrop. *n. 10.* Item tam ad eos, quibus collatio competit jure primævo & proprio, quàm quibus competit ex jure devoluto; cùm hi sint collatores diversi, & hi subeant quòad omnia, seu quòad omnes circumstantias modi & temporis conferendi vices priorum collatorum negligentium conferre, & quòad hos nulla in jure repetiatur restrictio temporis. Castrop. *loc. cit. n. 12.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 27. q. 12.* Lamb. *l. 2. p. 3. q. 2. a. 8.* Item tam ad eos, ad quos fit devolutio à patrono laico negligente præsentare, quàm ad quos ea fit à patrono Ecclesiastico; quia illa beneficia pertinentia ad ejus collationem liberam; siquidem ob negligentiam patroni pro ea vice adimitur ei potestas præsentandi, & nascitur Superiori potestas liberè conferendi. Castrop. *num. 13.* Azor. *ubi ante q. 11.* Lamb. *loc. cit.* juxta dicta à nobis aliàs. Item tam ad collatores manualium, quàm beneficiorum non manualium; quia textus *cap. nulla de concess. præb.* loquitur generaliter, & ratio decidendi æquè in manualibus, quàm aliis procedit, nempe ne Ecclesiæ maneant in suspenso. Castrop. *num. 11.* neque inde fit, ut dictum aliàs, quò minùs factâ provisione per Superiorem illum, possit talis provisus ab inferiore & ordinario collatore removeri, saltem ex causa justa. Castrop. *loc. cit.* juxta Gloss. *fin. in Clem. unic. de suppl. negl. v. revocari.*

2. Econtra limitanda responsio primò, ut non procedat quòad beneficia resignata permutationis gratiâ, dum ad horum collationem non est semestre designatum, & relictum liberum collatori ad illud protrahere collationem; eò quòd horum collatio sit obligatoria. Castrop. *n. 6.* citans Garc. *p. 10. c. 4. n. 2. & 3.* Rebuff. *in pr. tit. de devol. nu. 6.* & *tit. de permut. n. 39.* Secundò, ut non procedat quòad institutionem; hæc enim post factam legitimè præsentationem terminum à jure præfixum non habet

ob

ob rationem eandem, quia non est collatio libera, sed necessaria; semestre autem designatur & relinquitur collatoribus liberè conferentibus. Castrop. n. 8. Garc. cit. c. 4. nu. 1. Ideo autem jus determinavit tempus provisioni voluntariæ & non necessariæ; quia ad provisionem liberam non potest compelli collator, sed si intra tempus a jure concessum non conferat, nullâ factâ compulsione, ad Superiorem devolvitur provisio. Secùs est de provisione necessaria; hanc enim si omittat Episcopus, v. g. potest compelli ad faciendam institutionem à Metropolitano vel Nuncio Apostolico, cui si non obediat, faciendo institutionem intra terminum sibi præfixum, potest ipse Nuncius vel Metropolitanus instituere seu conferre, non tam ob devolutionis titulum, quàm titulum avocationis & injusti gravaminis tollendi. Castrop. loc. cit. n. 8. Tertio, in beneficiis resignatis in favorem, utpote quæ solus Papa conferre potest, cui non currit tempus. Castrop. n. 7. citans Garc. p. 10. c. 2. num. 12. Mandos. ad reg. 34. q. 90.

3. Porrò qualiter hoc tempus incipiat currere, non à die vacationis, sed à die notitiæ de vacatione, dictum est suprà, & ubi de tempore præsentationis. Item qualiter hoc tempus non currat impedito, dictum est satis, ubi agebatur de præsentatione. Item paulò suprà dictum est, ubi quærebatur, qualiter impediatur devolutio. Illud solùm notandum ex Butrio ad cap. bis, quibus. n. 4. apud Laym. ibid. n. 2. quædam esse impedimenta ordinaria, idéoque præcognita à decernente tempus, v. g. quòd Capitulares advocare debeant absentes, atque interea nequeant eligere, & hoc tempus currit illis, quia ideo longior præfixus terminus fuit, quòd ejusmodi mora frequenter interponi debeat. Verùm id non tam concernit trimestre datum à jure ad eligendum, quàm tempus intra hoc trimestre designatum ab ipsis Capitolaribus. Quædam autem esse impedimenta extraordinaria, & per accidens occurrentia, & hæc cursum temporis, etiam à jure statuti, impediunt.

Quæstio 790. An, cessante impedimento, rursùs aliud semestre integrum indulgendum sit, vel intra residuum primi semestris, aut etiam mox à cessante post evolutum jam totum semestre primum impedimento facienda provisio?

Respondeo: indulgeri denuò semestre integrum a cessante impedimento. Lott. l. 2. q. 24. n. 27. Argumento l. & ideo. de verborum obligat. Idem est, si impediatur provisio sortiri effectum ex aliquo vitio occulto ipsius provisi, vel propter non acceptationem, aut obitum, cessante tamen fraude. c. si electio. de elect. in 6. Lott. loc. cit. citans Azot. p. 2. l. 6. q. 7.

Quæstio 791. An & qualiter collatio facta post semestre sit irrita, & tamen tolerata convalescat?

Respondeo: ad hoc dictum satis, ubi qualiter is, ad quem facta devolutio, inferiori collatori, à quo ea facta, concedere possit conferre post elapsum semestre, seu illud tempus prorogare.

Quæstio 792. An & qualiter retrotrahatur collatio ad diem vacationis, ut fructus debeantur proviso?

Respondeo: cùm fundus beneficii post collationem factam spectet ad provisum, cui fingitur à momento vacationis facta provisio; hinc inspectâ juris communis dispositione, ei debentur fructus usque ab initio vi retrotractivâ. Lott. l. 3. q. 21. num. 117. citans Surd. cons. 333. num. 23. & 24. Gemin. &c.

Quæstio 793. An & qualiter collator conferre possit tempore litis pendentis?

1. Respondeo: collator inferior impeditur conferre lite pendente. c. 2. ut lite pendente. in 6. Sic si duo in discordia electi ad eandem prælaturam (idem est de promotis ad idem beneficium à diversis collatoribus, jus collationis prætendentibus eorum singulis privativè) litigant coram Papa vel alibi, & lite pendente unus ex illis moriatur, vel juri suo renunciet, vel à prosecutione illius excludatur, interim dum lis super alterius electione (idem est de provisione alia) pendet, non potest ad novam electionem aut provisionem procedi, ita ut, si nova electio attentata fuerit, ea ipso jure sit irrita, ita Bonifac. VIII. statuit in c. dispendiis. ut lite pend. in 6. Ita etiam, ut si posteà appareat electum seu provisum nullum jus habere in beneficio, non tamen electio seu provisio secunda, seu attentata convalescat; quia ab initio fuit nulla. Pith. ad tit. ut lite pend. num. 17. Sic si contra eum, cui collatum beneficium, de ipsius habilitate exceptum fuit, pendente hâc lite super collatione priùs facta, non potest collator alium providere, quia lite pendente nulla potest fieri mutatio. Pith. loc. cit. loquens quidem de patrono & præsentatione, hoc ipsum tamen collationi & collatori applicandum. Sic etiam, si is, contra quem super beneficio, quod possidet, litigatur, lite pendente cedat, vel decedat, seu moriatur, non potest beneficium hoc per cedentem vel decedentem possessum, contra quem litigabatur, alteri conferri, donec lis contra superstitem fuerit finita: alioqui collatio aut quævis alia provisio erit jure ipso nulla. Sic statuit Bonif. VIII. in cap. si tit. ut lite pend. in 6. Estque hic casus diversus à casu. c. dispendiis. dum hic est de beneficio jam obtento & possesso, iste de obtinendo, quamvis utriusque constitutionis eadem sit ratio, ne scilicet, lite pendente, aliquid immutetur, quod alterius litigantis partis conditionem deteriorem reddat. Pith. loc. cit. atque ita collator ordinarius non potest interea jus, quod defunctus vel renuncians habebat, conferre alteri; quia superstitis petitoris seu actoris interest, ne adversario ejus mortuo vel renunciante, alius possessor in ejus locum substituatur, & sic reddatur ei difficilius obtentu beneficium iterùm plenum per hanc substitutionem, quàm vacuum possessore; etsi econtrà cedente vel decedente petitore seu actore, possit subrogari in locum illius alius actor; quia possessoris beneficii nihil interest, sive ordinarius collator, sive alius subrogatus cum illo litiget, & ipse pergit eodem modo possidere. Pith. l. c. n. 19.

2. Porrò procedunt hæc, nimirùm quòd de beneficio litigioso provideri non possit ab inferiore collatore, quiscunque demùm is sit, etiamsi is sit Legatus, in cujus facultatibus habeatur clausula potestatis conferendi litigiosa, utpote quæ restringitur ad vacationem per resignationem. Lott. l. 2. q. 54. n. 83. citans Lancell. de attent. in præf. n. 53. Put. decis. ult. de offic. Ordinar. & decis. 26. de præb. suntque horum collatorum manus vi litis omninò ligatæ, & facta ab eis interim provisio nulla. Lott. l. 2. q. 28. num. 67. Perdit autem litigiosum beneficium cum exstinctione litis hanc qualitatem, cessatque impedimentum ex ea inferioribus collatoribus natum, sive id contingat per mortem utriusque collitigantis, sive unius, qui erat in possessione, modò extra Curiam defunctus sit. Clem. 1. ut lite pend. Neque enim vitium litigiosi ultra litem profertur. Lott. cit. q. 20. n. 70. citans Vitalin. Pith. n. 80.

3. Observandum etiam, quòd si lis sit inter provisos à diversis collatoribus super certo beneficio, quæ dependeat ab ipso jure conferendi, istâ quidem lite impediri conferri beneficium illud, quod est in lite, sed non impediri, quò minùs in vacationibus aliorum beneficiorum collator, qui est in quasi possessione conferendi, eam continuando conferat. Lott. n. 14. & 16. Idque procedit, sive sint in lite collatores, sive secùs; quia textus cit. c. 1. ut lite pend. in effectu applicari non potest, nisi illi beneficio in individuo, super quo inter se principaliter disceptant provisi, qualiscunque enim ea sit lis, respectu beneficii, super quo lis est, non potest dari superstiti novus collitigans. Lott. n. 15.

4. Item notandum, quod habet Lott. *num. 20.* ubi, quòd à tota hac disputatione removenda sit ea lis, quæ cadit inter provisum & alium, qui simpliciter pen jure & interesse suo opponit se provisioni aut illius executioni absque eo, quòd ipse prætendat se provideri, v. g. si sit patronus vel collator; hoc enim casu non dicitur lis super titulo, sed super proprietate ipsius beneficii, seu veriùs super statu. Plura de his, ubi de subrogatione, de quo Lott. *l. 2. q. 20. per totum.*

PARAGRAPHUS V.

De acceptatione collationis.

Quæstio 794. An & qualiter ad perfectionem collationis pertineat acceptatio?

Respondeo: actus collationis nec est, nec dicitur perfectus, nisi secutâ acceptatione; nam donatio, qualis est collatio, cùm sit contractus *l. si quis donationis. c. quod metus causâ.* exigit ad sui perfectionem consensum. *l. 1. ff. de pactis.* Lott. *l. 3. q. 1. num. 20. & seq.* Gonz. *gl. 26. à num. 13.* id pluribus exemplificans Covar. *l. 3. var. c. 15. per tot.* Sic provisio non acceptata, etiamsi facta sit motu proprio, dicitur provisio æquivocè, adeóque minùs perfecta; actus autem imperfectus, minúsque absolutus & consummatus reputatur pro nihilo. *l. fin. qui quadraginta. ff. ad l. falcid.* Lott. *loc. cit. num. 24. & 25.* Sed neque collatio beneficii, antequam acceptetur, tribuit jus in ipso beneficio, ita ut illud suum dici valeat. Tond. *in resol. benefic. p. 2. c. 4. §. 6. n. 34.* Gonz. *gl. 25. §. 2. num. 6.* cum communi; sed solum jus ad rem. AA. iidem cum communi; & hinc locus non datur pœnitentiæ in collatore, seu collatio revocari nequit, quamvis acceptata non sit. Gonz. *gl. 26. n. 14.* juxta *cap. si tibi absenti. de præb. in 6.* Ratio autem hujus differentiæ inter collationem & donationem aliam alιósque actus est, quòd collator conferat ex necessitate, dum sibi retinere non potest beneficium, adeóque conferendo jam functus est officio suo; donationes autem aliæ, aliive similes actus fiunt ex mera voluntate. Gonz. *cit. n. 14.* ex Abb. *in c. accedens. de præb. n. 3.* Covar. *l. 5. var. c. 14. n. 1.* atque ex his jam deducitur, quòd per collationem, secutâ necdum acceptatione, non exstinguatur vacatio prima beneficii; cùm tota illa vis exstinctiva præcedentis vacationis tribuatur non nisi collationi perfectæ seu acceptatæ. Gonz. *gl. 25.* Bellam. *cons. 33. n. 14.* Adeóque dum dicitur Papæ rescripto gratiam perfici, & inde consumi præcedentem vacationem cum omni suo effectu, etiam respectu vinculi reservationis seu affectionis, tametsi is, cui facta gratia, moriatur ante expeditionem literarum, id aliter accipiendum non est, nisi ubi secuta est acceptatio. Lott. *loc. cit. à num.* 15. Unde jam etiam, si absenti alicui fit collatio, & is post factam collationem moriatur in uno mense ex reservatis Papæ, ante tamen acceptationem, non intrabit reservatio *regula 8.* Si enim per collationem hujusmodi, donec absens illam ratam habeat, seu acceptavit, jus nullum in beneficio, ut is illud suum dicere potuerit, acquisivit, non potuit vacare per mortem illius, adeóque pergit durare prima vacatio, & collatio spectare ad eum, ad quem priùs spectabat. Gonz. *gl. 25. §. 2. à num. 5.* citans Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 3.* Gomes. *in reg. de annali. q. 30. n. 2.* Mandos. *in reg. 5. q. 5. n. 3.* Paris. *cons. 142. n. 10. vol. 4.* juxta *si c. electio. & c. compromissarium. de elect. in 6.*

Quæstio 795. Unde inducatur & præsumatur acceptatio?

1. Respondeo primò: acceptatio hæc, dum nihil est aliud, quàm mentis & voluntatis declaratio, inducitur & probatur verbis, aut factis, aut signis, aut aliis conjecturis. Gonz. *gl. 26. n. 24. & 25.* Lott. *l. 3. q. 1. n. 27.* dicens, dum de acceptatione quæritur, nihil attentiùs contemplandum, quàm actum aliquem, unde concludatur acceptatio; tametsi enim talis acceptatio inducatur ex sola scientia factæ collationis, solaque scientia cum taciturnitate sufficiat ad probandam acceptationem. Gonz. *l. c. n. 25.* & apud Lott. Beto. *in c. 1. de constitut. n. 77.* ubi, quòd eo ipso censeatur, actum provisivum esse ratum habitum, quòd devenerit ad notitiam provisi, uti id regulare est in omni materia lucrativa, ut videlicet ex sola scientia inferatur ad acceptationem, ita ut non improbatio habeat vim approbationis, juxta doctrinam Bartol. communiter receptam *in l. quod enim. §. rem haberi. ff. rem ratam haberi.* quam sequuntur Beltramin. *ad Gregor. decis. 97. n. 8.* Menoch *cons. 92. n. 66. l. 1.* & quamplures alii apud eundem Lott. Difficultas tamen est in probanda hujusmodi scientia, quæ licèt ex conjecturis constitui possit, ut Surd. Decius, Ruinus, &c. apud Lott. *nu.* 30. eæ tamen deducendæ sunt ex aliquo actu positivo, qui necessariò implicet scientiam; unde ex sola præsentia provisi in curia minùs rectè deducitur scientia, nedum si simpliciter signata sit supplicatio, verùm etiam si sit registrata, ita Lott. *num. 32.* citans Garc. *p. 4. c. 2. n. 16.* Unde

2. Respondeo secundò: dum gratia emanavit ad supplicationem, & hæc porrecta per ipsummet, cui gratia facta est, aut alterum, de ejus mandato, de quo legitimè liqueat; tunc enim, quia constat de animo Oratoris, (nimirùm quòd affectet beneficium) præsumitur ejus duratio, ut Moheda *decis.* 18. *num. 1. de præb.* nisi aliud præsumptionem hanc excluderet; quia nimirum adjectæ essent clausulæ restrictivæ, quibus alteratus esset tenor supplicationis, inde post signatam supplicationem, seu factam ei gratiam & collationem, & habitam de ea notitiam, concluderetur ad ejusdem collationis acceptationem. Lott. *l. 2. q. 28. n. 81.* (ubi quidem agit de acceptatione gratiæ Protonotariatûs; hoc tamen esse genericum, & applicari posse gratiæ beneficiali, satis ostendit, dum ipse *l. 3. q. 1.* ubi de hac acceptatione gratiæ beneficialis agit, seipsum huc refert.) Secùs esset, ubi de alio non constaret, quàm de supplicatione porrecta & illius signatura; cùm illud non concludat necessariò ad voluntatem & actum illius, cujus nomen expressum in ipsa supplicatione, quia nihil est, quò minùs per alium citra ejus mandatum aut consensum porrigi potuerit, uti hoc à lege permissum est. Lott. *ibid. n. 82. & 84.* Et licèt prætendatur aliqua impensa in conficienda vel expedienda supplicatione facta, si tamen hæc impensa est modica, adhuc est insufficiens ad præsumendum mandatum. Lott. *cit. n. 82. & 85.* Quòd si tamen constaret de impensa hanc in rem facta in notabili aliqua qualitate, (qualem in homine privato, id est, qui non est Princeps, in ordine ad præsumendum mandatum esse unius scuti, censet Lott. *nu.* 86. ex Put. *decis. 393. l. 2.* & Rota *decis. 407. n. 6. p. 1. recent.*) præsumeretur facta per ipsum nominatum in supplica, aut de ejus consensu vel mandato. Lott. *cit. n.* 85. Quòd si tamen etiam de tali expensa non aliter constaret, quàm ex solito & consueto, seu quòd ea solita sit fieri in talibus, atque ita præsumptivè tantùm, tunc, quantumcunque ea expensa magna prætendatur, urgeátque talis ejus præsumptiva & conjecturalis probatio, putà, quia non tantùm signata, sed & registrata ostenditur supplicatio, & non consuevit registrari, nisi solutâ pecuniâ, adhuc tamen ex ea ad factum & consensum ipsius nominati in supplica non posse inferri, ait Lott. *num.* 87. eò quòd id esset ex præsumptione præsumptionem deducere, contra *l. 1. c. de dotis promiss.* Porrò hic observandum, quod monet Lott. *cit. q. 28. n. 83.* quòd etsi propter difficultatem probandi hanc acceptationem gratiæ admittantur ad eam directè probandam conjecturæ, eæ tamen ipsæ sint concludenter probandæ, easque posse reduci ad duplicem speciem, prout nimirùm aliæ tendunt ad justificationem expensarum, ex quibus, ut dictum, desumitur actus & consensus in gratiam; aliæ verò tendunt ad justificationem ipsius facti circa usum gratiæ.

Quæ-

Quæstio 796. An & qualiter valeat acceptatio beneficii, si quis primò collationi dissentiens, eam tamen posteà acceptet?

Respondeo: præterea, quæ hic in parte dicta sunt de præstando assensu electioni, quòd, dum alicui fit collatio, isque ei renunciet, mox verò pœnitentiâ ductus eam acceptet, validam fore acceptationem, modò interim collator voluntatem non immutârit, & istam renunciationem seu dissensum acceptârit. Laym. *in c. licet. de procuratorib. n. 3.* Idem dicens esse in hoc puncto de collatione facta absenti, quod de electione, citans pro hoc Anchar. *in cit. c. licet. v. opponit.* Notandum tamen hic ex eodem Laym. *l. cit. n. 2.* quod in genere ait de contractibus, referre multùm, utrùm absens, an præsens sit, qui stipulationem seu pactionem obtulit; si enim absens sit, & de dissensu alterius nihil intellexit, nec probabiliter suspicari potuit, præsumitur illum in eadem contrahendi voluntate perseverâsse, juxta gl. magnam *in cit. c. licet.* Si autem præsens sit, & dissensum alterius, cui pactionem obtulit, cognoscat, dum is de novo consentire vult, respondere potest, se jam mutâsse voluntatem, ita ut contractus consistere nequeat, utpote ad cujus constitutionem necessarium est, ut consensus partium eodem tempore concurrant.

Quæstio 797. An & qualiter acceptatio beneficii fieri possit per procuratorem vel mandatarium?

1. Respondeo primò: dum aliquis sine tuo mandato speciali ad acceptanda beneficia beneficium tibi collatum acceptet, beneficium tuum non est, sive non acquiris jus in eo, quousque ratam habeas acceptationem illam; nam acceptatio illa facta à non habente potestatem est nullius valoris; ratihabitio autem illa est clara beneficii acceptatio. Castrop. *de benef. d. 2. p. 32. n. 2.* quin & Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 5.* & plures alii, quos citat, censent ratihabitionem illam præstare, ut beneficium illud effectum sit tuum à puncto acceptationis illius factæ per alium, eò quòd retrahatur, & mandato æquiparetur; hanc tamen extensionem nec sibi, uti nec Vasq. *in opusc. de benef. c. 4. §. 4. dub. 3.* nec Abbati *in c. accedens. de præb.* placere, ait Castrop. *loc. cit.* eò quòd ratihabitio non possit retrotrahi ad causandum effectum tempore, quo ipsa non est, adeóque non possit collationem firmam facere, jusque beneficiato concedere pro tempore, quo fit acceptatio sine mandato; quia pro illo tempore ipsa non erat; nec obstat, ut ait Castrop. in aliquibus casibus à præsenti materia diversis retrahi, & mandato æquiparari.

2. Resp. secundò: potest acceptatio fieri per procuratorem habentem speciale mandatum ad acceptanda beneficia, tametsi in particulari non dominetur beneficium illud, quod acceptandum est; quia licèt beneficium onerosum sit, est tamen utile. Castrop. *l. cit. n. 1.* citans Vasq. *ubi antè. dub. 2.* Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 4.* & plures alios apud illum.

3. Respondeo tertiò: potest etiam vi talis mandati specialis, dum illud est sub signo universali, nempè ad omnia vel quælibet beneficia per procuratorem acceptare curata; eò quòd, ut fusè ostendit & exemplificat Gonz. *gl. 6. à nu. 20.* per signum illud universale distrahatur mandatum, ut supponat pro beneficiis tam simplicibus, quàm duplicibus & qualificatis. Castrop. Vasq. Covar. *ll. cit.* non obstante texto *c. cum in illis. de præb. in 6.* ubi appellatione beneficiorum non veniunt curata in mandato de providendo, tametsi sub signo universali concessum sit; cùm hoc mandatum ambitiosum sit & restringendum: secùs mandatum datum procuratori ad acceptandum, utpote maximè favorabile mandanti. Castrop. *loc. cit.*

4. Resp. quartò: tametsi aliàs seu quoad alia valeant gesta per procuratorem post ejus revocationem; (quod etiam locum habere in revocatione tacita, quæ fit per mortem mandantis, tradunt Gl. communiter recepta *in Clem. unic. de renunc. v. ignorantem.* & alii apud Sanch. *de matrim. d. 11. n. 6.*) antequam tamen ejus revocationis notitia ad illum pervenerit, dum nimirùm ipse contrahendo cum altero obligationem contrahit, adeóque ejus interest, mandati revocationem scire, ne aliàs damno afficiatur. Laym. *ad c. ex parte. de rescript. in 6.* acceptatio tamen beneficii Ecclesiast. facta à procuratore post revocationem mandati, etsi ea ad procuratorem non pervenerit, non valet; sicut nec valet in eo casu contractum per procuratorem matrimonium, utpote ad cujus essentiam spectat consensus principalium contrahentium, qui proptereà à jure suppleri nequit, sicuti ia in aliis contractibus suppletur. Laym. *loc. cit. num. 7.* Ratio responsionis est non tantùm, quam dat Felin. quòd inter beneficiatum & Ecclesiam contrahatur quasi spirituale matrimonium, sed & alia generalior dari potest, nimirùm quòd ut Bartolus & Dynus *ad l. si pater. ff. de manumissis vind.* Revocatio mandati valet, etsi non perveniat ad notitiam mandatarii, si is exinde non lædatur, sive ejus non intersit, sicut accidit in casu beneficii pro altero acceptati. Laym. *ibidem.* Nec obstat *Clem. unic. de renunc.* ubi quòd renunciatio beneficii facta à procuratore post ejus revocationem sit valida, etsi revocatio neque ad procuratoris, neque ad ejus, in cujus manibus fit renunciatio, notitiam pervenerit; nam id specialiter in hoc casu ita statutum ad puniendam inconstantiam, quæ Ecclesiasticas personas, præsertim in hoc genere, non parùm dedecet. Laym. *loc. cit.* remittens ad Dominicum, Anchar. &c. *in c. ult. de procurat. in 6.* Vide plura apud eundem Laym. *loc. cit.* quandónam in aliis materiis revocatio ignota procuratori, vel etiam iis, cum quibus is contrahit, valeat, aut non valeat.

5. Respondeo quintò: mandatum ad acceptanda beneficia dari potest laico, & aliàs beneficiorum incapaci; quia ipse non sibi, sed alteri beneficium acceptat. Castrop. *loc. cit. num. 3.* citans Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 4.* Vasq. *opusc. de benef. c. 4. §. 4. dub. 2. in fine.*



CAPUT QUARTUM.

De Possessione Beneficiorum.

PARAGRAPHUS I.

De modo ac tempore capiendi seu acquirendi possessionem beneficiorum.

Quæstio 798. Num post institutionem & acceptatam legitimè collationem possit statim adiri, & capi à beneficiato possessio auctoritate propriâ, absque officio judicis & sine ministerio executoris?

1. RESPONDEO: spectato jure communi & ordinario electus post confirmationem, præsentatus post institutionem, collatarius post collationem acceptatam & acceptam investituram (intellige, ubi ea requiritur) statim potest possessionem capere, administrare beneficium, & ei competentia jura exercere; quia per collationem ipsam & verbalem institutionem consequitur quis titulum beneficii, adeóque jus seu facultatem possessionem vacantem capiendi, jura competentia exercendi, &c. Rebuff. *in pr. tit. requisita in literis collat. n.* 14. Laym. *in c. nosti. de elect. n.* 4. citans gl. *in eodem c. v. confirmata.* Jo. And. *ibid. n.* 6. Menoch. *de adipisc. poss. remed.* 4. *n.* 182. *&c.* Lott. *l.* 3. *q.* 22. *n.* 8. ubi quòd provisus possit sine ministerio Executoris possessionem de jure & de facto vacantem apprehendere, & sic habentem legitimum beneficii titulum propriâ auctoritate capientem possessionem à nemine occupatam nullâ pœnâ dignum esse; eò quòd in *c. transmissum. de elect.* decisum sit, post confirmationem, quæ titulum tribuit, confirmatum posse administrare, & exercere jura & officium, absque eo, quòd caveatur ibi possessionem à judice dandam, tradunt ex communi sententia Abb. *in cit. c. transmiss.* & Rebuff. *in pr. de missio. in possess. n.* 5. apud Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 32. *n.* 4. esseque validam, & legitimæ possessionis effectus habere, tradit ipse Castrop. ex Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. quamvis dicat cum Covar. esse illicitam, (eò quòd ex *cit. c. transmissum*, id licere, non satis inferatur; dicatur autem *c. adhæc. de off. Archid.* pertinere ad Archidiaconum institutos ab Episcopo mittere in possessionem. & *c. licèt Episcopus. de præb. in* 6. concedatur Episcopo, ut in possessionem mittat institutos, sublatâ per consuetudinem Archidiaconorum hac in parte potestate) & talem puniri posse pœnâ non admodùm gravi propter auctoritatem sententiæ contrariæ communis. Quæ tamen videntur intelligere, ut constat ex præmissis à Castrop. de eo, qui id faceret non obtentâ Investiturâ.

2. Respondeo secundò: dum autem alius quisquam esset in possessione beneficii, adeóque hæc vacans non esset, auctoritate propriâ capta possessio foret illicita & vitiosa, in qua, qui eam accepit, defendendus non esset. Laym. *loc. cit.* Siquidem cùm pro depellendo etiam intruso exigatur judicium, talis provisus eum expellens à possessione videtur sibi assumere partes judicis, adeóque fieri judex in propria causa, quod est iniquum. Lott. *loc. cit.* Imò censeretur talia spoliâsse priorem, quamvis malæ fidei possessorem. Argumento *c. gravis. de restit. spoliat.* Quin &, si à proviso seu titulum consecuto illata esset priori possessori propriè dicta violen[illegible] meretur is privationem juris sui, juxta *cap. cum, qui de præb. in* 6. Laym. *ibid.* ex Abb. *ubi antè.* & Rebuff. *in pr. de miss. in possess. n.* 3. Secùs si habens verum titulum apprehendit possessionem, sed sine violentia. Rebuff. *in pr. tit. requisita in literis collationis. n.* 23. Porrò violentiam illam propriè talem tunc admitti censet Lott. *loc. cit. n.* 29. quando duo concurrunt, nempè resistentia alterius seu prioris possessoris, nullo modo voluntatem suam alteri accommodantis, & neglectus auctoritatis judicis. Atque ita licèt factâ cessione per possessorem lite pendente non possit collitigans propriâ auctoritate apprehendere possessionem beneficii, sed debeat exspectare judicis sententiam & jussum; &, si id faciat, dicatur temerarius occupator, & totum id facere per viam attentatorum sine omni effectu, non tamen dici violentum, ex quo non habuit sibi contradicentem, & consequenter deficiente altero ex requisitis ad violentiam. Similiter licèt quis adhiberet auctoritatem judicis, etiamsi per injuriam, & sic apprehensa possessio semper manet vitiosa & revocabilis, non dici adhuc violentum; quia in eo cessat temeritas dicta, quæ est in neglectu judicis, alterum ex requisitis ad violentiam, & sic neutrum incurrere pœnam. *c. cùm, qui.* Lott. *à n.* 30. Vide de his plura inferiùs, ubi qualiter vacet beneficium ob captam violenter possessionem.

3. Respondeo tertiò: dum specialis Ecclesiæ alicujus consuetudo aut statutum vigeret, ut confirmatus, verbaliter institutus, aut aliter provisus possessionem, quamvis vacantem, ipsemet capere non debeat, sed solenniter & corporaliter induci in possessionem, (quæ inductio solennis vocari solet installatio, olim fieri solita per Archidiaconum, juxta *cap. cùm Bertholdus. de sent. & re judic.* Laym. *loc. cit.*) id observari debet, adeò, ut priùs quàm ea solennitas peracta sit, non censeatur acquisita possessio. Laym. *loc. cit.* citans Abb. *ubi antè. num.* 7.

Quæstio 799. An, & quid hac in parte speciale sit circa resignatarium? An, & qualiter is capere possit aut debeat possessionem?

1. RESPONDET primò Paris. *de resign. lib.* 10. *q.* 6. *n.* 27. & 31. communem opinionem esse, & ita servari de stylo & praxi, quòd resignatarius non possit propriâ auctoritate capere possessionem, alioqui esse nullam, & jure attentatorum revocari. Citat pro hoc Pontan. *de spol. l.* 1. *c.* 9. *nu.* 94. & Rossiniacum *de benef. c.* 12. *n.* 13. hinc debere resignatarium requirere loci Ordinarium vel alium, ut stante resignatione & provisione, illum mittat in possessionem, qui solet accedere vel mittere alium in loco beneficii, & ibi tradere resignatario possessionem per introitum & osculum ad altare, per traditionem clavium vel bireti, vel aspersionem aquæ lustralis, &c. & Notarius præsens conficit de hoc instrumentum. Paris. *l. cit. n.* 45. 46. 47. citans Rebuff. *in pr. de miss. in possess. num.* 12. & 13. Rossiniac. *ubi antè.*

2. Respondet secundò cum distinctione aliqua Card. de Luc. *de benef. d.* 37. *n.* 12. dum ait: quòd possessio capta per resignatarium, non citato resignante possessore, neque adito Executore deputato in literis, sit invalida & vitiosa; quia necessitas adeundi Executorem procedit in gratia in forma *dignum*, continente mandatum de providendo, seu provisionem conditionalem, quatenùs Executor provisum idoneum & dignum reperterit, ideóque nulla & intrusoria censenda est possessio, quam sine facto Executoris provisus ita apprehendit. Secùs autem est, ubi agitur in forma gratiosa; tunc enim licèt deputari soleant Executores in literis, attamen id fit in gratiam & favorem provisi, cui Executor assistat, & opem & brachium auctoritate Apostolicâ præstet adversùs oppositores de facto; non autem quòd præcisam necessitatem habeat ipsum adeundi; quia veriùs est, provisum in forma gratiosa posse capere possessionem

pro-

propriâ auctoritate, absque necessitate citandi resignantem, quoties resignatio est pura. Citat pro hoc Garc. *p. 5. c. 2. n.* 133. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 3. *n.* 53.

Quæstio 800. *Quomodo acquiratur possessio beneficii per collationem; vel si non, quid huic superaddatur per possessionem?*

1. Respondeo ad primum: possessio beneficii non transfertur, juxta *c. Bertholdus. de re judic.* Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 6. *n.* 4. citans Rebuff. *in pr. tit. requisita ad collat. n.* 22. est enim possessio quid facti; ideòque ad alium non transit, nisi sit per eum apprehensa. *l. cum heredes. ff. de acquirend. possess.* Paris. *loc. cit. num.* 6. citans Rebuff. *tit. de permut. n.* 17. & Paris. *cons.* 96. *n.* 3. *vol.* 4. Et regulariter loquendo, possessio non transit in quempiam ipso jure. *l. Pomponius. l. cum heredes. ff. de acquir. possess.* Paris. *l.* 3. *q.* 5. *num.* 54.

2. Respondeo secundò: quamvis possessio ad collationis perfectionem necessaria non sit. Castrop. *cit. p.* 32. in beneficialibus tamen corroborat titulum. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 1. *n.* 101. citans Rotam *decis.* 10. *n.* 1. *de præb. in antiq.* Et licèt ex sola canonica institutione seu collatione absque traditione aut apprehensione possessionis jus in illo beneficio acquiratur proviso. *c. ult. de concess. præb. in* 6. & *ibi* DD. communiter. Paris. *l.* 10. *q.* 6. *n.* 2. citans in specie Anchar. Gemin. Franc. *in cit. c.* Abb. *in c. cùm antem.* & *cap. suggestum. de surrep.* ita ut si provisus post acceptatum à se vel per procuratorem beneficium moriatur ante apprehensam possessionem, beneficium verè vacet per mortem illius. Paris. *ibid. num.* 54. loquens in specie de resignatario: jus tamen illud efficax non est, antequam provisus capiat possessionem. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 3. citans Rebuff. *cons.* 186. *n.* 19. quo fit, ut ante apprehensam possessionem provisus non possit administrare in beneficio sibi collato. Paris. *loc. cit. n.* 7. citans Abb. *in c. transmissa. de elect.* Selv. *p.* 2. *q.* 15. Feder de Senis *cons.* 234. Franc. *in c. cum, qui. de præb. in* 6. Rebuff. *de pacificis possess. n.* 234. & 251. cum communi; de quo tamen vide dicenda ex Laym. *quæstione post hanc tertiâ.* Nec fructus percipere. Paris. *ibid. n.* 8. citans C. Parisium *cons.* 5. *n.* 21. & 22. & *cons.* 39. *n.* 7. *vol.* 4. Porrò contrarium de installatione tradit Lott. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 24. ubi quòd Abbas & Episcopus confirmatus post ostensas Conventui vel Capitulo literas ante installationem possit administrare in spiritualibus & temporalibus, & percipiendis fructibus, nisi habeat aliud consuetudo; quod tamen, credo, intelligi de installatione diversa ab ea, quâ fortè traditur possessio.

Quæstio 801. *An & qualiter acquiratur possessio per investituram?*

1. Respondeo primò: investitura seu institutio in beneficio, quæ fit in absentia rei per annulum, vel bireti impositionem, non tribuit possessionem corporalem. Argumento *c. proposuit. de concess. præb.* Laym. *ibid. n.* 9. Idem habet *in c. nosti. de elect. n.* 5. ubi: possessio per investituram, etiam quæ fit seu habetur post tituli collationem vel institutionem in beneficio, ordinariè non transfertur. Argumento *l. prædia. de acquir. possess. c. perpetuas. de donat.* junctâ gl. sed plerumque tantùm est significativa juris anteà accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi vel acquirendi, aut eam petendi, si ab alio corporaliter introducendus est investitus, uti idem præstat investitura, dum hæc interdum fit unà cum verbali institutione seu tituli traditione, nisi quòd hæc prætereà contineat & significet translationem juris & tituli. Eadem habet Laym. *in disp. de Prælat. q.* 113. & *Theol. mor. l.* 3. *tr.* 1. *c.* 7. Idem sentit Lott. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 27. contrarium sentire videtur Paris. *l.* 7. *q.* 2. *n.* 103. ubi: quasi possessio beneficii non acquiritur, nisi ex investitura facta à persona Ecclesiastica ad hoc deputata. Citat pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de missione in possess. nu.* 11. Sic neque sufficit à potente tradere possessionem, datâ investiturâ signo aliquo manifestatâ, nempè pileo, libro, annulo; quia hæc investitura solùm opere confirmat collationem seu institutionem verbo factam, vel saltem dat licentiam & facultatem ipsi instituto, ut beneficii vacantis possessionem apprehendat; non tamen est ipsa beneficii possessio, quæ corporalem traditionem beneficii expostulat. Castrop. *cit. p.* 32. *n.* 7. ex Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *num.* 10. Quamvis etiam *nu.* 4. Castrop. dicat, talem investituram factam à Prælato collatore, habente simul potestatem tradendi corporalem possessionem beneficii, censeri debere vel ipsius possessionis traditionem, vel saltem facultatem eam apprehendendi; siquidem ad perfectionem collationis necessaria non est.

2. Respondeo secundò: nihilominùs fieri potest, ut interdum per talem investituram tradatur possessio beneficii vacantis, dum nimirùm in conspectu ipsius rei seu beneficii fieret hæc investitura. Argumento *l. quod meo. ff. de acquir. possess. l. clavibus. ff. de contrah. empt.* Laym. Castrop. Covar. *ll. cit.* sive investitura hæc fieret tradito annulo, libro, pileo, aliòve signo; sive verbotenùs tradatur possessio, ut Castrop. ex Covar. idque vel ab antiquo possessore, vel eo, qui Ecclesiæ vacantis custodiam cum auctoritate habuit. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 802. *An & qualiter acquiratur possessio per installationem vel inthronizationem?*

1. Respondeo ad primum: installatio, si quæ idem est, quod investitura, quando præcessit confirmatio, (vel etiam, quod idem est, dum præcessit legitima collatio) non est actus per se tribuens possessionem aut proprietatem; utrumque enim pendet à confirmatione seu collatione. Lott. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 27. Nec obstat, quòd, ut tradit Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 87. vi *reg. tertiæ Cancell.* vacet Sedes Episcopalis usque ad provisionem illius, adeptámque à proviso pacificam possessionem; nam etsi id verum, nimirùm eò usque censeatur vacare Sedes in ordine ad certum & singularem effectum, videlicet durationis, reservationis, de qua in dicta regula, non tamen id propterea trahendum ad alios effectus. Lott. *loc. cit. n.* 28. citans Rotam *decis.* 475. *n.* 17. *p.* 1. *recent.* tradit nihilominùs Laym. *ad c. nosti. de elect. num.* 5. quòd solennis illa & corporalis inductio in possessionem (quam olim solebat facere Archidiaconus, *c. ad hæc. de off. Archidiac.*) sola fit vocari installatio, & prinsquam ea solennitas peracta sit, in locis, ubi sic habet consuetudo, possessio non censeatur acquisita, ut Abb. *in c. cùm nuper.* Sic quoque ex generali consuetudine modum principalem apprehendendi possessionem Canonicatûs esse, & fieri per assignationem stalli in Choro, ait Lott. *l.* 3. *q.* 5. *n.* 28. in quo tamen modo id observandum monet *n.* 29. ut assignetur stallus proprius; eò quòd aliàs non transferatur possessio.

2. Respondeo ad secundum: multò minùs tradi aut capi possessionem per inthronizationem, ubi in quibusdam Ecclesiis consuetudo est, ut electus, cumprimùm electioni consensit, inthronizetur, vel in altari collocetur; quia hæc est mera solennitas ad significandum, illi jus ad Prælaturam inchoativè acquisitum. Laym. *in cit. c. nosti. n.* 5.

Quæstio 803. *An per hoc, quòd electus vi* c. nihil, de elect. *ut Laym.* ibid. n. 11. *ante confirmationem administret, censeatur acquisivisse possessionem Prælaturæ?*

Respondet Laym. *l. cit.* cum gl. *in idem c. v. administrent.* quòd Prælatus electus sit in quasi possessione, quia prælaturam quasi suam seu quasi jus in ea habens tenet, idque non tantùm propter canonicam electionem, ex qua ipsi actio nata est, ut confirmetur; (qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur. *reg.* 15. *ff. de reg.* juncta gl.) sed etiam

propter *citati c. nihil.* assistentiam, tribuentis in plenam administrationem, perinde ac si confirmatus esset, excepto quòd nihil penitùs alienare possit: quemadmodum simili ratione maritus res dotales tanquam suas tenet propter plenam, quæ ipsi à lege tributa est, administrationem. *l. si prædium. c. de jure dotium.* & sicuti tamen hæc possessio mariti est veluti provisionalis, durans interim, dum matrimonium consistit, ita etiam illa possessio Prælati necdum confirmati durat interim, donec de electione, instituto examine, sententia feratur; nam si confirmetur electus, corroborabitur possessio; si autem cassetur, aufertur malè electo possessio hæc, illud hic occasione hujus notandum, quod Laym. *ibid. n. 12.* ait, nihil sibi occurrere, quò minùs vigore *citati cap. nihil.* & propter necessitates & utilitates Ecclesiarum, si alicubi appareat, & experientiâ sit cognitum, malè rem administrari, & Prælaturæ vacanti detrimentum inferri, si Capitulum administrationem gerat, ejusdem *cap.* licentiâ in praxin deduci possint, ut in Ecclesiis Germaniæ, etiam Archi-Episcopalibus & Episcopalibus in concordia electus, interim, donec à Papa confirmationem accipiat, in spiritualibus & temporalibus administret.

Quæres 804. *Qualiter capiatur possessio corporali inductione seu traditione beneficii?*

1. Respondeo primò in genere: in possessione cujuscunque beneficii capienda debet servari statutum & consuetudo rationabilis loci, alioqui potest annullari. Paris. *de resign. l. 10. q. 6. n. 43.* citans C. Paris. *cons. 65. n. 8. vol. 4.*

2. Respondeo secundò: si beneficium habet suam Ecclesiam vel altare, debet ibi capi possessio. Corrad. *in pr. benef. l. 4. c. 7. n. 44.*

3. Respondeo tertiò: sufficit autem altaris osculum similisve actus factus in Ecclesia: imò etiam per tactum annuli januæ Ecclesiæ clausæ acquiritur possessio. Corrad. *ibid. n. 41.* citans Nattam *cons. 563. n. 13.*

4. Respondeo quartò: quòd si nec id fieri possit ex causa aliqua, v. g. quia impediretur violenter etiam ab adversario aliquo talis captio possessionis, sufficit etiam ocularis inspectio Ecclesiæ beneficii; (idem est de altari aut de capella, sita in Ecclesia) licèt enim iste modus apprehendendi possessionem sit reprobatus à jure, stante tamen tali impedimento, poterit Notarius per aspectum similemve alium modum fictum possessionem eam tradere, juxta *l. cùm unus. §. ult. cum l. seq. ff. de bonis auth. jud. possid.* Corrad. *cit. n. 41.* & manutenendus esset in possessione, qui hâc ratione eam acquisivit, etiamsi impedimentum illud non probaretur, nisi per attestationem ejusdem Notarii, juxta decis. Rotæ, ut Corrad. *num. 42.*

5. Respondeo quintò: si beneficium non habet Ecclesiam seu Capellam materialem, eò quòd ob temporis antiquitatem ignoretur locus Intitulationis, vel etiam is incursu hostium destructus, sufficiet, captam esse possessionem in quadam massaria beneficii, ut Corrad. *num. 43.* dicens, sic decisum à Rota *decis. 181. n. 6. divers. in recent.* seu apprehendere possessionem prædii alicujus ipsius beneficii; potest enim conservari substantia beneficii, nedum in denominatione Sancti alicujus, sub cujus invocatione institutum, sed & in simplici nuncupatione beneficii, etiam relato vocabulo ad prædium aliquod, & sic in eo seu in reliquis conservetur ipsius beneficii ens, ut Lott. *l. 3. q. 4. num. 67. junction. 64.* & quod, dum possessio apprehenditur, naturali apprehensioni deficit, actus implet. *l. 1. §. Neratius. 161.* Gl. *v. naturali possessione. ff. de acquir. possess.* Lott. *loc. cit. n. 68.*

Quæstio 805. *An & qualiter capta possessione bonorum Ecclesiæ seu beneficii habentis Ecclesiam vel altare, censeatur capta possessio beneficii?*

Respondeo: captâ possessione bonorum beneficii talis seu Ecclesiæ, non censetur capta possessio beneficii; non enim in hoc casu accessorium trahit ad se principale. Corrad. *cit. c. 27. n. 44.* & longè diversum quid est, capere possessionem beneficii, & capere possessionem bonorum beneficii. Lott. *cit. q. 4. num. 66.*

Quæstio 806. *An capta possessione beneficii, censeatur apprehensa possessio bonorum spectantium ad beneficium?*

1. Respondeo affirmativè: sive apprehendens possessionem Ecclesiæ seu beneficii censetur hoc ipso apprehendere possessionem omnium bonorum & jurium spectantium ad illud. Castrop. *cit. p. 32. n. 10.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 100.* citans Nattam *cons. 562. num. 13.* Covar. (qui multos alios refert) *l. 3. var. c. 16. n. 3.* Paris. *l. 10. q. 6. n. 53.* sive adeptâ possessione beneficii sine traditione & apprehensione rerum possessio earum transit, seu ipso jure transfertur in beneficiatum. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 37.* defuncto enim Rectore Ecclesiæ seu beneficii, non tamen vacat possessio bonorum & jurium illius; quia hæc semper est, & manet penes Ecclesiam, (non solùm cujus sunt bona, sed etiam, ut Corrad. *num. 83.* ex Lamb. apud Ecclesiam universalem) quæ possidere non desiit, dum (ut Lott. *n. 103.* ex Innoc. *in c. cùm semper. n. 4. de causa possess. & propr.* & variis Rotæ *decision.*) in hoc casu repræsentari personam fictam, quæ possideat. Lott. *ibid. n. 101. & 102.* Corrad. *cit. n. 37. & seq.* citans Garc. *p. 5. c. 5. n. 38.* Lamb. *p. 3. l. 2. q. 11. a. 9. &c.* Proceditque idipsum etiam, dum sumus in provisione Ecclesiæ seu beneficii, quod vacat à primæva erectione; quia sic erecta seu beneficium confertur cum omnibus juribus eidem Ecclesiæ annexis & bonis pro dote illi assignatis. Corrad. *cit. num. 37.* citans Innoc. *ubi antè.* Paris. *cons. 24. n. 5. l. 1.* & Roc. *decis. 19. n. 7. & 8. p. 2. divers.* Hinc jam infertur, quòd eo ipso, quòd movetur lis super beneficio, censetur etiam mota super possessione illius bonorum & fructuum, licèt de ea nihil dicatur. Corrad. *num. 46.* citans Calder. *cons. 5. de præb.* Sarnens. *ad reg. de triennali. q. 53. n. 3.*

2. Nihilominùs sic limitanda principalis responsio, nimirùm quòd captâ possessione beneficii, censeatur quoque apprehensa possessio bonorum illius, ut locum non habeat, nisi respectu bonorum & jurium beneficii vacantium, non autem quoad bona & jura per alium possessa, seu post vacationem illius medio tempore ante adeptionem novam possessionis Ecclesiæ à successore in beneficio ab alio occupata; nam ubi apparet, quòd, Ecclesiâ vacante, ejus bona fuerint ab alio occupata, tali casu debet Ecclesia agere spolio, & cessat manutentio in bonis illis à tertio occupatis. Corrad. *loc. cit. n. 45.*

Quæstio 807. *An capta possessione beneficii, cui facta est unio, censeatur etiam capta possessio beneficii uniti?*

Respondet affirmativè Lott. *cit. q. 4. n. 99.* citans Gonz. *gl. 5. §. 7. n. 6.* Beltram *ad Gregor. decis. 112. n. 5. &c.* idque fit non aliâ ratione, quàm illius annexionis subjectivæ. Quòd si tamen beneficia plura seu Ecclesiæ essent unitæ æquè principaliter, earum æquè principalis & distincta possessio capi debet. Card. de Luca *in summa de benef. num. 275.*

Quæstio 808. *An & quando possessio in Cathedralibus aut Collegiatis debeat apprehendi aut tradi capitulariter?*

1. Respondeo affirmativè, nec aliter capta possessio suffragatur, quantumcunque processerit à Canonicis; cùm hoc ipsum sit de jure. Paris. *l. 10. q. 6. n. 42.* citans Pontan. *de spol. c. 15. n. 156.* & dicens, sic esse receptum per omnes. Lott. *l. 3. q. 5. n. 33. & 34.* citans Ferret. *cons. 220. n. 13.* dicensque sic millies decisum: Card. de Luca *de Canon. d. 4. n. 4. & 8.*

di-

dicens, hanc nullitatem possessionis tunc potissimùm fore considerabilem, quando objiceretur per ipsum Capitulum, quòd ex ista causâ denegaret fructus proviso, aliósque actus possessorios, cùm eidem Capitulo principaliter interfit, noviter provisum ab eodem capitulariter, & non aliàs admitti. Declaratur hoc ipsum: collegium, cùm sit societas, non patitur jus quenquam in illud intrudi contra collegarum seu sociorum voluntatem. Lott. *ibid. num.* 24. Unde etiam Papa hoc jus semper intendit salvum esse; & hinc in literis mandat, ut Capitulum nominatam à se personam recipiat. Lott. *loc. cit. n.* 25. & 26. quæ receptio duplex est, una juris, dum ipsum Capitulum jure proprio declarat, se personam talem recipere in Canonicum & confratrem. Lott. *num.* 27. & hæc involvit actum ipsum collationis seu concessionem tituli beneficii. Lott. *n.* 31. locúmque habet, dum Papa mandat provideri, seu concedit exspectativam. Lott. *n.* 30. Altera est facti, quâ nimirùm Capitulum in executionem vel præcedentis actûs à se præstiti, nimirùm dictæ receptionis juris, vel dum Papa ipse providet, & mandavit à se provisum recipi, in executionem hujus provisionis Papalis recipit illum, assignando illi stallum in Choro, similive modo alio mittendo in possessionem per aliquem è suis à se ad hoc deputatum. Lott. *cit. n.* 27. Et hæc receptio facti, non secùs ac illa receptio juris est, & esse debet actus capitularis, seu capitulariter factus, vel mandatus fieri, ex eo, quòd societas, ad quam vi talis actûs recipitur, non est cum singulis prout singulis, sed prout universis. Lott. *cit. n.* 33. Procedítque hoc ipsum, sive servanda adhuc est ista solennitas tradendi possessionem capitulariter, ubi proceditur auctoritate Executoris deputati in literis Apostolicis; ea siquidem potestas tradendi possessionem, quæ originaliter est in Capitulo, & quæ illi per eas literas præservatur, non transit in Executorem, præterquam si Capitulum negligat, vel impedimentum præstet. Lott. *n.* 38. citans Gl. & Anchar. *in c. si Capitulo. de concess. preb. in* 6.

2. Nihilominùs limitanda responsio & doctrina hæc, nempe quòd opus sit dicta possessione capitulariter traditâ, primò ad beneficia collegiata, hoc est, quæ sunt de Capitulo, v. g. ad Canonicatus, ut non procedat de dignitatibus, dum hæ non sunt de Capitulo constituto per solos Canonicos, (uti eos regulariter non esse de Capitulo, ait Card. de Luc. *de Canon. d.* 4. *num.* 5.) idem Card. *ibid.* adeóque multò minùs de aliis beneficiis, putà Capellaniis, Vicariis, existentibus in Cathedrali vel Collegiata, nisi alicubi consuetudo habeat contrarium, ac ita suppleat modum illum tradendi possessionem capitulariter, utpote cui in hac parte jus deficiat. Card. de Luca *de Canonicis. d.* 4. *n.* 7. Lott. *loc. cit. n.* 35. qui citat pro hoc Cassad. *decis.* 8. *n.* 2. *de causa possess. & propriet.* vel nisi Capitulum ipsum impediat, quò minùs possessio ita apprehendatur. Lott. *n.* 36. citans Gregor. *decis.* 364. *n.* 2. Card. de Luca *in summa. de benef. n.* 274. vel nisi in subsequentibus actibus collegialiter gestis talis fuisset admissus; per hanc enim admissionem ad actus tales canonicales jam ratificatur veluti, & sustinetur, & justificatur prior possessio non capitulariter capta vel tradita; atque ita manutenebitur talis in possessione, nisi fortè re minùs integrâ, id est, post possessionem capitulariter alteri traditam processisset factum illud, nempè dicta admissio ad actus subsequentes capitulares, implicans seu supplens aliàs traditionem capitularem possessionis. Lott. *n.* 37. *juncto num.* 41. Ita quoque Canonicus, qui diu fuit in possessione Canonicatûs cum titulo infecto, seu aliàs nullo, superveniente ei titulo valido, opus non habet novâ installatione seu traditione possessionis capitulariter factâ. Lott. *n.* 42.

Quæstio 809. *An & qualiter traditio possessionis fieri non debeat, nisi vocato possessore?*

Respondeo: dum quis ipso jure privatur beneficio, & beneficium vacat, v. g. ob non factam à resignatario publicationem, ob non dimissum incompatibile, & consequenter illud à quocunque impetrari potest, in collatione facienda talis ipso jure privatus vocandus non est; à possessione tamen talis dejici non debet, nec potest inauditus & non vocatus, & alter in ejus locum in possessionem mitti; sed debet citari & vocari per Executorem, juxta expressum text. *c. licet Episcopus de præb. in* 6. ubi: *Licet Episcopus beneficium, quod cum cura animarum tenebas, postquam aliud recepisti consimile, illius possessionem pacificam habuisti, possit alteri de jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debebit te non vocato (cùm tibi forsan jus possit competere retinendi) in possessionem illius inducere corporalem, &c.* Paris. *l.* 11. *c.* 10. *n.* 10. citans quamplurimos. Et ratio præter eam, quam citatus text. *c. licet Episcopus.* exprimit, quòd quòd nimirùm illi possessori posset competere jus, est, quòd licèt amissum sit jure ipso dominium beneficii, non tamen jure amissa est possessio illius, ut multis exemplificat Paris. *à num.* 12. Sed & spoliator & prædo, cùm dejicitur possessione, est vocandus & audiendus. Paris. *n.* 29. unde etiam ait *n.* 20. hanc vocationem & citationem esse juris naturalis, citátque pro hoc Decium & Cravettam; unde & iste non vocatus possessor amotus à possessione agere potest spolio, ut Menoch *in* 8. *remed. possess. recuperand. n.* 50. & 73. Ferret. *cons.* 10. *n.* 10 *&c.* quos citat Paris. *n.* 23. Concludunt proinde DD. omnes, quòd dum in collatione non est vocatus ille, qui possidet beneficium, quo ipso jure privatus est, possessio nequaquam tradi possit aut debeat per conferentem, vel Executorem alteri, illo non vocato. Paris. *n.* 15. & 21. Unde etiam infert *num.* 9. & 22. in literis Apostolicis, in quibus fit provisio ob non factam publicationem, apponendam esse clausulam: *Vocato possessore.* idque vendicare sibi locum in omnibus privationibus, ipso jure factis, prout excludit Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato*: tametsi ubi hæc clausula non adderetur, adhuc Executor vocare deberet possessorem, nisi aliud in literis exprimeretur. Paris. *n.* 33. citans Franc. *in cit. c. licet Episcopus.* Menoch *ubi antè. n.* 51. ac dicens, hanc sententiam esse DD. omnium. Vocato autem possessore, agendum erit summariè. Paris. *n.* 34. juxta Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato.* Neque hucusque dictis obstat dictum Gl. *in c. felicis. de pœnitentia. in* 6. quòd offendentes Cardinales sint privati ipso jure beneficiis, si quæ habent, & quòd Ecclesiarum Rectores seu collatores, ad quos spectat, de iis disponant, illis, etiamsi de facto possideant, non vocatis; nam illud esse speciale, ait Paris. *n.* 24. ob atrocitatem delicti: & propter atrocitatem criminis licitum est transgredi jura, ut habet commune dictum; pro quo citat Innoc. *c.* 1. *de constitut.* & plures alios.

Quæstio 810. *An & qualiter possessio beneficii capi possit per procuratorem?*

1. Respondeo primò: possessio non solùm apprehendi potest ab habente canonicum titulum, seu beneficiato ipso, sed etiam ab ejus procuratore; quia si in vi mandati, quod habet ab eo ad beneficia, possit collatum beneficium acceptare, à fortiori poterit vi ejusdem mandati beneficii acceptati possessionem arripere; cùm possessio jus non conferat, sicut confert acceptatio. Castrop. *de benef. d.* 2. *p.* 32. *n.* 5. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 6. *n.* 9. Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 8. dicens, id esse manifesti juris, & ita servari de stylo notorio.

2. Respondeo secundò: probabiliùs videri, non posse procuratorem generaliter constitutum apprehendere possessionem beneficii acceptati; sed egere ad hoc speciali mandato, quale est mandatum ad beneficia. Castrop. *ibid. n.* 6. citans Gl. *in c. si tibi absenti. de præb. in* 6. *v. habueris.* Imol. *in l.* 1. §. *per procuratorem. ff. de acquir. possess.* Paris. *loc. cit. num.* 13. dicens, esse communem, contra Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 9. & Vasq. *de benef. c.* 4. §. 4 *dub.* 6. Possessio enim, esto non tribuat jus in beneficio, est tamen

ac-

accessoria acceptationi beneficii illius perfectio & complementum, adeòque imitari debet naturam sui principalis, nempe hujus acceptationis, cui accidit: ergo sicut ad acceptandum beneficium, ita etiam ad capiendam possessionem illius requiritur mandatum speciale. Castrop. *cit. n. 6.* & sufficiet mandatum aliàs procuratori ad beneficia, seu ad beneficium acceptandum, etsi expressa in eo non fuerit capienda possessio. Porrò poterit ad capiendam possessionem beneficii constitui procurator, etiam laicus. Parif. *ib. cit. n. 14.* citans Rossioiac. *de benef. c. 12. num. 14.*

Quæstio 811. An & qualiter capi possit possessio, lite vel appellatione pendente?

1. Respondeo primò; reo contumace actor, jure suo necdum ostenso, mitti non debet in possessionem ob periculum, ne vitium intrusionis incurrat, juxta *c. unicum. de eo, qui mittitur in possess. causâ rei servandæ.* Laym. *ad c. olim. de rescript. n. 1.*

2. Respondeo secundò: lite pendente non potest quis capere possessionem beneficii, super quo lis est, aliàs talis adeptio possessionis revocatur viâ attentatorum; idque etiamsi possessio lite pendente capta fuisset momentanea. Parif. *de resign. l. 2. q. 3. n. 26. & 27.* Si tamen resignatio facta fuit ante litem motam, resignatarius potest capere possessionem, pendente lite absque metu attentatorum; nam adeptio possessionis, quando venit accessoriè ad aliquid, quod habebat ante litem motam, tunc capiendo possessionem, non dicitur attentatum; quemadmodum etiam resignans pendente lite continuare posset possessionem suam absque attentato. Parif. *l. c. n. 28. & 29.* Sic etiam resignatarius subrogatus gratiosè ante litem potest capere possessionem pendente lite. Parif. *n. 30.* citans pro hoc plures decisiones Rotæ.

3. Respondeo tertiò: possessio capta in vim Brevis Apostolici pendente lite est attentata, non obstante clausulâ facultatis apprehendendi possessionem sine vitio spolii, nisi dicta clausula sit ampliata hoc modo: *Etiam lite pendente, & sine vitio attentatorum.* Lott. *l. 3. q. 11. n. 53.* citans Verall. *decis. 70. & 71. p. 1. & decis. 180. per tot. p. 3.*

4. Respondeo quartò: si collatio (idem est de institutione & confirmatione, ut Castrop. *paulò post citand.* juxta *c. quoniam. de elect. in 6.*) beneficii simplicis facta in judicio contradictorio nec tradi, nec capi potest possessio pendente appellatione aut termino ad appellandum; aliàs omnia erunt attentata & nulla. Castrop. *de benef. d. 3. p. 4. n. 11.* citans *c. à collatione, junctum c. non solùm. de appell. in 6. c. 2. ut lite pendente. in 6.* Gonz. *gl. 9. n. 203.* Garc. *p. 9. c. 4. n. 26.* Lancell. *de attent. p. 2. c. 4. n. 614. & 627.* Cùm enim appellatio sit defensio præcipua à jure litigantibus concessa, non potest impediri, adeòque dum conceditur appellatio à sententia collationis, ubi judicialiter proceditur, pendente termino ad appellandum, aut appellatione interpositâ, collatio non debet executioni mandari per apprehensionem possessionis.

5. Limitanda tamen videtur hæc responsio, nisi alicubi consuetudo constet in contrarium; sicut enim per legem introduci potest, ut durante termino ad appellandum, & appellatione pendente, collatio & institutio executioni mandetur, (ut de facto statutum à Trid. *sess. 24. c. 18.* circa beneficia parochialia) ita etiam idem per consuetudinem in beneficiis simplicibus induci potest: quia quod per legem sanciri, etiam per consuetudinem induci potest. Castrop. *l. c.* citans Gonz. *ubi antè. n. 211.* Garc. *n. 29.* Lancell. *p. 2. c. 12. limit. 48.* addens etiam cum Gonz. & Lancell. talem consuetudinem, sicubi exstaret, defendendam; quia favet Ecclesiis, ne diu Rectore careant. Idem dicendum, ut latâ sententiâ diffinitivâ de collatione non suspendatur executio seu traditio possessionis ob interpositam judicialiter appellationem, tradit Garc. *l. c. n. 34.* Gonz. *l. c. n. 203.* apud Castrop. *l. c. n. 13.* Idem tenet ipse Castrop. citans pro hac Gonz. *ubi antè. n. 214.* modò tale statutum synodale à Papa sit confirmatum, aut ita longo tempore observatum, ut consuetudinem inducat: secùs aliàs; quia inferior immutare non potest, quæ lege Superioris statuta sunt. *cap. cùm inferior. c. quod super his. de major. & obedient. c. pastoralis. de appell.* ubi à jure concessum, dum proceditur judicialiter, appellare à collatione, etiam ad effectum suspensivum, & statutum hanc appellationem suspendere collationis executionem. Unde jam corruit ratio, ad quam contrarium sentit Garc. *l. c.* nimirùm vim habiturum tale statutum etiam independenter à confirmatione Apostolica; eò quòd licèt inferior Principe non possit appellationem tollere, possit tamen in aliquo casu ex causa rationabili ejus effectum suspendere, v. g. ut appellatio interposita non suspendat collationis executionem. Nec roboris multum retinet alia ratio, ob quam idem cum Garcia censet Cævall. *in commun. contra communes l. 4. q. 897. n. 853.* nimirùm hanc non suspensionem executionis statui ex consensu omnium, quorum interest; dum omnes Ecclesiarum Pastores cum suo Episcopo in synodo convenientes sic statuant. Adde, quòd non tam Episcopi & Pastorum directè, quàm litigantium interest, appellationem suspendere, collationis executionem. Adeòque dum hi non cedunt appellationis beneficio, impediri nequit illius effectus. Castrop. *l. c. n. 14.* dicens, hoc idem contra Cævall. esse notatum à Garc. *n. 13.* His tamen non obstantibus, nihil est, quò minùs non suspendatur interpositâ appellatione collationis executio, ubi sic voluit fundator; cùm is possit apponere conditiones juri contrarias. Castrop. *cit. n. 14.*

6. Porrò contrarium est, sive non est appellationi locus, sed illâ non obstante, procedi potest ad collationis executionem per apprehensionem possessionis, ubi extrajudicialiter processum, qualiter censetur processum in provisione beneficiorum, ubi oppositores coram judice non firmant processum, ita ut judex partes judicis, & oppositores actoris & rei non assumant. Castrop. *l. c. n. 12.* citans Lancell. *de attent. p. 2. c. 12. limit. 3.* Covar. *in pract. c. 24 n. 5.* Gonz. *gl. 9. n. 27. & sequent.* juxta text. *cap. constitutis. de appellat.*

Quæstio 812. An & qualiter possessio capi nequeat ante expeditas literas Apostolicas?

1. Respondeo: si quis post signatam à Papa supplicam, (quo facto Papam facere gratiam de beneficio, & tacitè mandare confici literas, dictum est *§. præcedenti*, ubi, num collatio egeat scripturâ) ante tamen expeditionem istarum literarum adeptus fuerit possessionem beneficii, non facit fructus suos, & tenetur in conscientia ad illorum restitutionem; etiamsi nemo se ei opposuerit. Lott. *l. 3. q. 2. n. 4.* citans Felin. *in c. veniens. de accusat. n. 3.* eò quòd loco Canonicæ institutionis & tituli sint dictæ literæ. Lott. *ibid. n. 6. & 7.* Sed & olim veritum fuit sub privationis pœna, accipere possessionem, dictis literis non expeditis. Lott. *l. 3. q. 19. n. 3.* citans Felin. *ubi antè.* contra Parif. *de resign. l. 10. q. 6. n. 16.* qui pro hoc citat Corras. *de benef. p. 4. c. 1. n. 19.* Mand. *ad reg. 31. q. 2. n. 3. &c.* & quidquid de hoc sit, hodie dum ex constitutione Julii III. publicata 16. Maji 1553. in veteri Bullario, 34. & incipit: *Sanctissimus.* Possessio talis omninò vitiosa est, & subjacet gravissimis pœnis in dicta constitutione expressis. Card. Luca *de benef. d. 56. n. 2.* juxta *decis. Rota in Ferrariensi Archidiacon. 20. Aprilis. 1646.* & talis possessor est manifestus intrusus, & perpetuò inhabilis. Parif. *l. c. n. 17.* Lott. *l. 3. q. 13. n. 29.* citans Mandos. *ad reg. 27. de non judicando. q. 3. n. 2.* & Gigas. *in parvo tr. seu Epitome de intrusione. n. 38.* Atque ita quòd intrudens se in possessionem beneficii cum sola supplicatione, etiam prætextu gratiosæ subrogationis in ea concessæ, incidit in pœnas dictæ constitutionis, ut censuit Rota *in Spoletan. parochialis. 4. Decemb. 1557.* Lott. *n. 30.* ac ita etiam hodiedum ob eandem constitutionem cessat disputatio illa antiquorum (quod idem visum fuerat Rotæ) existimantium possessionem captam

vit-

virtute solius supplicationis esse restituibilem. Quin nec suffragatur gratiosa subrogatio, (de qua mox) literis illis non expeditis. Lott. *q.* 19. *n.* 55. & 56. citans Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 7. *n.* 105. & *l.* 10. *q.* 1. *n.* 20. & Rotam *in Vincent. benef.* 2. *Maji.* 1631. & subjungens *n.* 60. non posse hodiedum prætendi hujus constitutionis ignorantiam, eò quòd sæpè secundùm eam obtentæ fuerint impetrationes, ita potiùs dicatur esse in viridi observantia, dicique potest, quod ait C. de Luca *de benef. d.* 76. *n.* 7. de constitutione Innoc. X. in eadem, vel saltem affine materia edita 13. *Febr.* 1652. sub pœna privationis beneficiorum, prohibente usum transumptarum literarum Apostolicarum, non habentium subscriptionem ac sigillum Datarii, &c. nimirùm, quòd, cùm edita sit per viam legis generalis, ac publicata in Curia, eo ipso etiam afficiat ignorantes; cùm lex Pontificia non subjaceat solennitatibus publicationis in quibusvis locis, ac lapsus cujusdam termini post eam, & acceptationis populorum cum similibus, quibus aliæ leges subjacent.

2. Limitat tamen hanc responsionem Paris. *l. c. n.* 20. nisi possessio capiatur nomine Cameræ vigore Brevis, dum Breve succedit loco literarum, & possessio ritè capitur. Solet autem in Curia sæpè dari in beneficiis litigiosis, in quibus metuunt de successura lite hujusmodi Breve de capienda possessione citra vitium spolii & attentatorum. Paris. *ib. n.* 21. citans Staphil. *de lit. gratia p. ult. de rescript. in forma Brevis. n.* 24 Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *n.* 394. ubi plura de hac materia.

Quæstio 813. *An & qualiter per subrogationem ad possessionem ea continuetur, aut transferatur in subrogatum?*

1. Respondeo, declarando idipsum ex Lott. *l.* 3. *q.* 13. *per tot.* ubi hac de re accuratè & solidè. Observandum itaque primò: proviso Apostolico tanquam de reservato vel affecto consuevisse concedi literas super gratiosa illius subrogatione, non tantùm ad defuncti jus & litem, (si quæ cum eo fuit) litisque ejusdem prosecutionem, sed etiam ad possessionem, in qua fuit defunctus, ita ut hàc ratione multiplex concurrat gratia sub una clausula. Lott. *l. c. n.* 1. De qua etiam subrogatione ex suppositione litis vide eundem. *l.* 2. *q.* 20. *n.* 164.

2. Secundò: usu receptum esse, ut in quacunque supplicatione ad beneficia inter cæteras clausulas generales hæc quoque inseratur: quòd literæ per viam gratiosæ subrogationis, etiam quoad possessionem, expediri valeant. Lott. *n.* 3. citans Gonz. *ad reg.* 8. §. 3. *proœm. n.* 95. Unde signatâ supplicâ, Papa censetur supplicem ipsum subrogâsse; dum enim vult, posse expediri literas subrogationis: utique vult illum subrogatum censeri. Lott. *n.* 4.

3. Tertiò: cùm incorporalia non dicantur nisi quasi possideri, juxta Gl. *in l.* 3. *de acquirend. possess. v. corporalia.* & Baldum *in c. contingit. n.* 2. *de dolo & contumac.* Lott. *n.* 10. in quantum nimirùm, dum capitur intellectualis illa possessio rei incorporalis per possessionem rei corporalis, cui adhæret, illa intelligitur per eundem obtineri, qui rem incorporalem detinet, juxta *l. si ædes. ff. de servit. urban. prædior.* Lott. n. 11.

4. Quartò: dum itaque possessore beneficii (quod est quid incorporeum) cedente vel decedente, aliquem providendo subrogat in possessionem illam beneficii, non esse difficultatem in hoc, qualiter hæc possessio transferatur absque formali traditione; id enim facilè concedimus illi supremæ potestati principis, quâ possit transferre veram possessionem, id est, naturalem & civilem de persona in personam citra actum corporalem, ut Baldus communiter receptus *in l. raptores. c. de Epis. & cler.* Menoch. *decis.* 11. *n.* 2. *ut lite pend.* Natta. *cons.* 398. *n.* 26. & 28. & alii apud Lott. *n.* 13. qui idem habet *n.* 43. Sed qualiter hæc sit eadem numero possessio, seu ejus continuatio, & non nova, seu nova apprehensio; cùm illa existens apud defunctum tempore datæ rescripti, seu signatæ supplicæ, videatur esse extincta cum vita decessoris. Lott. *n.* 16. Papa enim non prævenit tempus mortis, ut facit statutum continuans possessionem defuncti in hæredem, (inter quod statutum & hanc subrogationem diversitatem vide apud Lott. *hic à n.* 42.) neque delictum factùmve aliud implicans amissionem possessionis. Lott. *n.* 17. & 18.

5. Hinc jam observandum quintò: in hac materia beneficiali locum non habere regulam illam juris civilis, quâ dicitur: cum vita defuncti possessionem quoque ejus ita extingui, ut in persona, sive vera, sive ficta non sustineatur, juxta *l. cum hæred. ff. de acquir. possess.* nam dum beneficiatus defungitur, possessio beneficii & aliorum corporalium, quæ in se (etiam secundùm rationem juris civilis) rapit possessionem beneficii, prout est jus incorporale, non vacat, sed remanet penes universalem, vel etiam singularem Ecclesiam, ut dictum antè. Lott. *n.* 19. Ita etiam, ut Prælatus, qui nunquam fuit in possessione alicujus prædii Ecclesiæ, &c. possit tamen agere spolio contra intrusum in possessionem talis prædii, non quidem nomine proprio; cùm nunquam possederit, sed nomine Ecclesiæ, apud quam semper fuit conservata eadem possessio. Lott. *n.* 20. citans Rotam. *decis.* 28. *n.* 2. *de rest. spol. in antiq.*

6. Sextò: prædiorum etiam aliarùmque rerum corporalium spectantium ad beneficium custodiam (prout custodia hæc omninò est quid diversum ab ipsa possessione. *l. possidere. de acquirenda possessione.* Menoch. *de retin. poss. remed.* 3. *n.* 47.) juris ministerio in eum rectà transire, qui beneficii omnimodam habet dispositionem. Lott. *n.* 21. & 22. citans Gl. *in c. cum vos. de off. ordinar. v. œconomus.* Jo. Andr. *ibid. n.* 26. & Abb. *in c.* 2. *de consuetud. n.* 10. Quare dum Papa providet de reservato vel affecto, non solùm apud eum tanquam Christi Vicarium & Ecclesiæ visibile Caput datur possessio beneficii & rerum illius, sed etiam apud illum tanquam apud collatorem datur custodia rerum temporalium, quæ hàc ratione censentur subjectæ oculis corporeis ipsius, & quodammodò positæ inseparabiliter sub aspectum. Lott. *n.* 23. Atque ita demum fit, ut, dum hunc suum provisum subrogat ad possessionem defuncti, idem possessionem ipsam veluti rerum positarum sub suo aspectu in eum transferat, non secùs ac ille, qui ex turri, dum vendita prædia demonstrat, eorum possessionem prospectui subjectam emptori tradit in casu. *l. quis meo. ff. de acquirend. possess.* Lott. *n.* 25. citans Abb. *in c.* 2. *de consuetud. n.* 10. ex Barbat. *ibid. n.* 86. ita ut ex eo actu optimè etiam consequatur traditio possessionis beneficii; quia per inductionem in possessionem rei corporalis fit immissio in possessionem rei incorporalis illi adhærentis. Lott. *n.* 26. ex Innoc. *in c. in literis. de restit. spol.* Adeóque jam subrogatio hæc, de qua loquimur, in effectu nihil est aliud, quàm continuatio possessionis de persona decessoris ad personam successoris. Lott. *n.* 27. citans Beroj. *cons.* 13. *n.* 14. *l.* 6. Gregor. *decis.* 307. *nn.* 16. quæ subrogatio non concluditur ex solo & simplice rescripto Papæ, seu signatura gratiæ, in quo extat suprà dicta clausula, sed ex literis, in quibus extensum est decretum illius, ut dictum suprà. Lott. *n.* 28. Porrò notandum, quòd clausula dicta: *Quòd literæ per viam gratiosæ subrogationis, etiam quoad possessionem expediri valeant.* Dum in supplicatione inseritur, non consideretur in abstracto, & de per se simpliciter, sed in ordine ad aliam clausulam: si affectum, aut reservatum, aut litigiosum sit beneficium; fundamentum enim hujus gratiæ subrogationis ad possessionem non est aliud, quàm cessatio omnis præjudicii inferiorum collatorum, & hujus cessationis certitudo. Ac proinde sine hoc supposito resolvitur subrogatio hujus clausulæ implicita in simplicem collationem, nec quidquam operatur, nisi tota narrativa principalis gratiæ justificetur. Lott. *n.* 32. citans Garc. *p.* 6. *c.* 4 *n.* 32. & Rot. *decis.* 187. *n.* 1. & 4. *p.* 1. *recent.* submotâ enim reservatione aut alio impedimento ex lite vel affectione respectu Ordinarii in eo momento, quo beneficium vacat, impossibile est intrare continuationem possessionis,

sionis, utpote quæ consistit in illa custodia rerum corporearum penes Papam, & in qua ideo radicatur traditio illa possessionis de persona in personam. Lott. *n.* 32.

7. Denique notandum, subrogationem hanc gratiosam, de qua hîc, longè diversam ab ea, quam rigorosam vocant, seu mandatum de subrogando, ubi hæc diversitas deprehenditur ex forma literarum; dum enim Papa prænarratâ simpliciter provisione conversâ oratione ad ipsum provisum dicit: *Téque ad possessionem, in qua dictus N. decessit, subrogamus:* reputatur gratiosa, nec hujusmodi literæ alteri diriguntur. Si verò, directis literis qualitercunque ad partem expeditis, certo executori demandat subrogare, dicitur subrogatio rigorosa, quæ non tantùm eget certificatione narratorum in ipsis literis, sed discussione juris defuncti, ne quando videatur Papa, re minùs per ipsum benè compertâ, voluisse patere huic proviso vitiosum ingressum. Lott. *n.* 33. & 34. Vide eundem de hac materia fusè *numeris seq.*

Quæstio 814. *An & qualiter possessio hæc, quæ continuatur, seu continuanda foret, per occupationem naturalis possessionis impediatur?*

Respondeo: ad hoc intelligendum, duos distinguendos esse casus: Prior, quando possessio defuncti in ejus vita simpliciter tantùm fuit turbata citra factum occupationis naturalis per innovationem aliquam, unde potiùs suspicatus fuerit turbari, quàm verè dicatur turbatus. Et in hoc casu nihil est, quin subrogatus possit intentare possessorium retinendæ. Lott. *l. 3. q. 13. n. 46.* Alter casus est, quando turbatio non fuit simpliciter illata per novitatem aliquam, sed positivè per occupationem possessionis naturalis, & in hoc casu impossibile est reddi hujusmodi possessorium; quia transitus ille possessionis de persona in personam de facto fuit impeditus per talem occupationem continuatam, etiam post mortem decessoris; atque ita etiam tempore subrogationis. Lott. *cit. n.* 46. Ac proinde hoc casu, si illa occupatio sit hujusmodi, ut nihilominùs fuisset dandum decessori mandatum de eo manutenendo, non impedit effectum subrogationis gratiosæ ad effectum immissionis. Lott. *n.* 47. ex Gregor. *decis.* 407. *n.* 53. *& seq.* Neque tamen etiam ex eo, quòd in hoc casu subrogato denegetur manutentio, excluditur effectus subrogationis in ejus radice, quò minùs possessio videatur continuata usque à principio; quia cùm illa occupatio naturalis non operetur, quò minùs subrogatus habeat possessionem civilem, cui naturalis est perpetuò accessoria, juxta *l. si id, quod. ff. de acquirend. possess.* ubicunque isthæc apprehenditur, retrotrahitur actus, neque dicitur de novo quæri, sed continuari, quæ priùs fuerat possessio. Lott. *n.* 48. citans Abb. *in c. cùm venissent. de restitut. spol.* Porrò quoad possessorium redintegrandæ seu recuperandæ illud, sive actionem de spolio non competere subrogato ex persona decessoris, dum is priùs spoliatus fuisset, certissimum ait Lott. *n.* 49. nisi ut subdit *n.* 50. Papa aliter decerneret, aut videri posset decrevisse; quia nimirùm spoliatio fuisset in supplicatione expressa, multóque minùs posse ei competere remedium istud, seu actionem spolii ex propria persona, dum nimirùm post obitum decessoris vel etiam concessam subrogationem se quis intrusisset in possessione, seu possessio naturalis occupetur, antequam subrogatus eam apprehendisset, ait Lott. *n.* 51. atque ita actionem hanc ferè totam se convertere ad possessorium adipiscendæ ex remedio, seu juxta *l. ultimam. c. de edicto D. Adriani tollendo* Lott. *n.* 5. Quòd si autem contradictor nullus exstet, qui possessionem occupet, cùm literæ ipsimet dirigantur subrogato, poterit is propriâ auctoritate apprehendere possessionem. Lott. *n.* 53. etiam lite pendente absque metu attentatorum. Lott. *n.* 54. citans Lancell. *de attent. in præfat. n.* 340. *&c.* Adeò etiam, ut nulla inhibitio antecedens subrogationem attendatur. Lott. *n.* 55. Quamvis, si post subrogationem subrogatus fuisset inhibitus, non posset per eum apprehendi possessio sine vitio attentati. Lott. *n.* 55. citans Lancell. *ubi antè. n.* 373. Quinimò si quis primò fuisset intrusus manifestè attentando, & postmodum obtinuisset gratiosè subrogari, censeri illud vitium purgatum, non tam ex simplici mutatione causæ, quàm ex occultata vi prioris possessionis nulliter adeptæ, tradit Lott. *n.* 56. citans Rotam *decis. 472. l. 3. p. 3. divers.*

Quæstio 815. *Dum in literis Apostolicis decernitur proviso possessio; est autem contradictor, ita ut necessè sit promovere actionem hanc de possessorio adipiscendæ, quid faciendum subrogato?*

Respondeo: nihil aliud ex ejus parte præstandum est ad effectum, ut sibi decernatur immissio, quàm ut exhibitis illis literis ad partem expeditis seu directis ipsi subrogato; (impossibile enim est, ut judex decernat immissionem, & pronuntiet super interdicto adipiscendæ, nisi priùs ei exhibeantur literæ Apostolicæ, in quibus legitur ipsum Papæ mandatum, & sic magni Prætoris edictum, quo expressè decernitur ipsi proviso possessio. Lott. *l. 3. q. 2. n. 31*) is citato adversario justificet Clericatum proprium, obitum defuncti in possessione beneficii, reservationem seu affectionem. Lott. *cit. q.* 13. *n.* 57. dicens, quòd hæc tria probâsse sufficiat in hoc casu, Rotam semper habuisse pro indubitato. De cætero dictis literis exhibitis, judex nihil pronuntiare debet super titulo, neque discussio ea super titulo fit ad hunc effectum, ut super eo pronuntietur. Lott. *cit. q.* 2. *n.* 32. Vide eundem de his pluribus *cit. q.* 13. *à n.* 58.

Quæstio 816. *An & qualiter possessio in beneficialibus exigat titulum, & ad hunc ostendendum compelli possit possessor, & quid compulsus respondere aut justificare teneatur?*

1. Respondeo ad primum: licèt beneficium Ecclesiasticum sine canonico titulo nequeat teneri, ut dicitur *c. 1. de reg. juris in 6.* benè tamen potest possessio beneficii transire in aliquem sine titulo. Lott. *l. 3. q. 24. n. 4. & 5.* citans Abb. *in c. in literis. n. 20. de restitut. spoliat.* Aliud enim est possidere, aliud obtinere beneficium; possidere enim importat tenere illud, saltem de facto, sive cum, sive absque titulo; unde in eo casu sufficit verificare possessionem de facto; obtinere beneficium importat in eo jus habere, quia tunc dicitur quis beneficium habere, quando quis habet jus in beneficio, non autem quando quis est merus detentor; & sic in habere beneficium canonica institutio seu titulus consideratur; non autem possessio de facto, & non sunt in consideratione beneficia, quæ quis de facto tantùm obtinet, hoc est, possidet. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 1. n.* 41. Hinc jam dum possessio titulum non requirit, fit, ut dato initio valido circa acquisitionem, possessio se ipsam tueatur. Quia licèt in acquirenda, ubi adest contradictor, cognoscatur de titulo, & requiratur in causa adipiscendæ possessionis, ut tentans talem possessionem adipisci probet justum titulum, ut Paris. *l. 10. q. 4. n. 29.* citans Ferret. *cons. 73. n. 4. l. 1.* ne detur vitiosus ingressus; in ea tamen manutenenda nullo modo est titulus aliquis necessarius. Lott. *cit. q.* 24. *n.* 6.

2. Veruntamen hæc de possessione, quæ, seu prout plurimum facti habet, de qua loqui Abbatem *in cit. c. in literis*, ait Lott. *n.* 27. Quæque mera incumbentia rei de facto, etiamsi justa, in beneficialibus de nihilo inservit, ut Lott. *n.* 24. citans gl. *in c. ex transmissa. de restitut. spoliat. v. & ab eo cognita.* De cætero possessio, dum stat in potentiori significatu, hoc est, pro jure, quo quis rem tenet, ut Lott. *n.* 23. ex Bald. *l. Si ex proprietate. c. Si à non competente jud.* & citans seipsum *l. 3. q. 8. ex n.* 26. Quæque dicitur habere non plurimum facti, sed plurimum juris, efformatur ex titulo. Lott. *n.* 26. & 27. ex Abb. *in c. post electionem. n. 14. de concess. præb.* lege speciali ad ejus acqui-

acquisitionem titulum exigente; sine quo proinde acquisita non censetur. Lott. *n. 25.* citans Abb. *in c. pastoralis. n. 27. de causa possess. & propriet.* Oldr. *cons. c. n. 4.* cùmque ex eadem lege exigente ad acquirendam hanc possessionem titulum, utique jam etiam semoto eo titulo reddatur quis incapax ex natura rei ad possidendum beneficium, removeri eam distinctionem de capacitate & incapacitate possidendi, ait Lott. *n. 28.* citans Oldr. *ubi antè.* Sic, seu in hoc sensu, quòd in beneficialibus possessio supponat titulum, docet Laym. *ad c. nihil. de elect. n. 11.* Vide de hoc plura dicenda §. *sequent*, ubi de annali & triennali possessione, num ea generet vel supponat titulum.

3. Respondeo ad secundum primò: possessor non est cogendus ad justificandum titulum suæ possessionis pro instruenda intentione adversarii sui, sive compelli nequit ad exhibendum titulum, ac ita probandam possessionem suam per impetrantem vel per alium, qui prætendat jus in beneficio. Lott. *l. 2. q. 46. n. 26. & 36.* Paris. *de resign. l. 11. q. 14. n. 34.* dicens, esse communem, teste Mascard. Dum enim sola probabilitas tituli supponitur, non potest impetrans dicere, titulum in possessore deficere. Lott. *ibid. n. 28.* & qui agit ad beneficium, debet docere de jure suo, & non impetere jus possessoris, cui sufficit vincere per non jus alterius. Lott. *n. 27.* Idem tradit Gonz. *gl. 4. n. 172.* ubi, quòd, dum possessor beneficii convenitur ut reus, & molestatur, non tantùm non tenetur probare idoneitatem suam extrinsecam, nec intrinsecam, sed nec narrativam suæ gratiæ Apostolicæ verificare; eò quòd commodum possessionis hunc effectum producat; citátque pro hoc Mascard. *de prob. concl. 1200.* Mohed. Put. &c. Porrò observandum hic, quod ait Lott. *l. c. n. 31.* & passim tradunt AA. Beltramin. *ad Gregor. decis. 353. n. 19.* Put. *decis. 239. n. 2. l. 3.* Cassador. &c. satiùs esse, nullum proferre titulum, quàm proferre imperfectum; quia dum provisus ipsemet adeò esset inops mentis, ut talem titulum ultroneè seu non coactus proferret, licèt hæc productio juvari posset ex possibilitate multiplicitatis titulorum, (de quo vide dicenda §. *seq. ad quæst.* qualiter possessio inferat seu præsumat titulum) elideretur tamen inde præsumptio melioris tituli ea fortiore præsumptione contraria, quòd meliorem non habeat. Lott. *l. c. n. 30. & 31.* citans Ægid. *cons. 10. n. 21.* Aymon. *cons. 134. n. 44.* Put. *decis. 239. n. 2. & 3. l. 3. &c.* Quænam autem concurrere debeant, ut dicta ultronea productio tituli istum effectum elisionis habeat, vide apud Lott. *cit. q. 46. n. 33.*

4. Respondeo ad secundum secundò: tenetur nihilominùs possessor ostendere titulum, & eum probare, dum Superior ex officio inquirit. Paris. *l. 11. q. 14. n. 35.* citatis quamplurimis, ac præsertim possidens beneficium curatum, ut ait *l. 10. q. 4. n. 33.* Lott. *l. 2. q. 46. n. 35.* dicens, beneficiatum, cujus recens est possessio, compelli posse per Ordinarium ad exhibendum titulum, & hâc ratione probandam possessionem suam, citans pro hoc Abb. *in c. cùm nostris. n. 24. de concess. preb.* Felin. *in c. licet Heli &c.* Extenditque hoc ipsum Lott. *n. 38.* ad patronos, ut ad eorum instantiam cogatur provisus ostendere titulum, & illum justificare. Citat pro hoc Abb. *in c. licet Heli. de Simon. n. 24.* & Joan. de Anania. *n. 29.* Prob. *ad Menoch. n. 22. de Off. Ordinarii. in 6.* Quinimò ad quemlibet Parochianorum respectu Ecclesiæ suæ Parochialis, ita ut ad instantiam cujuslibet Parochiani Rector Parochialis cogi possit ad docendum de titulo suo. Lott. *n. 39.* dicens, consentire in hoc DD. immediatè ante à se citatos. Hinc etiam poterit Episcopus vel alius Superior, ad quem pertinet jus instituendi, cogere beneficiatum ad ostendendum titulum, ne aperiatur via occupandi beneficium citra auctoritatem vel consensum illorum, ad quorum collationem pertinet. Urgeturque ad hoc talis Superior ex causa duplici, prior concernit periculum animarum; tum ipsius possessoris seu detentoris, qui ex supposito, quòd sine canonico titulo beneficium teneat, dicitur fur & raptor, juxta *c. 54. de elect.* tum Parochianorum, si beneficium est curatum. Altera periculum ipsius Ecclesiæ seu beneficii ea diuturna vacatione illius, utpote quæ non consumitur, nisi ex titulo valido. Lott. *l. 3. q. 24. n. 11. & 14.* Poteritque Superior ad id compellere non solùm per edictum generale contra omnes beneficiatos promulgari consuetum, ut Lott. *n. 15.* ex Abb. *in c. licet Heli. de Simon. n. 22.* per quosvis Episcopos in limine ingressûs ad suas Ecclesias; sed & contra unum aliquem in particulari, de cujus tituli defectu ipse Episcopus probabiliter suspicatur. Lott. *n. 16.* Sive prætendatur defectus, quòd talis nunquam habuerit titulum; sive titulus, quem semel habuit, fuit redactus ad non titulum, ut in casu depositionis, cujus hæc est præcipua vis, ut incumbens post illam possessioni dicatur intrusus. Lott. *n. 17.* citans Innoc. *in c. qualiter & quando. de accusat. n. 10.* Felin. *ibid. n. 3.* Abb. *in c. eum, qui. de preb. in 6.* Gigas *in Epitom. de intruso. nu. 5. &c.* vel in casu cujuscunque alterius sententiæ privationis vel cessationis tituli, quæ in judicatum transierit. Lott. *n. 18.* citans Felin. *in c. in nostra. de rescript. nu. 13.* Ferret. *cons. 12. n. 11. & n. 19.* Subdens juxta Lap. & Abb. *in cit. c. cum, qui.* in hoc casu, quo per sententiam titulus redactus est ad non titulum, inexcusabilem prorsùs esse intrusionem ex quovis prætextu ignorantiæ, aut conniventiæ, seu tolerantiæ. Neque his obstant dicta in responsione prima; quia qui possessioni rei, quæ sine titulo nequit obtineri, incumbit, non tam dicitur possessor, quàm occupator: & propterea actus Superioris hoc casu intenditur contra talem, non tanquam possessorem, sed contra occupatorem de facto. Lott. *n. 22.* Limitat nihilominùs responsionem Paris. *l. 11. q. 14. n. 38.* quòd Episcopus aliùsve Superior non possit possessorem cogere ad ostendendum & publicandum titulum, neque etiam de eo cognoscere, ubi Superior constituisset se adversarium illius. Citat pro hoc Gl. communiter receptam *in c. conquerente. de restitut. spoliat.* & *ibid.* Abb. Franc. &c. Felin. *in c. licet Heli. num. 9. &c.* Eandem limitationem adhibet Lott. *l. 2. q. 46. n. 42.* Ubi quòd, si Ordinarius aut patronus faciat se partem, non potest cogi beneficiatus, etiam prætextu simplicis inquisitionis, ut titulum suum exhibeat. Tum autem Ordinarius constituit se partem, si injustè procedat; vel etiam justè, sed judicialiter coram Superiore. Lott. *ibid. n. 43.* & Jo. de Anan. *in c. licet Heli. n. 33.*

5. Et de injustitia satis liqueret, eo ipso, quòd possessio non esset recens, veluti si fuisset saltem per triennium in ea quis toleratus; etsi enim secùs sit in profanis, in beneficialibus tamen id valet propter præsumptionem, quæ est pro Episcopo, qui, cùm tenetur quolibet anno visitare Ecclesias suæ diœcesis, & inquirere de titulis beneficiorum, præsumitur, eum non permissurum possidere, nisi habuisset canonicum titulum, etiamsi appareat de titulo invalido; quia adhuc præsumitur supervenisse dispensatio. Lott. *n. 44.* Sed neque productio tituli, ad quam per Ordinarium inquirentem, aut ad instantiam patroni aut parochiani compulsus fuit beneficiatus, ex hoc capite suffragari potest impetranti. Lott. *cit. q. 46. n. 40.* quia hæc ficta possessio resultans ex tali productione, non nocet in diverso judicio; dum ea indago potiùs pertinet ad extrajudicialem inquisitionem ex officio, quàm ad judicium aliquod formale. Lott. *n. 42.*

6. Respondeo ad tertium primò: dum itaque lex possessionem illam dictâ ratione qualificat in radice illius, exigendo nimirùm titulum pro ea astruend., non sufficit ostendi incumbentiam de facto. Lott. *l. 3. q. 24. n. 23.*

7. Secundò: dum autem Superior interrogat de titulo, non satisfit ei ex taciturnitate, (quia hæc potiùs habet vim negationis alicujus tituli) vel ex simplici allegatione possessionis, aut ex identica responsione: *Possideo, quia possideo.* Lott. *num. 29.* Sed proferendus est titulus ipse, qui præcedentem

vacationem consumere potuerit. Lott. *n.* 30. Dom autem præcedens vacatio non poterit consumi per titulum alium, quàm Apostolicum, seu obtentum à Papa, eò quòd v. g. beneficium sit reservatum, vel is, qui possessioni incumbit, esset simoniacus, veluti si consensisset pensioni, nisi à Papa obtinuisset titulum, in hoc casu exhibendæ sunt literæ Apostolicæ; nec facilè admitteretur excusatio amissionis earum, propter facilem aditum ad regesta Apostolica. Lott. *num.* 31. Si verò titulus consumens vacationem haberi potuerit ab inferiore à Papa, sufficiet pro titulo justificare consensum istius inferioris; sive sit alius ab inquirente in titulum, sive ipse inquirens, aut ejus prædecessor; cùm in inferioribus collatoribus non exigantur literæ, ut Bellam. *in c. illud. n.* 22. *de præsumpt.* adeò ut ab illis occoltè potuerit conferri beneficium. Lott. *n.* 32. *&* 33. De cætero in causa possessionis recuperandæ spoliatum teneri probare titulum suæ possessionis, esse communem, ait Paris. *l.* 10. *q.* 4. *n.* 30. citans Card. Paris. *cons.* 12. *n.* 2. *vol.* 4. & plures alios.

Quæstio 817. *Cujus sit mittere in corporalem beneficiorum possessionem, collatarios seu institutos?*

Respondeo: Id olim spectâsse ad Archidiaconos. *c. cum ad hac. de off. Archid.* Barbos. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 24. *n.* 32. Covar. *l.* 3. *var.* c. 16. *num.* 7. ubi etiam, quòd quamvis in *c. licèt Episcopus. de præb. in* 6. Responsum sit, ad Episcopum pertinere, mittere in possessionem beneficiorum; illud tamen intelligendum non de ipsa missione in possessionem corporalem, sed de sententia aut decreto, quo Episcopus pronunciat institutum in possessionem mittendum esse. Hodiedum tamen ex consuetudine, vel etiam, ut aliqui volunt, de jure, nimirùm *citato c. licet Episcopus.* id est, Episcoporum, Vicariorum & aliorum Ordinariorum. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 6. *n.* 33. citans Covar. *ubi antè.*

Quæstio 818. *Intra quod tempus debeat capi possessio?*

Respondet Tond. *loco paulò pòst citando num.* 17. *in fine.* juxta juris communis dispositionem nullum capiendæ possessionis tempus statutum esse. Citat pro hoc Boër. *decis.* 312. *num.* 1. Paris. etiam loquens in specie de resignatario, quòd etsi quidam teneant, resignatario non præscribi tempus ad possessionem capiendam; hodiedum tamen sit verius, quòd resignatarius debeat capere possessionem beneficii resignati, & publicare intra tempus statutum per constitutionem Pii V. & Gregor. XIII. de publicandis; statuit autem Gregor. XIII. in sua constitutione de beneficiis in manibus Ordinariorum & collatorum, etiam Cardinalium, etiam Indultum & facultatem ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum, etiam de Latere, & Legatorum specialium ejusdem Sedis extra Romanam Curiam resignatis, ut, qui sic provisus fuerit de iis intra tres menses, à die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficii capiat, (in quo discordat hæc Constitutio à *reg. Cancell.* & Constitut. Pii V. quibus concedebatur ad hoc tantùm unus mensis. Paris. *paulò pòst citand. n.* 8.) alioquin iis elapsis nulla sit ejus provisio, & beneficium vacare censeatur eo ipso, &c. & sic unum sine alio, hoc est, nec publicatio sine possessione capta, intra dictum tempus, nec capta possessio sine publicatione sufficit. Paris. *l.* 11. *q.* 2. *n.* 4. *juncto num.* 11. qui etiam *num.* 12. subdit, idem procedere in permutatione facta extra Curiam. Porrò illi tres menses incipiunt currere non à die resignationis admissæ, sed à die factæ collationis. Paris. *loc. cit. n.* 9. contra Roffiniac. *de benef.* c. 7. *n.* 7. De resignatis verò in Curia existentibus citra montes faciendam esse publicationem intra 6. menses, de existentibus verò ultra montes, v. g. in Germanis, intra 9. menses vi istius Constitutionis Gregor. ait Paris. *n.* 5. An autem intra idem tempus capi debeat possessio, non dicitur; argui tamen videtur, quòd sic, ex eo, quòd dixerat de resignatis in manibus Ordinariorum. Tradit etiam Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 13. *n.* 9. in Gallia observari, quòd possessio beneficii resignati, etiam post 6. menses, modò intra triennium, & ante mortem resignantis, & modò nulla fraudis conjectura vel præsumptio colligi possit; & hinc consultius esse, saltem aliquo tempore ante mortem resignantis captam esse possessionem, & hodie ex edicto Ludovici XIII. capiendam esse per duos dies integros ante mortem resignantis, & nisi intra triennium capta fuerit possessio beneficii resignati, beneficium tanquam dimissum & pro derelicto haberi, nec ampliùs spectare ad provisum, qui omni suo jure circa illud tam quoad possessorium, quàm petitorium per hanc suam negligentiam excidit, juxta textum & Gl. *in c.* 1. *de pacif. possess.* Idem apud Tond. tradunt Peleus *l.* 1. *action. forens. c.* 29. & ait 40. Boërius *decis.* 312. *n.* 1. *&* 24. in genere loquentes de quocunque proviso, etiam per obitum, uti id probatur *ex cit. c.* 1. *de pacif. possess.*

Quæstio 819. *Qualiter probanda sit possessio ejusque titulus, præcipuè, ut spoliatus restituatur?*

1. Respondeo primò: probatur possessio per factam traditionem clavium vel bireti. Paris. *l.* 10. *q.* 6. *n.* 49. citans Covar. *l.* 3. *var. resol.* c. 16. *nu.* 11. Menoch. *de retinend. possess. remed.* 3. *num.* 569. Mascard. *de prob. conclus.* 1184. & plures alios. Item per incisionem lignorum; arboris enim incisio non solet spectare nisi ad dominum. Paris. *n.* 50. *&* 51. Et regulariter per ea omnia, quæ ad solum dominum beneficii spectant. Paris. *num.* 52. citans Card. Paris. *cons.* 99. *n.* 2. Mascard. *ubi antè. concl.* 1178.

2. Respondeo secundò: spoliatus beneficio debet imprimis probare se possedisse, dum spoliaretur. Paris. *l.* 13. *q.* 5. *n.* 86. citans Innoc. *in c. sæpè. de restit. spol. num.* 2. Lap. *alleg.* 51. *nu.* 6. Anchar. *cons.* 42. *num.* 2. *&c.* ac dicens, esse communem & receptam DD. eò quòd spoliatus beneficio non dicatur nisi illi, qui illud semel possedit; cùm privatio supponat habitum. Paris. *ibid. n.* 87. *& seq.* adeòque spoliatum se eo dicere non potest is, qui beneficium possidere non potuit, v.g. laicus. Paris. *num.* 90. *& à num.* 123. ubi id ulteriùs exemplificat in intruso; quia intrusio solet titulum & possessionem annullare. Paris. *n.* 126. *&* 127. in eo, qui habens beneficium curatum, intra annum non est promotus ad presbyterium. *n.* 128. Pro quo citat Cravet. *cons.* 104. *n.* 3. Rebuff. *de pacif. possess. n.* 92. In simoniaco, qui non venit instituendus; cùm privetur ipso jure, & non habeat titulum. *num.* 129. In hæretico, qui non debet restitui. *nu.* 131. cùm nec is habeat titulum. In excommunicato, qui non restituitur. *num.* 133. In eo, qui non intelligit idioma loci, ubi habet beneficium curatum. *num.* 134. citans Menoch. *de recup. possess. remed.* 15. *n.* 441. In minore. *num.* 135. ut omnes *in c. cùm in cunctis. de elect.* In eo, qui habens beneficium curatum petit restitui ad aliud curatum. *num.* 136. juxta DD. omnes *in c. de multa. de præb.* Denique in casibus omnibus, in quibus constaret de notorio defectu proprietatis; in his enim restitutio non est concedenda spoliato beneficio. Paris. *num.* 137. citans Cravet. *cons.* 290. *n.* 8. Natram *cons.* 474. *n.* 37. *l.* 2. Menoch. *remed.* 15. *de recup. poss. n.* 438. Mascard. *de prob. conclus.* 1326. Item in omnibus casibus, in quibus objiceretur alicui, quòd ipso jure privaretur dominio & possessione; nam cùm ipso jure sit privatus, non dicitur possidere aliquid. Paris. *num.* 138. citans Abb. *in c. item cùm quis. n.* 9. *&* 10. *de restitut. spol.* Menoch. *loc. cit. n.* 330. *&c.* Item in iis, qui spoliati sunt beneficiis post resignationem spontaneam illorum beneficiorum. Paris. *n.* 41. quod ipsum tamen variè limitat, & intelligendum ait *n.* 152. non nisi de spoliatis post talem resignationem, jam à Superiore acceptatam.

3. Respondeo tertiò: quamvis in profanis sufficiat probatio possessionis, utpote in quibus etiam præ-

do

do est restituendus; in beneficialibus tamen non sufficit; sed requiritur exactior probatio; cùm prohibeatur violentus ingressus. Paris. *loc. cit. num.* 95. *& seq.* citans Innoc. *in c. constitutus. de filiis presbyterorum.* & Rotam *decis. 20. de restitut. spol. in antiq.*

4. Respondeo quartò: licèt possessio inferat præsumptum titulum. *c. si à Sede. de preb. in 6.* non tamen ex sola probatione possessionis in beneficio oritur effectus restitutionis in spolio; cùm ad beneficium restitui nequeat carens canonicâ institutione, quæ proinde, ex stylo saltem, deducenda est ex coloratione justi ingressûs; & sic in beneficialibus spoliatus debet possessionis suæ titulum justificare. Paris. *à num.* 99. citans Menoch. 15. *remed. recuperand. possess. nu.* 458. Abb. *in c. in literis. num.* 15. *&* 25. Paris. *cons.* 12. *n.* 2. *vol.* 4. Mascard. *de prob. conclus.* 1322. *n.* 3. & quamplurimos alios, qui passim dicunt, hanc sententiam communem & usu receptissimam.

5. Respondeo quintò: non exigitur tamen exacta probatio tituli veri; sed sufficit forma quædam extrinseca sui facie valida, ut loquit Paris. *n.* 102. & sic possessionem pristinam ex aliquo colore justificare. Citat pro hoc Menoch. *ubi antè. num.* 469. Imol. *in c. ex parte. de restit. spol.* Buttio *in c. in literis.* Gemin. *cons.* 147. *l.* 2. & plures alios. Probatur autem hic color ad effectum restitutionis super spolio in beneficialibus primò, si fuerit deductum & probatum, spoliatum habuisse beneficium ab eo, qui auctoritatem habebat instituendi. Paris. *n.* 103. citans Innoc. *in c. in literis. de rest. spol. &c.* Nec requiritur, ut spoliatus ostendat literas. Paris. *n.* 105. citans Cassad. *decis.* 8. *n.* 1. *de restit. spol.* Capotaq. Sarn. &c. Quin & sufficiet, spoliatum probare, habuisse possessionem vel per traditionem clavium. Paris. *n.* 104. Secundò probatur hic color ex confessione licèt obiter facta per spoliantem. Paris. *n.* 107. citans Butr. & Abb. *in c. literis.* Felin. *in c. olim. de rescript. n.* 11. Pontan. &c. Tertiò probatione possessionis diuturnæ. Paris. *num.* 108. citans Butr. & Abb. *ubi antè.* Roman. *cons.* 465. Beliam. *decis.* 455. *&c.* ex longa enim possessione beneficii oritur præsumptio canonici ingressûs. Paris. *n.* 109. ex Roman. *cons.* 117. Decio *in rub. de fide instrum. n.* 17. sufficit autem possessio 10. annorum. Paris. *n.* 115. citans Felin. *in c. illud. de præsumpt. n.* 6. Anchar. *cons.* 117. Paris. *cons.* 25. *n.* 26. *vol.* 1. sic qui longo tempore reputatus est Clericus, & existit in possessione beneficii, etiam curati, habet fundatam intentionem, licèt non habeat literas Ordinum; quia præsumitur ordinatus. Paris. *num.* 112. juxta Host. Abb. Butr. & alios communiter *in cit. c. illud. de præsumpt.* ita ei, qui possedit beneficium per 30. annos, licèt non habeat literas, præsumitur facta collatio. Paris. *n.* 113. & AA. communiter *in c. illud.* Et ideo reputatur calumniosa petitio visitatoris petentis literas. Paris. *n.* 114. citans Gemin. *in c. Si judex. §. ult. n.* 4. *de sent. excom. in 6.* & dicens, sic respondisse S. Congreg. *in Nolensi visitationis.* Quartò probatur hic coloratus titulus ex testimonio de auditu à spoliato, qui possidebat. Paris. *n.* 116. citans Rotam *decis.* 8. *de restitut. Spol. in noviss.* Felin. *in c. Albericus.* & *c. ex parte. tit. eod.* *Bellam. decis.* 455. Quintò in favorem resignatarii agentis super spolio ex narrativa suæ resignationis, facta in literis expeditis continentibus reservationem certæ pensionis ad favorem resignantis. Paris. *n.* 117. citans Pontan. Cresc. Sarnen. &c. Sextò ex institutione, etiam non constito de prævia præsentatione. Paris. *n.* 119. citans Rebuff. *de pacif. possess. n.* 32. Item ex confirmatione electionis. Item per expectativam. Paris. *n.* 120. *&* 121.

Quæstio 820. An, dum agitur de solo possessorio in beneficialibus, quærendum sit quoque de justitia vel injustitia negotii principalis?

Respondeo negativè, saltem quantùm est de jure stricto; sed attenditur nudum factum possessionis, remittendo reliqua ad petitorium, ut in specie habetur *in Beneventana Parochialis. decis.* 352. *p.* 10. *recent.* ad hoc tamen utiliter sæpè deducuntur concernentia bonum jus; eò quòd hoc valdè prodesse soleat, vel ad effectum facilitandi resolutionem in possessorio. Card. Luca. *de Paroch. d.* 9. *n.* 3. *item d.* 31. *n.* 3.

Quæstio 821. Qualiter amittatur possessio beneficii?

1. Respondeo primò: per renunciationem non spontaneam non amitti possessionem, secundùm aliquos, ait Paris. *l.* 1. *q.* 10. *n.* 42. citans pro hoc Card. Paris. *cons.* 143. *n.* 19. *vol.* 4. *&c.*

2. Respondeo secundò: per resignationem simplicem, hoc est, non conditionatam, seu factam non nisi sub certa conditione, putà, ut beneficium conferatur certæ personæ à se designatæ, vel alia; (aliud enim est resignare beneficium, aliud cedere illud alteri) hæc enim resignatio statim abdicat jus, sive fuerit facta coram Papa, sive coram Ordinario, & resignans manet sine titulo etiam colorato, (in beneficialibus autem non potest stare possessio sine titulo, & ideo amisso titulo amittitur etiam simul possessio. Paris. *paulo post primo loco citand. n.* 17. *&* 20.) & beneficium videtur haberi pro derelicto, & illud ut vacans potest liberè conferri alteri. Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 15. citans quamplurimos alios. & *l.* 1. *q.* 3. *à n.* 5. citans Abb. Butr. Innoc. *in c. sollicitè. & c. accepta. de restit. spol. &c.* ac dicens *n.* 7. esse communem opinionem, quòd in hoc casu amittatur etiam civilis & naturalis; quæ tamen intelligenda post resignationem talem à Superiore acceptatam. Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 24. citans Innoc. & Abb. *in c. quod in dubio. de renunc.* Butr. *in c. quidam. n.* 9. *tit. eod.* Navar. *in c. accepta. oppositione.* 7. *n.* 26. *de restit. spol.* Menoch. *de arbit. casu* 20. *n.* 47. *&c.* & ideo, non admissâ renunciatione, spoliatus illâ restituitur. Paris. *ibid.* ex Menoch. *de adipisc. poss. remed.* 1. *n.* 303. quod verò tradit Paris. *cit. q.* 5. *n.* 28. *&* 29. citans pro hoc Butr. *in c. sollicitè. de restitut. Spol.* Calder. *cons.* 4. *de renunc.* Sarn. *ad reg. de Annal. q.* 56. *&* 57. Mandos. *de signat. gratia tit. fructuum reservationes.* Rebuff. *cons.* 4. *n.* 4. Achill. de Grassis. *decis.* 10. *de restit. spol.* & plurimos alios, nimirùm quòd etsi resignans perdat cum dominio possessionem juris; non videtur tamen cessisse detentionem, adeòque post admissam renunciationem possit incumbere possessioni realiter & de facto, & incumbendo animo continuandi retineat naturalem, & hæc detentio sit tanti momenti, ut, si spolietur eâ detentione, sit restituendus; & sufficiat ea, ut quis juvetur regulâ *de Annali*, id, inquit, procedit de resignatione facta, non simpliciter, sed in favorem; sic enim expressè ait *cit. q.* 5. *n.* 36. in simplici renunciatione post ejus admissionem statim amittitur omnis possessio civilis & naturalis, (& *cit. l.* 1. *q.* 7. talis non potest ampliùs incumbere possessioni) & res videtur habita pro derelicta. Citans Achill. de Grassis. *ubi antè.* & dicens, esse communem DD. si verè, ut ait *n.* 39. resignatio facta fuit in favorem alicujus, resignans dicitur etiam possidere, & titulum coloratum habere, donec resignatario beneficium acquiratur. Quin & in genere in resignationibus conditionalibus nequidem jus ipsum seu dominium abdicatur, nisi impletâ conditione. Paris. *l.* 1. *q.* 3. *n.* 8. citatis quamplurimis, & fusiùs *l.* 1. *q.* 14. *ferè per tot.* Quòd si tamen resignans in favorem sit absens à loco beneficii, amittere illum post acceptatam illam resignationem, etiam dictam detentionem seu possessionem naturalem, ait idem Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 33. cum Puteo *decis.* 158. *l.* 3. Porrò qualiter, dum per resignationem nullam (intellige ex eo, quòd facta in manibus non habentis potestatem illam recipiendi) amittatur jus & possessio civilis & naturalis, ut Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 41. ex Cresc. *decis.* 64. *l.* 1. censeatur etiam hoc ipso procurator constitutus ad lites & negotia ratione illius beneficii revocatus, vide apud eundem Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 42. ubi id affirmat, probat & limitat.

3. Tertiò: per resignationem factam in manibus non Superioris, seu non habentis auctoritatem illam seu potestatem recipiendi; hæc enim resignatio præjudicat resignanti quoad possessionem, & is eam amittit, retinendo tamen proprietatem, quâ debet declarari privatus. Paris. *l.* 7. *q.* 1. *n.* 58. citans Innoc. *in c. veniens. de renunc. v. fatemur.* Abb. *in c. quod in dubiis. tit. eod. n.* 7. Rossiniac. *de benef. c.* 14. *n.* 36. Menoch. *de arbit. casu* 201. *n.* 47. Navar. *in c. accepta. de renunc. n.* 25. & 34. Ratio hujus est, quòd possessio non habeat quid spiritualitatis seu vinculi indissolubilis, ideóque potest amitti sine Superiore; secùs est in proprietate. Paris. *cit. n.* 38. Et hoc est, quod dicitur, quòd faciliùs amittatur possessio, quàm proprietas, juxta *l. Si quis vi. §. differentiam. de acquir. poss.* ubi Bartol. quòd, qui non potest renunciare jurisdictioni seu juri suo quoad proprietatem absque Superiore, potest tamen possessioni renunciare; quoniam cessat ratio præjudicii. Et, ut idem Bartol. *in l. §. 2. Si vir uxori. ff. de acquir. poss.* quem sequuntur communiter omnes: quòd ex inutili contractu perdatur possessio. Paris. *n.* 39. & 41. Et hoc est, quod etiam communiter tradunt Auctores, titulum beneficii non amitti absque Superioris consensu, ut Abb. *in c. ad aures. n. 7. de eo, quod metus causâ.* Felin. *in c. in nostra. de rescript. corollar.* 34. Paris. *n.* 47. Atque ita concludendum, non privari ex hoc proprietate ipso jure, sed requiri sententiam declaratoriam privationis ob delictum commissum, renunciando in manibus non Superioris. Paris. *n.* 42. citans *cap. quod in dubiis.* & ibi Hostiens. Innoc. & alii communiter. Quin &, si renuncians coram non Superiore non fuerit privatus à suo Superiore, & alter intereà impetrârit illud beneficium, hic sit intrusus, & prior possit agere, & beneficium illud repetere ab hoc intruso. Paris. *n.* 43. juxta *decis.* Rotæ. Hinc etiam in impetratione talis beneficii necesse est facere mentionem de taliter facta illius renunciatione, nimirùm coram non Superiore. Paris. *n.* 44. citans Felin. *in c. in nostra. n.* 31. *de rescript.* Menoch. *de arbit. casu* 201. *n.* 47. Paris. *cons.* 74. *n.* 5. *vol.* 4. Porrò, quòd in dicto casu amittatur possessio, & retineatur dominium, idem procedere, dum resignatio facta in manibus laici, ait Paris. *n.* 45. contra Butr. *in c. 2. n. 6. de renunc. in 6.* Bald. *in c. quod in dubiis. n.* 4. Beroium *in idem c.* censentes contrarium; eò quòd, dum dicitur *in illo c.* talem beneficio esse spoliandum, & sic possessione, ista verba inferant etiam ad possessionem, ita ut eâ spoliandi, non spoliati sint; cujus tamen contrarium *ibidem* ostendit & firmat Paris.

4. Limitatur nihilominùs etiam à Paris. dicta doctrina, ita ut sustineatur talis renunciatio facta in manibus non Superiorum. Primò, ubi ea dein ratificata fuerit à legitimo Superiore, ad quem spectabat receptio resignationis, & dum ille eam ratam non habuit, recuperari quodammodò possessionem ipsam, ut Paris. *n.* 49. ex mente tamen potiùs aliorum, quàm sua, dum ipse *n.* 51. subdit, veram esse conclusionem, ut taliter renunciantes absque Superiore, non possint absque Superioris consensu redire ad resignata taliter beneficia, intellige, taliter possidenda, (quidquid sit de eo, num requiratur nova collatio, in quo puncto remittit ad Jo. Andr. *in c. Si te prabendam. de renunc. n.* 30.) citátque pro hoc Navar. *in c. accepta. oppositione* 7. *n.* 25. 28. 31. Plures alios casus, in quibus subsistat talis resignatio, & consequenter amittatur quoque ipsum dominium beneficii, vide apud eundem pluribus *n. seq.* Vide de his pluribus Lott. *n.* 3. *q.* 14. *ferè per tot.* ubi qualiter per resignationem vacet beneficium. Ex quo illud obiter hic notandum, quòd in amittenda possessione solus actus seu affectio ejus, qui possidet, sufficiat; idque tam in beneficialibus, quàm aliis. Lott. *ibid. n.* 31. & 15. trahatùrque idipsum ad animum concussum metu; eò quòd voluntas coacta maneat voluntas. Lott. *ibid. n.* 14. & 16.

5. De cætero qualiter amittatur possessio alio modo, quàm per renunciationem liberam, nimirùm per privationem seu cessionem non voluntariam, commodiùs dicitur alibi, ubi de amissione beneficiorum, illud breviter circa hoc in genere hîc observandum, quòd privatus ipso jure beneficio, quamvis amittat hoc ipso proprietatem seu dominium beneficii, non tamen amittat simul hoc ipso seu jure possessionem beneficii. Paris. *l.* 11. *q.* 10. *n.* 11. ex Bald. *in addit. ad Speculat. tit. de locato. §. nunc aliqua. q.* 46. item *cons.* 356. *l.* 4.

PARAGRAPHUS II.

De virtute & beneficio possessionis in beneficialibus, &c.

Quæstio 822. An & quando possessio habeat vim collationis?

Respondeo: possessio tradita ab iis, qui habent potestatem conferendi, habet vim collationis, seu continet in se tacitam & virtualem collationem. Corr. *in pr. benef. l.* 4. *c.* 7. *n.* 14. Gonz. *ad reg. 8. gl.* 14. *n.* 45. citans Covar. *l. 3. var. c.* 16. *n.* 10. Rotam *decis. 16. de præb. in noviss.* Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 35. & *q.* 1. *n.* 24. ubi etiam, quòd quiscunque is sit, qui habet potestatem conferendi per investituram seu traditionem possessionis, simul censeatur conferre, instituere aut confirmare, citans pro hoc Abb. *in c. auctoritate. de institut. n.* 9. Neque enim necesse est facere duos actus distinctos, cùm illa traditio possessionis implicet actum præcedentem necessarium. Lott. *ibid. n.* 25. citans pro hoc Roman. *cons.* 337. *n.* 3. Felin. *in c. cum aliquibus. de re judic.* Sic actus traditionis, possessionis gestus ab ipso Episcopo. (Intellige dum penes illum aliàs est privativè jus conferendi) Card. Luca. *de benef. d.* 30. *n.* 19. Sic dum Capitulum tradit possessionem alicui nulliter proviso, si apud Capitulum verè est jus conferendi, talis traditio habet vim collationis. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 57. ubi etiam, quòd tunc non veniat consideranda aliqua ratificatio præcedentis actûs nulliter gesti, sed factum meræ collationis, & usus potestatis conferendi implicitus in ipsa tolerantia. Citat pro hac Achill. *decis.* 267. *n.* 5. & 6.

Quæstio 823. An & qualiter possessio inferat titulum?

1. Respondeo: eo ipso, quòd constet de possessione beneficii, præsumitur titulus; cùm sine illo possideri non possit. *c. si a sede. de præb. in 6.* Paris. *de resign. l.* 13. *q.* 5. *n.* 98. (Ubi tamen tradit juxta communem in beneficialibus solius possessionis probationem non sufficere ad effectum restitutionis in spolio, cùm quis ad beneficium restitui nequeat sine canonica institutione.) Gonz. *ad reg. 8. §. 3. proœm. à n.* 55. citans Rebuff. *de pacif. possess. n.* 297. Masc. *de prob. conclus.* 1200. & alios quamplurimos. Possessio enim præsumitur habita ex titulo præambulo *l. 2. c. de acquir. possess.* Lott. *l.* 2. *q.* 46. *n.* 2. citans Surdum *cons.* 52. *n.* 10. Curtium Jun. *cons.* 168. *n.* 33. & præsumptio hæc ita stat pro possessore & possessione, ut, si ei accedat vel sola potentia boni tituli, præsumatur ex eo acquisita; usque adeò etiam & illa præsumptio dicatur probatio probata, juxta Cassad. *decis. 4. n. 5. de causa poss. & prop.* Lott. *l. c. n.* 29. Et possessor præsumitur seu censetur Dominus. Paris. *l.* 11. *q.* 1. 25. & *l.* 10. *q.* 8. *n.* 49. citans Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 48. *n.* 6. Felin. *in c. cùm Ordinem. de rescript. n.* 20. &c. Gonz. *gl.* 45. §. 2. *n.* 15. ubi quòd, quando dominium incidenter allegatur, possessor præsumitur Dominus, & pro tali reputatur. *citat. c. querelam. de elect.* & Imol. *in clem. 1. ut lite pendente. n.* 3. & 10.

2. Jam verò multóque magis ex longa possessione beneficii oritur præsumptio tituli. Paris. *l.* 10. *n.* 4. & 18. & canonici ingressûs. Paris. *ibid. n.* 109. citans Roman. *cons.* 117. in fine. Et diutiùs existens in quasi possessione Prælaturæ præsumitur talis, qua-

lem

lem per id tempus se fecit. Paris. ibid. n. 110. citans Federic. de Senis. cons. 103. Decium in rub. de fide instrum. n. 17. &c. Sufficitque ad hoc decennium. Paris. l. 10. q. 4. n. 20. & l. 13. q. 5. n. 111. citans Felin. in c. illud. de præsumpt. n. 6. Decium. cons. 85. n. 7. C. Paris. cons. 25. n. 62. vol. 1. &c. Tondut. in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 1. Ubi: certum est, possessionem decennalem habere vim tituli, nisi de intrusione constet; quia scientia & tolerantia Superiorum habet præsumptionem tituli, nec cogitur quis post tanti temporis spatium exhibere titulum suum.

3. Quinimò probato ab impetrante contra possessorem titulo ono invalido, adhuc novus alius & melior titulus præsumitur in possessore. Tond. loc. c. n. 12. (ubi: quòd præsumptio tituli validi non tollitur per probationem tituli infecti, cursu longi temporis stante) Lott. cit. q. 46. n. 17. Et hinc, si dictam præsumptionem alleget, eo ipso eliditur iste objectus formatus ex defectu tituli provenienti aliundè, quàm ex reservatione Apostolica. Lott. cit. n. 17. quia cùm detur multiplicatio titulorum, nihilque sit, quò minùs potuerit eadem possessio eodem tempore apprehendi ex pluribus titulis. Lott. ibid. n. 22. citans Roman. cons. 350. n. 13. Felin. in c. in nostra. de rescript. n. 2. &c. nihilque etiam sit, quò minùs causa possessionis potuerit mutari novo aliquo superveniente titulo, vel saltem accumulari, etiam absque extrinseca declaratione. Lott. n. 20. ex Cassad. decis. 4. n. 11. de restitut. spol. & Crescent. decis. 5. n. 6. tit. eod. & Rotam in Cæsar-August. parochial. 8. Nov. 1589. Quin & sine dimissione & nova apprehensione possessionis, utpote quæ necessaria non est. Lott. n. 20. citans Gregor. decis. 546. n. 6. Mantic. decis. 21. n. 4. Rotam decis. 74. n. 8. p. 2. recent. contra Socin. Senior. cons. 131. l. 1. Hinc, inquam, sequitur manifestè, possessionem juvari hâc ipsâ possibilitate concursûs tituli melioris. Lott. cit. n. 17. Idque non solùm, ubi titulus malus & vitiosus, qui ab impetrante producitur, prætenditur solus, & de per se; siquidem possessor replicare potest, se non esse adeptum possessionem virtute illius tituli, sed virtute alterius. Lott. n. 18. sed etiam, si ab impetrante titulus vitiosus producitur, unà cum actu adeptæ possessionis, seu dicatur in virtute talis mali tituli esse captam possessionem: quia jam hic objectus eliditur ex eo, quòd possessio, ut dictum, capi potuerit pluribus titulis simul, & mutari novo aliquo superveniente titulo, &c. Lott. n. 19. Aymon. cons. 171. n. 2. Porrò illud hîc observandum, quod ait Lott. n. 23. citans Alciat. in l. cùm quid. n. 63. ff. si certum petatur. & Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 48. n. 27. nimirùm, ut possessor adjuvetur dictâ præsumptione tituli justi & canonici, debere allegare hanc præsumptionem; cum eatenùs prosit præsumptio, etsi non sit probatio, relevat tamen ab onere probandi. Lott. n. 25. citans Alciat. de præsump. p. 3. n. 2. Surd. decis. 231. n. 24. & possessor cogendus non sit ad justificandum titulum suæ possessionis pro instruenda intentione sui adversarii, de quo vide plura dicta superiùs; ubi, num possessio exigat titulum. Vide etiam dicenda infrà, ubi in specie, qualiter possessio triennalis generet præsumptionem tituli.

Quæstio 824. An & qualiter possessio inferat præsumptionem continuationis possessionis?

Respondeo: si is, qui semel possedit, asserat, se hodie possidere, possessio præsumitur medio tempore continuata; si verò is istam continuationem neget, cessat dicta præsumptio. Paris. l. 3. q. 6. n. 76. citans gl. in l. sive possidetis. c. de prob. Barth. ibid. n. 6. Butrio. in c. ad sedem. de restit. spol. n. 25. Abb. ibid. n. 25. Solennitas siquidem extrinseca præsumitur, quando allegatur ab eo, ad cujus favorem præsumptio oritur; secus si ab eo negetur. Paris. n. 77. citans Salicet. in l. si filius. q. 1. c. de petend. hered. ubi idipsum pluribus exemplificat n. seq. Porrò possessionem præsumi continuatam vigore potiùs boni & legitimi tituli, quàm concordiæ, tradit Gonz. gl. 45. §. 3. n. 26. juxta l. 2. c. de acquir. poss. Menoch. de præsump. l. 6. præsump. 67. n. 1. Roman. cons. 328. n. 5.

Quæstio 825. An & qualiter possessio inferat præsumptionem anterioris possessionis?

1. Respondeo primò: juxta dicta aliàs; si eadem die fiat collatio, uni à Papa, & alteri ab Ordinario, & non constet de anterioritate horæ vel momenti, intrat textus c. si à sede. de præb. in 6. dicens, quòd potior sit conditio possidentis, adeòque propter possessionem provisio præsumitur anterior. Gonz. ad reg. 8. in proœm. §. 3. n. 51. citans Masc. de prob. conclus. 314. n. 4. Rebuff. de pacif. possess. n. 297.

2. Respondeo secundò: dum constat de duabus provisionibus factis duobus eodem die, & insuper de certa hora unius harum provisionum, de alterius verò provisi capta possessione, hic præferendus est, ita probabiliùs Gonz. loc. cit. n. 64. citans Tiraq. de jure primogen. q. 17. opin. 11. n. 3. Masc. de prob. conclus. 1234. n. 33. Rebuff. de pacif. poss. n. 299. &c. contra Menoch. de arbit. 62. centur. casu. 42. à n. 22. Mandos. ad reg. 16. q. 19. n. 10. etsi enim appositio certæ horæ faciat præsumptionem anterioris provisionis respectu gratiæ carentis istâ horâ, (unde etiam, si cum æquali collatione concurrit probatio captarum possessionum eâdem die, illa, quæ est cum certa hora, præferenda est ei, quæ caret certâ horâ. Gonz. loc. cit. n. 67.) non tamen concludit necessariò; cùm provisio alia carens horâ potuerit esse prior. At verò præsumptio possessionis est potentior præsumptione horæ, & uti talis apponitur in citato c. si à sede. Gonz. n. 65. & 66. addens, AA. contrariæ sententiæ loqui in casu, ubi uterque provisus cepit possessionem, & unius provisio exprimit horam; tunc enim utique hic præferendus est, quia in hoc concurrunt duo, unde præsumatur anterioritas.

3. Respondeo tertiò: quin & possessio habet dictam prærogativam, ut ratione illius provisio præsumatur anterior, etiamsi possessio non sit capta eâdem die factæ provisionis. Gonz. n. 69. citans Puteum decis. 125. l. 1. Calder. cons. 7. de præb. Mohed. decis. 8. de præb. Gambat. de off. legati. l. 3. n. 666. & Rotam in Hispal. benef. 2. Maji 1603. Ratio est, quia cit. c. si à sede. loquitur indistinctè, & aliàs magna esset ejus restrictio; cùm nunquam locum haberet in provisione Apostolica beneficii vacantis extra Curiam, dum impossibile est capi ejus possessionem eâdem die, quâ collatum.

4. Respondeo quartò: si ex duobus provisis unus priùs accepit possessionem, sed eam amisit; alter verò, qui posteriùs accepit possessionem, eandem retinet pro tempore, quo controvertitur de anterioritate possessionis, præferendus adhuc est, qui prior acceperat possessionem. Gonz. n. 73. citans Gemin. in cit. c. si à sede. n. 7. Franc. ibid. n. 2. Rebuff. de pacif. poss. n. 7. Gamb. ubi antè. n. 587. Ratio est, quia, ex quo possessio validat jus illius, qui priùs eam adeptus, sequitur necessariò extinctio juris alterius, capientis posteriùs possessionem, quod nunquam ampliùs convalescit. Gonz. n. 74. Item quia sufficit, quòd sit qualitas anterioritatis de tempore, quo dispositio sumit effectum, licèt posteà cesset, ut gl. in c. statutum. de rescript. v. canonicu. Gomes. in reg. de annali. q. 50. Mandos. ad eand. reg. q. 54. Gonz. n. 75. De cætero possessionem non habere hanc virtutem in sequente possessore, v.g. sunt duo provisi, unus à Papa, alter ab Ordinario sub eadem die, de prioritate non apparet, & neuter possidet; provisus ab Ordinario cedit vel decedit, & alius ejus loco providetur ab Ordinario, qui statim possessionem capit; non hunc, sed provisum à Papa esse præferendum, tradit Gonz. n. 77. eò quòd sic decisum à Rota, ut per Cassadorum decis. 15. n. 1. de præb.

Quæstio 826. Qualiter hæc, nimirùm quòd data paritate datarum respectu diei in provisionibus, provisus ab Ordinario obtinens possessionem, præferendus sit proviso à Papa, subsistant cum clausula ap-

apponi solita in gratia: Quòd provisus subrogetur gratiosè quoad possessio- defuncti in ejus locum. *Dum literæ expeditæ sunt in forma gratiosa; siquidem, ut dictum suprà, hæc gratiosa subrogatio operatur continuationem possessionis inter defunctum vel cedentem, & provisum Apostolicum, & sic facit, ut statim post obitum vel cessionem translata sit possessio ministerio Papæ in ipsum provisum; (nihil enim vetat, quò minùs possessio per Principis fictionem statim acquiratur & transferatur, & sic acquisita sit vera possessio, veráque possessionis effectus producat.* c. contingit. de dolo & contumacia. *& ibi Bald.* n. 1. l. certè. ff. de precario. *Tiraq.* de morte. p. 5. declaratione 1. n. 4. *& alii, quos citat & sequitur Gonz.* ad reg. 8. §. 3. procem. n. 87.) *adeò, ut nullum tempus intermedium, nec dici etiam per momentum eam possessionem vacasse, adeóque continuata, & non de novo acquisita. Gonz.* à n. 85. *citans Paris.* de resign. l. 2. q. 3. n. 70. & 74. *Mohed.* decis. n. n. 2. ut lite pend. *Rebuff.* in pr. p. 3. signaturæ. v. & subrogationis. *& Rotam* in Cæsar-Aug. parochial. 10. Decembris 1508. *Econtra verò possessio capta à proviso ab Ordinario non est continua, nec eadem, & necessariò datur inter illam & possessionem defuncti tempus intermedium, & hinc semper in possessione præcedat provisus Apostolicus, adeóque pro anterioritate provisionis illius semper standum, & præferendus proviso ab Ordinario eo ipso, quòd constet utrumque provisum eodem die?*

Respondet ad hanc difficultatem Gonz. *loc. cit. à n.* 93. quòd Rota soleat restringere virtutem hujus subrogationis quoad interdictum adipiscendæ duntaxat, hoc est, quòd tali proviso Apostolico concedatur mandatum de immittendo in possessionem, non autem ei concedatur remedium retinendæ, seu manutentio, nec minùs recuperandæ, prout testatur Gonz. se non vidisse aut audivisse ab antiquioribus hujus Curiæ peritis advocatis unquam concedi aut concessum fuisse io Rota. citans pro hoc Mohed. *decis.* 325. *de restit. spol.* ubi in fine, quòd subrogandus vigore mandati de subrogando non possit agere, nisi tantùm interdicto adipiscendæ, & quòd necessarium sit factum ad capiendam possessionem. Etsi dicta clausula gratiosæ subrogationis, quæ semper apponitur, operaretur, quò minùs provisio Ordinarii concurrens in data cum provisione Apostolica ratione possessionis captæ à proviso ab Ordinario præferenda foret, dispositio *c. si à sede.* ferè abolita esset, saltem quoad provisiones factas à Papa. Ac propterea ait Gonz. *n.* 99. se, quantumcunque alias ob rationes allatas io *quæst.* inclinaret in contrarium, non fuisse ausum recedere à dicto stylo Rotæ, videlicet quòd dicta subrogatio noo obstet dispositioni *c. si à sede.* præsertim, cùm sic novissimè, dum hæc scriberet, resolutum fuerit à Rota contra dictam gratiosam subrogationem *in Hispal. benef. 2. Maji 1603.* Ac denique ait, se in hanc rem ponderare, quòd licèt in supplicatione & in pluribus decisionibus dicatur, quòd fiat subrogatio, etiam ad possessionem, in literis tamen, saltem modernis, sic non dicatur; sed quòd subrogetur quoad jus, & admittatur quoad possessionem, & sic tolli omnem difficultatem; cùm non supplicatio, sed literæ sint attendendæ, ut dicitur in *reg. de non judicando.* Porrò de effectu anterioritatis possessionis, juxta *dictum c. si à sede.* Vide plura latissimè apud Rebuf. *de pacif. possess. sub n.* 297. ubi plures affert ejusdem ampliationes & limitationes.

Quæstio 827. *An & qualiter possessio non tantùm generet præsumptionem tituli, sed etiam ipsa det verum titulum?*

1. Respoodeo primò: videri probari per textum *c. si à sede*, quòd sola possessio det titulum in beneficialibus, ut dixit Rota *decis. 10. n. 2. de prab.* io antiq. Gonz. *ad reg. 8. §. 3. proœm. n. 54.* videri quoque, Pontifice sic statuente, per regulam Cancell. *de annali & triennali possessione.* ex hac ipsa possessione concedi verum ac legitimum titulum beneficii seu jus ad, & in beneficio, non secùs ac possessio bonorum sæcularium certo tempore continuata illum tribuit possessori aliàs titulum nullum legitimum habenti, modò sit possessor bonæ fidei; nam, ut rectè Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 33. n. 1.* citans pro hoc Rebuff. *de pacif. poss. n. 28.* Nav. *cons. 41. l. 3. de prab.* Sanch. *l. 7. in Decal. c. 29. n. 91.* bonâ fide deficiente, seu cum mala fide nunquam possessione, etsi longissimi temporis jus ullum ad beneficium, aut in illo acquiritur; tum quia possessor malâ fide nullo tempore præscribit. *c. possessor. de reg. juris in 6.* tum quia vitium intrusionis, & subinde pœnam inhabilitatis incurrit. Castrop. *loc. cit.* Et sic quòd regula saltem *de triennali* det titulum, tenere videtur expressè glossator Alphon. Soto *ad hanc reg. n. 19.* apud Chok. (tametsi *n. 18.* insinuâsset contrarium) citátque pro hoc *c. cura. de jurepatr.* junctâ gl. *& c. si possessiones. 16. q. 3.* atque pro hoc, quòd si Papa mandat aliquem non molestari super fructibus & possessione beneficii, (uti facit in *reg. de triennali.*) per hoc videatur ei adjudicâsse beneficium seu jus percipiendi licitè fructus, quod est ipse titulus beneficii. Et sic sententiâsse Rotam *in una causa de Villado in Portugallia.* Et ex eo sequi, quòd si ille esset spoliatus beneficio, posset petere restitutionem: & si ei objiceretur, quòd non haberet titulum, posset dicere, quòd habeat illum ex hac regula. Quin &, si primus titulus sit invalidus, tamen hic eum validari, adeóque sequi, quòd sit novus titulus, etiam quoad judicialia & quoad Deum; quia licèt confirmatio non faciat firmum, nisi quod aliàs est legitimum; tamen si Papa facit ex certa scientia, tunc videtur, quod nullum erat à principio, facere firmum, *ut gl. in c. placuit. 21. q. 6. &c.* Sic nimirùm possessione bonæ fidei cum titulo colorato, & absque simonia per triennium pacificè continuata præscribi proprietatem beneficii, ita ut possessor non teneatur illud postea resignare, tenet Navar. *l. 3. cons. 40. & 42. de prab.* cum Rebuff. (qui etiam affirmat, sic judicari in parlamentis Galliæ) apud Less. *de just. & jure. l. 2. c. 6. n. 35.* qui & ipse ait, esse hanc sententiam rationi valdè consentaneam, eò quòd, cùm Papa post triennium nemini ampliùs concedat actionem ad illud beneficium, videatur possessorem reddere etiam securum io conscientia, si bonâ fide & cum titulo (intellige colorato saltem) possedit, tanquam qui triennali usucapione fecerit beneficium suum. Testatúrque Less. in hac sententia quoque esse Sa, & alios quosdam recentiores; supponit autem hæc sententia sententiam aliàs communem, ut ait Less. *loc. cit. n. 34.* nimirùm quòd beneficium Ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præsentes, viceonio inter absentes, sicut alia jura, quæ bonis immobilibus annumerantur. Veruntamen

2. Respondent alii veriùs esse, possessori bonæ fidei & pacifico neque possessione annali, neque triennali concedi titulum beneficii. Chok. *ad reg. de triennali. n. 89.* & fusiùs *n. 76.* citans Gomes. Castrop. *loc. cit. n. 3.* citans Rebuff. *de pacif. poss. à n.* 206. & Azor. *p. 2. l. 7. c. 37. q. 16.* juncto *c. 35. q. 1.* ac dicens, de possessione annali esse sententiam omnium; eò quòd

vi

vi regula de annali possess. neque concedatur exceptio à lite, neque prohibeatur impetratio beneficii per annum possessi, allegatâ nimirùm, ut dicit regula, causâ specificâ, determinatâ & clarâ nullitatis: quæ nullitas tituli, ut patet, stare potest cum probabili ignorantia possidentis, v. g. dum quis ante legitimam ætatem, aut cum alio inculpabiliter ignorato impedimento collationem clarè annullante beneficium consecutus fuisset. quæ certè impetratio concedi non potest, etiam detectâ nullitate tituli probabiliter ignoratâ, & quæ exceptio à lite concedi debet, si talis possessio generet titulum, seu est titulus legitimus. Vi verò *regula de triennali possessione* solùm prohibeatur, ne possessor triennalis molestetur litibus, quod optimè servari potest, esto ipse cognoscens vitium suæ provisionis, teneatur beneficium dimittere aut dispensationem impetrare. Pro quo postremo citat Castrop. Cosmam. Guimier. *ad pragm. sanct. titulo de pacif. poss. v. triennalis.* & Covar. *reg. possessor. p. 2. §. 10. n. 10.* Datque insuper Castrop. *cit. n. 3.* pro ratione communi tam in casu triennalis, quàm annalis possessionis principium illud: beneficii titulus aliter acquiri nequit, quam canonicâ institutione, juxta *c. 1. de reg. juris in 6.* & *c. ex sequentibus. de institut.* adeóque nasci non potest possessione, etiam triennali, aut ullâ præscriptione. Ad quod tamen dici posset, hanc ipsam possessionem triennalem aut præscriptionem, dum ob illam, jure sic disponente, sustineretur quis in beneficio, esse canonicam institutionem, sicut in profanis præscriptio est legitimus titulus acquirendi dominium. Confirmat suam doctrinam ulteriùs Castrop. ex eo, quòd si triennalis possessio concederet titulum, seu esset ipse titulus, redderétque possessionem securam in conscientia, non posset Ordinarius ab eo, quem constaret fuisse in pacifica possessione triennali, exigere exhibitionem tituli seu titulum, cujus tamen contrarium sentiunt plerique, quos refert, & sequitur Covar. *loc. cit. n.* 10. *conclus.* 8. Unde etiam jam huic principio inhærens Castrop. censet procedere responsionem, tametsi inhabilitas probabiliter ignorata, ob quam collatio ab initio nulla fuit, successu temporis sit sublata; eò quòd impedimentum canonicum obstans beneficii receptioni, & collationem annullans, obstare debeat cuilibet beneficii continuationi & illius firmitati; adeóque collatio beneficii, quæ ob impedimentum recipientis nulla fuit à principio, nullúmque recipienti concessit titulum, semper sit nulla, nullúmque titulum concedat; etsi addat Castrop. in hoc casu plures sentire contrarium: nempè quòd tunc talis possessio, quia est cum titulo colorato, & continuata per tempus ad præscribendum sufficiens, tribuat titulum. Atque ita, quod hinc sequitur, qui ob defectum ætatis vel Ordinis capax non erat beneficii alicujus, intereà obtentâ dispensatione purè tantùm super tali defectu, posse absque nova institutione retinere beneficium, modò tamen aliàs sit habilis habendi beneficii; siquidem constat dispositionem regulæ *de triennali* non habere locum in spuriis & similibus, de quo tamen paulò pòst.

Quæstio 828. *Quænam sint beneficia vel commoda in specie possessionis annalis?*

Respondeo: eam ad multa prodesse. Paris. *l. 11. q. 6. num.* 91. remittens ad Sarn. *ad reg. de annali* præsertim *q.* 57. potissimùm autem ejus, quod in regula de annali comprehenditur beneficium, esse, quòd concedat possessori exemptionem adversùs quemlibet molestantem, & beneficium impetrantem. Sic enim habet regula: *Dominus noster, ut improbi lites exquirentium mores reprimantur, statuit, & ordinavit, quòd, quicunque beneficium Ecclesiasticum, tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætendit, deinceps impetraverit; nomen, gradum & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis illud possederit, & specificam & determinatam causam (ex qua constare clarè poterit, quòd nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat) in hujusmodi impetratione exprimere, & intra 6. menses ipsum possessorem ad judicium evocare facere, causámque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat & teneatur, alioquin impetratio prædicta & quæcunque inde secuta nullius existant firmitatis, & idem impetrans de damnis & interesse possessorem prædictum proptereà contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum frivolè ac indebitè molestasse repertus extiterit, 50. florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec aliàs quàm præmissa vacationis modus, etiam per literas si neuter, aut subrogationis, vel aliàs sibi quoad hoc, ut hujusmodi beneficium eâ vice consequi vel obtinere valeat, quomódolibet suffragetur, illudque nullatenùs in antea litigiosum censeatur.* Unde vides hâc regulâ non prohiberi absolutè possessorem molestare, aut ejus beneficium impetrari; sed solùm casu, quo non serventur conditiones in regula præscriptæ; illis enim servatis, conceditur impetratio. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Vides etiam ex hoc ipso regulæ prooemio: *Ut improbi lites exquirentium mores exprimantur:* quòd, quamvis regula hæc directè magis intenta sit, non tam in odium impetrantium, aut favorem possessorum, quàm in commune bonum Reipublicæ, cujus interest judicia exerceri, ne cuipiam detur ansa propriâ manu sibi jus dicendi, & ut ab iis litibus materia omnis calumniandi arceatur. Lott. *l. 2. q.* 52. *n. 6. & 9.* Nihilominùs etiam regulam hanc emanâsse & dirigi in odium exquirentium lites, seu adversùs impetrantes & molestantes pacificos possessores, tradit cum communi Lott. *ibid. n.* 27. uti & in favorem possessorum, ut eos tueatur. Paris. *l. 3. q. 5. n.* 55. Quamvis potiùs in dictum odium, quàm in hunc favorem. Card. Luca *de benef. in sum. n.* 234. De cætero pro meliore hujus regulæ intelligentia

Quæstio 829. *Circa conditiones illas servandas ab actore seu impetrante, quæ servanda in expressione illorum punctorum exprimendorum?*

1. Respondeo sequentia: primò juxta probabilem, quam tenet Castrop. *cit. n.* 5. contrarium sentientibus, quos citat Rebuff. *gl. 9.* & Azor. *p. 2. l. 7. c. 34. q. 8.* non esse necesse ab eo exprimi cognomen possessoris; cùm regula solius nominis, & nullam cognominis mentionem faciat.

2. Secundò: cùm dicitur, exprimi debere gradum possessoris, hoc est, num sit Doctor, vel Licentiatus, vel Magister in Theologia, jure Canonico vel civili, id intelligendum, si habeat gradum, (idem est de nobilitate) aliàs, quod non est, non potest exprimi. Alph. Soto apud Chok. *hic num.* 9. Et dum habet gradum, non esse necesse exprimi, an sit Professor publicus Theologiæ, an Juris. Castrop. *ibid.* contra Azor. *loc. cit. q.* 9.

3. Tertiò: hæc & similia, quæ exprimi & referri debent, sufficere, quòd exprimantur juxta communem vulgi opinionem; neque enim impetrans videtur obligari ad faciendam ampliorem informationem. Castrop. *loc. cit.* ita ut hanc expressionem excuset fama in contrarium, vel probabilis ignorantia; ut si aliquis factus esset Doctor clandestinus. Alph. Soto. *loc. cit. n.* 11.

4. Quartò: quoad expressionem causæ, non sufficere allegare, nullum possessori jus in beneficio competere, sed debere proferri causam determinatam & specificam, hoc est, singularem & individuam. Castrop. *ibid.*

Quæstio 830. *An etiam in impetratione facta ab Ordinario aut Legato Apostolico necessè sit exprimere dictas conditiones?*

1. Respondeo ad primum negativè; nam Ordinario cognitum esse debet, quis sit annalis possessor, & quem titulum habeat, & quot annis possederit, cùm juxta *c. decernimus.* 10. *q.* 1. & *c. conquerente. de off. Ordinar. in 6.* teneatur quotannis diœcesin

suam visitare. Castrop. *loc. cit. n. 7.* citans Gomes. *ad hanc reg. q. 9.* Mand. *q.* 50. Azor. *p. 2. l. 7. c. 34. q. 11.* Atque ita, quod hinc sequitur, locum non habere hanc regulam de annali extra Curiam, docet Chok. *hic num.* 55. dicens, Rotam multifariam esse secutam hanc opinionem.

2. Respondeo ad secundum affirmativè; Legato enim æquè ac Pontifici possessores beneficiorum ac beneficia ipsa sunt incognita. Neque, ut rectè Gonz. *gl. 21. n. 37. & 38.* Legatus propriè est Ordinarius, sed impropriè, & superinductus. Castrop. *cit. n. 7.* citans Azor. Rebuff. Mand. contra Gomes. *cit. q.* 10. Atque ita locum habere hanc regulam in provisione Legati, contra Gomes. *hic q.* 9. docet Mandos. *q.* 50. Et sic decisum esse *in Coloniens. Canonic. 2. Junii 1574.* testatur Seraphin. *decis. 285. n. 9.* apud Chok. *hic n. 56.* etsi is in contrarium inclinet.

Quæstio 831. Quid præstandum reo seu possessori, contra quem movetur actio, ut juvetur hac regula?

1. Respondeo: teneri illum primò de ea excipere; neque enim ipso jure operatur hæc regula effectum suum contra impetrantem, sed ope exceptionis. Lott. *l. 2. q.* 52. *num.* 12. citans Sarn. *ad hanc reg. q.* 4. Rebuff. *q.* 8. Manric. *decis. 46. n.* 4.

2. Respondeo secundò: ut dicta regula suffragetur excipienti, non sufficit ejus allegatio, etsi sit notoria, sed requiritur positivus ejus usus per realem illius productionem, servatâ formâ *regulæ Cancell. de producenda.* Lott. *ibid. n.* 13. citans Gomes. *q.* 4. Gonz. *gl. 56. n.* 83. Gratian. *discept. forens. c. 574. n.* 27. Porrò exceptio illa annalitatis semper est in & de tempore, hoc est, non admittitur solùm in quacunque parte judicii, & in quacunque instantia. Lott. *n.* 14. citans Cassad. *decis. 12. n. 1. super reg.* Rotam *decis. 601. p. 4. recent.* sed etiam post sententiam & executionem, ita ut fiat retrotractio virtutis illius ad omnia præcedentia. Lott. *num.* 15. citans Gonz. *gl. 66. n.* 45. Gratian. *ubi antè n.* 30. Et hoc etiam ad effectum restitutionis possessionis. Lott. *n.* 16. citans Rot. *decis. 309. p. 9. divers. l.* 3.

3. Respondeo tertiò: mox, ubi exceptio hæc annalitatis fuerit legitimè objecta, erit justificanda ex duabus circumstantiis, nimirùm quòd possessio sit annalis, & quòd sit pacifica. Lott. *loc. cit. num.* 17.

Quæstio 832. Quid præstandum actori, ut juvetur hac regula, seu ut elidat exceptionem?

Respondeo: posse illum juvari triplici replicatione; & primò quidem impugnando factum, ostendendo nimirùm, se fuisse provisum ante annalitatem, vel etiam ante aliquam possessionem, vel etiam suppositâ annalitate, eam fuisse litigiosam. Lott. *cit. q. 52. n. 26. & 27.* Secundò, ostendendo notoriam inhabilitatem personæ, nimirùm habentis beneficium. Lott. *nu.* 37. quod tamen *n.* 38. ait intelligendum de incapacitate canonizata, adeòque notoria per confessionem aut judicatum, ut non possit in controversiam revocari; si enim possit dari instantia veritatis in contrarium, etiam ex aliquo jure speciali, cessaret illa replicatio. Tertiò, satisfaciendo ex parte sua dispositioni regulæ, seu servando accuratè omnia, quæ in ea præscribuntur. Lott. *n.* 50. Hinc jam descendendo ad particularia:

Quæstio 833. Unde & qualiter hæc annalitas sit deducenda?

Respondeo: annus ista incipit à die adeptæ possessionis per eum, cujus beneficium impetratur. Paris. *l. 3. q. 5. n.* 72. Chok. *hic n.* 26. citans Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 4. Lott. *cit. q. 52. n.* 19. citans insuper Mandos. *q.* 19. ubi etiam, quòd sufficiat possessio instrumentalis, quatenùs non doceatur, eam tunc per alium fuisse occupatam. Terminatur autem hic annus eodem die alterius anni, & quidem in initio istius diei; in materia enim favorabili, prout est hæc regula, respectu excipientis, non computatur annus de momento in momentum, sed civiliter ad dies, ita ut intelligatur annus perfectus, quandocunque elapsi sunt dies 365. Lott. *loc. cit. n.* 21. Debetque hic annus esse continuus, adeóque ex eo deduci non debent dies feriati. Paris. *loc. cit. n. 73. & 74.* citans Mand. *hic q.* 21. Sarn. *q.* 77. quod tamen posterius potiùs videtur habere locum in anno dato ad prosequendam causam, quàm de annalitate possessionis, ut patet ex limitatione, quam adjecit: *Nisi illo tempore fuerit impeditus.*

Quæstio 834. Quæ dicatur possessio annalis pacifica in ordine ad effectum hujus regulæ?

1. Respondeo primò in genere: pacificum possessorem hic dici illum, cui nulla mota est lis seu controversia juris vel facti in judicio, vel extra super re seu beneficio possesso. Chok. *hic nu.* 32. Paris. *l. 3. q. 5. n.* 29. citans *Clem. gratia. de renunc.* & ibi Gl. Card. Imol. Archid. *in c. commissa. de elect. in* 6. Card. Paris. *cons. 81. n. 6. vol. 4.* Rebuff. *de pacif. poss. n.* 166. Sarn. *ad reg. de triennn. q. 53. &c.*

2. Respondeo secundò in specie hoc ipsum declarando: primò possessionem pacificam interturbari, sive possessionem reddi non pacificam ex lite super ipso possessorio, & hanc sufficientem esse ad interrumpendam pacificam possessionem, ait Paris. *loc. cit. n.* 30. & citat pro hoc Cassad. *decis. 9. de causa prop. & poss.* & Rotam *in Giennensi Prioratus. 17. Decemb* 1519.

3. Secundò: ex quacunque lite, etiam nulliter & merè de facto mota. Lott. *cit. q. 52. nu.* 31. Nisi fortè nullitas oriatur ex defectu jurisdictionis, putà, quòd judex, coram quo movetur lis, caret jurisdictione, aut ejus jurisdictio est suspensa. Lott. *ibid. n. 32. juncto n. 28. q.* 53. Unde quòd dicitur, ad effectum interrumpendi annalem vel triennalem possessionem pacificam sufficere extrajudicialem controversiam & litem coram judicibus incompetentibus; adeòque ipsis laicis, id, inquam, referendum est ad controversiam, per quam de facto fuerunt illatæ molestiæ & turbationes circa ipsam possessionem fructuum. Lott. *cit. q. 53. n.* 30. Hinc dum quis intra annum adeptæ possessionis citatus est nulliter, (intellige nullitate proveniente aliunde, quàm ex defectu jurisdictionis) modò processus sit introductus, non dicitur pacifica possessio per annum; quia non sine lite & controversia possidet. Chok. *hic n.* 33. citans Rebuff. *ad eandem reg. gl.* 6. contra Gomes. *hic q.* 45. Quod tamen limitandum & intelligendum non nisi de citatione data executioni; ad effectum enim interruptionis hujus pacificæ possessionis non sufficit citationem possessoris beneficii decretam & impetratam fuisse; sed requiritur illam datam fuisse executioni. Chok. *n.* 39. Lott. *l. 2. q. 53. n.* 32. factâ autem hâc executione citationis, orta jam videtur judicialis controversia, indéque interrupta possessio pacifica. Lott. *cit. q. 53. n.* 24. adeò ut, quamvis in ordine ad alium effectum huic executioni renuntiari valeat, ad effectum tamen interruptionis pacificæ hujus possessionis talis renunciatio seu pœnitentia non attendatur. Lott. *ibid. n.* 25. citans Achill. *decis. 383. n.* 2. Porrò executionem hanc satis justificari ex comparitione apud acta, cum constitutione procuratoris, etiamsi non appareat de relatione Cursoris seu nuncii citantis, procederéque idipsum fortiùs, & utique præsumptivè justificari ex eo talem executionem, si suppositâ decretâ contra possessorem citatione, is per se ipsum vel procuratorem comparuisset in judicio, ait Lott. *n. 26. & 27.* Tradit quoque Chok. *hic num.* 35. ex Mand. *q.* 3. quòd quoties reus habens notitiam citationis nondum executæ veniat ad causam, lis dicatur verè introducta, (adeóque per hoc turbata possessio) nisi lis esset notoriè calumniosa. Chok. *ibid.* ex Cassad. *decis. 5. n. 8. ut lite pend.* vel nisi actor non compareat; quia

quia per citationem non dicitur processus inchoatus actore non comparente, juxta Bald. *in l. post edictum. §. 1. ff. de judic.* Chok. *cit. n.* 35. Quid autem dicendum de possessore citato vigore clausulæ: *omnésque alios interesse habentes &c.* & quid de eo, in quem citatio fuit executa, sed non in judicio eam reproduxit. Chok. *n.* 37. & 38. remittit ad Mand. *q.* 35. & 36.

4. Tertiò: ex quacunque molestatione. Lott. *q.* 52. *n.* 33. ubi tamen agit de molestia extrajudiciali, seu de facto, necesse esse eam illatam super fructuum perceptione, id est, super ipso jure percipiendi, non autem super ipsis fructibus, qui alio jure prætenderentur deberi per possessorem. Lott. *cit. q.* 52. *n.* 35. & 36. citans Sarn. *q.* 45.

5. Quartò, ut censeatur possessio non pacifica, sufficit quòd antecessori moderni possessoris mota fuerit lis, aut illata molestatio, quæ lis eo vivo finita non fuit, etsi ipse modernus possessor intra annum & ultra nullam passus esset controversiam aut molestiam; quia cùm lis illa pergit durare, utpote non finita per sententiam datam executioni, beneficium dicitur infectum, ad quemcunque transeat, & possessio beneficii à tempore motæ de eo controversiæ habenti illud dici non poterit pacifica. Chok *n.* 42. Lott. *q.* 52. *n.* 29. & 30. citantes Mohed. *decis.* 14. *de causa prop. & poss.* Secùs est in regula de triennali; eâ enim adhuc juvatur possessor triennalis, si ipse nunquam fuisset in lite, licèt super eodem beneficio lis esset aut fuisset inter alios, quando ipse cœpit possidere; siquidem hæc regula extinguit lites antiquas, de quo postmodum.

6. Quintò: ut dicatur annalis pacifica possessio in ordine ad effectum hujus regulæ, requiri, ut sit pacifica usque ad diem impetrationis, ita ut satis non sit justificare initium possessionis pacificæ, & illius continuationem per annum, si alter postmodum possederit, aut molestias intulerit, tradit Lott. *cit. q.* 52. *n.* 23. & 24. citans Sarn. *q.* 50. *n.* 77. Mandos. *q.* 21. & Cæsarem de Grassis *decis.* 35. *aliàs* 7. *de causa prop. & poss.* ubi ait, regulam passim in Rota sic practicari.

7. Sextò: si post impetrationem priùs efficiatur quis possessor annalis, vel hoc ipso ob obtentam impetrationem, non posse dici possessorem annalem pacificum in ordine ad effectum, ut si impetrans postmodum obtineat gratiam *perinde valere* eidem, huic gratiæ valeat obstare hæc regula, tradit Lott. *ibid. num.* 25. juxta resolutionem Rotæ *in Brixiens. paroch.* 2. *Junii* 1587. Circa quod tamen observandum, quod habet Tond. *in qq. benefic. p.* 2. *c.* 85. *n.* 67. ex Buratt. *decis.* 585. *n.* 3. quòd sola impetratio facta per adversarium non noceat, sed eâ non obstante semper currat tempus triennalis possessionis; nisi præterea intervenerit citatio. Ubi etiam illud observandum, quod habent verba regulæ in fine; nimirum, quòd si impetrans regulæ non satisfecerit, & vel sic frivolè molestaret possessorem, & hic propterea absolvatur, beneficium illud ex tali impetratione, non dicatur litigiosum. Chok. *hic num.* 60. juxta Lancellot. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *in præfat. n.* 163. De quo vide fusè agentem Mandos. *hic q.* 86. 87. 89. Plura de pacifica possessione vide ad regulam de triennali.

Quæstio 835. *Qualiter iste annus pacificæ possessionis spectetur, & integretur ex possessione plurium successivè?*

RESpondeo: dum annus non est completus tempore prioris possessoris, v.g. resignatoris, ut quia is possedit per 6. vel 7. menses pacificè beneficium, & postmodum alius v.g. resignatarius possidet illud per reliquos 6. vel 5. menses, hic posterior possessor tueri se non potest regulâ hac de annali; eò quòd regula loquatur semper de uno possessore annali. Paris. *de resign. l.* 3. *q.* 5. citans Sarn. *hic q.* 62. & Mandos. *q.* 23. *num.* 6. ac dicens, hanc esse sententiam communem. Castrop. *d.* 2. *p.* 33. *n.* 8. citans Azor. *l.* 7. *c.* 34. *q.* 7. Neque obstat huic responsioni, quòd tempora prædecessoris & successoris conjungantur, non tantùm in materia profana, v. g. ad complendam præscriptionem, ut Bald. *cons.* 159. *l.* 3. Card. Paris. *cons.* 1. *num.* 117. *vol.* 1. apud Paris. *de resign. loc. cit. n.* 46. (ut etiam idem patet in usucapione, dum ejus tempora conjunguntur, v.g. ex persona defuncti & hæredis. *l. qui cum pro hærede. ff. pro empt.*) verùm etiam in ipsa materia beneficiali, v.g. in quasi possessione interessendi electionibus Episcoporum, & similibus, juxta *c. placuit.* 16. *q.* 3. *c. cùm Ecclesia Sutrina de causa poss. & propr. c. cùm de benef. de præb. in* 6. nam imprimis à profana materia non licet arguere ad beneficialem. Paris. *loc. cit. n.* 46. dicens, sic ad præsentem objectionem respondisse Rebuff. *tr. de pacif. poss. n.* 267. *& seq.* licèt aliàs juxta *c. auctoritatem Martini. de præb. in* 6. Gl. *in c.* 1. *eod. tit.* & *l.* Baldum. *in c. inter ceteras. de rescript.* Card. Paris. *cons.* 119. *nu.* 2. *vol.* 4. Decium *cons.* 305. *&c.* apud Paris. *de resign. loc. cit. n.* 39. beneficia ultimis voluntatibus comparentur. Deinde speciale est, quòd conjungantur tempora in materia interessendi electionibus favore Ecclesiæ. Paris. *n.* 44. juxta Gl. *Pragmat. sub. tit. de pacif. possess. v. possidet.* & Rebuff. *ubi ante. num.* 268.

Quæstio 836. *Num gratiosa illa subrogatio, de qua supra, operetur continuationem illam possessionis in ordine ad complendam annalem pacificam, seu in ordine ad effectum hujus regulæ?*

REspondet negativè C. de Luca *de benef. d.* 47. *n.* 31. in casu, ubi tempore concessæ subrogationis possessio de facto esset plena, ideo, quòd tunc dari non possit ficta illa continuatio possessionis, pro quo citat Greg. *decis.* 285. *n.* 5. *& seq.* An autem hoc dicendo, videatur admittere affirmativam in casu, ubi pro tempore datæ subrogationis possessio non esset plena de facto, non est usque adeò certum.

Quæstio 837. *An exceptio hujus regulæ, seu annalis pacifica possessio prioris possessoris, & in specie resignantis, suffragetur successori, & in specie resignatario?*

REspondet negativè Paris. *l.* 3. *q.* 5. *n.* 51. citans Cassad. *super reg. Cancell. decis.* 16. Mandos. *ad hanc reg. q.* 62. tum quia hæc regula non est realis, sed secundùm stylum Cancellar. est personalis, utpote semper respiciens ipsum impetrantem & possessorem. Paris. *num.* 51. & 55. citans Card. Paris. *cons.* 44. *num.* 17. *vol.* 1. Cald. *cons.* 8. *num.* 4. *de rescript.* Decium *cons.* 699. *n.* 4. ac ex Bursatt. *cons.* 393. *n.* 15. *vol.* 4. dicens, hanc sententiam esse communem DD. Tum quia verba regulæ cùm dirigantur ad possessorem, (intellige actualem, seu eum, qui actu possidet beneficium) non possunt verificari in alio, nempe prædecessore, qui jam possidere desiit. Paris. *num.* 55. tum etiam, quia sicut possessio regulariter non transit in quempiam ipso jure; ita nec exceptio quæsita vigore possessionis. Paris. *n.* 54. Ac denique quia qualitas annalitatis deficit per mortem prioris possessoris; cùm mors omnia solvat, atque etiam per cessionem seu resignationem, quæ est mors civilis. Paris. *cit. n.* 54.

Quæstio 838. *An si quis possedit beneficium pacificè per undecim menses, & tunc illud resignat, & antequam resignatarius capiat possessionem, labatur mensis, & sic compleatur annus conjungendo illos* 11. *menses cum illo uno mense, an inquam, in hoc casu regula de annali obstet impetranti?*

REspondet negativè Paris. *cit. q.* 5. *n.* 64. ex Mand. *ad hanc regulam. q.* 22.

Quæstio 839. *An si resignans post resignationem manserit in pacifica possessione,*

possis

possit se tueri hac regula, & exceptione contra impetrantem dictum beneficium per obitum resignatarii?

1. Respondet affirmativè Parif. *l. 6. n.* 58. citans Mand. *ad hanc reg. q* 29. Sarn. *q.* 57. *in fine. &* Rotam *in Hispal. Capellaniæ 10. Maii* 1538. & *in Burgensi Canonicat. 18. Decembris* 1536. eò quòd, licèt per renunciationem amittatur possessio civilis & naturalis, ut Jo-And. Abb. Imol. *in c. sollicitè de restitut. spoliat c.* Parif. *conf.* 39. *n.* 3. *vol.* 4. cum communi apud Parif. quamdiu tamen manet in detentatione, videatur retinere possessionem naturalem. Parif. *n.* 59. ex Calder. *conf.* 4. *de renunc.* & qui detinet, largo modo possidere dicatur, juxta Alex. *in l.* 1. *de acquir. poss.* Sitque detentio hæc adeò considerabilis, ut detentori competat restitutio. *n.* 60. citans aliquas Rotæ *decis.* Porrò ad illud, quod quæri hic potest, num resignans, qui post resignationem mansit in pacifica possessione per annum, tueri se possit hac regulâ contra resignatarium.

2. Respondet affirmativè Sarnensis *ad hanc regulam. q.* 34. contra Mandos. *q.* 28. apud Parif. *l. c. num.* 62. Verùm hæc quæstio hodiedum non videtur habere locum stante constitutione Gregor. 13. *de publicando*, ubi annullat jus ob non publicationem resignationis, & non captam possessionem. Parif. *cit. n.* 62. *juncto n.* 61.

Quæstio 840. *An, & qualiter hæc regula de annali defendat possessores aliàs inhabiles & incapaces, vel etiam carentes omni titulo?*

1. Respondeo primò in genere: hæc annalis possessio defendit quemcunque possessorem aliàs inhabilem. Parif. *de resig. l.* 3. *q.* 5. *n.* 67. citans Sarnens. *ad hanc regulam. q.* 51. Ubi is adducit hujus rei rationes. Castrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 2. *p.* 33. *n.* 6. citans Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 3. 4. *q.* 5. *&* Rebuff. *hic gl.* 3. nimirum dum impetrans non exprimit specificè & determinatè causam inhabilitatis, non quòd ex illa possessione jus aliquod in beneficio acquirat possessor talis; sed quia, dum causam nullitatis specificam non exprimit, virtute hujus regulæ ab impetratione excluditur. Castrop. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò in specie: defendi hâc regulâ possessorem aliàs ipso jure privatum. Parif. *l. c.* citans Sarn. *ubi ante.* Limitat tamen hoc ipsum Parif. *n.* 86. *& seq.* ut non procedat in hæretico; citat pro hoc Cassad. *decis.* 14. *ad reg. Cancell.* Rotam. *in Illerdensi Præpositura.* 1519. Item in privato beneficio ob non solutam pensionem. Item in eo, de cujus non titulo notoriè constat. Citat pro hoc Sarn. *hic q.* 51. & exemplum adducit in resignatione non publicata, juxta quod statuit Gregor. 13. *in Constitut. de publicanda.*

3. Respondeo tertiò adhuc magis specificè: defenditur hac regulâ juxta auctorem analitici commentarii *hic ampliat.* 7. *&* 8. apud Chok. *hic n.* 61. execrabilis, si possidet, sive post, sive ante privationem illam, sive computatis extremis, anni tamen continui. Item defenditur juxta Gomes. *hic q.* 55. privatus ob non promotionem. Item intrusus juxta Cressent. *decis.* 35. *n.* 5. apud Chok. *loc. cit.* etiam in beneficio reservato, juxta Seraph. *decis.* 1060. Item spoliator (non tamen contra spoliatum) juxta Gomes. *loc. cit.* apud Chok. eò quòd (quæ est responsio ad ultimam partem quæstionis) ut Chok. hæc regula odium duntaxat respiciat, impetrantium beneficia possessorum, & non requiratur canonicus titulus, nec bona fides, nec capacitas successoris, & sic sufficiat sola detentio, etiam asinina & injusta per annum pacifica, ad excludendum impetrantes à Papa, nisi forma hujus regulæ ad unguem sit servata. Idem tradit Lott. *l.* 2. *q.* 51. *n.* 39. ubi ait: quòd hæc regula ab illa *de triennali* in hoc potissimùm differat, quòd ista exigat titulum aliquem coloratum; hæc verò secus, adeoque contentetur asininâ detentione, citat pro hoc Cressent. *decis.* 4. *de causa poss. & prop.* C. de Luca *de benef. d.* 47. *n.* 19. ubi: prodit hæc regula *de annali* in odium impetrantium, unde propterea non attenditur titulus, nec persona possidentis; sed solùm factum Impetrantis, adversus quem formam dictæ regulæ non servantem sufficit possessio, etiam nulla de facto, & ut dicunt, asinina; citat pro hoc Gomes. *hic q.* 57. *n.* 8. *& q.* 64. *in fine,* Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 30. *&c.* ait tamen idem C. de Luca *n.* 16. citans pro hoc Seraph. *decis.* 983. *n.* 3. *&* Gomes. *ad hanc regulam q.* 51. non defendi hâc regula, de cujus non jure, seu non titulo in continente constat notoriè. Idem habet Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *n.* 34. ubi: locus non est huic regulæ *de annali*, si constat de non titulo possessionis; modò tamen de non titulo constet clarè & evidenter, nempe per confessionem partis, vel per rem judicatam, citat pro hoc Seraph. *decis.* 983. *n.* 2. Parif. *de resign. l.* 3. *q.* 5. *n.* 7. De cæterò docet antiquus glossator Alphons. Soto apud Chok. *hic n.* 4. hanc regulam locum non habere in possessoribus privandis beneficio ob crimen vel aliam causam, sed solùm in privatis ipso facto, hoc est, ipso jure; eò quòd regula dicat exprimendam causam, quare possessori jus nullum competat in beneficio; ei namque, qui solùm privandus est per sententiam beneficio, jus adhuc competit in beneficio, donec privetur. Quin & post crimen admissum ante sententiam privationis validè & licitè resignare potest beneficium, non tantùm simpliciter, sed etiam in favorem, juxta Chok *hic n.* 28. de hoc fusè agentem, & citantem pro hoc Gutierez. *qq. can. l.* 2. *c. de clerico homicida. n.* 30. Gomes. *hic q.* 42. Parif. *l.* 3. *q.* 16. Porrò quæ sint crimina, ob quæ ipso facto & jure privetur quis beneficio absque eo, quòd opus sit sententiâ declaratoriâ privationis, sed solùm declaratoriâ, talem istiusmodi criminis esse reum, dicetur *part. seq.* Vide tantisper Chok. *loc. cit.* ubi enumerat inter ea crimen læsæ majestatis, hæresis, sodomiæ, homicidii qualificati, vel assassinii, falsificationis literarum Apostolicarum.

Quæstio 841. *An suffragetur hæc regula possessori, ut is uti possit exceptione hujus regulæ, etiam in quâcunque instantia contra impetrantem ignorantem, aliquem esse annalem possessorem?*

Respondet affirmativè Chok. *hic n.* 36. ex Mandos. *hic q.* 53. eò quòd hæc regula sit favorabilis, & licèt præscriptio in odium negligentis non currat, nisi à tempore scientiæ; hoc tamen verum sit, dum agitur de damno vitando; non autem de lucro captando, juxta *l. cui autem, ff. de his, quæ fiunt in fraudem creditorum.*

Quæstio 842. *An suffragetur hæc regula possessori non percipienti fructus, putà, quia hi illo anno debentur hæredibus defuncti, vel fabricæ, vel Episcopo?*

Respondet affirmativè Chok. *hic q.* 62. Gomes. *hic q.* 47. & Mandos. *q.* 31.

Quæstio 843. *Quæ quòad effectum hujus regulæ de annali veniant nomine beneficii?*

1. Respondeo sequentia: Primò officia & dignitates Ecclesiasticæ. Chok. *hic q.* 24. ex Rebuff. *in pr. ad hanc regulam. gl.* 3. *& tr. de pacif. poss. n.* 71. *v. Officium.* Secundò præstimonia, modò data sint in titulum perpetuum. Chok. *n.* 25. ex Mand. *hic q.* 12. Tertiò juxta Gomes. *hic q.* 21. contra Mand. *q.* 9. apud Chok. pensio imposita super fructibus beneficii pacificè per annum possessi. Quartò beneficia commendata, juxta Gomes. *n.* 26. eò quòd hodiedum titulis æquiparentur, ex quo ad vitam nunquam non

con-

concedantur. Quintò Vicariæ perpetuæ. Chok. *hic loc. cit.* Mand. *q.* 13. Sextò Capellaniæ, quæ in titulum dantur. Gomes. *q.* 20. Septimò beneficia jurispatronatûs. Chok. *cit. num.* 25. citans Mohed.

2. Econtrà tamen regulam hanc locum non habere in beneficiis jurispatronatûs, censet Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *n.* 33. dum ait eam locum non habere in præjudicium institutionis faciendæ ad præsentationem veri Patroni, pro quo citat Seraph. *decis.* 285. *n.* 6. & Rotam *decis.* 796. *n.* 3. *l.* 3. *p.* 3. *divers.* Item in manualibus. Chok. ex Mand. *cit. q.* 9. citans etiam pro hoc Mohed. *decis* 169. Germon. *de indultis Card.* §. *regularia. n.* 37. Neque in consistorialibus, hoc est, beneficiis, de quibus Papa disponit in Consistorio coram Cardinalibus. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 2. *n.* 6. citans Sarnens. *ad hanc regulam. q.* 24. & Rotam *in Spoletana Abbatia.*

Quæstio 844. *Ad quid per verba illa regulæ:* Et infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causámque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat, (*quæque vocatur secunda pars regulæ. Lott. l.* 2. 52. *n.* 1.) *obligetur impetrans, & qualiter isti obligationi satisfaciat?*

1. Respondeo: tametsi videri posset satis esse, ut infra 6. menses decreta sit citatio possessoris, ut tenuisse aliquando Rotam, tenet Glossator Alphon. Soto apud Chok. *hic n.* 8. verisimilius tamen censet ipse, & cum eo Chok. *hic n.* 38. non sufficere quoad effectum hujus regulæ, citationem infra 6. menses ab impetrata gratia decretam & impetratam esse; sed insuper executionem illius, (ut verba illa: *Ad judicium evocari facere*, satis indicare videntur) quin & cursoris seu nuncii, per quem facta citatio, relationem; eò quòd statuta debeant declarari juxta jus commune; secundùm quod citationes ità completè accipi solent, ut etiam nunciorum responsiones & relationes includant, ut Host. *in c. quoniam contra. de prob.* §. *citari omnes.* Quod tamen limitat Chok. hâc ratione *n.* 40. nisi possessor mittat mandatum procura; quia illud æquipollet citationi executæ.

2. Secundò tempus illud 6. mensium incipit currere à tempore datæ impetrationis, non verò à tempore expeditionis Bullarum. Glossator apud Chok. *n.* 12. & apud eundem *n.* 44. Gomes. *n.* 67. Rebuff. *in pr. ad hanc regulam. gl.* 14. ubi, quòd Papa parte instante soleat hoc semestre prorogare, dummodò tamen non elapsum sit. De cætero, si impetrans, cessante tali prorogatione, possessorem annalem interea non vocavit in judicium, intravit dispositio hujus regulæ.

3. Tertiò annus ille ad prosequendum incipit currere non à tempore citationis factæ, sed executæ. Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *n.* 24. Chok *hic n.* 46. citans Mand. *hic q.* 73. Lott. *loc. cit. n.* 61. citans Sarnens. *hic q.* 66. quem secutam esse Rotam, ait *in una Augustana Canonicat.* 8. *Februarii* 1602. Idque etiamsi citatio facta fuisset ante lapsum semestre, v. g. sub ejus initium vel medium, licèt non detur dilatio 6. mensium ad citandum; sive ut interim citari possit possessor, sive in Curia Romana, sive extra illam existens, dum citatur v. g. secundo mense istius semestris, non debet exspectari tempus sex mensium elapsorum, seu ultra duos illos menses adhuc 4. alii, ut tunc demùm, iis elapsis, inchoëtur dictus annus. Glossator apud Chok. *n.* 4. Chok. *ipse n.* 46. citans Mand. *hic q.* 72.

4. Quartò regula hæc exigit, expeditionem causæ fieri in petitorio intra annum; si tamen adversarius suspendisset petitorium, totum illud tempus disputationis possessorii ab anni cursu deducendum est. Tond. *n.* 26. *&* 27. citans Cres. *decis.* 10. *de causa prob. & poss.* Sufficit autem impetrantem facere, quantùm est in se, quoad expeditionem causæ, & quòd per eum non stet, quò minùs intra annum fuerit pronunciata sententia & causa finita; si id contingat ob varias adversarii exceptiones & replicas, aut judicis hæsitationem, ita ut impetranti ob dicta impedimenta supervenientia, quæ contingunt ex partis vel judicis facto, vel alio modo, (de quibus vide Franc. *in c. ex ratione. de appellat.*) non currat intereà dictus ille annus. Glossator apud Chok. *n.* 15. & ipse Chok. *n.* 47. citans Gonz. *ad regulam* 8. *gl.* 12. §. 1. *n.* 17. Tund. *loc. cit. n.* 22. Lott. *loc. cit. n.* 57. *juncto n.* 62. *&* 63. *& n.* 59. subdent, & pro hoc citans Aymon. *cons.* 132. *n.* 4. Menoch. *cons.* 518. *n.* 3. tunc demùm judicandum adhibitam sufficientem ab impetrante diligentiam, si constabit, juris remedia omnia fuisse tentata, veluti si in citando fortè latitantem, vel aliàs absentem, servata sit forma juris, de qua *in Clem.* 1. §. *quia verò. de judic.* Et in prosequendo seu expediendo, si ex actis resultet justificatio narratorum facta intra annum, cum debita instantia pro ipsa expeditione, adeò, ut non steterit per ipsum impetrantem, quò minùs judex pronuntiaret, &c. procederéque hunc effectum adhibitæ diligentiæ, etiamsi possessor malignè fuisset cursum judicii remoratus; putà, recurrendo ad laicos, vel etiam justificatam ab impetrante gratiam possessor seu reus exceperit, & obtinuerit dilationem ad probandam suam exceptionem; adeò, ut ipsi impetranti opus sit novas probationes facere pro elidenda exceptione rei, tradit Lott. *à n.* 62. monet tamen Glossator *loc. cit.* & Rebuff. *in pr. ad hanc regulam. gl.* 15. apud Chok. *n.* 46. debere in hoc casu impetrantem protestari, quòd per eum non stet, ne aliàs fortè currat ei terminus. Negat tamen hoc ipsum Tond. *loc. cit. n.* 23. nimirùm quòd opus sit aliquâ protestatione super impedimento, maximè, si tale impedimentum proveniat ex facto adversarii, citat pro hoc Riccium. Collect. 3181. subdit tamen Tond. *n.* 24. quòd in Gallia teneatur impeditus protestari, & protestationem intimare parti, aliàs excludatur, propter decretum *de pacif. possessorib.* Ait etiam Chok. *cit. n.* 46. quòd quia plerumque ob similia impedimenta causa intra annum finiri non possit aut soleat, impetrantes soleant à Papa derogationem hujus secundæ partis regulæ impetrare, aut saltem obtinere prorogationem protestando, quòd per ipsos non stet; monet etiam Mand. *q.* 76. quòd impetrans prorogationem istius anni ad prosequendum, vel etiam semestris ad citandum debeat eam obtinere adhuc constitutus intra illum annum aut semestre, aliàs illi prorogationem non profuturam; sed novâ opus est concessione. Porrò in casu, dum possessor intra semestre citatus cessit beneficio, vel decessit intra annum, non imputari impetranti, si non fuerit prosecutus usque ad sententiam, tradit Rebuff. *ad hanc regulam gl* 14. apud Chok. *n.* 48. qui tamen ait, aliter in hoc puncto videri voluisse Gomes. *hic. q.* 62.

Quæstio 845. *An obtinens gratiam* motûs proprii *teneatur hanc regulam observare?*

Respondeo affirmativè; cùm enim hæc regula lata sit publicæ utilitatis gratiâ, ad fraudes & lites repellendas, non censetur Papa huic regulæ velle derogare per clausulam *motûs proprii*, (quæ ut Jo. And. *in c. si motu proprio. de præb. in* 6. Alex. *cons.* 205. *l.* 7. Bellam. *decis.* 392. *&* 474. & Felin. *in c. in nostra. de rescrip.* apud Chok. *hic n.* 53. nihil operatur contra verisimilem mentem concedentis, nec in iis, quorum Princeps non habet plenam notitiam, de quibus in hac regula, quæ facti sunt) Chok. *hic à n.* 51. ex Mand. *hic q.* 49.

Quæstio 846. *Qualiter pœnam statutam in regula incurrat impetrans, ubi is in hanc secundam regulæ partem offenderet?*

1. Respondeo primò: pœna ista solvendi Cameræ 50. florenos auri hodie non est in usu amplius. Glos-

Glossator apud Chok. *num.* 16. & Chok. ipse *n.* 54. ex Gomes. *n.* 40. saltem, ut pars victrix eam exigat, quidquid sit de eo, quod vult Glossator, num fiscus Romanus possit illam exigere coram Auditore Cameræ vel causæ; sed hodie possessores victores contenti sunt condemnatione impetrantis in expensas, & nullitate impetrationis adversarii cum absolutione ab illius impetitione. Chok. *n.* 54. alia pœna satis clarè expressa est in regula.

2. Respondeo secundò magis exactè & sub distinctione duplicis casûs. Si peccavit impetrans contra regulam, omittendo nimirùm citare intra semestre, prosequi intra annum, exprimere conditiones possessionis in regula requisitas, &c. simpliciter solùm incurrit pœnam annullationis impetrationis, & omnium inde secutorum: & tenetur ad omne, quod interest possessoris. Lott. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 70. si verò peccavit contra illam per calumniam & impositionem, (quem casum à priore separat regula verbis istis: *Si per possessorem ipsum injustè, frivolè & indebitè molestâsse repertus extiterit)* vult regula in pœnam solvi Cameræ 50. florenos auri, hoc est, ducatos, ut Lott. *loc. cit.* Et quoad hanc malitiam non considerat regula simplicem inobservantiam, adeóque præsumptam calumniam, sed commissionem contra rationem ipsius regulæ, & calumniam veram ex conspecta veritate, id est, per sententiam contra illum latam, ut Lott. *loc. cit.* *n.* 88. ex Mand. *hic q.* 86. *n.* 2. Insuper adjicit pœnam inhabilitatis personæ (nimirùm impetrantis) ad idem beneficium, ex alia tamen vacatione seu modo vacandi, diverso ab expresso in impetratione etiam per literas *si neutri*, aut subrogationis; adeóque extinguendo litem, ut inde beneficium non censeatur litigiosum. Lott. *cit. n.* 70. atque ita regula supponit litem jam motam possessori, non tantum in hoc secundo casu transgressionis regulæ, (uti id ex eo constat, quòd loquatur de calumnia & improbitate detecta, de qua aliter constare non potest, quàm per sententiam) sed & in priori casu; siquidem annullatur impetratio cum omnibus inde secutis; illud enim refertur ad acta judicialia super ipsa impetratione, ut sunt citationes, examen testium, instrumentorum productio, &c. Lott. *cit. n.* 70. Porrò dicta pœna inhabilitatis referri nequit ad casum, in quo servata non est prima pars regulæ, utpote cui parti passim solet derogari; (de quo *paulò post*) sed ad casum, in quo quidem facta citatio & lis mota; sed non servatâ formâ regulæ in citando aut promovendo judicio, & in hoc quidem casu inhabilitat eum regula, ut non possit capere beneficium illud ex eadem impetratione, aut ex gratia aliqua dependente à prima illa impetratione; sed non inhabilitat eum, ut nequeat illud obtinere ex nova gratia, independente à prima. Lott. *à num.* 73. vide eundem de his ulteriùs *numeris seq.*

Quæstio 847. *An & qualiter regulæ de annali soleat derogari?*

1. Respondeo primæ parti, quæ est de exprimendis conditionibus possessoris, & causa specifica vacationis, & tempore possessionis, solet à Papa de facili derogari. Lott. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 5. citans Gregor. *decis.* 213. *n.* 1. Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *n.* 17. idque passim ex stylo, etiam per clausulas generales in gratiis novis. Lott. *loc. cit. n.* 79. licèt derogatio hujusmodi non attendatur, si principalis gratia sit nulla. Lott. *cit. n.* 51. Tond. *n.* 19. citantes Puteum *decis.* 19. *l.* 2. Talis autem derogatio debet esse specialis; nec sufficit, quòd in supplicatione fiat mentio annalis possessionis, nisi illius expressa accedat derogatio. Tond. *loc. cit. n.* 18. Quòd etiam huic primæ parti derogetur per Nuntium Apostolicum, habet Tond. *n.* 17.

2. Secundæ verò parti hujus regulæ nusquam consuevit derogari. Lott. *n.* 52. Tond. *loc. cit. n.* 21. Hujus rei ratio est, quòd licèt prior pars fuerit æquè ac secunda pars regulæ inducta ad coërcendam improbitatem impetrantium; quia tamen aliud nihil concernit, quàm instructionem Papæ circa personam possessoris & qualitatem illius, neque jus publicum, neque privatum læditur, dum ea non servatur, derogatio illius nullam in se habet amaritudinem. Lott. *cit. n.* 52. Posterior verò pars regulæ concernat jus publicum; nam nisi citetur possessor intra 6. menses, & exinde intra annum causa expediatur, regula præsumit calumniam in impetrante, & super hac præsumptione ampliùs disponit, nimirùm annullando impetrationem, & alias pœnas decernendo. Unde jam non dicitur præsumptio simplex, sed juris & de jure, juxta doctrinam Bald. *in l. sive possidetis. c. de probat.* Menoch. *eod. tr. l.* 1. *q.* 3. *à n.* 16. Lott. *n.* 53. quapropter etiam, si huic quoque parti derogaretur, videretur quodammodò foveri ista malitia, quod leges abhorrent. Lott. *n.* 54.

3. Veruntamen, si justa causa subest, consuevisse prorogari hæc tempora semestris illius & anni, ut dictum suprà, adeò, ut nusquam prorogatio hæc soleat denegari, teste Lott. *n.* 55. ex Gomes. *hic q.* 71. & Gratian. *discept. forens. c.* 624. *n.* 24. in tantum etiam, ut non teneatur impetrans causam pro obtinenda hujusmodi prorogatione suggestam seu obtensam justificare. Lott. *num.* 56. citans Sarn. *ad reg. de triennali. q.* 56.

Quæstio 848. *Regula de triennali possessione, (quæ est trigesima tertia) aliàs* 35. *Cancell. quid contineat?*

1. Respondeo, subjungendo ipsa verba regulæ: *Statuit, & ordinavit idem D. N. quòd si quicunque beneficia Ecclesiastica, qualiacunque sint, absque Simoniaco ingressu Apostolicâ vel ordinariâ collatione aut electione, & electionis hujus confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio & provisio, electio & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit, (dummodò in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserint) super iisdem beneficiis taliter possessis nequeant molestari; nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas irritas & inanes censeri debere, decrevit, antiquas lites super illis motas penitùs extinguendo, &c.*

2. Observandum hîc imprimis in genere, quod ait C. de Luca *de benef. in sum. n.* 236. quòd etsi frequentior sit hujus regulæ, quàm prioris de annali in foro usus; vulgus tamen majorem longè ei tribuat operationem, quàm in effectu habet, cùm ob restrictiones & declarationes nimiùm rari sint casus, in quibus operativa manet; hinc

Quæstio 849. *Quænam sit potissima vis hujus regulæ seu triennalis possessionis?*

Respondeo, est impedire absolutè & simpliciter, ne ullis molestiis impeti valeat possessor ratione beneficii possessi. Castrop. *de benef. d.* 2. *p.* 33. *n.* 8. Lott. *l.* 2. *q.* 53. *n.* 7. cum communi, adeò, ut contra impetrantem oppositâ exceptione hujus regulæ & justificatâ judex aliud pronunciare non habeat, quàm regulam obstare, & si quid declarat contra possessorem, illud totum sit nullum. Lott. *loc. cit.* citans Sarn. *ad hanc reg. q.* 58. Et in hoc posita est potissima differentia hujus regulæ à priori *de annali*, dum hæc non ita tuetur possessorem, ut nolit eum molestari, sed solùm impetranti & molestare cupienti præscribit modum & tempus agendi. Lott. *loc. cit. n.* 3.

Quæstio 850. *An dicta vis restringenda ad molestias super possessione, & non extendenda quoque ad arcendas molestias super proprietate movendas? Sive num hæc regula solùm obstet in possessorio, & non etiam in petitorio?*

Respon-

Respondeo: vi illius arceri utriusque generis molestias, & obtineri tam in petitorio, quam in possessorio. Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 58. n. 48.* citans Cassad. *decis. 5. n. 5. de restit. spol.* & Rebuff. *de pacif. poss. n. 25.* Lott. *cit. q. 53. n. 8. & 11.* citans eundem Rebuff. *in pr. p. 3. signat. super clausul. derogatoriis.* (ubi etiam, quòd contra possessorem triennalem excitari nequeat lis, neque in possessorio, neque in petitorio) contra Chok. *ad hanc regulam. n. 73.* & Felin. *in c. pent. de sentent. & re judicat. n. 31.* cujus hac in parte doctrinam sustineri non posse in terminis, in quibus is loquitur, nimirùm ubi Ordinarius ipse in titulo inquirit, juxta dicta à nobis suprà, ait Lott. *cit. n. 8.* Quin & supposità triennali, intentari nequit, sed cessat actio popularis, ut quis removeatur ab occupatione bonorum Ecclesiæ. Lott. *n. 9.*

Quæstio 851. Qualiter vi hujus regulæ extinguantur lites antiquæ?

Respondeo: illicò & ut completum triennium, intra quod possessor non fuit de facto molestatus, si quæ lis ante initium illius triennii contra eum, aut aut ejus prædecessorem mota fuit, (per aliquem tamen tertium, ut Lott.) ea lis antiqua mox extinguitur penitùs in ordine ad hunc effectum, nimirùm ut eâ non obstante, triennalis hæc possessio dicatur pacifica, cujus contrarium est in regula *de annali*, ubi, si antequam initietur annalis possessio, lis mota fuit possidenti beneficium, & non finita, nullatenùs fit aut dicatur possessio illa annalis pacifica, etiamsi intra annum in dicta lite nihil fit actum. Lott. *cit. q. 53. n. 12.* dicens, hunc esse verum sensum verborum illorum: *Antiquas lites penitùs extinguentes*, & pro hoc citans Rotam *in Segob. Paroch. 12. Junii. 1438.* alias interpretationes dictorum verborum, super quibus plures multimodis fatigâsse ingenia sua, quæque tantam præ se ferre obscuritatem, ait Chok. *hic. n. 84.* ut aliquo narratore opus habeat, vide apud Glossat. Alph. per plures numeros *à num. 23.* apud eundem Chok. item Gomes. *hic q. 6.*

Quæstio 852. Quid requiratur, ut possessio illa triennalis dicatur pacifica in ordine ad effectum hujus regulæ?

1. Respondeo: exigitur, ut totum triennium decursum in pacifica possessione, non attento effectu cujusvis litis ante illius triennii initium motæ per tertium aliquem contra possessorem, utpote quæ penitus extrinseca remanet, quantùm ad exceptionem triennalis obtensam contra impetrantem. Lott. *cit. q 53. n. 19.*

2. Interrumpitur autem iisdem modis, quibus interrumpi annalem, dictum est. Lott. *ibid. n. 20.* Quibus tamen addit modum alium interruptionis *n. 21.* si nimirùm ipse possessor triennalis, etiam post triennium exactum, contra aliquem litem moverit, constituendo se actorem per commissionem causæ super beneficio; secùs si se constituerit reum voluntarium; adeòque non super beneficio, sed super jactationibus alterius causam obtinuit committi. Citat pro hoc Card. Paris. *cons. 87. n. 2. l. 4.* Quòd si etiam turbatio seu contradictio extrajudicialis non fuerit continuata, hoc est, cœpta, dein intermissa per triennium, non excluditur exceptio triennalis possessionis; quia ea non redditur non pacifica. Tond. *loc. cit. n. 65.* citans Burat. *decis. 621. n. 8.* Vide de hoc Alph. Soto apud Chok. *hic. n. 25.* In quo iterùm differre videtur hæc regula à præcedente, juxta dicta *ibidem.*

3. Notandum etiam, quod tradit Tond. *ibid. n. 68. & 69.* turbationem per tertium illatam, & litem cum tertio agitatam non impedire cursum triennii quoad alios, qui non sunt in lite, & si litiget quis adversùs unum post triennium, (vel etiam litigavit intra triennium) & adversùs alios non, dicitur adhuc pacificus possessor quoad alios. Citat pro hoc Sanch. *in cons. mor. l. 2. c. 1. dub. 27.* secutum in hoc Rebuff. *de pacif. poss. n. 200.* & Gl. *ad pragmat. sanct. tit. de pacif poss. v. terminorum,* qui asserunt, interruptionem triennii nocere tantùm quoad personam interrumpentem, & tertium se ex ea juvare non posse.

4. Porrò ad hujus triennii computationem nequaquam deservire potest possessio antecessoris, ut dictum ad *regulam de annali*, quia nullibi in jure cautum est, *ut* in materia beneficiali, quemadmodum in profana, v. g. in usucapione rerum civilium, possessio antecessoris adjudicetur successori, illique prodest, ac si ab ipso haberetur, juxta *l. Pomponius. ff. de acquirend. poss.* Castrop. *cit. p. 33. n. 8.*

Quæstio 853. An & qualiter titulus exigatur, ut suffragetur possessori triennali hæc regula?

1. Respondeo primò: exigitur titulus aliquis; nam in eo etiam differt hæc regula à regula *de annali*, quòd hæc pro subjecto habeat nudum factum possessionis pacificæ, ut Lott. *cit. q. 53. n. 12.* adeòque sufficiat sola beneficii corporalis detentio; ad obtendendam tamen regulam *de triennali*, ejusque beneficio fruendum requiritur verisimilis titulus aliquis, ut indicant verba illa regulæ: *Ex Apostolica aut ordinaria collatione possederint*, &c. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p. 2. l. 7. c. 34. n. 5.*

2. Respondeo secundò: non exigitur ullius veri tituli probatio. Chok. *hic. n. 89.* sed sufficit hunc titulum esse verisimilem seu coloratum, seu sufficit possessio colorata ex titulo colorato. Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 41. & 37.* Castrop. *loc. cit.* Lott. *cit. q. 53. n. 13. & 14.* ubi etiam, quòd sicut regula *de annali* pacificam possessionem componit ex duobus, nimirùm ex naturali & nudi detentione, & ex capacitate personæ, quam ea habet ad detinendum; (suppositâ enim incapacitate etiam talis detentionis, eò quòd v. g. tali personæ etiam ipsa detentio sit prohibita, locum non habet regula, ut Sarnens. *ad reg. de annali. quæst. 3. & 55. limit. 1.*) ita regula *de triennali* componat pacificam possessionem ex naturali detentione & titulo possidendi, saltem colorato. Sufficit itaque allegare possessionem cum titulo colorato absque exhibitione tituli alterius; quia colorata possessio (qualiter possessio coloratur, ut dictum, ex titulo colorato) sufficit ad obtinendum in possessorio. Tond. *n. 41.* qui etiam *n. 43.* ait, in eo casu, nempe possessionis triennalis pacificæ cum titulo colorato, posse allegari dispensationem & alium quemcunque titulum meliorem de mundo, pro quo citat Manticam *decis. 150. n. 10.* quod tamen ipsum limitat *num. 44.* quòd non ita simpliciter sit intelligendum; sed solùm locum habeat in casu, in quo Papa solet facilè dispensare; secùs est, in quo difficilis est dispensatio, quod probare est difficile. Tond. *nu. 45.* Majorem autem tituli colorem requiri in materia triennali, quàm in actione spolii, ait Tond. *loc. cit. num. 73.* Porrò titulus coloratus in hac materia seu ad effectum hujus regulæ est & dicitur, qui habetur seu concessus est ab eo, qui potest tale beneficium conferre, vel eligere, vel confirmare, licèt hic & nunc, seu ex accidenti fuerit impeditus. Tond. *loc. cit. num. 72.* citans Riccium *collectan. 2804.* Chok. *hic. num. 85.* Gomes. *hic. q. 27. & 28.* dicentem, hanc esse conclusionem certam. Item talis titulus coloratus dicitur omnis ille, qui non est infectus per hanc regulam, sive qui non excluditur per hanc regulam; ideòque ad effectum hujus regulæ titulus non decoloratur, nisi ex duobus casibus in regula expressis, nimirùm simoniaci ingressûs, & reservationis clausæ in corpore juris; sive illi soli habent titulum decoloratum, qui titulum simoniacè vel de beneficio taliter reservato obtinuêre. Lott. *loc. cit. n. 15.* Chok. *cit. n. 85.* Unde licèt plures dentur tituli non colorati quoad effectus juris communis; (ut videre est apud Chok. *n. 86.*) hi tamen tales non sunt quoad effectum hujus regulæ, seu non impediunt beneficium hujus regulæ. Chok. *cit. n. 86.*

3. Respondeo tertiò: ubi tamen constat de invaliditate tituli, non juvabitur possessor triennalis beneficii hujus regulæ. Chok. *n.* 89. ubi enim manifestè probari potest de fundamento invalido, hujusmodi titulus non dat colorem, ut Boër. *decis.* 24. *n.* 6. apud Chok. *l. cit.* Et quia talis titulus dicitur emanare de facto, & non de jure, ut apud eundem Felin. *in c. in nostra. de rescript.* Illud tamen notandum, quod ait Tond. *l. cit. n.* 41. *ex codice Fabriano l.* 1. *tit.* 2. *defin.* 5. *n.* 3. aliud esse titulum invalidum & nullum, aliud esse vitiosum, etsi produceretur titulus solùm invalidus, id non obstare beneficio hujus regulæ; eò quòd remanet præsumptio tituli validi, licèt constet de titulo invalido, non tamen vitioso. Atque hæc quia perpetuum est in beneficialibus, quòd nequeat dari vitiosus ingressus.

4. Denique hic observandum, quòd, si negetur, possessorem habere titulum coloratum, id per actorem probandum esse, & non probandum per possessorem, titulum esse coloratum. Chok. *cit. nu.* 89. ex Gomes. *hic q.* 45. dicens, esse communem DD.

5. De cætero titulus coloratus dupliciter deduci potest, nimirùm verè, ostendendo nempe literas provisionis, & præsumptivè de cursu temporis. Lott. *cit. q.* 53. *n.* 31. uti ex Sarnensi *hic. q.* 24. *n.* 7. & Rota *in Rhegiensi jurisp.* 21. *Maji* 1625. quòd hoc tempus in hac re minùs esse non possit, quàm decennium ultra tres annos, quos exigit regula.

6. Monendum hic iterùm, quòd convenienter ad dicta *de annali & triennali* suprà ipsæ titulum non dent, ait Chok. *ad hanc regulam. num.* 89. ex Covar. *tom.* 1. *relect. in c. possessor. p.* 2. §. 10. *n.* 10. *de regulis juris in* 6. & sic in animæ judicio, hoc est, in conscientia tutum non esse, sed teneri beneficium dimittere, qui scit sibi canonicum titulum ad obtinendum beneficium deficere.

Quæstio 854. *Qualiter ex possessione triennali præsumatur titulus, & dispensatio facta, & facta publicatio resignationis?*

1. Respondeo ad primum: titulus beneficii non tantùm præsumitur ex diuturni temporis lapsu, ut est 10. annorum. Gl. *in c. dilectio tua.* 16. *q.* 3. *v. offerre.* & Archid. *ibid. num.* 2. apud Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 4. *num.* 20. sed & in beneficialibus ad præsumendum titulum sufficit spatium 3. annorum, stante hâc regulâ de triennali. Paris. *ibid. n.* 23. citans Ferret. *consil.* 18. *n.* 1. & *cons.* 362. *n* 9. *l.* 2. Pontan. *de bol. concl.* 137. *n.* 20. Datque hanc rationem: quia cùm Episcopi visitent Ecclesias, & inquirant super titulis beneficiorum suæ diœcesis; non est præsumendum, quòd tanto tempore tolerâssent intrusum, citans pro hoc Ferret. *dicto consil.* 362. *n.* 6. Innoc. *in c. illud. de præsumpt.* Decium *consil.* 121. *n.* 3. Quòd si tamen expressè producatur & ostendatur titulus nullus & invalidus, (ut quia probatur de intrusione vel vitioso ingressu, ut Abb. *in c. illud. n.* 7. Gemin. *in c. Ordinarii. n.* 7. *de off. Ordinar. in* 6.) præsumptio hujusmodi nihil operatur. Paris. *loc. cit. n.* 27. citans Bellam. *cons.* 10. *n.* 10. & 29. ac dicens, esse communem: non secùs ac titulus, qui in profanis præsumitur ex spatio 10. annorum, cùm constat de contrario, nihil operatur. Paris. *num* 28. Quòd si etiam Episcopus ex officio inquirit, tenetur possessor ostendere & probare suum titulum, maximè curatus, juxta dicta superiùs. Quin &, si constaret Episcopum non visitâsse, possessor cogitur exhibere titulum Ordinario, etiam post triennalem possessionem. Lott. *l.* 2. *q.* 46. *n.* 45. ex Bellam. Porrò an & qualiter teneatur resignatarius docere de titulo sui prædecessoris seu resignantis, vide eundem Paris. *q.* 4. *fuse per totam.* Sed de hoc nos alibi.

2. Respondeo ad secundum: ex possessione triennali præsumitur facta dispensatio; dum enim hæc regula defendit execrabilem, & non promotos ad sacros Ordines, ut paulò pòst dicetur, præsumit dispensatum cum illis desuper. Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 14. *n.* 28. similia habet Chok. *n.* 89.

3. Respondeo ad tertium: ex possessione triennali absque dubio præsumitur facta publicatio per resignatarium. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 26. ita resolutum testans à Rota *in Placent. appellationis fructuum.* idémque confirmatum 3. *Junii* 1584. si enim publicatio præsumitur facta per resignatarium in tempore, & is non tenetur id probare, ut habet communis sententia. Paris. *ibid. n.* 25. dum facta præsumuntur, quando sunt consueta fieri. Bald. *in rub. c. de fide instrum. col.* 3. *n.* 8. & plurimi alii apud Paris. *n.* 20. eóque magis, dum id, quod consuetum est fieri, est accessorium ad principale, ut Curtius junior *in l. si emancipati. n.* 9. *c. de collat.* apud Paris. *n.* 21. Uti publicatio consueta est fieri, & accessoria est ad expeditionem literarum ipsius resignationis: multò maximè præsumenda est dicta publicatio, si resignatarius beneficium illud possedit per triennium; si enim possessio talis facit præsumi dispensationem, ut dictum, quæ pendet ex facto alterius, nempe Superioris; multò magis publicationem, quæ pendet ex facto ipsius possessoris; nec requirit aliquod factum Superioris. Paris. *n.* 28. & 29.

4. Variè tamen hoc ipsum limitatur: Primò, ut non procedat, dum sumus in spolio; tunc enim ne quidem triennalis possessio hunc effectum præsumptionis factæ publicationis produceret. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 31. juxta varias Rotæ decisiones, quas citat. Secundò: quoties Superior vellet videre publicationem; tunc enim non sufficeret ostendere triennalem possessionem, sed tenetur resignatarius possessor eam illi exhibere. Paris. *n.* 33. & *seq.* dicens, esse communem. Sequitur à priori ex dictis suprà de necessitate exhibendi & probandi titulum in hoc casu. Tertiò: quoties peteret resignatarius suam gratiam canonizari ad aliquem effectum; tunc enim deberet probare uti titulum, ita etiam factam publicationem. Paris. *n.* 39. citans Innoc. *in c. ex insinuatione. de procurat. n.* 3. Rebuff. *in pr. tit. de rescript. ad benefic. vac. n.* 17. &c. De cætero qualiter resignatarius debeat docere de publicatione in casibus, in quibus ad hoc tenetur, vide eundem Paris. *à num.* 40. Verùm de hoc alibi.

Quæstio 855. *An, si prædecessor triennio pacificè possedit, & reputabatur beneficiatus, & in possessione cessit vel decessit, successor ejus non teneatur ampliùs justificare illius titulum?*

Respondet affirmativè Garc. *p.* 11. *c.* 1. *num.* 12. citans Lap. *alleg.* 89. *n.* 14. & 15. Mascard. *de prob. conclus.* 175. & 1379. Sarnens. *ad hanc regulam. q.* 16. Addit quoque Garc. talem successorem præferendum cuilibet alii impetranti ex persona alterius, juxta eundem Lap.

Quæstio 856. *An si quis resignârit, & post factam resignationem mansit in possessione, illámque continuavit per* 10. *annos, vel etiam triennium, præsumatur exinde in resignante retrocessio, & novus titulus acquisitus, ac per consequens juvari possit illâ possessione, & eo momento vacet beneficium per mortem illius?*

Respondeo: ita quidem censuisse sæpiùs Rotam & Auctores passim secutos Lapum *cit. alleg.* 89. ut videre est apud Paris. *l.* 11. *q.* 6. *à n.* 96. ubi etiam *n.* 98. quòd in hoc casu, uti præsumitur novus titulus, ita & nova provisio & possessio, & non teneri talem justificare dispensationem obtentam, & contra præsumptionem orientem ex hujusmodi allegatione Lapi à Rota non admitti probationem in contrarium, nisi probatio sit concludentissima, &c. Veruntamen hodiedum, stante Constitutione Gregor. XIII. hæc locum non habent; quia eo ipso vacat beneficium ob non factam intra tempus constitutum publicationem resignationis. Paris. *l. cit. n.* 111. quem vide de his pluribus.

Quæ-

Quæstio 857. *An ad hoc, ut vi hujus regulæ repellatur impetrans, requiratur in possessore triennali bona fides?*

Respondeo: probabiliùs esse, quòd non. Chok. *hic. n.* 76. citans Crescent. *decis.* 1. *de sent. & re judic.* Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *num.* 47. Castrop. *cit. p.* 33. *n.* 10. citans Gomes. *ad hanc regulam. q.* 42. Covar. *Reg. possessor. p.* 2. §. 10. *n.* 10. *concl.* 4. contra Rebuff. *de pacif. possessor. n.* 28. Nav. *l.* 3. *cons. tit. de præb. cons.* 41. *& cons* 2. *tit. de paroch.* & Sanch. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 91. apud eundem Castrop. hâc nixos ratione: quòd, cum mala fide non detur præscriptio, neque conveniens sit, Papam velle favere peccantibus. Verùm hanc in contrarium opponit rationem Castrop. quòd vi hujus possessionis triennalis non præscribatur titulus in beneficio, sed solùm prohibetur possidentis molestatio & beneficii impetratio: hi autem effectus obtineri nequeant, si regula faveret solis possessoribus bonæ fidei; nam impetrans objicere posset possessori malam fidem, eámque illi facilè probare, probando illum contra juris ordinem possidere beneficium. Sed neque Papa intendat favere peccantibus ex eo, quòd hæc regula defendat possessores malæ fidei, sed solùm intendat favere Reipubl. ab ea removendo lites, esto per accidens inde sequatur favor aliquis malæ fidei possessoribus. Ad hæc lites, quas hæc regula vitare intendit, ex alio capite, nimirùm vel ex hoc ipso, quòd bona fides requiratur, nascerentur, dum possessor, sicut ut se defendat hâc regulâ, probare debet triennalem possessionem, ita etiam probare deberet suam bonam fidem, quod difficillimum est, præcipuè, dum beneficium possidetur contra juris ordinem.

Quæstio 858. *An regula hæc defendat possessorem etiam quoad proprietatem beneficii?*

Respondeo: non defendere illum quoad proprietatem seu titulum, sed tantùm quoad possessionem. Chok. *ad hanc reg. n.* 76. & Glossator apud illum *n.* 18. quia non dat ei titulum, ut suprà. Hinc fit, ut Ordinarius post triennalem possessionem, dum comperit possessorem esse sine titulo, possit eum amovere, & beneficium conferre alteri. Chok. *ibid.* Et ut præmittit Chok. nemo impediatur, quò minùs in petitorio doceat possessorem triennalem esse intrusum, etsi hoc secùs sit in possessorio; cùm nemo audiendus opponens aliquid contra possessionem. Hujus tamen contrarium sentire videtur Tond. *loc. cit. n.* 48. dum ait: quamvis aliqui existimârint, regulam de triennali non obstare in petitorio, sed tantùm in possessorio; contrarium tamen verius est, & per Rotam observatum: nempe triennalem obtinere debere tam in petitorio, quàm possessorio. Citat pro hoc Cassad. *decis.* 5. *num.* 5. *de restitut. spoliat.* Rebuff. *de pacif. poss. num.* 25.

Quæstio 859. *Num hæc regula operetur in spolio, seu defendat possessorem super possessione, qui in spolio convenitur?*

Respondet negativè Chok. *hic. q.* 76. Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 14. *num.* 13. licèt enim regula hæc disponat, ut possessores triennales excludant agentes, etiam habentes verum titulum; id tamen sic accipi non debet, ut ista exclusio veri tituli seu proprietatis fiat per occupationem & usurpationem; nam, ut Gomes. *hic. q.* 11. nulla lex vel statutum eum sensum recipere potest, ut per illud credatur conditor legis vel statuti spoliatores in sua occupatione tueri, & spoliatos à restitutione excludere. Chok. *ibid.*

Quæstio 860. *An & qualiter hæc regula defendat possessores triennales pacificos, aliàs inhabiles beneficii habendi; de inhabilibus enim etiam possessionis, seu magis detentionis beneficii dictum est aliàs, illos non defendi hâc regulâ?*

1. Respondeo primò in genere: quoslibet tales possessores, exceptis simoniacis & intrusis, defendi hâc regulâ, ne scilicet contra illos actio intentari possit, eorùmque beneficia impetrari. Castrop. *cit. p.* 33. *num.* 9. citans Gomes. *hic. q.* 26. 27. *&* 28. Card. Paris. *cons.* 96. *n.* 1. *vol.* 4. Navar. *c. si quando. de rescript. exceptione. n.* 9. (cum quibus sentire videtur Chok. ut patet ex ratione, paulò pòst ex eo danda; quamvis tamen certas personas inhabiles excipiat, ut mox videbitur) contra Rebuff. *de pacif. poss. n.* 106. & Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 35. *q.* 1. quos citat Castrop. & quibus ex parte consentire ait Sanch. *in Decal. l.* 7. *c.* 29. *n.* 28. *&* 91. cum quibus etiam sentire videtur Glossator Soto apud Chok. *num.* 41. Rationem dat Castrop. quòd regula excludat simoniacos & intrusos, tacitè hoc ipso comprehendat alios omnes ex aliis capitibus inhabiles; dum enim taxativè regula vel lex excipit certos casus, casus non excepti comprehenduntur, ut Chok. *n.* 54. juxta *c.* 2. *de conjugio leprosor.* & Abb. *ibid.* præsertim, ubi regula concernit bonum publicum, ut hîc. Sed neque per hoc vult Papa, ut cæteri illi inhabiles beneficia illa retineant; sed ne litibus ad petitionem partis impetantur, relinquendo interim Ordinariis potestatem examinandi possessorem, quo titulo beneficium possideat, eosque, si legitimo titulo careant, amovendi, juxta *c. grave. de præb.*

2. Respondeo secundò in specie: defendi primò non promotos infra annum ad Ordines, juxta Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 14. *n.* 27. Et non promotum ad Ordinem in beneficio requisitum, etiamsi is promoveri jussus per sententiam, non est promotus, si post sententiam per triennium mansit in possessione, juxta Chok. *num.* 82. eò quòd ex illa triennali possessione præsumatur dispensatus, saltem ad tempus, & dummodò alleget hanc dispensationem.

3. Secundò: execrabilem, seu possessorem duorum beneficiorum curatorum, juxta eundem Paris. *ibid.* & Gomes. *hic. q.* 10. & Rebuff. *de pacif. poss. n.* 7. apud Chok. *num.* 79. pro quibus militare videtur, quòd præsumi possit, eum tali dispensatum, & talem juvari hâc regulâ, etiam non ostensâ dispensatione, modò eam alleget, tradit Rebuff. *loc. cit.* quamvis de execrabili id neget Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *n.* 56. (ubi etiam, quòd nequidem juvetur talis obtinens duo curata, adeòque incompatibilia, decennali possessione; pro quo citat Marium Antonin. *l.* 1. *variar. resol. cap.* 90. *per tot.*) Chok. *hic. n.* 49. eò quòd possessorem duorum curatorum non juvari hâc regulâ resolvit sacra Congregatio Concilii apud Navar. *cons.* 20. *de præb.* (quod tamen Gomes. volens contraria in hoc puncto sententias conciliare, intelligendum ait, dum talis possessor nullum habeat titulum, sed se intrusit de facto sine alicujus provisione in talibus beneficiis, vel fuit per sententiam privatus titulo) variæque extent ejusdem Congregationis declarationes apud Wames. *cons.* 233. *in addit. de præb.* & Garciam *p.* 11. *c.* 5. *n.* 379. quibus resolvatur, possessorem incompatibilium non defendi dispositione regulæ *de triennali*; & quia contra Tridentini decreta non intrat hæc regula, ut resolvit Rota 5. *Julii* 1610. *decis.* 310. *p.* 2. *in noviss.* apud Farinac.

4. Tertiò: defendi illegitimos & spurios, cùm præsumantur dispensati, etsi aliàs omnium jurium spiritualium incapaces esse dicantur. *cap. si gens Anglorum. d.* 56. juxta Gomes. *hic. q.* 2. dicentem, sic resolvisse Rotam; cum quo sentire videtur Chok. *n.* 53. contra Alphons. Soto. apud eundem Chok. *n.* 3. quamvis addat Chok. *n.* 54. præsumptam illam dispensationem non habere locum contra decretum Trident. nimirùm in illegitimis, qui beneficia obtinent in Ecclesiis, ubi eorum Patres beneficia habent.

5. Quartò: mulieres, quæ habent Dignitates, ut Abbatissæ, Priorissæ perpetuæ, juxta Chok. *n.* 56. qui pro hoc citat Sarn. *hic. q.* 3. eò quòd licèt, regulâ lo-

loquente de beneficiis, & eorum appellatione non veniat dignitas, hoc tamen fallat, ubi concurrit mens & ratio eadem dispositionis, maximè in materia favorabili, qualis est hæc. De cætero quoad beneficia propriè talia non defendi hâc regulâ mulieres, uti nec laicos alios, quia incapaces sunt possidendi beneficia Ecclesiastica, indubitatum est. Alphons. Soto. *n.* 3. apud Chok. qui idem de laico habet. *num.* 51.

6. Quintò: juvari hâc regulâ, ut non molestetur, excommunicatum, triennio pacificè cum titulo colorato possidentem beneficium, juxta Alph. Soto apud Chok. *n.* 36. eò quòd possidere possit beneficium; cùm possessio sit quid facti, quamvis idem glossator subdat, secùs esse, si talis spoliatus esset, quia tunc obstaret ei, quò minùs restitueretur, exceptio excommunicationis. Citat gl. *in c. 2. d. 33. in c. ex insinuatione. de procurat. in c. dilectus. de rescrip.*

7. Sextò: Hæreticum, quousque spolietur, juxta eundem glossatorem. *n.* 39. apud Chok. Sed de hæretico contrarium sentit Chok. *n.* 82. citans pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de modis amitt. benef. n.* 27. eò quòd hæretici omni beneficio & auxilio juris careant, juxta *c. si adversus. de hæretic.*

8. Septimò, juxta eundem glossat. *n.* 29. locum habet hæc regula in privatis ipso jure vel per sententiam, & contra ipsum judicem; eò quòd, licèt talis careat titulo, non dicatur tamen intrusus, ex quo continuat suam primam possessionem, quam habet, & hoc velit regula, considerans primum ingressum, maximè, cùm ea non det titulum, & quis etiam absque institutione Canonica possidere possit; etsi non obtinere beneficium.

9. Octavò: non defendi hâc regulâ resignatarium triennalem, qui omisit publicare resignationem, ut patet ex Constitutionis Gregor. XIII. verbis illis: *Nec resignantibus seu cedentibus, si posteà in sua possessione permaneant. constitutiones de annali & triennali possessione, &c.* Chok. *n.* 49. & 82. Paris. *l.* 11. *q.* 6. *n.* 92. citans pro hoc Sarn. *hic q.* 24. Ferret. *cons.* 95. *n.* 9. ac dicens, sic per omnes practicari, & esse communem. & *n.* 76. addens rationem ex eadem Constitut. Gregor. XIII. quia nullus tali omittenti remanet titulus, ne quidem coloratus; unde nec adeptio possessionis continuata, etiam per tempus ultra triennium tali suffragatur, ut Paris. *cit. n.* 76. contra Sarn. *hic q.* 11. Gemin. *cons.* 75. *dub.* 2. dicentem, hanc opinionem esse æquiorem. Card. Parisium. *cons.* 39. *n.* 34. *vol.* 4. Host. Jo. And. & alios *in c. illud. de præsumpt.* nixos hoc fundamento, quòd hujusmodi continuatio æquipollet publicationi, & quando forma respicit certum effectum, potest per æquipollens adimpleri. *l. jubemus. c. de testam.* verùm, ut Paris. *n.* 78. hodiedum per Constitut. Greg. XIII. non sufficit æquipollens, sed requiritur formalis publicatio.

10. Nonò: non defendi precistam, qui nominatus est ad primum vacaturum, & qui acceptavit in casu non concesso, juxta Chok. *n.* 49. citans pro hoc Guimiet. *ad pragm. sanct. tit. de pacif. poss. in principio.*

11. Decimò: non juvari eum, qui ex sola electione sine confirmatione possidet beneficium, eo quòd electio sine confirmatione nec jus in re, nec titulum coloratum tribuit. Alph. Soto apud Chok. *n.* 6. Chok. ipse *n.* 26. Gomes. *hic q.* 35. Secus est de electione impropriè sumpta, quæ potiùs rationem collationis habet, & non eget confirmatione. Alphon. *n.* 8. & 9.

12. Undecimò: non juvari triennali hâc possessione, imò nec longissimâ quoad fructus percipiendos eum, qui non emisit professionem fidei, juxta decretum Trid. *sess.* 24. *c.* 12. faciendam à provisis de quibuscunque curatis ad minus intra duos menses, quamdiu eam non emiserit, tradit Paris. *l.* 8. *q.* 9. eò quòd ita censuerit sacra Congregatio.

13. Duodecimò: non juvari hâc regulâ eum, qui vi provisionis sibi factæ (dum nimirùm in ea exprimitur, quòd intra certum tempus professionem expressam, scilicet religiosam, emittat, aliàs quòd gratia sit nulla) tenebatur profiteri, dum ipsi collatum beneficium regulare, & tamen intra tempus illud professionem non emisit, tradit Gonz. *loc. cit. n.* 52. citans Peleum *action. for. l.* 1. *c.* 34. *&c.* eò quòd tota gratia inficiatur, & ad nihilum redigatur propter istud decretum irritans, quod inficit non solum titulum, sed & possessionem; & subdit Tond. *n.* 55. non obstare huic doctrinæ, quòd non promotus intra annum, vel non graduatus juvetur adhuc hâc regulâ; eò quòd jussus intra annum promoveri cum clausula decreti irritantis, quòd gratia aliàs esset nulla, post lapsum triennii præsumatur dispensatus. De cætero enim nec talem fore tutum triennali possessione, quâ post jussum de promovendo possedisset, si negativa illa non promotionis, nec non negativa obtentæ dispensationis fuisset probata.

14. Decimo tertiò: non juvari hâc regulâ infantem 6. annorum, cui assignati fructus cum decreto, quòd, dum esset legitimæ ætatis, illi fieret collatio beneficii, cùm in eo deficiat titulus & possessio, tradit Tond. *loc. cit. n.* 38.

Quæstio 861. Quæ hîc veniant vel non veniant nomine beneficiorum in ordine ad effectum hujus regulæ de triennali?

1. Respondeo: ut ea præteream, de quibus dubium nullum esse poterat, primò veniunt seu comprehenduntur Commendæ perpetuæ. Gomes. *hic n.* 5. motus diversis Rotæ præjudiciis, quæ ibi profert. Chok. *n.* 90. & 43. dicens, quidquid sit de hoc, num commenda talis sit propriè titulus beneficii, nec ne, propter quod potissimùm Glossator Alph. *n.* 40. negat, Commendatarium juvari hâc regulâ, saltem ubi molestaretur per alium, etiam Commendatarium, hodiedum id ampliùs in dubium venire non posse, dum Adrianus VI. huic regulæ post verba illa: *Simoniaco ingressu*, adjecit verba illa: *Ex quovis titulo*, ut comprehenderet etiam commendas, super quibus anteà controvertebatur in Rota, teste Sarn. *hic in præfat.* & *q.* 5.

2. Secundò comprehenduntur officia, modò sint Ecclesiastica, de quibus loquitur *c. cùm accessissent. de constit.* & *c. consulere, de simon.* Chok. *n.* 44. Gomes. *q.* 6. eò quòd nomen beneficii in materia favorabili latissimam patiatur interpretationem.

3. Tertiò hospitalia, modò dentur in titulum & ad vitam intitulati; cùm in eo casu sint beneficia Ecclesiastica. Chok. *num.* 45. Secùs si dentur tantùm in administrationem; tunc enim non sunt beneficia, nec veniunt hâc regulâ. Chok. *n.* 46. citans Gomes. *q.* 7. Mohed. *decis.* 18. *de causa possess. & prop.* Simonet. *tr. de reservatione. q.* 7.

4. Quartò veniunt beneficia jurispatronatûs. Chok. *n.* 5. citans Gomes. *hic q.* 9. Wames. *tom.* 2. *consil.* 263.

5. Quintò beneficia reservata reservatione non clausâ in corpore juris. Tond. *loc. cit. n.* 61. dicens, sic sentire omnes de hac regula scribentes.

6. Sextò etiam reservata reservatione clausâ in corpore juris diversa ab illa reservatione, quæ habetur in *c.* 2. & *c. de præsenti. de præb. in 6.* seu quâ reservantur Papæ beneficia vacantia per obitum in Curia; (si quæ tamen dentur aliæ reservationes clausæ in corpore juris, nam hanc esse unicam & solam reservationem clausam in corpore juris, ostendit Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 132. & astruunt Tond. *loc. cit. n.* 61. Rebuff. *in concordata. in forma mandati Apostolici*) siquidem de hac, utpote secundùm dicta aliàs digniore & efficaciore, propriè & solùm loquitur hæc regula; ac licèt quoque dicantur & aliæ adhuc præter illam reperiri reservationes clausæ in corpore juris, de iis non loquitur illa regula. Chok. *n.* 69. & 70. Lott. *l.* 2. *q.* 53. *n.* 16. dicens, ita firmatum à Rota *in Cordub. Capellania* 25. *Octob.* 1596. & *n.* 18. dicens, jure merito restrictam esse vim regulæ; cùm ista reservatio sola ea sit, quæ decoloret omnem titulum. Quin &, dum regula dicit in illa parenthesi: *Dummodo se in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali clausa in corpore juris reservata fuerint, se non intruserint*, videntur adhuc

com-

comprehendi hæc ipsa beneficia dictâ reservatione reservatâ, modò per triennium ea possidens se in illa non intruserit; hoc est, ea ab alio, quàm à Papa non acceperit, aut indebitè seu subreptitiè contra decretum irritans, adeóque inficiens titulum & possessionem à Papa ea habuerit; licèt aliàs fortè ob defectum aliquem alium non nisi titulum coloratum (intellige ex eo, quòd à Papa acceperit) habuerit.

7. Septimò non veniunt beneficia unita, sive non juvatur hac regulâ, qui beneficium unitum possidet triennio, præsertim ubi facta unio in perpetuum; quia talis caret titulo, utpote qui per talem unionem extinguitur; unde nec vacare potest tale beneficium; quia extinctum. Tond. *loc. cit. n.* 26. Parif. *de resign. l.* 1. *q.* 15. *n.* 25. citans Sarn. *hic q.* 8. *n.* 24. Chok. *n.* 84. dicens sic juxta omnes servare in praxi Cancellariam Romanam.

8. Octavò non veniunt beneficia manualia. Chok. *n.* 49. citans Germon. *de indult. Card.* §. *regularm. n.* 37. Mohed. *decis.* 169. *de causa possess. & prop.* uti nec præceptoriæ ad nutum amovibiles. Chok. *n.* 50. citans Mohed. *ubi ante, decis.* 10.

Quæstio 862. *Quinam ad effectum hujus censeantur intrusi?*

1. REspondeo primò; licèt intrusi nomen pluribus aliis competat (qualis in genere dicitur omnis ille, qui accipit vel retinet beneficium, sciens nullum sibi jus competere in illo, ut Castrop. de benef. *d.* 2. *p.* 33. *n.* 11. dicens hanc definitionem confici ex *c. ad aures, de excessib. prælat. c. quia diversitatem. de concess. preb. c. jam dudum. de preb. c. eum, qui de preb. in* 6. & sic colligi ex dictis à Selv. *p.* 1. *q.* 11. *n.* 9. & 10. Rebuff. *in pr. p.* 11. *in reg. de subrog. collitig. gl.* 4. Gomes. *hic. q.* 47. apud Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 35. *q.* 10. Covar. *l.* 3. *variar. c.* 16. *nu.* 7.) in ordine ad alios actus. Non videntur tamen hoc nomine in hac regula & in ordine ad effectus illius comprehensi directè alii, quàm qui vel obtinent beneficium aliquod simoniacè, vel ad beneficium dictâ reservatione clausâ in corpore juris reservatum promoti: intellige, ab ab alio, quàm à Papa. Chok. *n.* 82. dum in his duobus tantùm casibus, ut dictum, ex Lott. *l.* 2. *q.* 53. *n.* 15. & 16. decoloretur omnis titulus, adeóque & possessio. Et hos solos intrusos excludi directè à beneficio hujus regulæ, videtur satis indicari per verba illa regulæ: *Non molestandos illos super beneficiis, qui ea, qualiacunque sint, ex Apostolica vel ordinaria collatione seu provisione sine simonia obtenta pacificè triennio possederint, & modò in ea beneficia, dum reservata sunt dictâ reservatione* (hoc est, dum ea vacant per obitum in curia) *intrusi non sint*; hoc est, illa ab inferioribus collatoribus non obtinuerint.

2. Nihilominus tamen vi Constitut. *Julii III. datæ anno* 1553. relatæ à Quaranta. *v. beneficiorum collatio*, & à Piasecio *in proœm. pr. Episcopalis. num.* 4. quæ incipit; *Sanctissimus in Christo Pater & Dominus*: expressè in ordine ad non fruendum beneficio regulæ de annali & triennali dicuntur intrusi, qui possident beneficia Ecclesiastica vel Dignitates, earúmne administrationem suscipiunt ante expeditionem literarum & confirmationem obtentam. Chok. *n.* 82. (ubi etiam, quòd id cesset in diœcesi Leodiensi, referens se ad *regulam* 3. *Cancellariæ*) sic enim expressè dicitur *ibidem*, quòd ipsorum beneficiorum non possessores, sed meri & nudi detentores ac violenti sine aliquo titulo in eis intrusi censeantur, & pro talibus habeantur, & reputentur, nec fructus suos faciant, & regulæ cancellariæ *de annali & triennali* possessore in iis locum non habeant &c. De cetero tunc intrusi quoque alii, hoc est, carentes legitimo titulo excludantur à beneficio hujus regulæ, dum eorum intrusio, seu non titulus, vel titulus vitiosus notorius est; vel etiam manifestè probatur. Vide dicta supra; ubi qualiter & qualis requiratur titulus ad fruendum beneficio hujus regulæ. Plura de intrusione, & qui in specie dicantur intrusi, Vide apud Castrop. *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 20. *num.* 81.

Quæstio 863. *Quinam simoniaci excludantur à beneficio hujus regulæ?*

1. REspondeo primò: ii, qui scientes commissam esse simoniam in adeptione beneficii, illud ingrediuntur; & è contra ii, quibus ignorantibus (putà quia v. g. pater, frater, amicus, aliquid dedit pro impetrando beneficio filio, fratri, amico) à favore hujus regulæ non excluduntur; eò quòd, cùm hæc exclusio sit pœna, extendi non debeat ad simoniam, in qua beneficiati culpabiles non sunt. Less. *l.* 2. *de just. c.* 35. *n.* 140. citans Gomes. Chok. *ad hunc regulam. n.* 60. Castrop. *l. c. n.* 11. citans pro hoc Rebuff. *de pacif. possess. n.* 242. *alias* 193. Ugol. *tab.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 2. & Garc. *p.* 8. *c.* 1. *n.* 15. ubi plures alios refert. Tametsi autem talis ignorans simoniam commissam in impetratione beneficii defendatur exceptione hujus regulæ, non est tamen tutus in conscientia, nisi petat absolutionem à Papa cum nova provisione. Chok. *cit. n.* 60. quæ absolutio & nova provisio qualiter, seu sub quibus clausulis ei detur, aut ei danda committatur Ordinario, vide apud Eundem Chok. *ibid.*

2. Respondeo secundò: juvantur adhuc hac regulâ, qui post factam sibi collationem seu provisionem beneficii aliquid dant vel promittunt, etsi per hoc committant simoniam; quia ab initio non habuerunt ingressum simoniacum. Chok. *n.* 61. citans Gomes. *q.* 12. qui testetur ita censuisse Rotam.

3. Respondeo tertiò: de cetero, quòd scienter simoniacè ingressi beneficium non juventur hac regulâ, sed etiam post triennii possessionem iis possit lis intentari, & beneficium adimi, extenditur ad eos, qui simoniam solùm conventionalem (hoc est, quando tantùm pactum est pretium, seu res temporalis pro beneficio, non tamen ex utraque parte pactum est adimpletum, putà, v. g. quia datum est beneficium, nondum tamen datum est pretium; dum enim ex utraque parte completa jam est pactio, est simonia realis. Chok. *n.* 60. ex Navar. *in manual. c.* 23. *n.* 100. & *cons.* 3. *de simon.*) admiserint. Less. *loc. cit.* Chok. *loc. cit.* qui posterior tamen vult, id procedere ex suppositione, quòd hæc simonia conventionalis eandem pœnam incurrat quam simonia realis; nempe privationem beneficii de facto, & excommunicationem latæ sententiæ, uti id docent Tol. *in sum. l.* 5. *c.* 94. Redoan. *de simon. p.* 4. *c.* 9. *n.* 7. & *p.* 2. *c.* 17. Rebuff. *in pr. tit. de simonia in resignatione. n.* 9. Gomes. *hic. q.* 12. & alii apud Chok. *cit. n.* 60. Porro qualiter probanda simonia commissa in ordine ad excidendum beneficio hujus regulæ, vide Eundem Chok. *n.* 61.

Quæstio 864. *An soleat huic regulæ de triennali derogari?*

REspondeo: nusquam solere illi derogari, utpote quæ exigens titulum, nullum in se fovet odium. Lott. *l.* 2. *q.* 53. *n.* 32. citans Achill. *decis.* 385. *n.* 3. & 4. Hoc tamen intelligi directè, restituendo adversus ejus lapsum, ait Lott. *n.* 33. ubi etiam, quòd clausula derogatoria consueta inseri inter generales, referatur ad triennalem detentationem de facto, de qua regula hæc non loquitur; citat pro hoc Rebuff. *in pr. in* 3. *forma signaturæ super clausulis derogatoriis ante n.* 1.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

INDEX RERUM AC MATERIARUM IN HAC SECUNDA PARTE CONTENTARUM.

Numerus Quæstionem demonstrat; ubi sunt duo numeri, posterior paragraphum Quæstionis indicat.

Abbas.

Abbatia.

Abbatissa.

Abesse, Absens, Absentia.

Acceptatio.

Accusatus.

Actio.

Actus.

Administrare, Administratio.

Ædificatio.

Ætas.

Affectio, Affectum.

Agnatus, Agnatio.

Alienatio.

Alimenta.

Altare.

Alternativa.

Annata.

Annus.

Appellatio.

Nisi

Bene-

fit

Bona.

Canonicatus.

Canonicus.

Canonissa.

Capellania.

Ca-

Capitularis, vide *Electores*.

Capitulum.

Capitulum Sede vacante.

Cardinalatus.

Cardinalis.

Car-

Causa.

Censura.

Citare. Citatio.

Clausula.

Clericatus.

Clericus.

Coadjutor, Coadjutoria.

Cognatus.

Collatio.

Colla-

Collator.

Collector. Subcollector.

Eorum

Collegiata.

Collegium.

Commenda.

Commendatarius.

Commensalis. Commensalitas.

Commissarius.

Compromissarius.

Compromissum.

Concilium.

Concordata.

'Ex

Condictio.

Conditio.

Conductor.

Confirmatio. Confirmator.

Con-

eo

pu

Con-

Consanguineus.

Consecratio.

Consensus.

Consilium.

Con-

Consuetudo.

Contemptus.

Creditor.

Crimen. Criminosus.

Cubicularius.

Curia.

Dimissoriæ.

Dismembratio.

Dispensare. Dispensatio.

Documentum.

Dolus.

Dominium.

Dominus.

Donatio. Donator.

Dos. Dotare. Dotatio.

Ducatus.

Ecclesia.

Ecclesiasticus.

Edictum.

Imò,

Electores. Eligentes.

Electus.

Ele-

Enunciativa.

Episcopus. Vide *Ordinarius.*

Epifcopatus.

Error.

Examen.

Exceptio.

Excommunicatio.

Excommunicatus.

Executio.

Executor.

Exspectativa.

Ex-

Fa-

Fideicommissarius. Fideicommissum.

Fides.

Filius.

Fiscus.

Fæmina.

Fructus.

Fundatio. Fundator. Fundare.

Fundus.

Generales Ordinum.

Germania.

Gratia.

Signa-

Im-

Impensæ.

Imperator.

Impetrans. Impetratio.

Impubes.

Incorporatio.

Indignus. Indignitas.

Indulgentiæ.

Indultum.

Infamis. Infamia.

Infans.

Installatio.

Institutio. Instituere.

Institutor. Vide *Ordinarius.*

Instrumentum.

Interdictus. Interdictum.

Interventus. Vide *Præsentia.*

Inthronizatio.

Intrusus. Intrusio.

Investitura.

Irregularis. Irregularitas.

Judæus.

Judex.

Juramentum.

Jurisdictio.

Jus.

Juspatronatus, vide v. *Patronatus.*

De jurisp. natura & divisione.

De jurisp. origine & acquisitione.

De Jurisp. translatione.

etiam

De subjecto Jurisp.

De probatione Jurisp.

Jusp.

Laicus.

Legatarius. Legatum.

Legatus.

non

Con-

Legitimatio. Legitimatus.

Lex.

Libri.

Linea consanguinitatis.

Lis.

Lo

Literæ.

Locatio.

Locus.

Magister.

Mandatum.

Maritus.

Ma-

Matrimonium.

Mensis.

Metropolitanus.

Minor.

Monasterium.

Moniales.

Motus.

Necessitas.

Nominatio.

Notarius.

Nox.

Novitius.

Nuncius.

Oeconomus.

Officium.

Optare.

Ordinarius, vide *Episcopus.*

Ordo. Ordinari.

Pactum.

Pallium.

Papa.

Pa-

Parentes.

Parochialis. Parochialia.

Parochus.

Pater.

Patronatus, vide *Juspatron.*

Patronus.

Pa-

Pensio.

Permutatio.

Personatus.

Pignus.

Pœna.

Pœnalis.

Possessio. Possessor.

Pos-

loco

Postulatio, Postulare.

Postulatus, Postulantes.

Præbenda.

Prælatura.

Prælatus.

Præpositura. Præpositus.

Præscriptio, Præscribere.

Præsentatio, Præsentare, Præsentari.

De præsentationis faciendæ effectu & modo.

Præ-

Præsentandus. Præsentatus.

Præsentia.

Præstimonium.

Præsumptio.

Præ-

Preces. Precista.

Pre-

versus

Procurator.

Professio, Professus.

Non

Promissio.

Proximior.

Publicatio.

Pupillus.

Ratihabitio.

Regula.

Regulæ Cancellariæ.

Re-

Index rerum

Regularis, vide *Religiosus.*

Rejectus.

Religiosus, vide *Regularis.*

Rescriptum.

Reservatio, vide *Reservatum.*

Reservatum beneficium.

Residentia, Residere.

Resignatio, Resignare.

Rex.

Sacerdos, Sacerdotium.

Scholasteria.

Scientia.

Scriptura.

Scrutinium.

Scrutator.

Sedes Apost.

Sententia.

Sepulchrum. Sepultura.

Sequester.

Servitus.

Simonia, Simoniacus.

Smutitio.

Societas.

Solennitas.

Spoliatus, Spolium.

Spurius.

Statutum.

Stylus.

Subrogatio, Subrogatus.

Subſidium.

Succeſſor.

Suffragium.

Supplicatio.

Suspensus, Suspendi.

Synodus.

Tempus.

Terminus.

Testis.

Testis

Tite-

Translatio.

Tridentinum.

Turnus.

Tutor.

Vacare, Vacatio.

Valor.

Variare, Variatio.

Va-

Idem

Vicarius foraneus.

Vicarius Capituli sede vacante.

Visitatio.

Unio, Unire.

Universitas.

Votum.

F I N I S.

